Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Ecclesiastica historia, integram Ecclesiae Christi ideam, quantum ad locum, Propagationem, Persecutionem, Tranquillitatem, Doctrinam, Haereses, Ceremonias, Gubernationem, Schismata, Synodos, Personas, Miraculas, Martyria, Religiones extra Ecclesiam, & statum Imperij politicum attinet, secu[n]dum singulas Centurias, perspicuo ordine complectens: singulari diligentia & fide ex vetustissimis & optimis historicis, patribus, & aliis scriptoribus congesta ...

https://hdl.handle.net/1874/456762

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

H. fo.
308



Historia Ecclesiastica

Folio nº. 308.

N. 101. B.

Nona Centuria ECCLESIASTICAE HISTORIAE, CONTINENS DESCRIPTIONEM AMPLISSIMARVM RERVM IN REgno Christi, quæ Nono post eius natiuitatem seculo acciderunt: cum Imperium Romanum gubernarent, Carolus Magnus, Ludouicus Pius, Lotharius, Ludouicus secundus, Carolus Caluus, Carolus Crassus, Arnulphus: & Doctores in Ecclesia præcipui excellerent, Hincmarus, Haymo, Angelomus, Rabanus, Remigius, Ionas Aurelianensis, Pascasius, Bertramus, Idiota, & alij quidam: eodem ordine, diligentia & fide, ut superiores Centuriæ, ex uetustis & probatis Historicis, Patribus, & alijs scriptoribus:

IN DVCATV ILLVSTRISSIMORVM PRINCIPVM AC DVCVM MEGAPOLENSIVM, *in ciuitate Vuismaria.*

PER AVTORES CONTEXTA.

Accessit rerum uerborumq; in hac Centuria præcipuè memorabilium, tum locorum Scripturæ obiter explicatorum, INDEX.

Ex dono Bongoli

BASILEAE, PER IOAN. OPORINVM, & hæredes Ioan. Heruagij.

ACADEMIA RHENO TRAIECTINA

ILLVSTRIBVS AC GENEROSIS BARONIBVS AC DOMINIS, D. HVGONI ET D. VVOLFGANGO de Schonburg, Dominis in Claucha & Vualdenburg:

ET

ILLVSTRI AC GENEROSO DOMINO, D. GEORGIO Comiti in Gleichen, ac Domino in Tonna:

ET

ILLVSTRIBVS AC GENEROSIS DOMINIS, D. HENRICO Medio, & D. HENRICO iuniori, fratribus Rutenis, Dominis de Plauen, Dominis in Grez, Cranichfeld & Gera:

Dominis suis Clementissimis, singulis & omnibus,

G. & P. per Christum

VEMADMODVM nullum beneficium Dei in terris maius aut salutarius est, quòd quidem mortalibus contingit, quàm sincera & illustris Verbi cœlestis doctrina (namq; per eam non modò sapientia omnium summa, de rebus diuinis pariter & humanis reuelatur: sed insuper Deus quoq; tum seipsum, tum bona æternæ uitæ, perditis alioquin hominibus, per istud medium communicat: ut sunt, iusticia nos coram Deo iustos efficiens, inhabitatio Spiritus sancti, inchoatio restaurationis imaginis Dei, quæ in resurrectione mortuorum plenè restituetur, ius & initium uitę & læticię perpetuæ) ita exaduerso nullum malum est pernicioſius, nulla pœna prauior & atrocior, quàm cœlestis doctrinæ obscuratio, deprauatio, raritas. Neq; immeritò in Sacris literis, doctrina cœlitus patefacta, de excellentissimis & saluberrimis fidei articulis, comparatur luci diurnæ, quam fundit auricomus sol, ut Poetæ loquũtur, sua clarissima lampade orbem terrarum lustrans: atq; intelligunt omnes homines, absq; tali cœlesti face uitam hominum atq; animantium nullam existere posse. Facilius enim reliquis planetis omnibus, totoq; innumerabiliũ stellarum quę fixæ nominari solent, choro careremus, quàm solis pulcherrimi diurnis radijs. Doctrinæ uerò diuinæ uel amissio, uel adulteratio per humanę rationis cõmenta, adsimilatur noctis caligini, quę sua opacitate ac tetro aspectu terribilis est, omnemq; agẽdi opportunitatem adimit. Ferę nocte ingruente latebras quæritant, uolucres in densas aut excauatas arbores sese abscondunt, uiatores diuertunt ad hospitia, operarij depositis instrumentis dant mẽbra sopori: conticescunt fora, plateæ, campi, syluæ: ac tantum uespertiliones circumerrant, & ferali carmine bubo perstrepit, suasq; prædas agit.

Esaias inquit, homines absq; clara uerbi diuini luce, esse pop-

pulum sedentẽ in regione & caligine mortis. Quid tristius dici potest? Naturalis illa nox, quæ ex umbra terræ nascitur, sole alteram mundi partem ambiente, etsi aliquid terroris iniicit, tamen habet aliquid utilitatis, quod somno salutari & quieti animalium seruit. Deinde suas habet statas horas pro diuerso mundi situ: atq; certo expectatur dies, quem exorientem auiculæ suis dulcissimis cãtiunculis, leo suo forti rugitu excipit. At caligo doctrinæ cœlestis nihil prorsus habet commodi: imò nõ somnum, sed ipsam mortem conciliat & adfert. Mortis autem nomine Scriptura sacra non modò illam extremam in hoc mundo resolutionem hominis designat, qua anima à corpore, horribili sanè aspectu diuellitur: sed cõplectitur mala omnium grauissima, quæ partim uiuentes homines tenent, partim uerò ipsum uitæ finem subsequentur: nempe tenebras mentis de rebus diuinis, ignorationem uerę essentię & uoluntatis Dei, uacare metu, fide, dilectione Dei, esse absque omni uera pœnitentia, absq; consolatione cordis, quando peccata euigilant, absq; Spiritu sancto, erroribus esse fascinatum, esse mancipium & sedem impuri spiritus. Ista quidem non cernuntur oculis corporalibus in hominibus ætate, dignitate, potentia florentibus in hoc mundo: sed Verbum Dei hanc spiritualem mortem declarat. Postea uerò comitatur mors secunda, ut Iohannes eam uocat: hoc est, abiectio, condemnatio, pœnæ corporis & animæ, quæ nullum unquam finem consequentur.

Hæc consideranda sunt, quando ipsa diuina Maiestas in prophetia Amos, istam grauissimam uocem profert: Et erit in die illa, dicit Dominus, occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis. Huiusq; figuratæ locutionis, more Prophetarum, mox subiungitur explanatio: Et ecce dies ueniunt, dicit Dominus, & emittam famẽ in terram: non famem panis, neq; sitim aquæ, sed audiendi uerbum Domini. Et commouebuntur à mari usq; ad mare, & ab Aquilone usq; ad Orientem circuibunt quærentes uerbum Domini, & non inuenient.

Profani homines existimant, eiusmodi fulmina cõminationum diuinarum, tantum esse hyperbolica quædam terriculamenta quorundam clamatorum, quemadmodum odiosè concionatores Verbi diuini appellantur: uerùm res ipsa satis superq; docet, non bella cruenta, non incendia, non naufragia, non pestes, non famẽ, esse tantas pœnas Dei, quanta est Verbi diuini iactura, uel eius corruptio: quia hęc pœna corpus & animam simul attingit: atq; exitium non modò temporale, uerùm æternum quoq; adducit.

Sed cur hoc genus tam altè repetitur? Id nunc uno atq; altero uerbo exponemus. Eius pœnæ diuinæ iam in hac Nona Centuria, & in sequentibus, usque ad nostra tempora, exemplum insigne proponitur, quod absq; horrore uix aspici potest. Nam & ueri doctores Ecclesiæ Dei nunc magis magisq; deficiunt, & tenebræ in

articulis fidei atq; cultibus diuinis uniuersum penè orbẽ Christianum implent & opprimunt.

Operæprecium autem est inuestigare, obseruare atq; attendere ipsam originem, unde tam opaca tempora ingruerint: seu (ut plasnius dicam) causas, quibus Deus offensus, permiserit tantas in Ecclesia caligines longè lateq; dominari. Non autem altius in prẽsentia eas inquiremus: sed quæ in hac ipsa Centuria ipsi Lectori offeruntur, ueluti exerto digito, paucis commonstrabimus. Suntq; eiusmodi.

Primùm: nimius amor scriptorum humanorum: Deinde, prosopolepsia: tertiò, adiaphororum cumulatio: quartò, rectè sentientiũ oppressio.

Hæc nonnihil euoluenda sunt, ne ista capita tantum oculi obiter inspiciendo stringant: sed ut mens etiam ipsa paululum ea cognoscat ac meditetur, & ad prẽsentia tempora, in quibus nunc uiuimus, accommodet.

¶ Primùm, in huius Centuriẽ historia uidere est, quomodo Ecclesiẽ doctores à Verbo Dei ad Patres discesserint: tali pacto, quod nõ interpretrati sunt Scripturam ex Scriptura, lucemq; ex luce quasi accenderunt (id quod in primis fieri debebat) sed ex Patrum, qui superioribus seculis uixerunt, Commentarijs, sensum atq; intellectum in ipsam Dei Scripturã importarunt: ac piaculum duxerunt, si quis ab eorum ductu uel latum (quod dicitur) unguem deflecte re auderet. Hæc adstrictio ad Patres effecit, ut plus fidei tribueretur hominum scriptis, quàm diuinis: neq; licitum esset cuiquam aliter accipere Verbum Dei, quàm id superiorũ ætatum hominib. placuisset. Hinc plus studij collocatum est in creaturarum monumenta euoluenda, quàm in eloquia diuina addiscenda: quæ tanquã obscura & perplexa existimari & negligi magis cœperunt. Atq; hinc prẽcipuè sumunt initium compilatores & consarcinatores cõmẽtariorum ex Patrum libris. Nam Haymo & Rabanus, licet alioqui non essent indocti uiri, tamen se aliosq; ad Patres alligarunt: suaq; commentaria in libros sacros, ex Patribus descripserunt.

Et si autem eiusmodi Compendia, ex prolixis Autoribus excerpta, aliàs uidentur legentium studijs prodesse, ne tot horas impendere cogantur prolixis libris, quibus fèrè plus uerborum quàm rerum inest: tamen illud in uitio est, quod in primis hîc accidit, quòd sentẽtia ipsius Dei in articulis fidei, hominũ placitis potius, quàm ipsius uerbo luculentissimo & certissimo, alligari publicè cœpit: ac perierunt magna ex parte istæ regulæ, Quòd ex Verbo Dei limpidissimo germana & propria Dei sententia sit petenda: Quòd Verbum Dei perspicuum in rebus fidei, omnium hominum & angelorum sententiæ aut commentarijs sit anteferendũ: Quòd Scriptura potius per Scripturam, quàm per scripta hominum Scriptura diuina sit exponenda: Quòd ex Scriptura diuina sit uera sententia

in hominum libros inferenda,& non econtrà: Quòd iudex Ecclesiasticæ doctrinę,totiusq; religionis,sit sacrosancta Scriptura, in autenticis monumentis Prophetarū & Apostolorum comprehensa & tradita: Quòd scripta,iudicia,placita hominum non sint iudices ueritatis diuinitùs reuelatæ,sed eius potius testes & suffragatores.

Fundamenta istarum regularum sunt, Mandatum Dei, Hunc audite.Matt.17. Ratio præceptoris: Vnus est Magister. Matt. 23. Ratio pœnæ:Si quis aliud Euangelium prædicauerit, anathema sit.Gal.1. Præterea constat, Patres plurimis in rebus à Scriptura deuiasse,quando nimirum plus nimio dulci,sed nimiū in rebus diuinis fallaci Philosophiæ,quàm ueraci Theologiæ,ei aduersanti,tribuerunt.

Quantum igitur damni,ex hac ipsa inclinatione à Verbo Dei ad uerba hominum,datum sit,sequentia quoq; tempora faciunt testatum.Nam ipso sole quasi nebulis atris ac densis obducto, quid aliud quàm oscuratio lucis diurnæ consequi potest?

¶ Secundùm,quod hoc seculo tenebras plusquam Aegyptiacas induxit,est prosopolepsia,hoc est,autoritas pōtificis Romani actiua & passiua.Nam ille unicus pastor, tam altè suum extulit caput supra omnes alios toto orbe Christiano pastores, ut ueluti summus Monarcha sibi soli arrogarit potestatem regendi omnes Ecclesias,præsidendi Synodis,decernendi controuersias,præscribendi formulas religionis. Verbis explicari non potest, quàm supercilioscè Constantinopolitanis insultent Romani præsulis emissarij, proq; autoritate postulent,Bulgaros suæ obedientię non subtrahi: ut in ipsa historia lectores cognoscent.

Vicissim autem tanta fuit aliorum in Ecclesia Christi doctorum fascinatio atq; amentia,ut illud superbum idolum nimis seruiliter & turpiter coluerint,ita ut ne hiscere quidem contra eius tonitrua ausi fuerint:omniaq; eius sputa quasi ex terra linxerint, quantamcunque illæ fœdæ sordes nauseam adferrent. Multi,licet agnoscerent,Romanum Antichristum plurima contra apertum Dei Verbum moliri,postulare atq; inculcare:tamen ne animosè & manifestè sese, iuxta Verbum Dei opponerēt,duo in primis erāt spectra, quibus deterrebantur. Vnum erat,illa insignis species,quòd ibi Petrus ac Paulus,præclara mundi lumina, Ecclesiam plantassent: & plenis buccis subinde iactitaretur, pastores eius sedis, perpetuos esse Apostolorum illorum,qui ibi sanguine suo Christi doctrinā obsignassent,uicarios atq; successores.Intelligebāt igitur saniores doctores,se in certissimo discrimine uersari,ne ab Ecclesia (uti nominabatur) Apostolica excluderentur,si quicquam contra molitiones & statuta Romanorum præsulum mutire ausi fuissent. Alterum erat,autoritas atq; potentia Anchristi, quæ quidem omnia nunc aliquot seculis sibi maximis conatibus & studijs, per fas nefasq; comparauerat. Passim enim omnes omnium penè locorum

rum doctores, sese isti Antichristo mancipauerant, ab eiusq; nutu pendebant: quidquid aiebat aiebant, quidquid negabat negabant, ut ille apud Comicum loquitur. Hęc communis erantium multitudo, plurimos rectè sentientes reprimebat. Nam Pontificem Romanum offendere, iam erat omnes omnium Ecclesiarum doctores irritare. Non enim amplius quid Verbo Dei cõsentaneũ esset, spectabatur: sed quidquid Antichristus approbaret, uerumq; pronunciaret, id tanquam oraculum ex cœlo dictatum, omnium oculis accipiebatur.

Irridetur atque exibilatur bonus Claudius Taurinensis, quòd contra fœdam imaginum & statuarũ culturam atq; adorationem, ex Verbo Dei dimicat, nõ modo à Iona Aurelianensi: uerùm ab uniuerso quoque grege mancipiorum Antichristi Romani, immaniter excommunicatur, & inter hæreticos eius ætatis per uim collocatur.

Multi functionibus suis excutiuntur, atque in exilia pelluntur: qui quantumuis modestè, ueritatẽ cœlestem saltẽ spirare, atque tot corruptelas, idolomanias, tyrannicum denique imperiũ quidlibet mandandi & postulandi, uel pauxillulum abhorrere uidebantur. Leuissimi & insulsissimi quique homines, neque eruditione, neq; uitæ integritate quicquam excellentes, tantum quia Romano Antichristo palpum obtrudebant, ad arduas & celebres uocationes euehebantur, mirisq; modis commendabantur.

Quando igitur hominis existimatio ipsi diuinæ autoritati & cultui anteponitur, quid aliud quàm horribiles tenebras & errores expectes? Ratio eius rei euidens est, quia Antichristus est mendax.

¶ Tertiùm, quod istas pestilẽtes nebulas exhalauit & auxit, est, adiaphororum, id est, ceremoniarum & cultuũ humana autoritate introductorum: immodica cumulatio & obseruatio, quæ & legem habebat, ne intermitterentur: & opinionem de singulari pietate ac meritis, ad æternam salutem pertinentibus.

Non enim tantum Ecclesiastici gubernatores, in inueniendis subinde nouis ceremonijs solertes erãt, seu potius superstitiosi: uerùm etiam ipsi Imperatores id sibi laudi ducebant, magnis magnorum thesaurorum profusionibus ceremonias publicarum actionũ in templis augere atque ornare. Quamuis autem Caroli Magni temporibus uiderentur omnia esse simpliciora: tamen iam fastus prælatorum ac ceremoniarum splendor inualuerat, quæ quidem post eius obitum apud successores facilimè incrementa cæpere. Est enim natura hominum mirum in modum appetens externarum illarum pomparum atque rituum.

Hęc autem tot tamq; operosarum ceremoniarum administratio, id secum attulit dispendij, ut ipsę personæ Ecclesiasticis ministerijs dedicatę, magis uacarent istis ritibus, quàm studijs sacrarum literarum, aut necessarię, eruditę & graui institutioni plebis: ac re-

uera Verbum Dei,ut apud Samuelē dicitur fieret perrarum iſtis temporibus. Pauci igitur reperiuntur epiſcopi uel ſacerdotes,cognitione profanarum & ſanctarum literarum clari: innumeri uerò ſunt dignitate præfulgentes,& ſuis ceremonijs uaſta templa implentes:omneq; tempus ſacris congreſsibus,doctrinæ & precationibus deſtinatum,rituum illorum hiſtrionica adminiſtratione terrentes ac perdentes. Ipſe autem populus ſplendore ceremoniarū captus & dementatus,doctrinam de articulis fidei, ut non audiebat, ita etiam non magnoperè expetebat audire: hac perſuaſione occæcatus,quòd eiuſmodi ritibus Deo facilimè reconciliari,eiq; abundè ſeruire poſſet. Accidit igitur plebi,quòd cæcis uſuuenire ſolet.nam oculis uel caligantibus, uel penitùs extinctis: reliqua etiam membra nihil rectè agere ualent:ſed errant atq; impingunt quocunque ſeſe moueant.

Quando igitur ceremoniæ,quæ doctrinæ & inſtitutionis plebis debebant eſſe quaſi famulæ quædam & pediſſequę ſeruientes, pro ipſa domina in Eccleſia haberi & coli incipiūt,tum ipſum Dei Verbum uileſcit:ac ſurrepit diabolus ueluti in uacuam atq; purgatam domum,inuehens in eam uarias corruptelas,impoſturas & errores.Nemo enim ibi fideliter docet,nemo in excubijs eſt: omnes aliud agendo(ut inquit ille)malè agere diſcunt.

¶ Quartum,quod in hoc ſeculo tenebras Eccleſiæ peperit,easq; ualidiores effecit,eſt,rectè ſentientium & confitentium dira perſecutio & oppreſsio:qua de re in præmiſsis quoq; partibus aliquid fuit attingendum. Nam non modò Oecumenicus ille Romanus, hoc eſt,homo peccati,& filius perditionis(id quod innumeræ notæ, quas ipſa Hiſtoria ſuppeditat,manifeſtè & irrefragabiliter demonſtrat)& ſpirituali gladio,hoc eſt,excommunicatione , & corporali enſe,carceribus nempe & exilijs,omnes hiſcentes contra idolomaniā,contra corruptelas uerbi diuini,cōtra ἐθελοθρησκίας cōtra Papaçſareatum, & ſimiles præſtigias ac nefaria facta, acerrimè & crudeliſsimè opprimebat,quam ad rem eius mancipia ſtrenuè operas ſuas omnes conferebant: ſed etiam politici uiri eminentia & potentia præſtantes,uel incitati ab idolo illo Romano, eius ue creaturis iuratis,uel propria ſuperſtitione inflammati, eos remouebant & affligebāt,ne uidelicet aliquid iſti ſplendori religionis,quę externos oculos implebat,detraheretur:ne ue ſchiſmata tranquilli tati Reipublicæ aliquid detrimenti gignerent.Nam eò politici omnes ſuas cogitationes plerumque dirigere ſolent, ut ſi non poſsint cum pietate, etiam ſine pietate,& contra eam,ſuam quærant quietem,atq;(ut ipſi quidem opinantur) neceſſaria emolumenta. Hac ratione effectum eſt, ut ceremonijs ſeruientes, conniuentesq; ad omnis generis corruptelas atque errores,ſummis infimisq; chari extiterint: rectè autem ſentientes,& ex Verbo Dei aliquid ſaltem contrà(ut ſic dicamus) pipientes, mox ſint minis , carceribus,

depor-

deportatione atque exterminatione sopiti.

Quando igitur sic res habẽt, ut domus omnibus sinceris Verbi Dei ministris expurgetur, oraq; omnibus uigilibus seu clamantibus (ut Scriptura eos nominat) obstruantur, quid non præstigiarum & errorum, absq; omni impedimento introduceretur?

Inter istas tamen, quantumuis sæuas, turbulentas & caliginosas tempestates, Deus aliquem cœtum, licet exiguum, pro sua immensa clementia & potentia conseruauit: qui nihilominus subinde uoces aliquas contra publicas tenebras in religione, totaq; gubernatione Ecclesiastica, ediderunt, atque sinceræ doctrinæ uerorumq; cultuum Dei fuerunt custodes.

Cæterum quo nam ista fine sunt memoriæ tradita, & quam nam ob causam plurimum refert illa uniuersæ Ecclesiæ Christi quam notissima esse? Scite ethnicus ille dixit: Ex alijs exemplum capito, tibi quod ex usu siet. Imo sacræ literæ iubent nos, maiorum historias indagare atq; perpendere. Non igitur dubiũ est, quin hæc Nona Centuria Historiæ Ecclesiasticæ, nos de plurimis rebus commonefaciat, quarum hodie quoq; multiplex & necessarius usus esse potest. Mittamus sanè in præsentia reliqua omnia, de quibus in alijs Centurijs aliquid attigimus: uel hoc saltem ex istius Centuriæ factis rebusq; consideremus, sint ne iam quoq; in Ecclesia horum temporum ob oculos eiusmodi causæ, ex quibus uicissim tenebræ horrendæ longè lateq; Ecclesiam Dei obscuraturę, metuendę sint? ut nimirum pro se quisq; oratione, confessione, alijsq; pijs officijs, in eiusmodi tenebris discutiendis propulsandisque sedulam operam impendat.

Vtinam uero Dominus Deus oculorum lippitudini atq; hebetudini salutare adferret remedium, ut ingruẽtia mala paululum cernere possemus. Nam extremæ dementiæ, morbiq; iam regnantis argumentum est, impatientissimè ferre, imo furere prorsus, quando eiusmodi mala publica, & fontes maximarum calamitatum, in Ecclesiam potissimum exundantium, aliquanto expressius indicantur: & salutaria remedia, quibus auerti rectissimè queant, liquidissimè ex Verbo Dei monstrantur. Atqui non dubium est, similes causas similes effectus comitari. Itaq; quantumuis ingrata sit tantarum rerum commemoratio, tamẽ aliquid monendum est propter Ecclesiam Dei. Reliquus uero mundus, ut est immundus, fuitque semper: ita & relinquendus à nobis erit, suasq; suo tempore condignas pœnas accipiet.

Dulcissima sanè & uerissima est recordatio summorum beneficiorum, quæ in nos Deus hac postrema mundi senecta & ruina opulentissimè effudit. Nocte enim diuturna, tetrisque caliginibus, quibus Ecclesia Dei multis seculis oppressa, deformata, & propemodũ extincta fuerat, profligatis, lucẽ doctrinæ suæ uiuificæ atq; uerorum cultuum, hoc est uniuersæ Religionis, Deus omnipotens

accendit

accendit tantã, quanta post Apostolorũ tempora nusquam terrarũ effulsit. Nam omnia opercula Antichristi Romani, cum omnibus suis abominationibus, detecta sunt. Prophetarum & Apostolorum scripta ex squalidissimis angulis protracta, & pulueribus decussis in hominum manus reddita, suoq; nitori restituta sunt. Creuit hactenus scientia uerbi diuini. Senes, iuuenes, pueri ac puellæ, suis tenellis linguis magnalia Dei sonuerunt ac celebrarunt. In clarissima luce uiderunt omnes, quomodo sit agenda pœnitentia, unde sit nobis omnibus certa fiducia de propitio Deo, de remissione peccatorum, spes indubitata de uita æterna: unde in omnibus aduersitatibus sit petendum & certo expectandum auxilium: quomodo status à Deo ordinati, ut magistratus & coniugium, sint administrandi: quomodo sit moriendum, ac resurgendum. Omnia idola corruerunt, lemures & laruæ ululãtes noctibus, Missasq; exposcentes, euanuerunt: nycticoraces in templis obscuris, ac in mediis diebus accensis lucernis indigentibus boubantes, profugerunt: opaca antra monachorum, & stabula alta ferarum patent, necq; amplius sese in eis occultare possunt latrones animarum, ac uoratores omnium opum. Draco Romanus, non amplius tantis & totregnorum impensis ac reditibus pascitur.

Sonant tubæ fortes Angelorum Dei, sub libero cœlo: Cecidit cecidit Babylon magna. Item: Exite, exite ab ea populus meus, ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis.

Hæc oculi omnium nostrũm hactenus uiderunt, aures omnium audierunt, manus omniũ palparunt, quæ Dominus Deus nobis in hoc mũdi quasi postremo actu liberalissimè dedit: quæq; perpetua non modò prædicatione, sed etiam cõseruatione dignissima essent.

¶ Sed proh dolor, subrepunt, ac subinde magis magisq; inualescunt causæ, ex quibus horribiles iterum caligines exoriũtur: iamq; ueluti nebulæ toto cœlo diffusæ atq; expansæ, ipsum clarissimi solis fulgorem, ex hominum oculis auferre conantur. Sunt autẽ planè eædem causæ, quæ superioribus seculis cladem exitiumq; ueræ religioni attulerunt. Quænam?

Primùm: Rursum ad hominum scripta plericq; uolũt esse alligatam Ecclesiam Dei. Volunt enim, Verbum Dei ex placitis magnorum hominum potius intelligi atque accipi, quàm ex sua ipsius germana proprietate, collatione, emphasi. Sonant istæ uoces undiq;: Præceptor ista dixit, ita sensit, ita scripsit: ergo hoc est uerum: atque omnes ab eius sententia discedentes, sunt bacchãtes, sunt asini, sunt in infernum collocandi. Si quis moneat, uerbum Dei anteponendum esse omnium hominum autoritati, uel si quis discrimẽ scriptorum humanorum dicat faciendum esse, tali pacto, ut ea quę congruant cum expresso uerbo Dei, sint omnibus modis approbanda: quæ uerò à uerbo Dei luculento discrepent, sint repudianda: insuper si quis modestè moneat, unicum IESVM Christum datum esse

nobis

nobis à cœlesti Patre magistrum ac præceptorem: tum omnium risu, clamoribus & Pasquillis excipitur, atque audit istas horrẽdas execrationes, quòd sit apostata, sit ingratus erga præceptorem, sit hostis Ecclesiæ & omnium hominum: qui non modò calamis Scribarum & Pharisæorum, sed fudibus, lanceis, cruentisq; gladijs magistratuum sit toto orbe pellendus. An uerò eiusmodi status non est tristissimus, quo nobis uidentibus atq; scientibus, Verbi diuini autoritas & maiestas sensim euanescit?

Huc pertinet, quòd Aristoteles, id est dulcis philosophia, magis magisq; pulpitum Ecclesiæ Dei conscendens, uerbo diuino plus æquo immisceatur. Nihil enim hac quidẽ exurgente ætate amplius sapit hominibus, quàm quod Philosophia, eiusq; floribus, nempe suauissimis principijs ac pulcherrimis dictis, ex omni parte est non modò respersum, sed refertum quoq;. Interea uerò nõ audiuntur, non obseruantur, non discuntur diuina in Sacris literis dicta: sed quasi sub scamnum iterum in angulum, telis aranearũ sordidatum, procul abduntur. Hinc in suggestis quoq; ad populum, sanctissimi Euãgelistæ, Plato, Aristoteles, Homerus, Euripides, Pindarus, Sophocles, aliiq; eiusdem ualoris crepitant, non modò strictim in collationibus rerum, sed etiam in docendi neruis. Si quis uel nutu saltem significet, ista portendere horribilem ueræ doctrinę cœlitùs patefactæ obscurationem: tum subitò uniuersa ethnizantium seu philosophantium cohors, uno ore tragicè uociferantur, omnes artes dicendi, omnem Physicam, omnem Ethicam, ex uniuersa institutione uitæq; humanæ usu tolli atq; deleri: reuehi in Ecclesiam Dei meram inscitiam, & barbariem extremam: quæ quidem petulantia & insania, omnium sanorum hominum opera atque uiribus sit reprimenda.

Si quis porrò istos ethnizantes amanter & solerter moneat, planè ipsos furere, quia abusus ethnicissimi duntaxat reprehendantur, nempe ne principia philosophica articulis fidei in uerbo Dei traditis improbè misceantur: item si quis indicet hoc moneri saltem, ut prudenter, ut parcè ethnicæ sententiæ rebus sacris misceantur, nimirum collationis uel ornatus gratia, tali moderatione, ut auditores in rebus sacris magis ad sacra dicta, ab ipso Deo sapientissimo prolata, adsuefiant, ne Theologia paulatim in Ethnicissimum degeneret, (id quod superioribus ætatibus factum esse, ipsa Historia abundè docet:) si quis, inquimus, talia moneat, ipsi tamẽ obstructis auribus non audiunt, ac pergunt sine fine modoq; clamitare, Magna Diana, magna Diana.

Hæc ipsa malicioſa & insensata (ut sic dicam) importunitas, petulantia, maledicentia & insania philosophantium, seu ethnizantium potius, tali modo, ut philosophicis luminibus, ipsius germanæ ac sinceræ Theologiæ lucem extinguant, prodigium est, denuncians cœlestis doctrinæ fœdam obscurationem: idq; iam in ipsis

patronis

patronis naturalium uirium hominis, in apprehendendis rebus diuinis, atq; in alijs prestigijs, toti mundo innotescit. Sed oculis sanis per Spiritum sanctum, ad uidendum opus est.

Insuper illucescente iterum ex Dei immẽsa benignitate, Euangelio Iesu Christi, istud erat unum stratagema, quo heros ille diuinitus excitatus, ad Verbi diuini illustrationem utebatur: ut homines à patribus, quibus prius fuerant onerati, ad ipsum Dei uerbum legendum atq; audiendum adduceret. Ita q; in omnibus colloquijs cum aduersarijs institutis, posthabitis patribus, sola uox Dei in monumentis Prophetarum & Apostolorum comprehensa, constituebatur iudex unicus sapientissimus, rectissimus & sufficientissimus. At nunc rursum plus nimiò Patrum scripta crepant & stre punt in lectionibus, in concionibus, in disputationibus. Sic, inquiunt, sapiens antiquitas sensit, à qua dissentiendum non est.

Iste immodicus ad Patrum scripta relapsus, nihil boni denotat: quemadmodum in pristinum morbum recidentia, exitialis esse iudicatur à medicis.

Sed incredibile dictu est, quanto cum æstu & furore eiusmodi cõmonefactio excipiatur. Nam indignissimam esse rem clamitant, omnia Patrum scripta aboleri. Atqui abusum tantùm eorum, atq; immoderatam citationem reprehendimus. Sicubi enim rectè, hoc est secundum Scripturam diuinam senserunt, articulos fidei explicarunt, & hæreses accuratè atq; argutè refutarunt Patres, omnino statuimus ipsorum testimonia maxima esse facienda, & prædicanda. Verùm illud iterum atq; iterum monendum, urgendum atq; inculcandum ducimus, ut potior sit autoritas Verbi diuini, deinde ne ipsorum næui atq; errores pro ueritate commendentur. Sint testes ueritatis: fons autem ipsius ueritatis, omniumq; aliarum doctrinarum norma & iudex, sit uerbum Dei. Ista propter calumniantium studia, quæ tamen nemo effugere omni ex parte potest, interspergenda fuêre.

Vident itaque pij, utq; omnes in Ecclesia Dei constituti uidere atq; attendere queant, summis uotis optandum est, nimiam uenerationem Patrum iuniorum atq; seniorum, ethnicorum quoque patrum immoderatum cultum, Ecclesiæ Dei magnas tenebras significare. Ex hominibus enim tenebræ, ex Deo uerò lux oritur: id quod dignissimum est meditatione.

¶ Deinde exurrexit, & crescit subinde magis magisq;, prosopolatria, cum topolatria. Nam nonnulli, qui eruditione, facundia, functione alijs antecellunt in Ecclesia, pro meris idolis coli uolunt, adeò ut sibi potestatem sumant uel fingendi nouas sententias in religione, uel corruptelas aliorum ornandi ac propagandi: nec uolunt à quoquam, quantumuis modestè, & quantumuis illustri uerbo Dei moneri, nedum redargui. Magno quidem fastu ebuccinant ista uerba, sese omnibus membris Ecclesiæ Christi sua scripta subijcere,

cere, iuxtaq; uerbum Dei liberè examinandi & probandi potestatem relinquere: atq; mirifica humilitate simulant, sese etiam ab infatibus rectè monentibus, paratissimos ad discendum esse. Verùm quãdo aliqui Ecclesię Dei infantes, id officij eis suo iure, quod à Christo acceperunt, prestãt, tum ualdè procul facta à uerbis discrepant. Mox enim illi hypocritæ erectis cristis in eiusmodi infantes Ecclesiæ Dei insurgentes, eos omni genere conuiciorum & maledictorum conspuunt, proscindunt, proclamant: eos sycophantas & sophistas agere, qui ausint ipsorum errores notare atque ostendere.

Vicissim autem in iunioribus ac senioribus quibusdam, talis regnare incipit fascinatio, ut illos homines, in quibus aliquam eruditionem linguæq; uolubilitatem admirantur, pro semideis uenerẽtur, omnibusq; ipsorum sententijs absque omni iudicio & discrimine applaudant: ac piaculum esse putent, ab ipsorum dogmatibus, quantumuis à Verbo Dei alienis, dissentire: uel indicatẽ ueritatis ex sacrosancta Scriptura, illorum præstigias moderatissimè refutare. Peius igitur cane & angue, quod dicitur, ipsi quoq; prosopolatræ oderunt eiusmodi monitores excellentium uirorum: neq; rarò istæ uoces audiuntur, Malle sese cum eiusmodi uiris errare, quàm cum alijs obscuris, uti appellantur, hominibus rectè sentire. Legunt tantum suorum, quibus sese addixerũt ac manciparũt, commenta: quæ uerò alij, tam uarijs tamq; fucatis præstigijs & corruptelis, ex perspicuo Dei uerbo opponunt, ea non modò nullo aspectu dignantur: sed non lecta, non perspecta, non cognita, nefariè audent, tanquam falsa, portentosa, δύσφημα, pernicioſa, damnare, atque execrari, uoce, calamo, picturis, & quibuscunque possunt artibus. Quid igitur boni sperandum est, ubi liberrimum & impunitissimum est, pernicioſos errores fingere, atq; disseminare ore & scriptis, publicè & priuatim, atq; exaduersò prohibitum est ouiculis Christi, uel musitare saltem contrà?

De sedis uerò prærogatiua, audiuntur atque leguntur non rarò istæ uoces: Illi qui cum isto uel isto loco sentiunt, habendi sunt pro catholicis, omniq; honore & promotione digni sunt. Qui uerò ab hac sede tam clara, ubi sinceri olim doctores Verbi diuini habitarunt, dissentiunt, illi sunt pro hereticis, pro apostatis, proq; turbatoribus uniuersæ Ecclesiæ Christi habendi, uitandi, pellendi ex uniuerso terrarum orbe. Obserua hęc, ó ouicula Christi, sanguine eius precioso redempta, legens quorundam scripta, eiusmodi pontificijs censuris armata.

Sint sanè eximij uiri, Dei dona, & magnificiendi: uerùm Dei auctoritas sit potior: & ueritas sit alligata non hominibus, nõ loco ulli: sed ipsi Deo, eiusq; Verbo, quod in Sacris libris nobis proposuit atque commendauit. Quatenus igitur uiri industrij, docti, diserti, consentanea Verbo Dei profitentur, eatenus audiendi sunt: quate

nus uerò ſuorum capitum ſomnia proferunt, eatenus ab ipſis eſt diſcedendum, quia Deus iuſsit: & quia hiſce omnibus maior eſt IESVS Chriſtus, qui prodiens ex ſinu æterni Patris, uniuerſos fidei articulus in Sacris libris traditos, nobis perſpicuè reuelauit & dictauit.

Præterea iuxta Verbum Dei ſentiendum & ſtatuẽdum eſt, ibi eſſe ueram, propriam, germanam Dei Eccleſiam, ubi doctrina cœleſtis incorruptè ſonat, & Sacramenta iuxta inſtitutionem Chriſti adminiſtrantur, citra omnem ullius loci prerogatiuam. Friuolum enim eſt argumentum, & dignum exploſione: Olim in iſto loco egregij confeſſores & propagatores ueritatis extiterunt: ergo illis ſublatis, nunc quoque illi loco, & illis qui deinceps ibi uiuent, eadem reuerentia debetur. Quę enim portenta inde conflarentur, ſi iſta ad ea loca ubi Prophetę, Chriſtus & Apoſtoli olim docuerũt, applicare uelles?

Sed iſta publicè intonantur, ac nemo ferè iſta pontificia fulmina animaduertit, nemo ferè contradicit.

¶ Tertiò: manet hoc axioma in Eccleſia, licitum eſſe cum reuelato Antichriſto ſeſe in ceremonijs conformare atque reconciliare, ipſo tempore perſecutionis & confeſsionis, licet ille ne unum quidem articulum ſanę doctrinæ recipere dignetur. Gliſcit adhuc ſtudium accumulandi adiaphora, atque reuocandi ceremonias põtificias. Nam ſubinde adhuc uolitant uoces de Agendis, de Miſſalibus, de Pontificialibus ſuperiorum ſeculorum corrigendis atque reſtituendis in Eccleſię uſum. Sunt quoque non pauci, qui, adhuc ſunt occupati in apparandis fucoſis coloribus, quibus eiuſmodi ceremonias pulchrè exornent: atque, ſicubi opportunitas quædam rurſus oblata fuerit, cum aliqua plauſibili ſpecie eas inthronizare queant.

Effectum pręterea ſuperiorum temporum lapſibus hoc eſt, ut deinceps, licet alicubi futura ſit propagatio uerę doctrinę Chriſti: tamẽ ceremonię Antichriſti, uerſicolori aliqua tunica indutę, retẽturę ſint ſuũ locum: non aliter atque olim in populo Dei, à piijs quibuſdam regibus excelſa non abolebantur, magno cum ſuo ſuorumq; malo.

¶ Quartò: uexatio, oppreſsio, perſecutio rectè ſentientium, & confitentium Verbum Dei, indies acquirunt uires, pręſertim uerò eorum qui tetris & perniciosis erroribus quorundam magnorum uirorum ex Verbo Dei contradicunt, iuxta mandatum Chriſti, Matth. 10. Ioh. 10. Tit. 1. 2. Nihil in hiſce capitibus de Antichriſto, qui palàm eſt Verbo Dei oſtenſus & condemnatus: uerùm de Eccleſia Chriſti uera ac propria diſſerimus, quę Antichriſtum ex prącepto Dei deſeruit. In ea, inquimus, à quibuſdam errores quoſdam introductos eſſe, ac pingi artificioſis fucis. Iam hoc in-

ſuper

ſuper accedit, quòd omnes clamitant, in ijs præſertim locis, ubi illa errorum contagia ſerpunt, nihil ſe corruptelarum, nihl errorum agnoſcere: habere ſeſe puriſsimam Eccleſiam, ab omni pollutione immunem: foueri à ſe nullos præſtigiarum uel autores, uel aſſertores: pacem, pacem eſſe undique, & almam tranquillitatem. Iſtos uerò qui in libris, in folijs, in uerſibus illorum uirorum quos ipſi mundiſsimos iactitant, errores, præſtigias & corruptelas annotãt & euincũt, pugnare eas cum clariſsimo Verbo Dei: iſtos, iſtos uociferantur eſſe turbatores communis & ſalutaris Eccleſiæ Chriſti pacis, eſſe ſycophantas, eſſe alaſtoras, in nulla mundi plaga tolerandos. Scilicet, ut fortis ille de quo Chriſtus cocionatur, quietè domum ſuam poſsidere queat, nec impediatur à quoquam in ſuo latrocinio, quò ueritatem diuinam liberrimè corrumpat, atq; animabus miſerarum ouicularum Chriſti ſine omni ceſſatione inſidias ſtruat, exitiumq; æternum machinetur. Sopitis itaque & exturbatis illis contradicentibus tam peſtilentibus corruptelis, magno ſtudio quæruntur eiuſmodi Verbi diuini miniſtri, qui ad placitum potentum omnia dicant, errores magnorum uirorum ſpecioſa aliqua gloſſa exornent: peccata hominum ita obſcurè atque generaliter ſtringant, ut omnes cogitent non ſua, ſed aliquorum hominum apud Antipodes peccata taxari. Iſti artificioſi coqui ſacrarũ concionum, & quibuslibet palatis mellea fercula proponentes, ab eruditione, à prudentia, à modeſtia, alijſq; donis in cœlum uſque euehuntur.

Tradunt igitur ſibi mutuas operas tales Verbi diuini coqui, & politici nonnulli: excuſant & pingunt peccata quantumuis atrocia & noxia, quæ utrinque committuntur. Non eſt peccatum, quando miniſter uerbi Dei uertumnum ac polypum agit: ſtansq; uno in pede, mox huc mox aliò ſeſe inflectit, uno ore calidum & frigidum ſpirat: hoc eſt, ut planius dicamus, iam ueram doctrinam probat: mox eam iterum damnat: iam hæreſim appellat, quod paulo pòſt pro ueritate inuicta prædicat, corruptelas fœdas aſtuta quadam interpretatione cum Verbo Dei conciliat. Hæc condonanda ſunt docenti Verbum Dei, ut is uiciſsim condonet politicis ſua quædam peccata, contra primam & ſecundam Decalogi tabulam. Hiſce pactis inter ſeſe deuincti, & quaſi concathenati, poſtea ex utraque parte unam lanceam apprehendunt: eamq; laxatis iratum habenis ualidiſsimo impetu in Doctores fideles & ſinceros (qui corruptelas Verbi diuini, iuxta præceptum Dei, productis in medium teſtimonijs Prophetícis & Apoſtolicis, ſimplici & modeſto ſtudio indicant: & quaſi ad genua magnorum hominum prouoluti, ſupplices petunt corruptelas iſtas agnoſci, & è medio tolli, ne tot ouiculæ Chriſti inficiantur: item qui peccata hominum ex Verbo Dei æſtimanda cenſent, atque pœnitentiam inculcant, ne gra-

ues Dei pœnę,quæ iam plurimorum ceruicibus quasi imminent, accersantur & exasperentur)impetum faciunt, nec possunt quiescere donec eos ex agris suis exegerint.Ministri quidem illi, omni probrorum genere fideles Christi seruos ita cõspurcant& dedecorant,ut omnibus inuisi efficiantur, & quasi pro catharmatis & peripsematibus habeantur. Nam ex suis collis exhalare nihil aliud possunt illi Ecclesiastici persecutores,quàm eos esse meros sophistas & sycophantas,qui suis peccatis,abnegationibus,scortationibus cum apostatis paulisper,uel priuatim saltem uidentur obstrepere.Eam uerò lanceam politici ingenti robore magis impellunt, atq; in ipsa uiscera miserorum Christi seruorum adigunt, ut aliqui eiecti mœroribus conficiantur:uxores,liberi,inopia & afflictionibus enecentur.

Ista tamen omnia talibus encomijs illustrantur, quasi Deo gratissimum præstent officium : quemadmodum Christus prędixit. Audiuntur lætissimę acclamationes & triumphi:iam omnia saluafore,iam tranquillitatem,iam nitorem,iam florem recipere Ecclesiam, talibus turbatoribus ac sycophantis exautoratis, eiectis, & omni maledictorum & conuiciorum genere horribilissimè deformatis atq; destructis.

Imò eò res deducta est,ut de hisce fontibus tenebrarum & malorum omnium,quæ exundant,ac semper magis magisq; inundabunt in miserrimam Christi Ecclesiam,non sit impunè,saltem uerbis queri:saltemq; obscurè monere, ut homines aliquantulum attendant,prijsque & maturis consilijs tantis calamitatibus obuiam eant.

Ex istis igitur fontibus abyssi, tanto cum impetu in hac mundi totius inclinatione erumpentibus,Samaritanicæ religiones quàm plurimæ sine omni dubitatione emanabunt: eumq; statum proferent, de quo Christus ueracissimus uates prædixit,quòd aduenięs uix sit reperturus fidem in terris.

Eiusmodi igitur commonefactiones ex historia,quæ est humanæ uitæ speculum,petendæ sunt:quæ licet odiosæ,tamen ueræ ac necessariæ sunt.

Iam omnium Christianorum officium est, ut de opportunis & necessarijs remedijs seriò ac tempestiuè cogitent:ne postea ira Dei ueluti in uepribus flagrante,nulli medicinæ,nulli saluti sit amplius locus.

¶ Primùm autem decebat omnes mortales, timentes Dominũ, agnitione peccatorum & fide in Christum pœnitentiam agere, atque ad Deum humilimis precibus accedere,ut Pater cœlestis, propter sanguinem IESV CHRISTI, ex ingenti misericordia nobis peccata ignoscat:& hasce tantas pestes & calamitates Ecclesiæ suæ benignè auertat,neque effundat in uniuersum iram suam in nos,

in nos,ne ad nihilum redigamur.

Deinde non frangantur pij ac fideles serui IESV CHRISTI istis iniurijs,quibus in hoc mundo afficiuntur. Nam & Deus prędixit talia omnia, & exempla maiorum nostrorum idem docent. Pergant igitur in tradenda,plantanda,atque propaganda incorrupta Dei uoce,& passim grassantes corruptelas uirtute Verbi diuini commonstrare atque conuincere non desinant:hac spe erecti & freti,quòd labor iste in nomine Domini susceptus,nequaquam sit futuris irritus.Pro hisce etiam sannis,sputis, alijsq; afflictionibus, quibus excruciantur ad modicum tempus in isto nequam mundo non propter sua scelera, uerùm propter solam Verbi diuini inuiolatam professionem,& errorum quorundam iustam atq; ex Verbo Dei neruosam reprehensionem,sciant sese breui apud CHRISTVM iudicem,cui qua potuerunt fide seruierunt,prędmia amplissima reportaturos esse.

Grauissima oratio est,quæ extat Psalmo 126. Euntes eunt, & flentes portant PRECIOSVM semen:uenientes autem uenient cum exultatione,portantes manipulos suos. In horum numero existere,nemo sibi ducat esse probro.

Tertiò,pij magistratus,qui cogitant aliquando coram tribunali ipsius Christi standum sibi esse,abhorreant eiusmodi Ecebolos, qui ex uniuersa religione cura'que animarũ cothurnos consuunt: ueritatem in Etiam & in Non,absque omni morsu conscientię, cõuertunt , & turpes corruptelas cum Veritate diuina concordare studeant. Ament autem & foueant tales prędcones , qui ingenuam Veritatis confessionem profiteantur,corruptelasq; eius tanquam fidi pastores Verbo diuino alacri pectore inclament: moneant'que,ne ouiculę tam pestiferis uenenis ora admoueant. Hęc etsi parum honoris pijs magistratibus coram filijs huius seculi pariunt:tamen nõ est alius cultus,quo Deus magis delectetur , quiq; talium bonorum operum nequaquam erit immemor.

¶ Vobis uerò,generosi & inclyti Barones ac Domini clementissimi,hanc Centutiam publicè inscribimus, duas maximè ob causas. Prior est,quia uidemus etiam uestras Clementias esse inter eos pios magistratus , qui Ecclesiæ Christi ęrumnis uerè afficiuntur:quosq; non pudet sinceros Verbi Dei prędcones , doctrina & confessione prędstantes,atq; abhorrentes ab omnibus corruptelis & inquinamentis(quibus nũc plurimi usque adeò submersi sunt, ut admonitiones nullas admittant) fouerè atque audire. Ea sanè felicitas ut paucis à Deo contingit, ita maiori laude dignissima est. Paulus Philippenses eximio prædconio celebrans,ita scriptum reliquit: Vobis donatum est pro Christo non solùm ut in eum credatis,sed ut etiam pro illo patiamini. Etsi autem hęc ipsa res,aliquid V.C. difficultatis & molestiarum in hoc mundi iniquo cursu ad

fert: tamen & conſcientias habere illæſas, atq; in ipſo Deo gaudentes, hilariq; corde ad illum extremum diem anhelare, ſumma & præſtantiſsima Dei dona ſunt.

In primis uerò gratulamur uobis, Dominis Baronibus, de Reuerendo uiro D. Magiſtro BARTOLOMEO ROSINO, quem ſingulari beneuolẽtia uobis Deus largitus eſt Superintendentem atque Paſtorem: ac ſperamus uos pro excellenti ueſtra pietate agnoſcere, in his terris non poſſe à Deo maius donum regioni contingere, quàm doctum, peritum, ſalutarem Verbi diuini doctorem. Sunt autem peculiaria dona, quibus clementiſsimus Deus iſtum uirum exornauit, publicè nota. Nam fontes Sacrarum literarum non modò eximiè intelligit, ſed ſingulari quoque dexteritate, perſpicuitate & facundia explicare poteſt: quæ quidem omnia in paucis uidere eſt. Neque eſt arundo, uel hypocrita, uel molligradus Gnatho, mancipium hominum, uel Vertumnus: ſed pietatis uerę, uera graui & conſtanti confeſsione excellit. atq; abhorret non modò ab ipſis corruptelis & præſtigijs, quibus nunc à multis Ecebolis ueritas cœleſtis horribiliter deprauatur: ſed etiam tanquam fidelem Domini ſeruum decet, iuſtè iuxta Dei uerbum execratur illas turpes & flagitioſas conciliationes errorum & ueritatis, tãtum propter uentris momentanea commoda ſuſceptas. Nouit enim non eſſe inane fulmen, quòd Eſaias VAE imprecatur omnibus illis pręſtigiatoribus, qui dicunt bonum malum, &c.

Huius igitur ſalutaris organi conſilia pia, in Eccleſiæ gubernatione, quam in ueſtra regione Deus benignè colligit, uos audire decet. Sunt autem Scholæ, ſeminaria Eccleſię Dei. Itaq; nihil dubitamus, quin Reuerẽdus ueſter Superintendens D. Roſinus, uobis autor ſit de aliqua mediocris ſcholæ conſtitutione: in qua plantæ regni cœleſtis, & homines idonei ad tres illas ſummas Hierarchias in uita humana, nempe ad Eccleſiaſticam gubernationem, ad politiam & œconomiam, formentur & educentur.

Porrò nihil etiam dubitamus, quin Reuerendus uir, doctrina, pietate, confeſsione, & uitæ integritate excellens, D. Magiſter Chriſtophorus Menguuinus, in ſua ſibi commiſſa ſuperintendentia, toti regioni Tonnẽſi ſit ſalutaris, ac tibi Comes GEORGI cariſsimus. Sacræ literæ teſtantur, tum potiſsimùm floruiſſe regna benigna Dei benedictione, quando politici gubernatores miniſtros Verbi Dei magnifecerunt, eorumq; monita ex Verbo Dei ſtuosè audierunt. Sed breuitatis gratia, iſta non longius proſequemur.

Poſterior igitur cauſa eſt, quare V. C. hanc Centuriam nuncupemus: quia V. C. teſtata eſt ſua beneuolentia liberali, ſeſe hoc opere, quo res Eccleſiæ Dei uariè diſperſæ, & quaſi in denſis pulueribus & umbris latitantes, colliguntur, atque in lucem eduntur,

in pri-

in primis delectari : ac iudicare, quòd iſte labor ad gloriam Depredicandam,& Eccleſiæ ipſius ædificationem,plurimum ſit habiturus momenti. Certè Chriſtiani omnes perhiberi uolumus. Nihil igitur dignius eſt cognitione, quam hiſtoria Chriſtianorum,ſeu Eccleſiæ Dei ſuggerit:ex qua tum bonitas Dei, tum malicia diaboli cognoſcuntur, & ſimiles cauſæ atque euentus nos de plurimis rebus utiliſsimè erudiunt. Hanc igitur inſcriptionem, honoris V. C. gratia factam, ſperamus V. C. acceptam fore. Dominus Deus,qui initijs,ac mediocri progreſsioni in huius Hiſtoriæ contextu, contra multorum ſycophantarum uirulentos morſus (quos Deo protectori noſtro committimus) benignè adfuit, porrò nos ſua dextera & benedictione regat,ut quod reliquum eſt,feliciter ad portum uſq; deducamus.Bene ualeat in duce Chriſto, C. V.

V. C.

S.

Matthias Illiricus.
Iohannes Vuigandus.
Matthæus Iudex.

Nonæ Centuriæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ

CAPVT I.

NONVM Seculum ab Imperio Caroli Magni ſumit exordiũ, & per adminiſtrationẽ Imperij Ludouici Pij, Lotharij, Ludouici ſecundi, Caroli Calui, Caroli Craſsi, uſque ad decimum Arnulphi annum extenditur. Fuit autẽ Eccleſiæ Chriſti non minus triſtis & ſqualida facies hoc tempore, quàm ſuperioribus aliquot ætatibus. Nam Epiſcopi & Doctores, qui quaſi columnæ Eccleſiæ Chriſti eſſe debebãt, pleriq; omnes, corruptelis Pontificijs, & ſuperſtitionibus humanarum traditionum, plus nimio addicti fuerunt: & manifeſtam idololatriam de imaginum adoratione, ſanctorum mortuorum inuocatione ac cultu, de interceſsione eorum, de meritis operũ commenticiorum, de miſsificatione pro uiuis & mortuis, de decretis dæmoniorum (ut ſunt prohibitio nuptiarum & eſcarum) nimis impudenter commendarunt. Quidam etiam neglecta adminiſtratione Eccleſiæ, regna huius mundi, & gloriam eius ſtrenuè aucupati ſunt, & funeſta bella gerentes, & inter reges ac Imperatores ſemina diſsidiorum ſpargentes. Nonnulli inſuper in id intenti fuerunt, ut eos qui corruptelis & ſuperſtitionibus Pontificijs nõnihil iuxta uerbum Dei reclamarent, qua poſſe arte & uiolentia opprimerent.

Deinde etſi magiſtratus quidã, tanquam nutricij & defenſores Eccleſiæ à Domino conſtituti, ſatis diligenter conati ſunt ſuum facere officium, in promouenda religione Chriſtiana, & defenſione Eccleſię contra Saracenos, Normamnos, & alios hoſtes: tamẽ minus felices eorum fuerunt conatus, eo quòd ira Dei graſſaretur paſsim propter idolomanias manifeſtas & tetras. Præterea cum ueræ uię ad Eccleſiæ ſalutem rectè conſtituendam ignari eſſent, ſomniabant, potiſsimam uim Chriſtianæ religionis conſiſtere in externis ritibus præſtandis & accũmulandis. Ideoque in diſciplina externa inſtituenda, templis & monaſterijs ſumptuoſiſsimè ædificandis, & liberaliſsimè locupletandis, ac in monachis & ſacerdotibus euehendis atq; ornandis, adeò occupati erant, ut regnum Chriſti in politicũ dominium, ac gloriam Eccleſiæ (quæ interna eſt, atque in puritate doctrinæ, fide & cõfeſsione conſiſtit) in externam & theatricam pompam cõmutarint. Aquila enim Romana, in duo capita diuulſa eſt. Illud quod in Oriente caput erat, à Saracenis horribiliter deplumatum eſt. Eccleſiæ uerò in Africa atque Aſia partim triſti ſeruitute oppreſſæ, partim uerò funditùs ſubuerſæ ac deletæ ſunt. Aliquot ſanè Imperatores Conſtantinopolitani, idolomanias fœdas in imaginum uenerationẽ, & mortuorum cultu, atque ipſam adeò Pontificiam tyrannidem agnouerunt atque damnarunt, unà cum ſuis quibuſdam ſynceris doctoribus. Sed ob hoſtium ſæuitiam, ſuorumque ingenia & ſtudia peruerſa ac improba, minus efficere ualuerunt. Quidam igitur ex ijs politica conſilia ſequentes, & tranquillitatem quouis pacto redimere cupientes, idololatriam illam turpem tandem amplexi ſunt, ſeſeque Pontificio iugo turpiſsimè ſubdiderunt. Verumetiam hi experti ſunt, Dei iram nequaquam placari impietate, ceſsione & abnegatione. Vnde ſub his quoque Eccleſia Chriſti ſuas perpeſſa eſt miſerias & calamitates.

Alterũ caput Aquilę in Occidente, initiò quidẽ in Carolo Magno & Ludouico Pio, Eccleſijs Chriſti umbram quandam præbuit, easq; in Occidente aliquo modo protexit & refecit. Sed inteſtina diſsidia, excurſiones Danorum, Normannorũ, Britonum, Romanorum Pontificum inſidioſa ſtudia, Eccleſiaſticorum mali mores, opulentia & potentia eorum carnalis, monaſteriorũ incredibilis multiplicatio, traditionum humanarum coaceruatio, ἀυθιμασιώσις externæ, ſuperſtitioſum ſtudium, & Pontificius dominatus ſuper Eccleſias, imo etiam ſuper ipſos Imperatores ac reges, horribiliter ipſam Chriſti ſponſam non modò deformarunt, ſed etiam afflixerũt, & propemodum extinxerunt.

His malis accedunt duo illi hostes & Antichristi, Mahometus nimirum, & Pontifex Romanus: quorum ille foris Ecclesiam falsa doctrina, calumnijs, maledictis, igni & ferro sæuissimè impugnat, eamq; crudelissimè dilacerat, & multis in locis uastat ac perdit: hic uerò, in templo Dei, hoc est in ipsis uisceribus Ecclesiæ Christi sæuit, & corruptelis sanæ doctrinæ, cultu deorum alienorum, laqueis conscientiarum, doctrinis dæmoniorum, omnem pietatem, & uerũ Dei cultum, fidem, inuocationem & confessionem, ex ouicularum Christi pectoribus delere & extirpare conatur. Ac (quod summopere dolẽdum est) incredibili & felicissimo in sua impietate successu uterque utũtur. In quæ quidem mala, nullum pium pectus sine multis lachrymis intueri potest.

In hisce miserijs omnibus, nihilominus tamen uera Ecclesia Christum retinet sponsum, fautorem & defensorem. Nam habet tamen Ecclesia Christi sua quædam incrementa. Aliæ enim atque aliæ gentes subinde ad fidem Christi, ministerio uerbi deducuntur. Nec patitur Christus, ut Saraceni, Normanni, Britones, Dani, Boiemi, Moraui, atque eius generis aliæ ferocissimæ gentes, in uniuersum deleant regnum Domini: sed ipse Iehoua, ea ipsa occasione belli, dum Christianos capiunt, hostes uicissim uinculis spiritualibus alligatos, iugo suo subijcit. Aperit etiam subinde aliquibus oculos, mirabili clementia ac potentia, ut Pontificias illas corruptelas & fraudes agnoscant, easq; detestentur publicè. Nec est dubium, quin plurimi, quãdo ad tentationis ignem uenerunt, stipulas illas humanarũ traditionum abiecerint: solumq; Christum, mediatorem suum & saluatorem, uera fide amplexi, in uita æternam cum eodem profecti sint. Insignis certè reuelatio Pontificiæ abominationis fuit, quòd Dominus papam Iohannem octauum, meretricem imprægnatam, in publica pompa uoluit fœtum suum edere. Hæc ut non temerè acciderunt: ita non est dubiũ quin multi pij, quibus Deus oculos ad uidendum aperuit, inde cœperint Ioannis uaticinium in Apocalypsi, de meretrice Babylonica, bestiæ insidente, & cum regibus ac principibus terræ turpitudinem exercente, aliquanto acuratius expendere, & luculentius intelligere. Verùm de his in sequentibus plura dicenda erunt.

CAPVT II.

DE LOCO ET PROPAGATIONE *Ecclesiæ.*

IVisse Ecclesiam Christi, hoc etiam Seculo, per orbem terrarum dispersam testãtur autores. Nam Angelomus in caput primũ libri primi Regum, Aminadab interpretatur, populus meus spontaneus: id est Christus, qui spontè gratiam suam contulit Ecclesiæ, qui per totum iam uehitur (inquit) orbem. Et in 2. cap. lib. 1. Reg. Regnum, ait, primitiua Ecclesia inter fines Iudææ, angustatum habuit: sed iam dilatatum per gẽtes, atque subleuatum habetur. Haymo super 4. cap. Micheæ inquit: Videmus iam ex omnibus Gentibus, quas Romanorum nouit imperium, in Christum credidisse, & per fidem ad hunc montem confluxisse. Et patres synodi Arelatensis, Ecclesiam per omnem terrarum orbem diffusam asserunt: tomo 2. Cõcilior. Et Guntherus, Thergandus, & alij episcopi Belgici, in epistola ad Nicolaum põtificem, quæ extat apud Auentinum libro 4. Annalium, inquiunt: Spiritus sanctus author est omnium Ecclesiarum, quà longissimè & latissimè terrarum orbis porrigitur. Ciuitas Dei nostri, cuius municipes sumus, ad uniuersos cœli cardines pertinet. Et Hilduinus, ac episcopi Occidentales inquiunt: Vna est Catholica Ecclesia, per totum orbem terrarum diffusa. Rabanus in epistola ad Otgarium.

Sed tamẽ non in omnib. partibus mundi æquè locuples & numerosa fuit, ut Idiota queritur cap. 7. Contemplationum de morte: Heu Domine, inquit, quot mala sunt in mundo? Ecclesia est diminuta, Christianitas conturbata: & quæ erat longè lateq; per orbem diffusa, nunc est ferè ad unum Occidentalem angulũ redacta. Impij dominantur, boni tribulantur, & mala sine numero multiplicantur.

Meminerunt autem Scriptores huius seculi, expresè quorundam locorum. quæ annotare, & lectori ob oculos ponere studebimus: ut hospitia sponsæ Christi celebriora saltem agnoscantur, ac Deo pro sua immensa bonitate gratiæ agantur, quòd is suã sedem inter homines habeat, sibiq; ex immensa misericordia omnibus ætatibus, in medijs imperiorum & regnorũ ruinis, colligat & conseruet Ecclesiam.

DE ECCLESIIS PER *Asiam.*

ETsi Palæstina Turcorum iugo fuit hac ætate subdita, tamen in ea adhuc pij, in ali-

in aliquibus locis reliqui manserunt: nimirum Hierosolymis, ut patet ex 24. libro Pauli Diaconi. Nam multi Christiani in Palęstina & Syria, à Saracenis afflicti sunt, circiter annum Domini 813.

Et in Bethlehem. Vnus enim ex monachis qui ad Carolum, ab Hierosolymorum episcopo ablegati sunt, ex Bethlehem fuit. Regino lib. 2.

In Syria: Antiochiæ. Nam episcopi eius Theophili, meminit Epitome mundi, sub Carolo Magno. Et Pauli Anthiocheni nomẽ extat in Chronico Martini. Et Iobum Patriarcham Anthiochenum, Thomę cuidam seditioso imperatoriam dignitatem solennibus ceremonijs contulisse, Zonaras tomo 3. prodidit.

In Lydia: Sardium enim archiepiscopi mentionem facit Zonaras tomo 3.

In Lycaonia: Lycaones enim quidam à Nicephoro subornantur, ad Bardanem interficiendum. Paulus Diaconus lib. 24.

In Phrygia: nam Nicephorus ad Gassson urbem Phrygiæ cum Arabibus signa confert. Paulus Diaconus lib. 24.

Arnoni: patria enim fuit Theophili Imperatoris, quam excindunt Saraceni. Zonaras tomo tertio.

In Asia: nam Ludouicus Christianis in Asia constitutis, subsidium misit. Auentinus 4. Annalium.

In Bithynia: nam in ciuitate Bithyniæ, in monasterio Heraclij, Bardanes capitur, & attondetur in monachum. Paulus Diaconus lib. 24.

In Galatia: Ancyram enim Galatiæ, Thebasan & Andrasum, Nicephorus instaurat, & præsidia Christianorum in eas urbes collocat, contra Saracenorũ incursiones. Paul. Diacon. lib. 24.

In Capadocia: nam Christiani in Cappadocia indignè tulerunt, quòd Michael legiones inde euocaret, & sese quasi nudos Saracenis trucidandos proderet. Paulus Diacon. lib. 24.

Cæsareæ Cappadociæ episcopus, Iohannes nomine, à Basilio Imperatore Romam missus est. Liber Pontificalis in uita Adriani tertij.

In Armenia: Leo enim partem quandam in Armenica prouincia adhuc tenuit, & cõtra Saracenos defendit. Paul. Diacon. lib. 24. rerum Rom.

In India: Ælfredus rex Anglorum, multa munera per Sigelium Schireburgensem episcopum, ad sanctum Thomam in Indiam misit. Vuilhelmus 2. capite 16. de Anglis.

DE ECCLESIIS PER AFRICAM.

IN Aegypto etiam reliquas fuisse Ecclesias, colligitur ex Rabani epistola ad Reginbaldum: ubi indicat, presbyteros in Aegypto consignare, si absit episcopus.

Alexandriæ: nam Achillei Alexandrini episcopi mentio fit in Epitome mundi, sub Carolo. Et Ioseph uicarius Alexandrinæ sedis, interest nonę sessioni, in octaua generali synodo Constantinopoli.

In Africa: nam Ludouicus secundus Christianis in Africa & Asia, opem eius implorantibus, denarios de singulis prædijs suis exactos misit. Auentinus lib. 4. Annalium.

In Libya: nam in Ægypto & Libya Christianos, circa annum septimum Nicephori, Domini uerò 809. à Saracenis contra sese inuicem tumultuantibus, malè tractatos esse, Paul. Diacon. lib. 24. indicat. Et Nicolaus pontifex scripsit epistolam ad Episcopos per Asiam & Libyam, tomo 2. Concil.

DE ECCLESIIS IN INSVLIS. IN *mari mediterraneo.*

IN Cypro Ecclesiæ fuerunt, usq; ad 4. annum Nicephori, qui fuit Domini 806. quas Saraceni destruxerũt, incolis aliò transportatis. Paul. Diac. lib. 24. Sed post annos quatuor, Christiani quidam ex Palæstina & Syria. in Cypro resiederunt. libro eodem.

Insulas Cycladas Saraceni populantur. Vnde colligitur, isthic Christianos fuisse. Zonaras tomo 3.

In Lesbo: nam ibi Irene imperatrix exulat. Paul. Dican. lib. 24.

In Lemno insula, Saraceni Christianos trucidant, quod argumento est, isthic Ecclesiam fuisse. Zonaras tomo 3. in Leone.

In Rhodo, à Saracenis Ecclesia quidem est satis grauiter afflicta, circa annum Domini 807. Sed tamen non prorsus deleta. Paul. Diac, lib. 24. Lithiæ & Myræ ecclesiarum in Rhodo meminit Sigebertus anno 807.

In Creta: nam Gortynæ episcopus, pro defensione Christi martyr effectus est. Zonaras tomo tertio.

In Sardinia & Corsica: nam Saraceni irruptionem in eos facientes, affligunt Christianos, & abduxerunt multos. Annonius lib. 4. cap. 99. de Francis.

In Maiorica Irmingatius comes Emporitanus insidias habet, quibus capit Mauros, cum præda ex Corsica in Hispaniam contendentes. Annonius lib. 4. cap. 99.

In Perontia seu Patalaria insula: nam ibi Mauri monachos spoliarunt (ut Leo in epistola ad Carolum indicat) & sexaginta captos, in Hispanias asportarunt, & uendiderunt. Annonius libro 4. capite nonagesimo tertio, de Francis.

In Cephelenia & Zazyntho, Saraceni Christianos afflixit sub Basilii imperio. Zonaras tomo 3.

Venetijs. Regino lib. 2. & Sabellicus lib. 9. Ennead. 8.

In Prote insula, Ecclesia est, & monasterium: ubi Bardanes delitescit, & occiditur. Paulus Diaconus lib. 24. sub Nicephoro.

In Sicilia, quæ Saracenis proditur ab Euphemio. Zonaras tomo 3. Syracusarum meminit tomo eodem.

Lipparam occupãtes Saraceni Bartholomęi ossa dispergũt, Anno Dñi 851. Sigebert.

In insulã Antigoni, seu in Panormũ Methodius deportatur. Zonaras tomo 3.

DE ECCLESIIS PER EVROPAM.

IN Macedonia: Thessaloniceni archiepiscopi, qui à communione Tarasij patriarchæ recesit, mẽtio fit apud Paul. Diac. li. 24.

In Thracia: Constantinopolis adhuc sedes Imperatorum Christianorũ fuit, & doctores suos in Ecclesijs habuit: ut patet ex Vitis eorum.

Anciali: Beroe, Philippopoli, & Philippis, & ad Strymonẽ habitantes Christiani metu Bulgarorum fugiunt. Paul. Diac. 24. rerũ Rom. sub Michaele.

Heracleæ: episcopi enim illius meminit Zonaras, tomo 3. sub Leonis imperio.

In Bulgaria: nam rex Bulgarię, sub Ludouico, anno Domini 817. Christianam religionem susceptt. Sigebertus.

In Sclauonia: rex enim Sclauorum, cum familia sua Mogunti baptizatur, iuxta Martini Chronicon. Et Nicephorus imperator, Christianos exules ex omnibus prouincijs, in Sclauinias ferri iussit, eorumq; bona uendidit, 8. anno. Paulus Diac. libro 24. Rerum Romanar.

In Dalmatia: Iaderæ. Donatus enim fuit episcopus eius, anno Domini 806. Annales Francorũ, & Annonius li. 4. ca. 92. de Frãcis.

In Pannonijs: Mesembria enim, quam Chrimnus Bulgarorum rex capit, Christiani erant sub imperio Michaelis, anno 813. Paul. Diac. lib. 24.

In Italia: Romę, ut patet ex uitis Põtificũ.

Portuæ: nam eius episcopus Formosus, Romanus pontifex factus est. Sigebertus.

Cumis: Amalrici episcopi Cumensis nomen extat in Fasciculo temporum.

Hostiæ: ibi enim Donatus episcopum egit, ut in uita eius dicetur.

Capuæ episcopum egit Landulfus, iuxta Chron. Casinense, cap. 43.

Caietæ: nam Caietanos Romano pontifici seruijsse, Leo Hostiensis lib. 1. cap. 45. in Chronico Casinensi testatur.

Concordiæ: nam Toringarij, episcopi eius, nomen in Fasciculo temporum extat, & in libro Pontificali.

Apud Lucenses præfuit Ecclesiæ Ambrosius: & apud Volatenenses, Petrus: & apud Pisanos, Iohannes: apud Prumenses, Amadeus: & apud Fesulanos, Donatus. Lib. Pontificalis.

Rauẽnæ: nam archiepiscoparus eius meminit Sigebertus, sub Carolo, anno 810. Et clerus Rauennas ad Carolum Caluum epistolã scripsit, p libertate uestitus monastici.

Foroiulij: ibi enim sub Carolo archiepiscopatus fuit. Sigebertus anno 810.

Mediolani: ut patet ex Sigeberto.

Vercellis Luituualdus episcopum egit, Sigebertus.

In Longobardia & Tuscia: ut patet ex loco de Mutationibus politicis.

Taurini: nam Claudius episcopus fuit, qui cultum imaginum reiecit: ut patet ex Ionæ Aurelianensis libris.

Ticini: ubi celebris Schola fuit.

Theanę: Lupus enim & Hilarius episcopi ibi fuerunt. Leo Hostiensis lib. 1. cap. 35. de Casinensibus.

Casini: ut patet ex Chron. Casinensi.

Gradẽsis archiepiscopatus meminit Sigebertus 810. & annales Rhegij Francorũ: nam Nordbertus ibi collegit Ecclesiã anno 814. ut referunt Annales Francorum.

Aquileię: meminit Sigebertus in Chron.

Tridentina ecclesia Hildeschalcũ episcopum habuit. Aucutinus 4. Annalium.

Polanæ ecclesiæ præfecit Carolus Fortunatũ: ut cõstat ex epistola Leonis ad Carol.

Histriæ: nam Histricæ oræ antistites Aquileienſi ecclesię subiectos esse, Sabellicus lib. 9. Ennead. 8. indicat.

In Gallijs passim celebres fuerunr Ecclesię: ut patet ex synodis, in ijs & uicinis regionibus habitis.

In Gallia Narbonẽsi. nam Nibridius Narbonensis episcopus, interfuit synodo Arelatensi: ut patet ex Actis.

Cabillonẽsis ecclesia illustris est propter synodũ isthic celebratã. Annon. lib. 4. ca. 99.

Viennæ meminit Sigebertus, Anno 810. Et Bernhardus episcopus eius fuit: Adon ętate 6. Celebrat etiam Viennensem ecclesiã Haymo, super Euangelia Dominicalia.

Gratianopolis in prouincia Viẽnę, episcopũ suũ Bernanũ habet: in synodo Actinico.

Bituricensis: nam ea archiepiscopum habet, Anno 810 Sigebertus.

Arelatensis archiepiscopi meminit Sigebertus, Anno 810. Celebrata etiã isthic est synodus. Annon. lib. 4. cap. 99. de Francis.

Tharentesiæ fuit sedes archiepiscopi, iuxta Sigebertum, Anno 810.

Meldę: episcopus enim eius Hildegarius interest cõcilio in Actiniaco, cũ Hincmaro.

Aureliæ:

Aureliæ: isthic enim episcopũ egit Vualtharius. Regino lib. 2. & Ionas, Aurel.

Senonensis: archiepiscopum habuit anno 810. Sigebertus. Eberhardi episcopi eius meminit Regino lib. 2.

Rhodani: Rumbertus enim episcopus eius, interest synodo in Actiniaco.

Lugdunensis: nam isthic archiepiscopus resedit anno 810. Sigebertus, Lesdradi episcopi eius Ecclesiæ meminit Adon, ætate 6.

Lugdunensis prouinciæ episcopi, ut Isaac Lingonensis, Liudo Augustudunensis, interfũt synodo in Actiniaco, cũ Hincmaro.

Visontium sedes archiepiscopi fuit, anno 810. Sigebert. Et Hardouicus episcopus eius interfuit synodo in Actiniaco celebratę

Ebradunẽsis archiepiscopatus meminit Sigebertus, anno 810.

Andegauensis episcopus, Maurilianus fuit, iuxta Sigebertum, & Reginonem lib. 2.

Burdegalæ archiepiscopus sedem habuit anno 810. Sigebertus.

Catulonensis episcopus Vuilbertus, interest synodo in Actiniaco.

Rotomagi archiepiscopus sub Carolo, anno 810. fuit. Sigebertus.

Ebroicensis episcopus interest synodo in Actiniaco,

Cenomanensis episcopus Aldricus fuit.

Parisijs: nam isthic Ecclesiam Gozzilinus rexit. Regin. lib. 2. Et Aeneas episcopus eius, interest synodo in Actiniaco, cũ Hincmaro.

Trecasensis episcopus Otulfus, in eadem synodo fuit, ut patet ex Actis.

Antisiodorensis: ubi episcopum egit Remigius.

Morinensis ecclesiæ episcopus fuit Adelbertus, qui scripsit confessionem suam ad Hincmarum.

Tungrensis: nam Franco Tungrensis episcopus, interest synodo in Actiniaco, cum Hincmaro.

Tornaci: nam ad clerum eius Ecclesiæ Hincmarus scripsit.

Traiecti: ibi enim Odisbaldus & Ratboldus episcopi fuerunt. Regino lib. 2. & synodus Colonien sis.

Dauentriæ: ibi enim Rabodus Danorum incursionibus pulsus, sedem constituit. Metropolis Cranzij lib. 2. cap. 10.

Leodij: episcopũ enim ibi egit Vuachandus. Sigebertus 809. Prumiensis monasterij rector fuit. Regino lib. 2.

Apud Metenses Gaulo fuit episcopus. Sigebertus. & Drogo: cuius Platina meminit in Sergio 2. Ac synodi in hoc loco celebratę acta damnauit Nicolaus Papa, in epistola ad episcopos Italiæ & Germaniæ, ut indicat Rodulphus ad Otgarium.

Remorũ Ecclesia archiepiscopũ habet, anno 810. Sigebert. Et Hincmarus celebré istam Ecclesiam reddidit, & synodus ibi celebrata.

Vuermeriæ: nam synodum ibi habitam esse, Hincmarus indicat in epistola ad Laudunenses.

Turonẽsis mentionẽ facit Sigebertus 810. Et synodi isthic habitæ meminit Annonius lib. 4. cap. 99.

Hodo Beluacensem ecclesiam rexit. epistola Hincmari ad Hadebertum.

Ambianensis ecclesiæ Iesse fuit episcopus, Henricus Erphordensis, & Chron. Hirsaugiense: quem Carolus Constantinopolin misit. Annonius lib. 4. cap. 89. de Gestis Francorum.

Neumanenses episcopum habuerunt Gibertum, Platina in uita Ioannis 9.

Cameraci & Lauduni, ut constat ex epistola Hincmari. Halitgarius Cameracensis episcopus, Constantinopolin ablegatur. Annonius lib, 4. cap. 115.

Lexouiensiũ episcopus fuit Freculphus: ut in uita eius dicemus.

Siluanecti Ebroinus pastor fuit. quo defuncto, Hincmarus Hadebertum ordinat: ut patet ex epistola ad eundem.

Floriaci: cœnobij enim Floriacensis meminit Ranulphus lib. 5. cap. 30.

Corbeiæ cœnobium fuit: cuius abbas Alahardus, interfuit synodo in Aquisgraneis. Annonius lib. 4. cap, 95.

¶ In Hispanijs hospitia habuit Ecclesia Christi, ut patet ex Annonio lib, 4. cap. 92. & Vincẽtij lib. 24. cap. 7. Et Nauarri & Pampilonenses, à Saracenis ad fidem Christi reuersi sunt. Regino lib. 2.

In Gallicia: rex enim eorũ, cum suis subditis uictus à Carolo, fidem Christi suscepit, circiter annũ Domini 807. Chron. Saxonię.

¶ Nec Germania postrema fuit inter hospites & nutricios Ecclesiæ Dei. Nam ad episcopos Germaniæ, Nicolaus Papa scripsit epistolam.

Treuiris: ibi enim sedes archiepiscopalis est. Sigebertus anno 810. & Hatto episcopũ ibi egit. Regino lib. 2.

Cullæ, Viriduni: nam episcopi eorũ sunt in actiniaca synodo, apud Hincmarum. & Dado Viridunensis episcopus, interest Triburiensi synodo.

Aquisgrani: concilium enim Carolus eo in loco habuisse scribitur apud Annonium lib, 4. cap. 97. de Francis.

Coloniæ archiepiscopatus fuit sub Carolo, anno 810, iuxta Sigebertum: qui & Guntharij archiepiscopi eius meminit.

Basileæ: nam Haidonis Basilien sis episcopi Regino lib. 2. mentionem facit: & An-

nales Francorum. Fringus Basilienſis epiſcopus, eſt in Triburienſi ſynodo.

Argentinæ: nam Baldrammus Strasburgenſis epiſcopus, interfuit eidem ſynodo, ut patet ex actis.

Curienſis eccleſiæ mentio fit in actis concilij Triburienſis: ubi epiſcopū habet Theodolphum.

Conſtantiæ: Salomon enim in ea ciuitate epiſcopus fuit. Cranzius in Metropoli lib.1. cap.38. ac interfuit ſynodo Triburienſi, tomo 2. Conciliorum.

Mogunti: ut patet ex Sigeberto. Et Hattonis epiſcopi eius fit mentio in Chronic. Martini. & Otgarij & Rabani, Mar. Scot. Anno Domini 846. Ac ſynodus ibi congregata eſt. Annonius lib. 4. cap. 99.

Vuormaciæ: nam epiſcopū habuit Bernhardum Anno Domini 890. Annales Francorum, & Annonius lib. 4. cap. 95.

Spirę: miſit enim epiſcopum ſuum Lotethaneum, ad ſynodum Triburienſem: ut patet ex actis tomo 2. Concil.

Auguſtę Vindelicorum. nam Vuitgarij & Adalberti, epiſcoporum eius loci, meminit Regino lib. 2. Adalbertus Auguſtēſis epiſcopus, extat inter acta ſynodi Triburienſis, tomo 2. Concil.

In Norico: epiſcopi enim per Noricum, ad Ioannem 9. ſcripſerunt epiſtolam.

In Bauaria: nam epiſcopi Bauariæ ſcripſerunt epiſtolam ad Ioannem 9. Pontificem.

Reginoburgi: nam Adeluinus epiſcopus huius loci, ſub Ludouico Pio obijt: ac poſt eum, Ambricus & Tuto præſides fuerunt. Auentinus lib. 4. Tuto Ratisponenſis epiſcopus eſt in ſynodo Triburienſi.

Aichoſtadij: Odgeri epiſcopi meminit Auentinus lib. 4. Erchanbaldus Eiſtettenſis epiſcopus in ſynodo Triburienſi fuit.

Bathauiæ pontifex Vuigolerus apud Auentinum lib. 4. celebratur. & Richarius: cuius quidem epiſcopi nomen eſt in epiſtola Bauarorum & Noricorum, ad Ioannem 9.

Iuuauię, ſeu Salisburgi archiepiſcopatus fuit ſub Carolo, Anno 810. Sigebertus.

Fruxini: nā Attonis epiſcopi eius, Auentinus lib. 4. Annalium meminit. Ac Vualdo epiſcopus eius intereſt ſynodo Triburienſi prope Moguntium, ſub Arnoldo Imperatore: ut patet ex Actis tomo ſecundo Conciliorum.

In Morauia: Morauos enim Chriſtianos ſub Batauenſis epiſcopi diœceſi fuiſſe, teſtantur epiſcopi Bauariæ ad Ioānem 9. pontificem. Et Ratfredum Fauianenſem epiſcopum, Methodium Speculijulienſem, Albinum Nitrauenſem, Annonē Vetuatenſem, epiſcopos Auarum & Morauorum, Eugenius pontifex Vrolfo Lauriacenſi ſubeſſe iubet, in epiſtola ad eoſdem.

In Franconia: Vuirziburgi. nam epiſcopus eius Arno in bello perit, & Rudolphus nobilis & fatuus ei ſuccedit. Regino lib. 2.

Fuldę: abbatem in eo loco egit Rabanus, Anno Domini 846. iuxta Marianum Scotū.

Francofurti ad Mœnum: ibi Ludouicus moritur, Anno Domini 886. Regino lib. 2.

In Thuringia, Salfeldiæ. ubi Ludouicus, Carolus & Carolomannus, regnum paternum partiti ſunt, Anno Domini 876. Regino lib. 2.

Mersburgi: nā epiſcopus eius Arnoldus à Morauis interfectus eſt, Anno Domini 899. Chronicon Saxoniæ.

Halberſtadij: nam in hoc loco Haymo epiſcopum egit, qui doctrinam cœleſtē propagauit docendo, & ſanctè uiuendo: & non potando, ſcortando, ac uenando, ut poſteri fecerunt. Et Sigiſmundus Haluaraſtatenſis epiſcopus intereſt ſynodo Triburienſi, tomo 2. Conciliorum.

Braunſchuuigæ: nam Danckuuortt dux Saxoniæ, templum iſthic in honorē Iacobi extruxit, Anno Dñi 861. Chronic. Saxoniæ.

Hildeſiæ: Alfridus enim iſtā adminiſtrauit eccleſiam. Auent. lib. 4. & Vuigbertus Hiltinesheimenſis epiſcopus, intereſt ſynodo Triburienſi tomo 2. Concil.

In Vueſtphalia: Monaſterij epiſcopus fuit Gerfridus, ut Cranzius in Metropoli lib. 2. ca. 25. indicat. & Vuulfelinus epiſcopus eius, interfuit ſynodo Coloniēſi: ut patet ex Actis, tomo 2. Concil.

Hamelenſis eccleſiæ mentio fit in epiſtola Thiotonis.

Oſnaburgēſem eccleſiam Mengardus rexit. Cranzius in Metropoli lib. 1. cap. 24. Et Egilmarus intereſt ſynodo Triburienſi tomo 2. Conciliorum.

Padelbornæ: nā Biſo epiſcopus eius fuit, in ſynodo Triburienſi. tomo ſecundo Conciliorum.

Myndę: Haduardo enim epiſcopo Eccleſia illa eſt uſa. Cranzius in Metropoli lib. 1. cap. 23. Druogo Mimitenſis interfuit concilijs Colonię & Triburi habitis. tomo 2. Conciliorum.

Verdæ: nam Heligandus epiſcopus eo in loco fuit, iuxta Cranzium in Metropoli. & Andulfus abbas Verdinenſis, intereſt ſynodo Colonienſi. Acta tomo ſecundo Conciliorum.

In Brabantia: Antorpij enim à Nortmannis pii afflicti ſunt, Sigebertus.

In Flandria: nam Ioannes nonus in ſynodo apud Trecas, Flādris primùm ex nemoroſis locis ad meliorem cultum progreſsis, epiſcopūm dedit. Platina in uita Ioann. 9.

In Friſia, Bremis, Adalgarius Brumenſis epiſco-

episcopus nomen habet inter patres synodi Triburiensis, sub Arnoldo.

Norduidæ: Cranzius libro 2. capite 10. in Metropoli.

In Hollandia: nam Nortmanni Dorstadij quinque & quinquaginta Ecclesias parochiales destruxerunt, sub Ludouico 2. Chronic. Hirsaugiense.

In Hollatia: Hamburgi. Heridagus enim primus isthic episcopus, iuxta Helmoldū, à Carolo constitutus est, capite 3. quem Ansgarius secutus, & ex ea Ecclesia, in omnes Sclauorum & Danorum regiones propagatum est uerbum. Helmoldus cap. 4.

Obotritos etiam Christianos fuisse, colligitur ex eo, quòd Caroli Magni socij fuerunt: & Saxonibus translatis in Franciam, pagos eorum occuparunt, Anno Domini 803. Sigebertus.

In Dania: nam in eam regionem Christi fidez hoc tépore propagari cœpit: ut postea dicemus.

Sleſuuici & Ripę, Ansgarius ecclesias ædificauit.

In Suecia: Herbertus Lincopensis à Carolo ad Biornum regem Sueonum & Gothorum missus, primus in Ostrogothia episcopus constitutus est. Gothus libro decimo-septimo, cap. 1.

DE ECCLESIIS PER OCEANUM.

IN Britannia celebrantur multa oppida & loca, in quibus Ecclesia habuit sua hospitia. Nam Schireburnensis episcopus Sigelectinus fuit, Erphordiēsis, & Alestanus: ut Vuilhelmus lib. 2. cap. 2. de Anglis refert.

Cantua, Vuilhelmus lib. 2. ca. 1. de Anglis.

Vuyntoniæ episcopū egit Suitinus. Idem lib. 2. cap. 2.

Oxoniæ scholam instituit Aluredus. Ranulphus lib. 6. cap. 1.

Vuigornienſem ecclesiam rexit Vuerefridus. Ranulphus ibidem.

Et in Scotia: nam Normāni dum Hybernos Christianos infestant, propulsantur sub Carolo Magno. Annonius lib. 4. cap. 98.

DE PROPAGATIONE.

ETsi superiori seculo Telericus Bulgarorum rex Christianus factus est: tamē gens eius aut mansit in ethnica superstitione, aut fidem Christi susceptam postea abiecit. Sed sub imperio Theodoræ & Michaelis, circiter annū Dñi 851. seu 860. iuxta Cromerum de Polonis lib. 3. cap. 1. tota illa gens Christiana facta est, huiusmodi de causis.

Soror principis Bulgariæ, capta Constantinopoli, in aula uersabatur. Cum aūt eruidenda doctoribus esset commissa, literas & prima elementa fidei Christianæ didicit, ac baptizata est, & pro Olha dicta est Helena: ut patet ex Annalibus Rasforum. Reuersa in Bulgariam, fratri commendat religionem Christi, & crebrò de ea cum illo sermonem cōfert. Sed ille patrias superstitiones defendit, ac in pijs perseuerat. Aliquāto aūt pòst, cum tempus diuinæ gratię illuxisset, Dominus peste & fame eum cum gente sua affligit. Istis malis quæruntur remedia, sed nulla inueniri possunt. Rex, qui Christū antea spreuerat, in angustia constitutus, ab eo petijt auersionem calamitatum. Quod ubi sensit fieri, diuinam Christi uirtutem agnoscit: & è Constantinopoli episcopum accersit: à quo de religione Christi eruditur, & baptizatur. Re in uulgus sparsa, sacerdotes & magistri ethnicæ superstitionis, facinus indignum clamitant: maiorum statuta aboleri, & rebus nouis studeri: seditionemque concitant aduersus regem. Sed is auxilio Dei munitus, hostium impetus sustinet: ijsque cæsus, uictoriam reportat: & suis omnibus persuadet, ut in fidem Christi consentiant. Zonaras tomo 3.

Rhosi etiam Christianī fiunt, sub imperio Basilij Macedonis, circa annum Domini 875. Bello ab Imperatore afflicti, pacē petunt. quam cum illis daret, postulauit ut doctrinam Christi amplecterentur. Quod cum promisissent, episcopum ad eos misit. Is primùm docet eos de Christo, eiusque miraculis, quibus doctrinam Euangelij confirmatam aiebat: ac hortabatur eos ad fidem. uerùm illi ad miracula potius, quàm ad doctrinam attenti, negant se posse nouum dogma amplecti, nisi Christus etiam sibi signum ederet. Episcopus iubet eos signum postulare, quod uelint. petunt illi, ut librum in quo doctrina scripta esset, in ignem conijciat, ac si contra uim flammarum eum integrū præstet Iesus, se credituros in eum promittunt. Rogus ergo accenditur, episcopus librum in ignem ponit, inquiens: Glorifica nomen tuum Christe Deus. Flamma codici parcit, extrahitur illæsus. obstupescunt Barbari, & uerbo fidem adhibent, ac baptismo initiantur. Zonaras tomo 3.

Capanus seu Caganus, Hunnorū & Auarum rex, imparem se Boiorum copijs agnoscens, deditionē cum suis facit: & sacro fonte ablutus, Theodori nomen accipit: anno Dñi 803. Er ppter Sclauorū incursiones, locū habitationis inter Sabariā & Carnuntū à Carolo petit. Annonius lib. 4. cap. 91. Paulo pòst eo mortuo, Abraam⁹ filius à Carolo petit se in regno suo confirmari: & fidē Christi recipit, ac baptizatur. Auētinus li. 4. Annal.

Eugenius pōtifex, in epistola ad Rathfredum Fauianenſem, & Methodium Speculijulienſem episcopos, ac Moimarum ducē Huniæ, Auariæ & Moraniæ, Vrolfum Lau-

reacenſem illis commendat archiepiſcopũ: ac præcipit, ut ei pareant: & in ijs locis ubi olim Eccleſiæ & Epiſcopi in illorum regione fuiſſe cognoſcantur, denuò conſtituãtur.

Ad Sclauos & Polonos Cyrillus & Methodius propagant doctrinã Chriſti, & uernacula lingua ſacra inſtituũt, anno Domini 861. Funccius. Aeneas Syluius lib, 1. ca. 13. ſub Arnolphi imperio id factum eſſe indicat.

Sclaui Boiemi appellati, à Carolo iuniore, ab anno Domini 805. bello fracti, & Francis ſubiecti, cœperunt paulatim ad fidem Chriſti aſſuefieri. ac Ludouicus rex Germaniæ, quatuordecim duces Boiemorum curauit baptizari: ac Bathuricum Reginoburgenſem epiſcopum, iuſsit plantandis Eccleſijs in ea gente operam nauare, anno Domini 846. Sigebertus. Auentinus lib. 4. Martinus in Chronico, hæc ſub Ludouico Pio, circa annum Domini 816. ponit.

Zuentibaldus dux, Morauis uictis, Vuithungum epiſcopum dedit, qui eam gentem ad fidem Chriſti conuerteret. Theodomarus epiſcopus Iuuauienſis ad Ioannem pontificem.

Monachi quidam ex cœnobio Corbeiæ ſub Ludouico ſecundo, per Vandalorũ prouincias tranſeuntes ad Ranos, ſeu Rugianos (qui habitant in corde maris) ueniunt: & predicando uerbum Dei, licet non adeò purè, gentem illam Chriſtianam faciunt, ac templum in honorem Viti extruunt: quem miſeri illi homines, parũ de Chriſto eiuſq; ſana doctrina aſſecuti, paulo pòſt pulſis ſacerdotibus colunt pro Deo, eiq; ſacrificia offerunt, & ab eodem reſponſa petunt, ex omnibus Sclauorũ prouincijs. Helmoldus in Chronico Sclauorũ, cap. 6. Cranzius lib. 2. cap. 25. in Vandalia. Ac durauit illa Idololatria in eo loco, usq; ad Henricum Leonem, per annos circiter 250. Chronicon Saxionę.

Biornus Gothorum & Sueonum rex, à Carolo Magno petijt ſacerdotes, qui ſe & ſubditos ſuos de religione Chriſti docerẽt. Miſit ergo Carolus Herbertum, cum alijs quibuſdam, qui Lincopiæ collegit & ædificauit Eccleſiam. Cum autem Biornus uideret opus eſſe pluribus doctoribus, ad propagationem uerbi in ſuo regno, legatos ad Carolum remittit, & rogat ut ſibi plures doctos uiros concedat. Erat interia Carolus defunctus. quare ad Ludouicum legati diuerterunt, & nihil minus quàm ſperabant impetrarũr. Miſit enim cum eis Anſgarium Corbeienſem monachũ, Anno Domini 816. Lupoldus de zelo Chriſtianæ religionis. Collegit autem Eccleſiã Anſgarius, in Byrca metropoli Suedię: ſed nõ diu iſthic moratus eſt, ut apparet ex Helmoldi Chron. ca. 5.

Ludouicus etiam in ſynodo Aquiſgrani, de Gothorum & Sueonum conuerſione cũ patribus conſilia captauit, Ioãnes Magnus Gothicæ hiſtoriæ lib. 17. cap. 1. Ac poſtea Anſgarium epiſcopum Hamburgenſem conſtituit: eiq; præcipit, ut ad uicinos Danos & Suceos Chriſti religionem propager. Ab eo ergo tempore maximis doctorum laboribus deſudatum eſt, de conuerſione iſtarum gentium: ſed ob inueteratam idololatriæ conſuetudinem, & bellorũ motus, res ſucceſsit tardius. Helmold. cap. 4. Poteſtca ſub Ludouico ſecundo, cum Anſgarius in Dania fundamentũ quoddam iecisſet ad plantationem, literis & legatis Erici regis Danorum, ad Olaum nauibus in Sueciam tendit: & in Byrca ciuitate, ubi prius diſſeminauerat uerbum, à pijs excipitur, & Olaum conuerſum baptizat, ac impetrat licentiam docendi Euangelium eos qui cupiãt audire & ſuſcipere: eaq; occaſione plurimos ad agnitionem Chriſti adducit: Eccleſijs epiſcopos & presbyteros paſsim ordinat, eosq; ad cõſtantiam in fide cohortatus, redit ad Eccleſiam ſuam Hamburgum. Ab eo tempore, ſemen uerbi Dei iactum apud Sueones, uberrimum fructus proferre cœpit. Helmoldus capite 5. Anno Domini 833. Peterſius in Chronico, cap. 5.

Ad Danos uerò Dominus noſter Ieſus Chriſtus hoc modo regnum ſuum prorogauit. Concitat reges Danorũ cõtra Francos. à quibus dum cæduntur & ſuperantur, ſubinde per epiſcopos & conſtantes doctores aliquos ad fidem conuertit. Sic ſub Carolo Magno Bilibaldus, quoſdã Danos Chriſto lucratus eſt: ut Honorius annotat. Deinde inter Danos excitat inteſtinum bellum, quo, Harioldus ſeu Eueldus regno exuitur. Ea calamitate motus, ad Ludouicum imperatorem confugit, anno Domini 815. Annales Francorum, & Sigebertus. Peterſius annũ Domini 820 habet. Apud eũ de religione Chriſti inſtitutus, remittitur in Daniam cum Anſgario. Sed neq; rex, neque Anſgarius à Danis tum receptus eſt, Quare Harioldus ſeu Sebaldus, ad Ludouicum reuerſus, cum uxore & filijs ſuis baptizatur Mogunti, à Rabano: & parte quadam de Dania à Francis occupata, & de Friſia, donatur, Anno Domini 825. Sigebertus, Scotus, Crãzius, Ganguinus, Martinus in Chronico, Annonius lib. 4. cap. 113. Anſgarius etiam Hamburgi epiſcopus conſtitutus, ſedulò cum ſuis laborat de Danorum conuerſione: ac ad eam rem homines idoneos in ſcholis præparat. Tandẽ ſub Ludouico ſecundo, ad Ericum regem Danorum miſſus, cum de alijs quæ erant apud eum expedienda, tractatum eſſet, petit ab eo ut ſibi liceat populum ſuũ de Chriſti fide docere: & impetrat

petrat edictum, Ne quis uolentes baptizari, & fidē Christi amplecti, impediat. Hoc priuilegio fretus, in Sleseuuick & Ripæ ecclesias erigit, & sacerdotes ac doctores ad mesſem faciēdam immittit. Helmoldus cap. 5. de Sclauis: Saxo de Danis, & Crāzius in Metropoli lib. 3. cap. 41. Ioannes Gothus lib. 17. cap. 2. Peterſius in Chronico Holſatorum, Cranzius in Metropoli li. 1. ca. 36. Ibbo etiam Remorum epiſcopus, Danis per unam æſtatem concionatus dicitur, cum imperatoris Ludouici & pontificis conſenſu: in Annalibus Francorum. Sed tamē Cranzius in Metropoli lib. 1. ca. 30. ea de re dubitare uidetur.

DE AMPLIATIONIBVS.

In Saxonia finito bello, paſsim Eccleſiæ à Carolo Magno inſtitutæ, incrementa fecerunt, Domino ſubinde ad numerū fidelium plures adiūgēte: ac paſsim epiſcopatus plures inſtituti ſunt. Sic Carolus Magnus Martisburgenſem & Zycēſem epiſcopatus, Anno 803. fundauit: Chronicon Saxoniæ. Eodem anno Baſileæ & Vuormaciæ epiſcopatus uolunt eſſe à Carolo conſtitutos. Reginoburgi & Auguſtæ templa extrui cœpērūt anno Domini 807. Chronicon Saxonię.

DE CONVERSIONIBVS.

Baſilius imperator Conſtātinopolis multos Iudæos largitionibus & promiſsionib. ad fidem Chriſti adduxit. Zonaras tomo 3. Hundeus Nortmannorū rex, Chriſti fidem amplexus, baptizatus eſt, & à Carolo de baptiſmo ſuſceptus, Anno Domini 896. Sigebertus.

Slaomir rex Abodritorum, cum ab exilio reductus eſſet, & grauiter decumberet, baptizatus eſt. Annonius libro 4. cap. 108.

Godefridus rex Nortmannorum, & rex Danorum Sigfridus, cum numeroſo exercitu in Gallias progreſsi, à Carolo III. obſidentur. Cum autem in anguſtias ſeſe redactos cognoſcerent, fœdus cum Carolo ineunt, ſi demq; Chriſti ſuſcipiunt: & baptizati, Gislā Lotharij filiam uxorem ducit Godefridus, eiq́ue Friſia prouincia reſtituitur, Anno Domini 884. iuxta Sigebertum, & Reginonem libro 2. Lupoldus Bebenburgenſis.

Froto Danorum rex in Britanniam irruit, recuperaturus ſuorum maiorum ditionem. hoc commodi inde recepit, ut à Chriſtianis, quos ſubegit, & ipſe Chriſtum agnoſcere diſceret, & ſigillo gratiæ obſignatus, in eius caſtra & fidem ſeſe conferret. Cranzius in Dania lib. 4. cap. 15. circiter annū Domini 870.

Gurundus, ſeu Gormo, Frotonis filius, à rege Britanniæ Elfredo cæſus, & captus, cum triginta proceribus & maxima turba ſatellitum, baptizatur: ac ſortitur prouincias Orientalium Anglorum, & Northumbrorum. Vincentius libro uigeſimo quarto, capite quadrageſimo. ex Helinando, ſub Ludouico ſecundo. Vuilhelmus libro 2. capite 14. de Anglis.

Soltueliæ Carolum idololatriā deſtruxiſſe, & ad fidem Chriſti incolas eius perduxiſſe, circiter annum Domini 807. Chronicon Saxoniæ annotat. Eodem anno Vualtſtadēſes & Crunēſes, à Carolo uicti, & Chriſtiani facti ſunt.

DE INSTAVRATIONE.

In Hiſpania Nauarri & Pompilonenſes, qui ſuperioribus annis ad Saracenos defecerant, in fidem recepti ſunt. Regino libro ſecundo, Anno Domini 806. Annonius lib. 4. cap. 92. de Francis. Et Carolum exercitu ancillarum Gallicenſium, regem ad deditionem, & fidei Chriſti ſuſceptionem compuliſſe, in Chronico Saxoniæ ſcribitur, ad annum Domini 807.

DE DEFORMATIONIBVS.

Vt ſeculo ſuperiori Pontifex Romanus paſsim per ſuos legatos, Eccleſias in Germania & Britannia, ſuis characteribus, nimirum doctrinæ corruptelis & ſuperſtitioſis cultibus inſigniuit, ſibiq́ue ſubiecit: ita hoc ſeculo idem ſtudij habuit, & ſummo conatu id egit, ut illæ quæ ex Gentibus colligebātur Eccleſiæ, ſtatim in initio iugum Pontificium ſubirent. Sic cum à Conſtantinopolitanis doctoribus Bulgari eſſent cōuerſi, & Græcorum doctrinam & ritus ſuſcepiſſent, Romanus pontifex Nicolaus & Adrianus, Ludouici imperatoris autoritate freti, ſuos eò miſerunt præſtigiatores: inter quos erat Formoſus Portuenſis, qui nouellæ Eccleſiæ imprimerent Antechriſti charecteres, Anno Domini 866. Regino libro ſecundo, Sigēbertus, liber Pontificalis in uita Nicolai & Adriani. Et cum apud Sclauos & Polonos Cyrillus ac Methodius plantaſſent Eccleſias, linguaq́ue populari ſacra peragi in cœtu inſtituiſſent: Nicolaus pontifex conatus eſt inter alios characteres, etiam illum, de uſu Latini ſermonis in ſacramentorum adminiſtratione, inurere. Sed illi grauiter ſeſe oppoſuerunt: & Romæ in ſynodo, dicto pſalmi, Omnis ſpiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei: pontificem refutarunt. Sed ille nihilominus ſimulauit, quadam diſpenſatione & ἐυικείᾳ ſe Sclauis largiri poteſtatem, in ſua lingua faciendi ſacra. Chronicon Poloniæ libro primo capite decimotertio: Bergomenſis libro 11. Etiam in Bauariam Methodium ueniſſe, & cœpiſſe ex Eccleſijs illis Latinum ſermonem, qui ex decreto Caroli Magni per annos quinq; & octo-

& octoginta in usu fuerat, expurgare: sed à Pontificijs sacrificijs, regum brachio expulsum esse. Auentinus lib. 4. pag. 434. narrat.

Ecclesias Danicas ab Ansgario plantatas, reformari petijt Froto à Pontifice Agapito: absque dubio à pontificijs laruis persuasus, qui etiam in illas Ecclesias affectabant dominium, & suæ auariciæ fructum exquirebant. Cranzius in Dania libro 4. cap. 15.

Morauorum Ecclesias, quæ sub Batauiensis episcopi diœcesi, post fidei susceptionem fuerant, Ioannes nonus pontifex circa annum Domini 880. post tres episcopos, Ioannem, Benedictum, & Danielem ita reformauit, ut unum episcopatum Batauiensem in quinque diuiderent, contra Canones: ut querũtur episcopi Bauarici, in epistola sua ad Ioannem nonum.

CAPVT III.

DE PERSECVTIONE ET TRANquillitate Ecclesiæ.

DE PERSECVTIONE SVB Carolo Magno.

CAROLVS Magnus, imperator Romanus à põtifice Leone designatus, anno Domini 801. iuxta Sigebertum, imperat annis sedecim. Fuit prudẽs & pius imperator: ac de plerisq; capitibus doctrinæ rectius sensit, quàm multi alij: imaginum certè adorationem, tanquam tetram idololatriam improbauit. ut pater ex libris eius, contra synodum Nicenam secundam scriptis & euulgatis. Nutriciũ & patronum ecclesiarum in Occidente singularem egit: & quantum in ipso fuit, gentium furores passim coercuit: atque ad propagationem uerbi, episcopatus & cœnobia (quæ scholæ tum erant) & academias Parisiensem & Ticinensem instituit. Multis ergo in locis, sub ipsius imperio, Ecclesia pacem habuit: sed tamen non ubiq;. Nam Gotricus, seu Godefridus Danorum rex, acerrimus Christianæ fidei persequutor, conatus est omnibus uiribus suis, Saxones qui fidem Christi receperant, astutia, minis & crudelitate sua iterum inde absterrere: ac subinde potentiores, qui à uera pietate alieni erant, concitauit, ad affligendum eos qui plantabant Ecclesias, & ad opprimendum Magistratus à Carolo constitutos. Sed uirtute & bonitate Dei, tyrannus iste factus, pacem tandem cum Carolo fecit, anno Domini 811. Vrspergensis. Sigebertus annum Domini 804. habet, item Ioannes Gottus libro 17. cap. 1. Et Saluius episcopus, in Gallijs à Vuinigardo procurarore fisci interficitur, anno Domini 801. Sigebertus.

Auares etiam, & Hunni, contra Francos arma ferentes, multis pijs fuerunt exitiales: sed repressi & illi sunt, anno Domini 805.

Sclaui & Bohemi, ob odium Christianæ religionis Auares infestant: sed illi, Caroli assensu, locum habitationis mutãt, & inter Sabariam & Caruntum considunt. Postea Carolus Bohemos & Sclauos eam ipsam ob causam aggreditur, uictosq; sibi subijcit, anno Domini 806.

Saraceni Sardiniam aggressi, Christianos affligũt: uerùm armis Pipini propulsantur, anno Domini 807. Postea uerò in Siciliam irrumpentes, Lampadusam spoliarunt, ac Græcorum classem exploratũ missam comprehenderunt, omnesq; nautas interfecerunt. Porrò quadraginta nauib. in insulam Perõtiam & Eschlam irruentes, monachos & alios afflixerũt: ut narrat Leo in epistola ad Carolum. Mauros de Patalaria insula sexaginta monachos abduxisse, & in Hispanijs uendidisse, Annonius libro 4. ca. 93. indicat. Paulo pòst in Corsicam illapsi, ciuitatem quandam expugnant: & præter episcopum, & paucos senes, atque infirmos, in ea nihil relinquunt. Annonius libro 4. capite 95.

Hiliones seu Liuones trans Albim, & Hunni, ac Sclaui in Pannonijs, & quidam Britones, gentili superstitioni adhuc addicti, res nouas moliuntur in fidelium perniciem: sed Carolus copijs in istas partes missis, pacem restituit, anno Domini 810. Annonius libro 4. capite 97.

In imperio Orientis, Saraceni cum trecentis millibus Nicephorum oppugnães, passim multa pijs inferunt mala, in Galatia & Cappadocia: atq; in Cyprum irruptionẽ facientes, Ecclesias destruunt, incolasq; omnes captiuos abducunt: in Tyana uerò templum Mahometo erigunt, ad blasphemias illas in uicina loca propagandas, anno Nicephori 4. qui fuit Domini 804. Rhodum etiam infestant Saraceni, duce Chumeid. Myramque capiunt, ac Nicolai ecclesiam & arcam conterere conantur. Paulus libro 24. anno Domini 807. Sigebertus. Intestinum bellum inter duos fratres, ducis Saracenorum filios ortum, non modò respublicas in Syria, Aegypto & Libya turbauit, sed etiam Christianis multas clades attulit, anno 7. Nicephori. Paulus libro 24. Constantinopoli eodem anno in pios & innocentes uiros sæuitum est. nam Theodorus Egumenus, & Ioseph frater eius, Plato quoq; cum monachis suis, recusauerant cum Tarasio patriarcha communicare, eo quòd consensisset in Constantini scelus, qui repudiata uxore, Theodorã quandam duxerat, eamq; augustam

auguſtam more ſolenni creauerat. Re ad Nicephorum delata, Tarasij, quem ad omnia promptum habebat, defenſionem ſuſcipit: & collecto cœtu epiſcoporum, illos indicta cauſa damnari curat, ac monaſterijs atq; urbe expellit. Poſtea quoq; Chriſtianis exulibus, qui Saracenorũ manus effugerant, calamitates auxit, dum eos bonis ſuis exutos, in Sclauinias ferri iuſsit. Suos etiam ſubditos miris artibus argento emunxit. lib. eodem.

Nicephoro & Stauratio filio eius extinctis, Eccleſiæ & reſp. in Thracia & Cõſtantinopoli cœperunt meliuſculè habere. Nam Michael Imperator paci ſtuduit: & Theodorum, Platoné ac Ioſephũ cum patriarcha reconciliauit: contraq; Manichæos, Attinganos in Phrygia & Lycaonia multos inficientes, capitalem ſententiam promulgauit. Patriarcha etiam ſynodicas literas ad Leonem Romanum pontificem dedit: id quod antea Nicephorus interdixerat. Sed non fuit diuturna hæc tranquillitas. Bulgari enim Debeltum expugnant, & epiſcopũ reliquosq; Chriſtianos abigunt: & Michael in eos qui imaginum cultum damnabant, ſæuire cœpit: & Nicolaum eremitam, ſociumque eius, eo quòd imaginem Mariæ ob impiam uenerationem remouerant, afflixit. Nicolaum palinodiam cantare coegit: & alteri id facere detrectanti linguam præcidit, ex quo dolore extinctus eſt. Sæuitum etiam eſt in alios, imaginum cultui iuxta uerbum Dei contradicentes. Zonaras tomo tertio.

Thebit in Chriſtianos mouet perſecutionẽ. Sed à Leone prætore de copijs eius duo millia cædũtur. Meſembriæ quoq; & Debelti expugnatio, & ſtrages quam Bulgarię rex fecit in Thracia, multis Chriſtianis funeſta fuit.

Digladiantibus inter ſeſe Saracenis, Chriſtiani in Syria, Aegypto & Africa, prædæ & dilaniationi expoſiti erant quibuſuis facinoroſis hominibus. Hieroſolymis loca ſancta, ut Reſurrectionis, Caluariæ, Mariæ, & alia, in odium Chriſtianæ religionis ſubuertuntur à Saracenis: monaſteria, & eccleſiæ Lauræ, Caritonis & Sabæ, ac ſimilia deſtruuntur: multique ex pijs trucidantur per Palæſtinam & Syriam. Alij uerò metu periculi, fuga ſibi cõſulunt, atque in Cyprum traijciunt, indeque Byzantium ueniunt. Michael imperator monachis illis qui in Cypro manebant, talentum auri largitur. Alijs qui Byzantium uenerant, monaſterium donat. Vſus eſt etiàm Nicephorus patriarcha, munificentia & liberalitate erga exules & calamitoſos illos Chriſtianos. Paulus libro uigeſimoquarto Rerum Romanarum.

DE PERSECVTIONE ET TRANQUILLITATE *ſub Ludouico Pio.*

ANnis illis uigintiſex, quibus Imperio in Occidẽte præfuit Ludouicus Pius, Eccleſiæ quidem ipſo uſæ ſunt patrono & defenſore: ſed tamen non ceſſauit ſatanas per Saracenos, Danos, Normannos & Bulgaros, partim Mahometicę, partim gentilium ſuperſtitioni deditos, & per hypocritas ac inquietos homines, imò etiã per Antichriſti Romani mancipia, paſsim uera Eccleſię membra diuexare, & ueluti aurum in igni probare: ut infrà in capite de Motibus politicis dicendum erit.

Initio imperij, Leo errore de imaginum cultu faſcinatus, in diſſentientes auſterior erat: ac Iconolatræ ea occaſione aduerſarios ſuos premebant. Sed Leo à monacho quodam & Theodoto Meliſſeno, ueritatem edoctus ex Eſaia (Cui aſsimilaſtis Dominum? num imaginem eius facit faber? aut aurifex ſimilitudinem eius parauit?) agnouit, illam idololatriam uerè eſſe cauſam communium calamitatũ, & imagines aboleri edicto iuſsit. Hæc res pijs halcyonia quædam parauit. Sed improbitas iconolatrarum contra Imperatorem ſeſe adeò exeruit, ut coactus ſit Nicephorũ patriarcham, qui concionibus & ſcriptis adorationem imaginum contra uerbum Dei propugnabat, in exilium mittere, ad ſeditionem auertendam quod Zonaras tomo tertio uehementer reprehendit: licet aliàs Leonem, propter diligentiam in adminiſtrando imperio, & iuſticiam in coercendis ſceleratis, egregiè commendet.

Succeſsit autem Theodorus, qui ueram doctrinam de imaginibus profeſſus eſt: ſub quo pij nonnulli reſpiraruut, ac mitigauit Deus communes miſerias: fuitque à Bulgaris & Saracenis mediocris tranquillitas. Id uerò ſatan more ſuo moleſtè tulit: ideoque Michaelem Balbum, alioſq; proceres eius, partim regnandi cupiditate, partim præpoſtero zelo, quo imaginum adorationem tuebantur, extimulat & inflammat, ut per inſidias bonum Imperatorem, in ſacrario diuina carmina cantantem, adoriantur: manibusque & capite amputatis, reliquum cadauer in circum equeſtrẽ ignominioſè trahant filiosque eius caſtratos in exilium mittant. Zonaras tomo 3.

Michaelem, qui Leoni ſucceſſerat, ſperabant imaginum cultum promoturũ: ideoq; Nicephorus patriarcha ad eum ſcribit, & rogat ut eas reſtituat. Verùm ille reſpondet, ſe neque in religione, neque in ſtatu Eccleſiæ quicquam mutaturum: neque coacturum quenquã, ut aliter quàm uellet, de Deo ſentiret. Cum autem Iconolatræ, mendacij & cædis

& cædis ſpiritu agitati, non ceſſarent turbas ciere contra rectè ſentientes: coactus fuit & ipſe in illos animaduertere. Inter alios autem Euthymium Sardium archiepiſcopum, imaginum adoratorem, in exilium eiecit, quem martyrem ſuperſtitioſa cohors celebrat: & Methodium in carcerem incluſit. Zonaras commemorat, Michaelem confuſam regionem ex Iudaiſmo & hæreſi Athinganorum, amplexum eſſe, & prophetas irriſiſſe, reſurrectionem mortuorum & dæmones negaſſe, ſcortationem non pro crimine habuiſſe, de Iudæ ſalute opinatum eſſe, ſabbata ieiunari, & paſcha alio tempore quàm cõſueuerat celebrari iuſſiſſe: ideoque orthodoxos perſecutum eſſe. Zonaras tomo tertio.

Saraceni, cognita Leonis morte, armis arreptis inuadũt Chriſtianorum prouincias, atque in inſulas ſeſe effundunt, magnasque clades pijs inferunt. Thomæ etiam & Michaelis conflictus, multis Eccleſijs erat funeſtus. Saraceni ex Hiſpanijs egreſsi, inſulas Romanas populantur: & Cretam occupantes, Cyrillum Gortynium epiſcopum, odio Chriſtianæ religionis interficiunt. Quoſdam Romanos, Soldanum Babylonienſem in Iraliam accerſiuiſſe per literas, anno Domini 834. Ranulphus indicat libro quinto, capite trigeſimo: eumq; aduenisse, & Romam, Thuſciam & Siciliam ſpoliaſſe.

Sicilia proditione Euphemij capta à Saracenis, ex Aphrica euocatis, multorum Chriſtianorum ſanguine & cruore aſperſa & fœdata eſt. Zonaras tomo tertio. Ea de re extat in Chronico Caſsinenſi, epiſtola Siculorum: cuius adſcriptionem exiſtimamus lectori gratam futuram eſſe. Sanctæ ac Deo dignę congregationi Caſsinenſi, Lateranis degenti, ſerui & filij eorum in Sicilia commorantes. Sic huius uitę pelagum currere, ut portũ quietis ualeant apprehẽdere, diuerſis attriti miſerijs, & innumeris calamitatib. oppreſsi, de profundis ad V.P. clamamus, rogantes illam miſereri afflictæ & deſolatæ Sicilię. Tot enim ac tantis tribulationũ preſſuris deprimimur, ut iam nulla ſpes uitę relinquatur. Saraceni namq; ab Alexandria, cum immenſo exercitu ad Siciliam uenientes, omnem ferè inſulam igne & gladio deleuerunt: & monachos in ſancti Chriſti martyris Placidi commorãtes cœnobio, diuerſis ſupplicijs affectos, morti tradiderũt. Redacta eſt terra in ſolitudinem: & abbatis ab illa hominibus, ferarum ſaltus effecta eſt. Et nonaginta & octo ciuitates & uillæ uobis in Sicilia ſubditæ, incenſæ, ſubuerſæ & deſolatæ ſunt. Sanctorum quoq; domicilia deſtruentes, altaria Domini ſuffoderunt: & clericos cuiuſcunq; ordinis & dignitatis, diuerſis ſupplicijs affectos occiderunt. Facta ſum in deriſum (clamat Sicilia) omnib. gentibus, cãticũ eorũ tota die: in triſticia ſedeo: clamo, non eſt qui conſoletur me. Iam enim pelli meę, conſumptis carnib. adhęſit os meum: & derelicta ſunt tãtummodo labia mea circa dentes meos. Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltẽ uos amici mei, dñi mei, unica ſpes ſalutis meæ: qa manus Dñi tetigit me.

Theophilo porrò imperante, mediocris erat Conſtantinopoli trãquillitas Eccleſiæ. Nam & pietatis & iuſticiæ erat acerrimus patronus: ac quantum poterat, conabatur populum ab idolomania & imaginum cultu abducere. Cum auiam filias ſuas quinq; ad imaginum adorationem ſollicitare intelexiſſet, non amplius ad eam permiſit illas accedere. Vxorem etiam Theodoram, cum per morionem cognouiſſet, imagines clàm adorare, grauiter arguit, & idololatram appellauit. Multos eum feciſſe martyres, Zonaras tomo tertio narrat: inter quos Lazarum monachũ pictorem, & Theophanem, & Theodorũ nominat; ſed pſeudomartyres ſine dubio fuerũt. Nam non pro ueritate & iuſticia, ſed pro idololatria, & ſua prouicatia ac ſeditiõis ſtudio ſupplicia iuſta paſsi ſunt.

Saraceni Romanas prouincias populantes, & Amorium excidentes, plurimos interficiunt, ingentemq; multitudinem mulierum, puerorum & ducum præcipuorum in captiuitatem abducunt: utpote Craterũ unà cum alijs 41. atq; ad abnegationẽ Chriſtianę religionis, & perterrefaciendos alios crudelibus ſupplicijs ſubijciunt. Zonaras tomo tertio.

Fridericus Traiactenſis epiſcopus, qui ad Ludouicum dixerat, Non licet tibi habere Iudith filiam ducis Bauariæ, tibi ſanguine proximam: Aut dimitte illam, aut ego auctoritate Omnipotẽtis te excõmunicabo, &c. per inſidias ab Imperatrice interfectus ſcribitur in Chronico Hirſaugienſi.

Ericum regem Danorum, Eccleſiam Dei perſecutũ eſſe, ac multos interfeciſſe, Cranzius in Dania refert: & Iohannes Gothus libro 17. cap. 1.

Paſchalis pontifex, monachos Rabani, literas eius afferentes de priuilegio ſui monaſterij, in carcerẽ miſit, & illum damnare inſtituit. Rabanus in epiſtola ad Hattonem.

DE PERSECVTIONE ET TRANQUILLITATE *ſub Lothario.*

IN illo curriculo quindecim annorũ, quo præfuit imperio Lotharios, Eccleſia Dei, quæ crucem Chriſti baiulat, multas uidit & experta eſt miſerias. Nam Conſtantinopoli, extincto Theophilo, licet moriturus, uxorẽ ſuã Theodorã & Teoctiſtũ grauiter obteſta-

obtestatus esset, ne ob imaginum restitutionem Ecclesias turbarent: tamen illi cœperunt ea de re mouere turbas, frustra ad tempus Manuele reluctante. Ioanne itaque patriarcha ab officio suo remoto, Methodius ei surrogatur: qui synodo instituta imaginum adorationē acriter defendit atq; restituit. Pij contradicentes affliguntur, inter quos est Ioānes patriarcha: cui Theodora iussit oculos effodi, eo quòd statuę Mariæ oculos euulsisset: sed mitigata ira illius, ducentis plagis cæsus est. Eadem pœna quidā episcopus Thessalonicensis affectus est.

Rex Bulgariæ, amplexus fidem Christi, à suis subditis seditione affligitur, ob mutatam religionem: sed Dei auxilio motus illi cōpescuntur, & inter Romanos & Bulgaros pax constituta, ad plantationem Ecclesiarum prodest.

Bardas ob dimissam uxorem, & consuetudinem cum nuru sua, ab Ignatio pellitur ex Ecclesia: eamq; excommunicationem etiam alij sacerdotes probant. Bardas iniuriam sibi factam clamitans, Episcopum abofficio remouet, & sepulchro includit, tandem in exilium deportat: similiter in alios grassans, qui excōmunicationem non damnabant. legati Romani pontificis Constantinopolim aduentātes, eos qui adorationē imaginū non laudabant, superbè damnant: Bardam absoluentes, Ignatio omnē dignitatem abrogant. Zonaras tomo 3.

Saraceni Cycladas insulas populantes, multos Christianos cædūt: & plurimos abducunt captiuos, desertos ab imperatore Michaele. Zonaras tomo 3.

Grassabantur etiam Normanni eo crudelius in Frisones, Gallos & Francos, quòd molestè ferebant, ethnicas suas superstitiones damnari & abrogari. Vrbem Nannetū ingressi, in sabbatho, Paschatos episcopum baptisma celebrātem trucidant, & clerum atq; populum perimunt. Turoniæ templū Martini in flammant, plurimis interfectis.

Eadem crudelitate passim in pios sæuiunt circa annum Domini 853, ut Sigebertus refert. Dani ecclesiam atq; urbem Hamburgensem, recens ædificari cœptam, Vulcano tradunt, & Ansgarium cum sacerdotibus ac discipulis suis pellunt: totamq; Nordalbingorum regionē ferro & igne uastant. Helmoldus in Chronico Sclauorum, cap. 5.

DE PERSECVTIONE ET TRANQUILLITATE *sub Ludouico secundo.*

LVdouicus secundus imperium Occidētis administrat annis 21. Erat is quidem imperator satis bonus, non tamen potuit Ecclesiam Dei ab hostibus externis ubiq; conseruare tutam & securam, Britonibus, Normannis, Sclauis, & Saracenis diuersis in locis grassantibus. Præter intestina autem discidia, Romanorum quoq; pontificum atq; aliorum tyrannides, multis pijs calamitatū grauissimarū causa extiterunt.

Nam Constantinopoli Basilius imperator, Photium patriarchā, à quo prohibitus fuerat à communione, propter cædem Michaelis, ab officio remouet: non eam quæ reuera erat causam præ se ferens, sed prætextum comminiscens, quòd Ignatio à Barda iniustè repulso, successisset. Zonaras to. 3.

Saraceni ex Alexandria & Aegypto, Babylonia & Aphrica, in Siciliam ingenti multitudine irrumpunt, & in morem locustarum omnia uastant: arbores fructiferas succidunt, monasteria & templa inflammant: episcopos, sacerdotes & monachos trucidant, nō tam ab eis fidei confessionē, quàm pecuniam exigētes: ut patet ex epistola Siculorum ad Apollinarium abbatem Casinensem, in Chronico Casinensi.

Apud Bulgaros nuper conuersos, filius regis, qui patri monasticum uitę genus ingresso successerat, à fide deficit, & idola ac religionem ethnicam instaurare incipit, nō sine fidelium afflictione. Verùm parēs eius indignitate rei motus, ex monasterio egressus, copias conscribit, & filium impium capit: atque oculis orbatum, in carcerem conijcit. Illæ autem ecclesiæ pacem consecutæ, incrementa faciunt in pietate anno Domini 865. Sigebertus, Zonaras tomo tertio, Regino libro secundo.

Abbas Fuldensis in epistola ad Ludouicum, ualde queritur, suos â latronibus, Sigeberto & socijs eius, infestari.

DE PERSECVTIONE ET TRANQUILLITATE Ecclesiæ *sub Carolo Caluo, & altero Caroli Ludouici filio.*

EO spacio quo Carolus Caluus duos, alter uerò duodecim imperando exegerunt annos, Ecclesia publicis illis motibus & calamitatibus, pluribus in locis miserè est dilacerata. Vnde Remigius Antisiodorensis, qui hoc tempore floruit, in Psalmum 69 inquit: Diuersa sunt tempora persecutionum. Vnum, quando impetus Paganorum sæuit in Christianos: aliud, quando mala uoluntas Christianorum persequitur fideles. Quod adhuc durat in Ecclesia. quoniā etsi baptizati sunt reges pagani, & persecutores cæteri: non est tamen baptizatus diabolus, qui occultè sæuit per occultos, id est, malos Christianos. Et patres in synodo Moguntina, prolixè queruntur de miserijs huius temporis. Quis siccis oculorū luminibus (inquiūt) ualeat enumerare mala gentis nostræ, & sanctorum? Videte & conside-

rate, quàm præclara & nobilia ſeruorũ Dei ædificia deſtructa & incenſa ſint, & funditùs ab nihilum redacta? Altaria defoſſa, & penitùs conculcata: ornamenta Eccleſiarum Dei, ualde precioſa & mirifica, direpta & igni exuſta: epiſcopi & ſacerdotes, & cæteri ordinis Eccleſiæ uiri, gladio truncati, & diuerſis pœnarum generibus morti addicti: omnis ætas utriuſque ſexus, gladio & igne, diuerſo mortium genere conſumpti. Quid ergo amplius his dici poſsit? Omnia deſiderabilia & precioſa nobis ablata ſunt: ueluti olim ſub comminatione & euerſione Iudaici templi, illis dictum eſt: Ecce ego tollam à uobis deſiderabilia oculorum ueſtrorum, ſuper quo pauet anima ueſtra. Multi ergo noſtrûm, quibus hoc malum contigit, nobilium ædificio templorum, gregiq; ſibi commiſſo metuebant: quæ omnia ut oculis intuentium patent, ablata ſunt, & penitùs ſubuerſa. Cuius ſubuerſionis periculum, incolæ monaſteriorum utriuſq; ſexus metuentes, huc illucq; uagantur incerti: penitusq; omni ſolatio deſtituti, quid agendum, quo ue declinandum, errabundi cum periculo ſuæ profeſsionis, & ſine paſtore ignorant. tomo 2. Conciliorum.

Nam illi Francorum regum conflictus, multos pios è medio tulerunt. Deinde Normanni & Dani, ob ethnicas ſuas ſuperſtitiones uindicandas, paſsim in eccleſias & Chriſtianos, igni & ferro ſæuierunt, per Lotharingiam & Franciam anno Domini 882. Helmoldus capite 7. de Sclauis, ut infrà in capite de Mutationibus politicis cõmemoramus.

In Saxoniam etiam Dani excurrentes, circa pagum Ebbechſtorp, Brunonem cum multis epiſcopis & Chriſtianis, inter quos erat Theodoricus & Marquardus Hildeſiorum epiſcopus, & Drogo Oſnaburgenſis, Dudo Badeburnẽſis, Erlulphus Verdenſis, interfecerunt. Crantzius in Dania lib. 4. cap. 16. & in Metropoli ſub finẽ libri 12. Helmoldus lib. 1. cap. 7. de Sclauis.

Saraceni monaſterium Caſsinenſe occupant, & igne idolomanias & libidines monaſticas expiant, atque Berthàrium abbatem ad altare Martini mactant: ſpolijsq; onuſti, Garilianum redeunt, anno Domini 884. Leo Hoſtienſis libro primo, capite 46. de Caſsinenſi cœnobio.

DE PERSECVTIONE *ſub Arnulpho.*

ANnis duodecim, quibus præfuit Arnulphus in Occidente, & Leo in Oriente, haud melior ſors Eccleſiæ fuit, quàm ſub anteceſſoribus. Nã Bulgaricũ bellũ, in quo Leo aliquoties uictus eſt, multos Chriſtianos abſumpſit: & Saraceni Taurominiũ & Lemnum inſulam occupantes, crudeliter ſæuierunt in Chriſtianos. Zonaras to. 3. Idé in Italia fecerũt, capto Fraxineto, anno Domini 891. Regino lib. 2. Sigebertus.

Normanni & Dani, in Gallijs & Burgundia, ac Lotharingia, in pios graſſantur: & in caſtello ad ſanctum Loth, per deditionẽ capto, contra datam fidem, epiſcopum Conſtantienſem & omnes ciues trucidant. Regino libro 2. Et Vuormaciam uſq; excurrentes Moguntinũ epiſcopum Sunderoldum, cum plurimis alijs interficiunt anno Domini 895. Vnde Helmoldus capite 7. in Chronico Sclauorũ inquit: Vrbes cum ciuibus, Epiſcopi cũ toto grege ſimul obruti ſunt: Eccleſiæ illuſtres, cum fidelium caterua ſimul incenſæ ſunt. Nec prius Eccleſia ab ijs pacem habuit, quàm ab Arnulpho imperatore propemodũ deleti ſunt: & rex eorum Hundeus, conſilio Caroli, fidem Chriſti amplexus eſt. Sigebertus. Nihilominus tamen reliquiæ eorum in Daniam recedentes, Prumienſe monaſterium populantur, & monachos interficiunt. Idem Arduennæ, & alijs in locis fecerunt. Regino libro 2. & Chronicon Hirſaugienſe.

Moraui qui à Francis ſubacti erant, & ad fidem Chriſti conuerſi, ſpe recuperandæ libertatis priſtinæ arma capiunt: ac religione abiecta, Vngaros ſibi adiungũt, & more eorum capita prorſus detondent: Chriſtianos infeſtant captiuitate, cæde, fame, ſiti: Eccleſiasq; incendunt, adeò ut in tota Pannonia tantum una ſuper eſſet Eccleſia. Narrãt hoc Theodomarus Iuuanienſis, & Vualdo Friſingenſis, & alij Bauariæ epiſcopi, ad Ioannem 9. pontificem.

Vngari ab Arnulpho contra Morauorum regem accerſiti, multis Chriſtianis uim fecerunt, ut Luitprandus indicat: & Sclaui Arnonem Herbipolenſem epiſcopum, cum Poppone duce Thuringorum, in pugnam progreſſum trucidarunt. Regino lib. 3.

Poſtremò, de perſecutione huius temporis, ſynodus Triburienſis capite 34 ſic inquit: Vndique bella conſurgunt, hoſtes ſæuiunt. Inimica gens paganorum inſequitur populum Chriſtianorũ. Impletum eſt enim quod Euãgelica teſtatur hiſtoria: Surget gens contra gentem, & regnum aduerſus regnum, &c. Et alibi ſcriptum eſt: Pugnabit orbis terrarum pro eo, contra inſenſatos. Quapropter zelo diuinæ æmulationis accenſus Chriſtianorum exercitus, procedunt ad bellum, confidentes in eum qui dixit: Vos ad certamen acceditis, ego prælior pro uobis. Fit conuentus Chriſtianorum & paganorum: fortiter dimicant iſti pro fide, illi contra fidem. Vnde fortiſsimo

confortãte Domino (ſicut Matathias pater Machabæorum ait) non in multitudine exercitus ſit uictoria belli, ſed de cælo ueniet fortitudo: ſæpe ſit uictoria Chriſtianorum, uicta eſt pars Paganorum. Quare unà cum interfectis Paganis perempti fuerunt Chriſtiani, captiui à barbaris: quia in impetu belli nequeunt diſtingui. tomo ſecundo Conciliorum.

DE POENIS PERSECUTIONUM.

DE pœnis perſecutorum, in genere Rabanus libro tertio, in commentarijs in Eccleſiaſten, capite 3 inquit: Imperatores mundi, regesq; & duces, qui Eccleſiam Dei propter odiũ nominis Chriſti dudum perſecuti ſunt, & confeſſores nominis eius atroci morte interemerunt, modò cum ſua poſteritate deleti ſunt, & martyrum gloria in ueneratione fidelium ubique excellit. Illorum quippe memora obliuioni perpetuæ tradetur: & iſtorum laus & uictoria, ſine ceſſatione in Eccleſia Chriſti prædicatur. Idem libro 6. in Eccleſiaſten, capite 7. Laqueus æternæ perditionis captiuat perſecutores Chriſtianorũ, & omnes qui oblectantur caſu iuſtorum, uel moliuntur deceptionem proximorũ ſuorum. Dolor autem inuidiæ atque malitiæ ſuæ intus illos ante finem uitæ ſuæ excruciat. Quibus tamen poſt mortem ſine defectione mors ſuccedet perpetua. Mauri bis ab exercitu Caroli Magni uicti, pluribus tũ nauibus tum ſocijs amiſsis, teſtati ſunt, ſe diuinitùs puniri, propter captos & uenditos monachos, ex inſula Patalana. Annonius lib. 4. cap. 93.

Chumeid Saracenorum dux, ob piorum in Rhodo afflictionem, punitur tempeſtate: qua claſſes & copias amiſit, & uix ipſe præter omnem ſpem euaſit. quam rem Paulus li. 24, ſuperſtitioſè uirtuti Nicolai, cuius arcẽ uoluerit conterere: ſed Sigebertus Dei uindictæ adſcribit, anno Domini 807.

Nicephorus imperator qui ob ſuam auariciam non modò ſuos ſubditos, ſed etiam calamitoſos exules ſpoliauit, & multos bonos & innocẽtes uiros exilijs & morte mulctauit, tandem pœnas luit. Nam Crunnus Bulgarorum rex, eo uicto & interfecto, caput amputauit, & ex cranio eius poculum fecit. Paulus libro 24 rerũ Romanarum anno Domini 810. Sigebertus.

Michaelem Rangabin, qui in eos ſæuierat qui imaginum cultum & uitam monaſticam tuebantur, punijt Deus infelicitate belli contra Bulgaros, & imperij amiſsione. licet Paulus Diaconus putet, iſtas miſerias ei accidiſſe propter alios, qui contra ſanctas & uenerabiles imagines, & monachicum habitum conuicia edidiſſent. libro 24 rerum Romanarum.

Michael Balbus, qui in Leonem, bonum & pium imperatorem, filiosq; eius crudelis fuit, ac multis alijs pijs calamitatem attulit ſeditione & bellis, tandem phrenitide ac inteſtinorum dolore pœnas luit. Zonaras tomo 3.

Euphemius, princeps Siciliæ, qui Saracenos in eam inſulam introduxit, crudeliſsimè interfectus ſcribitur à Zonara, to. 3.

Bardas, auunculus Michaelis imperatoris, ob Theoctiſti iniuſtam cædem, & piorum afflictionem, cum diu in aula, maxima uſus fuiſſet dignitate & potentia, tandem ad pedes Imperatoris ſupplex, à Baſilio transfoſſus, ab alijs ſocijs cõiurationis, membratim conciditur. Zonaras tomo tertio, ſub Michaele.

Michael, qui cum matre Theodora imaginum adorationem reſtituerat, ſingulari piorũ afflictione, non tulit id impunè. Nam cum in conuiuio bene potus, cuidam Baſilino Remigi calceos purpureos tradidiſſet, eumq; Imperatorem ſalutaſſet: Baſilius, qui aliquanto antè ab ipſo Cæſar deſignatus erat, moleſtè id ferẽs, ea nocte per cõiuratos illum interfici curat. Zonaras tomo 3.

Tarſenſes & Melitinæi Saraceni, poſt ſtragem ab Andræa duce acceptam, inſtaurant bellum: & cõuicia ſcribunt, nihil profuturum Romanis Mariæ filium: ſe enim omnes ſuſpenſuros de imagine Mariæ. Andræas, fretus auxilio Dei (licet Zonaras uelit, eum Mariam inuocaſſe) in aciem copias ſuas educit: commiſſoq; prælio cædit Saracenos, ac blaſphemum ducem Ameram iugulat, paucis elapſis. Zonaras tomo 3.

Normanni & Dani, qui per annos ſeptuaginta Chriſtianos paſsim afflixerant, tandem à Deo per Arnulphum Imperatorem puniti ſunt: qui centum millia de eorum exercitu concidit, uix uno atque altero ex ſuis amiſſo. Helmoldus in Chronico Sclauorum, capite 7. anno 895. Sigebertus, & Regino libro 2.

Regnerus, rex Daniæ, qui abolita religione Chriſti, idola reſtituerat, graues pœnas Deo perſoluit. Nam ab Helle quem expulerat, captus eſt auxilio Gallorum, & in carcere à ſerpentibus diu excruciatus perijt. Cranzius libro 4, capite 10, Daniæ.

Saluij epiſcopi interfectores, à Carolo oculis & genitalibus membris mulctantur: & nihilominus Dei ultrices ſenſerunt manus. Sigebertus, & Vincentius libro 24, capite 24. ex Turpino.

Saraceni, qui Italiam ac Romam afflixerant, reuerſuri in Africam, tempeſtate obortа naufragium faciunt. Liber pontificalis,

lis,& Martinus in Chronico,anno Domini 834. Ranulphus lib.5.capite 30.

Ragenarius, dux Normānorum, qui anno Domini 846. Parisijs Germani monasterium spoliarat,magnificè sese efferens ob victoriam, subitò concidit, & post triduum expirauit: socij uerò eius dysenteria plerique perierunt. Annonius libro 5. capite 20. de Gestis Francorum.

Monachus quidam qui à fide Christi defecerat, & Normanos in Christianos ferociores reddiderat,capitur,ac supplicio capitali afficitur. Annonius libro quinto,capite 23. de Francis.

Soror Kenelmi regis Merciorū, quæ fuerat autor illius cædis,cum funus deduceretur, Psalmum 109. Deus laudem meam,& c. nescio quo præstigio nequitiæ, retrogradè dixit:sed oculos amisit,cum sanguinis profluuio. Extant adhuc signa cruoris, Dei ultionē spirantia, in eius psalterio,quod tum manu tenuit. Ranulphus libro quinto, capite 29.in Polychronico.

CAPVT IIII.

DE DOCTRINA.

PLurimùm laborauit Carolus Magnus, in doctrinæ puritate custodienda. Verùm liberi, atque eorum successores, subinde magis magisq; à pietate degenerarunt. Inualuerunt igitur in Ecclesia Domini ceremoniæ, statuta humana, cultus peculiari arbitrio hominū suscepti: quibus tenebris lux articulorum fidei horribiliter obscurata est. Celebrium etiam doctorū numerus subinde decrescit.

Quæ autē saniora sunt, & quæ fermentū pharisaicū sapiunt in doctoribus huius seculi,deinceps usitato ordine annotabimus.

Symboli summa recitatur in synodo Arelatensi, tomo secūdo Conciliorum: Patrem & Filium & Spiritum sanctum,unius deitatis atq;substantię confitemur: in personarū diuersitate trinitatē credentes,in diuinitate unitatē prędicantes. Nec personas confundimus,nec substantiam separamus. Patrem à nullo factum,uel genitum dicimus:Filiū à patre non factum, sed genitum adserimus: Spiritum uerò sanctum nec creatum, nec genitū,sed procedentē ex Patre & Filio profitemur. Ipsum autem Dominum Iesum Christum,Dei filium, & creatorem omnium, ex substantia patris ante secula genitū, descendisse ultimo tēpore pro redemptione mundi, à patre: qui nunquam desijt esse cum patre. Incarnatus est etiam ex Spiritu sancto, & sancta gloriosa Dei genitrice Maria: & natus ex ipsa solus idem Dominus Iesus Christus, unus de sancta Trinitate, animā & carnem, perfectum sine peccato suscipiens hominē: manēs quod erat, assumens quod nō erat: æqualis Patri secundum diuinitatē,minor Patre secundum humanitatē:habens in una persona, duarū naturarū proprietatem. Naturæ enim in illo duæ, Deus & homo. Nō enim duo filij, & dij duo: sed idem una persona in utraq; natura, perferens passionem & mortē pro nostra salute: nō in uirtute diuinitatis, sed in infirmitate humanitatis. Descendit ad inferos, ut sanctos, qui ibidem tenebantur,erueret: deuictoq; mortis imperio resurrexit. assumptus deinde in cœlos,uenturus est in finē, ad iudiciū uiuorū & mortuorum:cuius morte & sanguine mūdati,peccatorū remissionē cōsecuti sumus, resuscitandi ab eo in die nouissimo, in ea qua nūc uiuimus carne,& in ea qua surrexit idē Dominus forma: percepturi ab ipso alij pro iusticiæ meritis uitam æternā, alij pro peccatis supplicij æterni sententiam. Hæc est catholicæ Ecclesię fides, hanc confessionem seruamus atque tenemus. Quam quisquis firmissimè custodierit, perpetuam salutem habebit.

Item in Vuormaciensi concilio: Confitemur & credimus sanctā atq; ineffabilē Trinitatē, Patrē & Filium & Spiritū sanctum, unū Deū naturaliter esse, unius substantiæ, unius naturæ, unius maiestatis atq; uirtutis. Et Patrem quidem non genitū, non factum, sed ingenitum profitemur. Fons ergo & origo ipse est totius Trinitatis. Pater namq; ineffabili substantia Filium genuit: nec tamē aliud quàm quod ipse est genuit, Deus Deum, lux lucem. Filium quoque de substantia Patris, sine initio ante secula natum, nec tamen factum fatemur. Igitur nō sicut Filius à Patre, ita Pater à Filio est: quia non Pater à Filio, sed Filius à patre generationem accepit. Filius ergo Deus de Patre: Pater aūt Deus,sed nō de filio. Si enim Pater fuit,semper habuit filiū cui pater esset: & ob hoc filiū de patre natum sine initio confitemur. Spiritū enim sanctum, qui est tertia in Trinitate persona, unum atq; æqualē cum Deo patre & filio credimus esse Deū. unius substantiæ, unius quoque naturæ: nec tamē genitum uel creatum, sed à patre filioq; procedentem, amborum esse spiritum. Nec enim procedit de patre in filium, nec à filio tantū procedit ad sanctificandā creaturam: sed ab utrisq; procedere mōstratur, quia caritas siue sanctitas amborū esse agnoscitur. Et nec patris tantū, nec filij tantū: sed simul patris & filij Spiritus sanctus dicitur. In relatiuis uerò personarū nominibus, pater ad filium, filius ad patrem, Spiritus sanctus ad utrosque refertur. Quæ cum relatiuè tres

personas

perſonæ dicantur, una tamen natura uel ſubſtantia creditur: nec ſicut tres perſonas, ita tres ſubſtantias prædicamus: ſed unam ſubſtantiam, tres autē perſonas. Quod enim pater eſt, non ad ſe, ſed ad filium: & quod filius eſt, non ad ſe, ſed ad patrem eſt. Similiter Spiritus ſanctus non ad ſe, ſed ad patrem & filium relatiuè refertur, in eo quòd ſpiritus patris & filij predicatur. In hac ergo ſancta Trinitate tres perſonas, unum Deum confitemur. Ergo non ipſum qui eſt pater, dicimus eſſe filium, uel Spiritum ſanctum: nec ipſum filium, patrem uel ſpiritū ſanctum: nec ſpiritum ſanctum, patrem uel filium dicere ualemus: ſed quod pater eſt, hoc eſſe filium, hoc eſſe ſpiritum ſanctum, ſine ulla ambiguitate pronunciamus. perſonas enim diſtinguimus, non naturam Deitatis ſeparamus. Tres ergo illas unius atque inſeparabilis naturæ perſonas, ſicut non confundimus, ita ſeparabiles nullatenus prædicamus: cum nulla ante aliam, nulla poſt aliam, nulla ſine alia uel extitiſſe, uel quippiam operata eſſe aliquando creditur. Inſeperapiles enim inueniuntur, & in eo quod ſunt, & in eo quod faciunt. Habet enim pater æternitatem, ſine natiuitate: filius æternitatem, cum natiuitate: ſpiritus uerò ſanctus æternitatem proceſsionis à patre & à filio, ſine natiuitate. De his ergo tribus perſonis, ſola filij perſona hominem uerum ſine peccato, pro liberatione humani generis ex Maria uirgine, nouo ordine, nouaque natiuitate aſſumpſit. Nouo ordine, quia inuiſibilis diuinitate, uiſibilis monſtratur in carne: noua autem natiuitate eſt genitus, quia & incorrupta uirginitas, uirilem coitum neſciuit: & fœcunda per ſpiritum ſanctum caritas, materiam miniſtrauit. Dei enim filius, non perſonam hominis accepit, ſed naturam. Naturam quippe noſtram in unitatem ſuæ perſonæ aſſumpſit: & idcirco filius Dei, & filius hominis, unus eſt Chriſtus. In eo namque quòd filius eſt Dei, æqualis eſt patri: & in eo quòd filius eſt hominis, minor eſt patre. Qui etiam ex quo homo eſt, pro delictis noſtris paſsionem ſuſtinuit, mortiq; addictus eſt crucis, ueram carnis mortem accepit. Tertia quoque die, uirtute propria ſuſcitatus, ne ſepulchro ſurrexit. Hoc ergo exemplo capitis noſtri, in hac carne qua nunc ſumus & mouemur, reſurrecturos nos credimus. Idem autem Dominus & Saluator noſter, peracto reſurrectionis ſuæ triumpho, paternam ſedem repetijt, à qua nunquam per diuinitatem diſceſsit. Inde in finem ſeculorum uenturus, iudicabit uiuos & mortuos: reddetq; ſingulis prout quiſque ſuſgeſsit in corpore, ſiue bonum, ſiue malum. Eccleſiam ſanè catholicam, precio ſui ſanguinis redemptam, cum eo credimus in perpetuum regnaturam. Credimus & confitemur unum baptiſma, in remiſsionem peccatorū omnium. Hanc ergo fidem profeſsionis noſtræ, inuiolatam nos retinere, & ab ea nunquam deuiare promittimus: hancq; qui ſaluus eſſe cupit, ſine ulla ambiguitate retinere debet. tomo ſecundo Conciliorum.

Confeſsionē ſuam Adelbertus ad Hincmarum, tali modo recitat: Profiteor unam fidem eſſe, eamq; operante gratia ſuperni largitoris me tenere, prædicare atque defendere: quam à Deo inſpiratam, & ab Apoſtolis traditam, atque à ſucceſſoribus eorum cuſtoditam habemus. Cōfiteor unum baptiſma, in remiſsionem peccatorum: unam Apoſtolicam & uniuerſalem Eccleſiam, in qua ſola poſſunt relaxari peccata in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, tam per catholicum baptiſma, quàm & per dignos pœnitentiæ fructus, & Apoſtolicæ autoritatis largitam ſibi à Domino poteſtatem. Extra hanc autem Eccleſiam catholicam, neminem ſaluari poſſe confiteor. Sex denique ſanctas & generales de fide ſynodos, quas ſancta & Apoſtolica eccleſia recipit, me recipere & uenerari profiteor: uidelicet Nicenam, trecentorum decem & octo patrum, ſub Sylueſtro papa, & Conſtantino imperatore, contra Arium, & eius ſectatores celebrantes: Conſtantinopolitanam, centum quinquaginta patrum, contra Macedonium & Eudoxium, temporibus Damaſi papæ, & Gratiani principis actam: Epheſinam, ducentorum patrum, contra Neſtorium, ſub Theodoſio Magno principe, & papa Celeſtino, cui per ſuos uicarios præſedit idem beatus papa Celeſtinus, & ſanctæ memorię Cyrillus Alexandrinus epiſcopus: Chalcedonenſem, ſexcentorum triginta patrum, cui præſedit per uicarios ſuos ſanctus Leo papa, temporibus Martiani principis, contra Eutychen nefandiſsimum præſulem monachorum celebratam: item Conſtantinopolitanā, temporibus Vigilij papæ, ſub Iuſtiniano principe, contra Theodorū, & omnes hæreticos: item Conſtantinopolitanam, centum quinquaginta patrum, ſub Agathone papa, Conſtantini & Heraclij ac Tiberij principū temporibus, pro adunatione facienda ſanctarum Dei Eccleſiarum, de duabus naturis & operationibus, in una perſona Dei & hominis filij, Domini noſtri Ieſu Chriſti. Eos autem quicunque ab eiſdem ſanctis Patribus in memoratis ſynodis, uel poſtea, ſimiliter per Spiritum ſanctum ſentientibus diuerſis

uicibus literis diuinitùs inſpiratis, damnati leguntur: eandem uenerandam Patrũ autoritatem ſequens cõdemno. Sed & epiſtolam beatæ recordationis Leonis, Apoſtolicæ ſedis antiſtitis, ad Flauianũ Conſtãtinopolitanũ epiſcopũ datã, & omnes eius epiſtolas de fidei firmitate perſcriptas, per omnia & in omnibus inuiolabiter cuſtodire, & me liberè ſemper prædicare profiteor. In quib. inter cætera (ſicut & in ſermone beati Athanaſij, quẽ in Eccleſia catholica uenerãdo uſu: frequẽtare conſueuit, qui ita incipit: Quicũq; uult ſaluus eſſe, ante omnia opus eſt ut teneat catholicã fidẽ) poſt documentũ quo docemur, quomodo trinitas perſonarũ in unitate diuinitatis, & unitas Deitatis in trinitate perſonarũ uneneranda ſit, euidentiſsimè cõtinetur, unã ex eadem ſancta Trinitate perſonam, Dominum & ſaluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum, Dei hominisq; filium, ex duabus & in duabus naturis, hoc eſt, diuina & humana, in una perſona cõſiſtentibus, & in ſua proprietate differentiaq; manẽtibus eſſe credendũ & prædicandũ: qui ſecundum Apoſtolicũ ſymbolũ, de ſemper uirgine Maria, quæ & ueraciter Dei eſt genitrix, ſecundum carnem natus, paſſus, mortuus, reſurrexit, & in cœlos aſcẽdit: ſedet quoq; ad dexteram Dei patris omnipotentis, inde uenturus iudicare uiuos & mortuos: ad cuius aduentum omnes homines reſurgent cũ corporibus ſuis, et reddent de factis propriis rationẽ: & recipiet unuſquiſq; prout geſsit, & in factis ſuis perſeuerauerit, ab eodẽ iuſto iudice, & ſine fine regnante: cum ibunt impij in ignem æternũ, iuſti autem in uitam æternam. Anathematizo quoque omnes hæreſes ac ſchiſmata, quæ catholica & Apoſtolica eccleſia anathematizat: & quicquid ſanæ fidei intelligentiæ contradicit, reſpuo & anathematizo: & quicquid Catholica & Apoſtolica eccleſia recipit & tenet, me adiuuante Domino recipere & ſequi: & à ſactis canonibus, atque à regularibus decretis Apoſtolicæ ſedis, de Eccleſiaſticis ordinibus & diſciplinis canonum promulgatis, ſeu à ſynodalibus conſtitutionibus, quas catholica Eccleſia ad autoritatem recipit, me per contemptum pertinaciter non deuiaturum profiteor.

Rabanus libro ſecundo de Inſtitutione clericorum, cap. 57, tale ſymbolum recitat. Hæc eſt autem poſt Apoſtolicum ſymbolũ certiſsima fides, quã doctores noſtri tradiderunt: ut profiteamur patrẽ & filium & Spiritum ſanctũ unius eſſentiæ, eiuſdem poteſtatis & ſempiternitatis, unum inuiſibilem: ita ut in ſingulis, perſonarum proprietate ſeruata, nec ſubſtantialiter trinitas diuidi, nec perſonaliter debeat omnino cõfundi. Patrẽ quoq; confiteri ingenitum, filiũ unigenitũ, Spiritum autem ſanctum nec genitum nec ingenitum, ſed ex patre & filio procedentem. Filium à patre naſcẽdo procedere, Spiritum uerò ſanctum procedendo non naſci ipſum quoq; filiũ perfectũ ex uirgine, ſine peccato hominem ſuſcepiſſe: ut quẽ ſola bonitate creauerat, ſpõtè lapſum miſericorditer repararet quẽ ueraciter crucifixũ, & tertia die reſurrexiſſe, & cũ eadẽ ipſa carne glorificata aſcendiſſe in cœlũ, in qua & ad iudiciũ uiuorũ & mortuorũ expectatur uenturus: et quòd diuinã humanamq; ſubſtantiã, in utroque perfectus, una Chriſtus perſona geſtauerat: quia nec geminauit utriuſque ſubſtantiæ integritas perſonam, nec confudit geminam unitas perſonæ ſubſtantiam: altero quippe neutrum excluſit, quia utrunque unuſquiſque intemerato iure ſeruauit. Quod noui & ueteris Teſtamenti ſalubris commendat autoritas: illa per prophetiam, iſta per hiſtoriam ueraciter perſoluta: & quòd neque de Deo, neque de creatura ſeculi, ſit cum paginis aut cum hæreticis aliquid ſentiendum in his rebus, in quibus à ueritate diſſentiunt. Sed in utroq; Teſtamẽto diuina proteſtãtur eloquia, hoc tantummodo ſentiendum, quòd ſiue hominem, ſiue uniuerſa, nulla Deus neceſſitate creauerit: nec ullam eſſe omnino uiſibilẽ inuiſibilemq; ſubſtãtiã, niſi aut quæ Deus ſit, aut à bono Deo bona creatura ſit. Sed Deus ſummè & incõmutabiliter bonus, creatura uerò inferius & mutabiliter bona: & ꝑ animę origo incerta ſit, & quòd angelorũ natura uel animæ non ſit pars diuinæ ſubſtantiæ, ſed Dei creatura ex nihilo cõdita: ideoq; incorporea, quia ad imaginem Dei creata eſt. De pietate morum, ſine qua fides diuini cultus ocioſa torpeſcit, & cum qua integritas diuini cultus perficitur: & ut unuſquiſque Deum propter Deum, & proximũ in Deo diligat, ut perficiendo perueniat. Alterum quoque alterius non pollui poſſe peccato, ubi par uoluntatis non tenetur conſenſio. Legitimas nuptias non credi damnandas, licet ex eis quoque originali peccato obnoxia credatur naſci poſteritas, eisque iure fidelium uirginum & continentium præferanda doceatur integritas. Ne unum baptiſma trinitatis (quod nefas eſt) iteretur: neque pro diuerſitate tradentium miniſtrorũ ſingulis, putetur quibuſq; conferi, ſed ab eo ſingulari poteſtate donari, de quo dictum legimus: Super quem uideris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto: & ego uidi, & teſtimoniũ perhibui, qa hic eſt filius Dei. Et ne pœnitentiæ remedijs non egere putemus, pro quotidianis

huma-

humanę fragilitatis exceſſibus, ſine quibus in hac uita eſſe non poſſumus, ita ut pœnitẽtiæ cõpunctione fructuoſa, uniuerſa fateamur deleri peccata, ſicut ſcriptum eſt: Beati quorũ remiſſę ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus uir cui non imputauit Dominus peccatũ. Nullũ quoq; ſuis uiribus, ſed per diuinã gratiã capiti Chriſto ſubiungi, atq; in diruptæ pacis perſeuerantia in unitate Eccleſiæ ipſius ſolidari. Nec humanę uoluntatis arbitrio, boni quiddam deputandũ exiſtimari: ſed ſecundũ propoſitum uoluntatis Dei, omnẽ numerũ electorum acquiri. Bona quoq; temporalia, bonis malisq; cõmunia, à Deo creari, cuiuſque diſpẽſatione ſingulis quibuſq; uel tribui, uel negari: quorum bonorum in unoquoq; fidelium nõ habitus, ſed uſus aut improbandus, aut probãdus. Certa uerò æternaq; bona, ſolos poſſe bonos in futuro conſequi, quorũ pignore Eccleſiã nũc informatã credimus detineri: hîc habentẽ primitias ſpiritus, in futuro pfectionẽ: hîc ſuſtẽtari in ſpe, poſtea paſci in re: hîc uideri per ſpeculum in ænigmate, in futuro autem facie ad faciem, cum ad ſpeciem fuerit perducta per fidem. Quod donec perficiatur, ut ſummi Dei bonis fruamur ęternis, fruendum, inde non oberimus & proximis. Eam quoque nos ſpem reſurectionis habere, ut eodẽ ordine, eademq; forma qua ipſe Dominus reſurrexit à mortuis, nos quoq; reſurrecturos eſſe credamus, in eodẽ tempore, in quo ſumus uel uiuimus: non naturam aut ſexum mutantes, ſed tantum fragilitatem & uitia deponentes. Ipſum quoq; ſatanã, cum angelis ſuis atq; cultoribus, æterno incẽdio condemnandum: neq; ſecundũ quorundã ſacri legam diſpenſationẽ, ad priſtinam, id eſt angelicam dignitatẽ, ex qua propria malignitate cecidit, reducendum. Hæc eſt catholicæ traditionis fidei integritas: de qua ſi unñ quodlibet reſpuatur, tota fidei credulitas amittitur.

Haymo ait: Vnuſquiſq; noſtrũm uitulos, hoc eſt, laudes Deo omnipotenti reddit, cũ cõfitetur ſe credere in Deum patrem ingenitum, filium genitũ, uerum Deum & hominem credens, Spiritum ſanctũ procedentẽ à patre & filio, trinitatem in diſtãtia perſonarum, unitatem in Deitatis potẽtia habere. ſuper 14. caput Oſeæ.

Angelomus etiam ſummam quandã recitat, dicens: Rurſum tẽpore quieto, nil amplius doctorib. eccleſiæ catholicę plebibus qui præſunt, prædicare conuenit, quàm ut credãt, patrẽ & filiũ & Spiritũ ſanctũ unius ſubſtantię atq; deitatis: filiũ uerò nõ aliũde quàm de patris ſubſtãtia genitũ, ſine initio, ac per omnia patri ſimilẽ & coæqualẽ: Spiritum uerò ſanctũ ex patre & filio procedentem, unius ſubſtãtiæ cum ijs, à quibus procedit. in 13. caput libri primi Regum.

DE VERBO DEI.

INitiò de appellationibus uerbi Dei quędam aſsignanda ſunt.

Haymo: Scripturæ dicũtur ſemitæ: quia benè intellectę ducunt ad uitam. Super 17. Pſal. Item: Promiſsio Chriſti teſtimoniũ dicitur, quia nos certos reddidit de uita æterna, quæ erat incerta nobis. ſuper 18. Pſalm. Itẽ: Scripturæ dicuntur fauces Dei: quia per eas in corporat ſibi aliquos, ſicut per fauces belua ſibi incorporat aliquid: ſuper 21. Pſal. Item: Allegoricè per cœlum poſſumus intelligere diuinam Scripturã, quæ continet arcana cœleſtia, quæ ſicut pellis extenditur, quia nos undique munit & protegit: cuius Scripturæ ſuperiora teguntur aquis: quia ipſæ Scripturæ portant nobis quaſi in manifeſto aquas baptiſmi, ut in ipſis peccata deponamus, & Spiritũ ſanctũ recipiamus. Super 103. Pſalm. Et: Doctrina Chriſti dicitur uenter: quia cõtinet in ſe arcana Dei, & nutrit homines, ſicut uenter puerum. ſuper 131 Pſalmum.

Rabanus inquit: Verbum Dei dicitur in catholica doctrina ſcutum ueræ fidei, & gladius ſpiritus. libro 8. in Eccleſiaſticum, cap. 7. Et: Sacra Scriptura dicitur domus ſapientiæ, ubi ipſa latet, & uelamẽto literarũ tegitur: ſed à piè quęrentibus ſalubriter inuenitur. Parietes aũt illius, duo ſunt teſtamenta: in his qui figit palum, hoc eſt, ſcribendi adhibet ſtudiũ, ſecũdum regulã utiq; fidei, & ſenſum catholicũ, remunerationis ſuę non perdet præmium. lib. 3. in Eccleſiaſt. cap. 10.

Vnde ſit uerbum Dei, Haymo docet: Gratia Dei, Deum timentib. aperit occulta Scripturarum. ſuper 28 Pſalmum.

De ſubiecto uerbo Dei, idẽ dicit: Principalis intẽtio ſacræ Scripturę, ad Chriſtũ pertinet: cuius natiuitatẽ, mortẽ, reſurrectionẽ, aſcenſionemq;, & ſecundũ aduentũ ad iudicium cõtinet. Libro 2 in Apocalypſin, cap. 5. Item: Conſtitutus in Euangelium Dei. Marcus uerò dicit: Initium Euangelij Ieſu Chriſti ut filius, omnia patris ſua ſunt, & ſua patris: ideoq; unum Euangelium communiter poſsident, hoc eſt, bonum nuncium. Nam ſicut una ſubſtãtia eſt patris & filij, una poteſtas, una deitas: ita unum Euangelium eſt patris & filij ſuper primum caput ad Romanos.

De forma eius Haymo ait: Inquirẽtib. nobis Scripturas, primus geſtæ rei textus occurrit, ubi nulla inſunt myſteria. Secundò allegoricus geſtus occurrit. Tertius modus eſt allegoricus, & hiſtoricus. Quartò,

quòd nobis aliquando propriè, aliquando uerò mysticè, Creatoris nostri diuinitas sacris intimatur opusculis. Quintus modus, est parabolarum. Sextus, est de gemino Saluatoris aduẽtu. Septimus modus, geminã præceptorum retinet qualitatem. id est, uitæ agendæ, uitæq; figurandæ, libro secũdo in Apocalypsin, cap. 5.

Nihil adijciendum esse uerbo Dei, Rabanus monet: In meditando & legendo Scripturas sacras, debemus esse cauti: nec quid adijcere ad ea quæ scripta sunt, nec demere aliquid ab eis quæ ab autoribus diuinarum Scripturarum in libris comprehensa sunt: sed ea cum summa ueneratione habere quę ibi inueniuntur, & omni uisu adimplere quæ ibi præcepta sunt. libro quarto in Ecclesiasticum, cap. 7.

Spiritualia non exhauriri posse, Haymo docet: Plerunq; cum spiritualia quæq; tractare uolumus, quãto subtilius intẽdimus, tãto acies cordis reuerberatur. Quãto enim quisq; magis ad contemplationẽ diuinam, purificatione carnis cor sustollit, tanto altius, quod quærebat, esse inuenit. Super quintum caput Cantici Canticorum.

Non posse euerti uerbum Dei, Rabanus docet in epistola ad Otgarium archiepiscopum: Frustra quis nititur diuina cõstituta, quæ Ecclesia catholica diuinitùs sibi commendata, inconuulsa tenet, per prauam machinationem euertere, cum Paulus Apostolus dicat: Firmum Dei stat fundamentum, habens signaculum ueritatis.

Verbo Dei credendum, Remigius docet: Dominus scit cogitationes hominũ, homo aũt nescit cogitatiões Dei: & ideo relinquat homo cogitationes suas uanas, & perscrutetur cogitationes Dei ueras. In 93 Psalmum.

De effectu Scripturæ, inquit Haymo: Sicut animalia in pascuis reficiuntur, ita fideles animæ diuinis Scripturis impugnantur. Super Psalmum 22. Item: Sicut aquæ quæ sunt in utre, coarctantur ne exeant: sic iusti positi in Ecclesia, diuinæ paginæ instructione coarctantur, ut non nisi eo permittente qui posuit, egredi ualeant. Super 32 Psalmum. Et: Aliter non ualebit scientia Scripturarum, nisi in ea aliquis addiscat esse patiens. Super 93 Psalmum. Item: Frequenti meditatione Scripturarum, superuacuæ fugantur cogitationes. Super 150 Psalmum. Et: Scripturæ sacræ in quibusdam locis potus est, in quibusdam uerò cibus. In rebus obscurioribns quæ intelligi sine expositione nõ possunt, cibus est, quia ueluti mandendo, legendo & ruminando sumitur: in apertioribus uerò, quæ intelligi sine expositione possunt, ibi potus est. Potum enim non mandendo glutimus. libro tertio in Apocalypsin, capite 10. Item Qui sacras Scripturas legit sedulò, ille inuenit quæ sit uoluntas Dei: hoc est, qui Deo placeat, quidùe displiceat, uel quomodo uoluntas eius impleri possit. Super 12 cap. ad Romanos.

Rabanus in epistola ad abbatem quendam: Sapientia diuina, quæ in sacra Scriptura elucet omnib. tam potẽtib. quã infirmis, tam sapientib. quàm insipientibus, si eã rectè intenderint, & ei ritè obedierint, medicina salubris est. Ipsa est illuminatio animæ, ipsa correctio uitæ, ipsa semita iustitiæ, ipsa acquisitio sempiternæ gloriæ, ipsa correctio uitæ, ipsa mœrentes consolatur in labore, & exercet in uirtute patientię, promittit coronã in pręmij perceptiõe: & ideo magis maiores atq; minores eius adminiculo indigent, eiusq; magisterio opus habent. Huius enim assiduitas in lectione te amãtissimè consoletur, exhortamentis foueat, atq; exẽplis cõfortet. In epistola ad abbatẽ quendam. Item: Quicunq; ergo mãdata Dei custodire, & operibus implere elegerit, fidẽq; rectã & catholicã usq; in fine uitæ tenuerit, ab insidijs antiqui hostis illæsus, sub protectione omnipotentis Dei manebit. Lib. 4 in Ecclesiasticum, cap. 1. Et: Rami sapiẽtiæ, sententiæ sunt sacrarum Scripturarũ: quas per totum orbem terrarum, ad utilitatẽ hominum, Euangelica expandit doctrina. Libro primo in Ecclesiasticum, cap. 5. Item: Omnibus benedictionibus, ut Noe, Sem, Abraham, Isaac, &c: præfigurabatur Christus. Libro 1. in Ecclesiasticum, cap. 10.

Angelomus inquit: Verba cœlestia, quibus in amore bonorum operũ proficimus & conseruamur, ueniam nobis promittunt peccatorum, gratiam Spiritus sancti, & sabbatismum in futuro pollicentur æternũ. In tertium librum Regum, cap. 6. Item: Scriptura diuina spretis temporalibus gaudijs, ad appetẽda nos bona patriæ cœlestis prouocare consueuit. Ibidẽ cap. 7. Et: Sicut corpus sine alimento corporali subsistere nequit, ita nec anima uiuere potest sine uerbo Dei. Ibidẽ cap. 19. Item: In eloquijs Scripturarum, & ipsius Domini, & sanctorum eius exemplis, quo ordine bella uitiorum superari debeant, luce clarius discimus. In 4 lib. Regum, cap 42.

Remigius ait: Sicut argentũ igne coctũ, melius in longum & latum extenditur: ita & hæc eloquia, per gratiam sancti Spiritus purè & dignè accepta, extendunt fideles in longum: hoc est, in perseuerantiam bonorũ operum, & spem uitæ æternæ. Et in latum: quia in tribulatione dilatantur in charitate, ut non solùm amicos, sed & inimicos diligant. In 11. Psalmum.

De po-

De potẽtia uerbi inquit Haymo: Domini dixisse, fecisse est. super primũ caput Abdię.

Non autem apud omnes fructificat uerbum Dei. Remigius: Sicut in arena maris nullus exoritur fructus: ita in cordibus infidelium, nullum habet diuinus sermo profectum. In 77. Psalmum.

De pœnis contempti uerbi Dei, inquit Rabanus: Si autem cõtemptores fuerimus mandatorum eius, sequetur nos in furore pœna gehennæ. Quod & euidentioribus consequenter exprimitur uerbis: Ante hominem uita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi. lib. 4 in Ecclesiasticum, cap. 1.

De prophetiarum generibus inquit Rabanus: Prophetiæ genera septem sunt. Primũ genus ἐκστατικὸν, quod est mẽtis excessus: sicut uidit Petrus uas illud submissum in stupore mentis. Secundũ genus, uisio: sicut apud Esaiam legitur: Vidi Dominum sedentẽ super solium. Tertium genus, somnium: sicut Iacob subnixam in cœlo scalam dormiens uidit. Quartũ genus, per nubẽ: sicut ad Moysen & ad Iob post plagam loquitur Deus. Quintum genus, uox de cœlo: sicut ad Abraham sonuit, dicẽs: Ne injicias manũ in puerum. & ad Saulum in uia: Saule, Saule, quid me persequeris? Sextum genus, accepta parabola: sicut apud Solomonem in prouerbijs, & apud Balaam cum euocaretur ad Balach. Septimũ genus, repletio Spiritus sancti: sicut penè apud omnes Prophetas. Alij tria genera uisionum esse dixerunt. unum, secundum oculos corporis, sicut Abrahã uidit tres uiros sub ilice Mamre, Moses ignem in rubo, & discipuli transfiguratũ Dominũ in monte. Alterum, secundum spiritum, quo imaginamur ea quæ per corpus sentimus: sicut uidit Petrus discum illum submiti de cœlo cũ uarijs animalibus: & sicut Esaias Dominum in sede altissima, nõ corporaliter, sed spiritualiter, uidit. Non enim Deum forma corporea circũterminat. Sed quemadmodũ figuratè, non propriè, dicuntur multa, ita etiã figuratè, multa monstrantur. Tertium autem genus est uisionis, quod neque corporeis sensibus, neque ulla parte animæ, qua corporalium rerum imagines capiuntur, sed per intuitũ mẽtis, quo intellecta conspicitur ueritas: sicut Daniel præditus mente, uidit quod Balthasar uiderat corpore. Sine quo genere illa duo uel infructuosa sunt, uel etiam in errorem mittunt. Omnia tamen hæc genera Spiritus sanctus moderatur. Habere autem prophetiam non solùm bonus, sed etiã malus potest. Nam inuenimus Saulum regem prophetasse, persequebatur enim sanctũ Dauid, & impletus Spiritu, prophetare cœpit. Libro tertio, cap 2. de Sermonis proprietate.

De Psalmis inquit Haymo: Soliloquium unusquisq; Psalmus dicitur: quoniã in ipsis solus Spiritus sanctus, sine omni auxilio humani ingenij loquitur. In primũ Psalmũ. Item: Hymnus, est laus Dei, cum cantico. Ibidẽ. Et: Prophetia, est diuina inspiratio. quæ rerum euẽtus aut per uisiones, aut per facta, aut per quorundam dicta, immutabili ueritate demonstrat. Ibidem.

De parabolis ait Haymo: Ideo Scriptura parabolis utitur: quia non fuit conueniens, ut diuina Scriptura pateret omnibus, ne à ueritatis æmulis conculcaretur, in 48 Psalmum.

De Sibyllis Haymo: inquit: Sibylla uates, & infideles Philosophi, multa diuino instinctu de Christo prædixere. in 1 Psalmum.

DE SACRA SCRIPTVRA.

DE septem sensib. Scripturæ sacræ Angelomus inquit: Sũt enim, primus historialis, secundus allegorialis, tertius utriusq; rei modus, quartus de incõmutabili diuinæ trinitatis essentia: quãdo uidelicet ꝓpriè, quãdo tropicè sacris insinuẽtur oraculis Quintus parabolaris: uidelicet quãdo aliud dicitur, & aliud inuenitur scriptũ. Sextus, de gemino Saluatoris aduentu: ne aut primus pro secũdo, aut secũdus ꝓ primo intelligatur. Septimꝰ, quo sic diuinis pręceptis instruimur, ut certa uitæ agẽdę forma, alius uerò uitæ significãdæ figura regulariter innotescat. In præfatiõe super libros Regum.

Scripturam inter se consentire, docet Angelomus: Omnis Scripturæ prophetia sibimet inuicẽ cõsentanea est, utpote uno Dei spiritu condita. in 7 cap. lib. 3 Regum.

De fine Scripturæ inquit Remigius: Scriptura diuina omni morbo animi dat medicamentum suum. in Psalmum 36.

De usu sacræ Scripturæ inquit Haymo: Sicut elemẽta initiũ & fundamentum sunt omnium corporalium: ita lex & Prophtæ, initium & fundamentũ sunt omniũ diuinorum eloquiorũ. super caput 4 ad Galatas.

REGVLAE.

Tradunt Hebręi, quòd ubicũq; nomina patrum uel auorum Prophetarum ponuntur, ipsi quoq; patres uel aui prophetæ fuerint. Haymo super 1. caput Oseæ.

Secundum qualitatẽ auditorũ, debet formari sermo doctorũ. Idem super 2 cap. Oseę.

Vnusquisq; per quẽ iurat, eũ aut amat, aut ueneratur. Idem super 4 cap. Oseę.

Spiritus & uẽtus una uoce apud Hebręos exprimũtur, quod est Ruach. Idem ibidem.

Quę spõtè fiũt, diup manẽt. quę aũt necessitate, citò soluũtur. Haymo super 7 Oseæ.

Sciendum,

Sciendũ, quia Deus omnipotẽs aliquãdo fieri permittit quod non uult: ſicut de electione Samuelis factum profectò conſtat. Idem ſuper 8. Oſeæ.

Sæpefiunt neceſſariæ cauſæ, quæ præteriri nequeunt: ſed tamen quia homines non Dei uoluntatem, ſed ſuam in his attendunt, grauiter delinquunt: ſicut (uerbi gratia) de Saluatore dicitur, quòd oporteat tradi filiũ hominis, mori, &c. ac poſtea infertur: Væ illi homini, per quem tradendus ſit, &c. Idem ibidem:

Deus aliquando obliuionem non patitur: ſed tum recordari dicitur, quando uindictã peccatorib. reddere cognoſcitur. Recordabitur iniquitates eorum. Haymo ſuper 9 Oſeæ.

Notandum, ꝙ ubi cõtra duas tribus Dñs loquitur per Prophetas, nõ Adama ponitur, & Seboim, ſed Sodoma & Gomorrha. Vnde in Eſaia legimus: Audite uerbũ Domini principes Sodomorũ: percipete legẽ Dñi Dei noſtri, pop. Gomorrhæ. Et Dñs in Euãgelio: Tolerabilius erat Sodomę & Gomorrhę, &c. Quãdo aũt decẽ loquitur tribubus, non Sodoma & Gomorrha, ſed cæteræ ponuntur ciuitates, illis ſubiectæ: propter hoc uidelicet, quia licet decẽ maiores eſſent numero, præeminebant tamen duæ, dignitate quadã templi & ſacerdotij. Ideoq; grauius peccauerunt quàm decẽ quæ his omnib. carebant & inſuper ab Hieruſalẽ longè erant remotę. Haymo ſuper 11 caput Oſeæ.

Tũc bona ſunt uerba Domini, & proſunt legẽtibus, ſi opere impleãtur, ſi cor & labia cõſentiant. Haymo ſuper 2 caput Micheæ.

Diuina Scriptura, nulla tẽporis lege ſtringitur, quæ ſupergreditur omne tempus. Operuit cœlos gloria eius, laudis eius plena eſt terra, ſplendor eius ut lux erit. Haymo ſuper 2 caput Habacuc.

Prophetę ſolẽt maximè figura imprecantis, futura prędicere: ſicut figura pręteriti tẽporis, ea quæ uentura erãt, ſæpe cecinerũt. Haymo ſuper 4. ad Timoth. epiſtolæ 2.

Sciendum, quia mos eſt Scripturæ, ut ubi unius fit mẽtio perſonę de trinitate, tota ſimul trinitas intelligatur. Ergo ubi in perſona filij, fidelib. gratiã tribuere legentes audiuimus, ſimul in ipſa datione patrẽ & filium & ſpiritum ſanctũ intelligere debemus. Haymo libro 1 ſuper 1 caput Apocalypſeos.

Sacra Scriptura plerunq; ſolet ea quæ futura ſunt, quaſi iam facta narrare. Haymo libro 2 ſuper 3 Apocalypſeos.

Scriptura ſolet plerũq; nullo interrogante, reſpõdentis uoce proferre ſententiã. Vnde in Euangelio legimus, quia reſpõdẽs Ieſus dixit: Cõfiteor tibi Dñe pater cœli & terræ, &c. Haymo lib. 2 ſuper 7 cap: Apocalyp. Euangeliſtæ Matthæo moris eſt, omnia quæ narrat, etiã ꝓpheticis affirmare teſtimonijs. Haymo ſuper Euangeliũ in uigilia natiuitatis. Oculi Domini in Scripturis duplicem habent ſignificationẽ. aliquando dona Spiritus ſancti ſignificãt, ut Zach. In uno lapide ſeptem oculi ſunt. aliquando reſpectum miſerationis, ut Pſalm. Oculi Domini ſuper iuſtos. Haymo ſuper Euangeliũ Dominicæ quartæ in Quadrageſima.

Miſsio in Scripturis aliquando ad incarnationẽ, Vbi uenit plenitudo temporis, miſit Deus filiũ ſuum. aliquãdo ad dilectionẽ pertinet, ut Apoſt. Miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda noſtra, clamantem Abba pater. Haymo ſuper Euangeliũ in octaua Paſchæ.

Septenarius numerus in Scripturis, aliquando in bono, aliquando in malo plenitudinem rei ſignificat. Rabanus lib. 2 in Eccleſiaſticum, capite 2.

Arcus nomine, in ſacra eloquio aliquando dies iudicij, aliquãdo uerò ſacra eloquia deſignantur, aliquando aũt malorũ inſidiæ & intentiones figurantur peruerſorum: Angelomus in 2 caput libri 1 Regum.

Cõſtat argẽto claritatẽ uerbi cœleſtis, ſicut ſplendorem ſapientiæ ſpiritualis auro ſępe deſignari. Angelomus in 2 cap. lib. 1. Regum.

Sciendũ eſt, quòd Saul nõ unius ſemper perſonæ geſtauit figurã, ſed aliquãdo Iudęorum typum, ob ſuperbiã, & aduerſus Deum inuidentiã: aliquando Domini noſtri Ieſu Chriſti, propter unctionem regni, atq; altitudinem ſtatuere, & propter principatũ: aliquando uerò principẽ ſeculi huius, propter elationem cordis, & humiliũ oppreſsionẽ. Angelomus in 10 caput 1 libri Regum.

Omnes retro olim reges Iſrael, ob unctionis ſacramentum, in typo Saluatoris Chriſti ſunt appellati. Idem ibidem.

Vbi legitur, quòd pœniteat Deum: mutatio rerum intelligitur, immutabili præſcientia manente diuina. Angelomus in 15 caput libri 1 Regum.

Notandum, quòd ubicũq; Propheta uocatur, Nathan ſcribitur, non Ionathan. Angelomus in 17 caput 1 libri Regum.

Si, aliquãdo pro Non aduerbio ponitur. ut, Si introibũt in requiem meã: id eſt, non introibunt. Idem ibidem.

Sedere coram Domino, eſt beneficia eius in humilitate cordis confiteri. Angelomus in ſeptimum caput libri 2 Regum.

Plerunq; tes quælibet per hiſtoriam, uirtus eſt: per ſignificationem, culpa. ſicut aliquando res geſta in facto, cauſa damnationis eſt, in ſcripto autem, prophetia uirtutis. Angelomus in 11 caput 2 libri Regum.

Virtus ſacri eloquij ſic tranſacta narrat, ut uentura exprimat: ſic factorem approbat,

ut ei

ut ei in mysterio cõtradicat: sic gesta dãnat, ut hæc mystice gerẽda persuadeat. ibidem.

Ad hoc in Scriptura sacra uirorũ talium, id est, Dauid & Petri, peccata sunt indicata, ut cautela sit minorum, ruina maiorum. Ad hoc uerò utrorumq; illic & pœnitentia insinuatur, & uenia: ut spes pereuntium, sit recuperatio perditorum. Ibidem.

Nomine sacerdotis, in Scripturis mystice non solùm altaris ministri, episcopi uidelicet & presbyteri: sed & omnes utiq; cẽsentur, qui altitudine rectæ cõuersationis, ac doctrinæ salutaris eminent: nec sibimetipsis tantummodo, sed & pluribus prosunt. Angelomus in 6. caput. libri 3. Reg.

Millenarius numerus pro significatione perfectionis solet poni in Scripturis. Angelomus in 7 caput libri 3. Regum.

Feruor mediani solis, consueuit in Scripturis & ardorẽ dilectionis, & illustrationẽ significare sancti Spiritus, per quẽ eadẽ dilectio diffunditur in cordib. electorũ. ibidem.

Idioma Scripturarum est, cõgregationes aquarũ appellare maria. Angelomus in 8. caput libri 3 Regum.

Excelsa, nominare solet Scriptura, loca in collibus posita frondẽribus, in quibus uel dęmonib. immolabãt, uel Domino: amœnitate allecti, cõtra interdictum, relicto altari quod erat in tẽplo hostias offerebant. Vnde sæpius in hoc libro de regibus, qui minus perfectè iusti fuere, dicitur: Verũtamen excelsa non abstulit. Angelomus in 23 caput libri 4 Regum.

Consuetudinis est Scripturarũ, offensionem idola nuncupare: quia uel in illis offenditur Deus, uel offensionem & ruinam suis afferunt cultoribus. Ibidem.

Verbum iuxta Hebraicam consuetudinem pro re frequẽter accipitur. Angelomus in 20. caput libri quarti Regum.

Aquæ tribus modis accipiuntur in diuina pagina: pro donis Spiritus sancti, pro fluxu carnalium concupiscentiarũ, pro populis. Remigius in 1 Psalmum.

Diuina Scriptura sæpe Deo attribuit, qđ in alijs operatur. Sic, Irridebit eos: i. ostẽdet dignos risu, cũ nõ poterũt efficere quod uoluerunt. Vt illud: Omnes incipient illudere ei, dicẽtes: Hic homo cœpit ædificare, & nõ potuit cõsummare. Remigius in 2 Psalmũ.

Nec obliuio cadit in Deũ, nec auersio, sed dicitur oblitus & auersus, cũ differt qđ deseruerat ad humanũ modũ: qa solẽt Phrophetæ p similitudinem loqui. Remig. in Psal. 12.

Plerunq; ita loquitur diuina Scriptura, ut quod dono Dei creatura facit, Deus facere dicatur. Inde est: Tẽtat uos Dominus Deus uester, ut sciat si diligitis eũ. id est: ut sciẽtes uos faciat, Remigius in 25 Psalmum.

Vsus habet, ut per synagogã semper Iudaicũ populũ accipiamus. Remigius in Psal. 73.

¶ Huc referãtur etiã quædã explicationes.

Ego aũt sum uermis, & non homo. Quẽ admodum enim lignum ex se uermiculum procreat: ita quoq; beata Maria uirgo, uide licet de radice Iesse, absq; opere nuptiali, florem protulit Dominum & Saluatorem. Angelomus in 23 caput libri 2 Regum.

Et cõtinuò exiuit sanguis & aqua. Aqua significat, quo abluimur in baptismo: & sanguis, quo cõsecramur in calice sancto. Angelomus in 6 caput libri 3. Regum.

De torrente in uia bibet, propterea exaltabit caput. Torrens fuit turbulenta Iudæorum persecutio: de qua Dominus Christus bibit in uia, id est in hac uita, dum corpore pertulit. Angelomus in 8 cap. lib. 3. Regum.

Est peccatum ad mortẽ, pro hoc non rogo ut quis oret: scilicet tantum, quia non sola oratione ualet purgari. Remigius in Psalmum 12.

Regnum cœlorũ uim patitur, & uiolenti rapiunt illud. Quia quemadmodum aliquis rapit per uim, ita fideles rapiunt regnum Dei: quia impellũtur à spiritu Dei, quasi per uim. Remigius in 25 Psalmum.

Alligauit uulnera, infundens uinum & oleum: id est, passionẽ & Spiritus sancti gratiam. Remigius in 37 Psalmum.

Quod scripsi, scripsi. Quasi dicat: Vt quid mihi suggeritis falsitatem? non corrumpo ueritatem. Quia à seculis sic est dispositum, non potest mutari. Reuera rex est Si homines nolunt eum regẽ, angeli tamen habent. Remigius in 56 Psalmum.

Ibi Beniamin: id est Paulus, de tribu Beniamin natus adolescentulus: quia nouissimè fuit electus. Remigius in Psalmum 67.

Principes Iuda, duces eorum: principes Zabulon, & principes Nephthalim. Volunt quidam in hoc uersu omnes Apostolos intelligi, de tribu istorũ esse natos. quod non habemus unde confirmemus: sicut non habemus unde improbemus. Ibidem.

1. Timoth. 1. Iesus Christus uenit in hunc mũdum, peccatores saluos facere, quorum primus sum ego. Primus: scilicet nõ tẽpore, sed peccati magnitudine. Remig. in 70 Psal.

Diligite inimicos uestros. &, Vindica sanguinem nostrum Deus. Sed dicendum est, quia: licet boni quærant uindictã de inimicis: non tamen ad hoc quærunt, ut gaudeant de pœna inimici: sed ideo, quia uolunt eum corrigi ad correctionem aliorum. ut illud: Lætabitur iustus, cum uiderit uindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Remigius in 78 Psalmum.

Eruisti animã meam ex inferno inferiori: id est, ex pœna infernali: uel, ex peccato criminali

criminali, licet non ex peccato ueniali: uel à loco tormentorũ, licet non à loco tenebrarum: uel ex peccato, etsi non ex pœnis peccati, uel ex coruptione carnis in sepulchro. Vnde alibi: Non dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Ipse enim sicut nascendo uenit in mundum, ita moriendo descendit in infernum, sed non ibi remansit: quia suis inde liberatis, cum potestate redijt. Remigius in 85 Psalmum.

Nisi manducaueritis carnẽ filij hominis & sanguinem eius biberitis, non habetis uitam in uobis. Nõ hoc dicit, quod caro ipsius quæ pependit in cruce, particulatim concidenda foret & à discipulis manducanda: uel sanguis ipsius, quẽ fusurus erat pro mũdi redemptione, discipulis dãdus esset in potum. Hoc enim scelus esset, si secundũ quod infideles tunc acceperunt à discipulis, uel sanguis eius biberetur, uel caro comederetur. Bertramus in libro de corpore & sanguine Domini.

Christus passus est pro nobis, uobis relinquens exemplum, ut sequamini uestigia eius. Non enim ait, quòd quotidie in seipso patiatur: quod semel fecit. Exemplũ autem nobis reliquit, quod in mysterio Dominici corporis & sanguinis quotidie credentibus præsentatur: ut quisquis ad illud accesserit, nouerit se passionibus eius sociari debere, quarum imaginem in sacris mysterijs præstolatur, iuxta illud Sapientiæ: Accessisti ad mensam potentis, diligenter attende quæ tibi sunt apposita, sciens quia talia te oportet præparare. Accedere ad mensam potentis est diuini participem libaminis fieri: consideratio uerò appositorum, Dominici corporis & sanguinis est intelligentia. Quibus quisquis participat, aduertat se talia debere prępparare, ut eius imitator existat commoriendo, cuius memoriam mortis nõ solum credendo, uerũetiam gustando confitetur. Betramus ibidem.

Hebr. 7. Hoc enim fecit semel se offerendo, Dominus Iesus Christus. Semel enim pro peccatis populi se obtulit. Celebratur tamen hęc eadem oblatio singulis per fideles diebus, sed in mysterio: ut quod Dominus Iesus christus semel se offerens adimpleuit, hoc in eius passionis memoriã quotidie geratur per mysteriorum celebrationem. Betramus ibidem.

PHRASES.

Lac in sacra Scriptura pro simplici intellectu ponitur. Haymo super 1. caput Oseę.

Baal numero singulari, Baalim uerò plurali, masculino genere, eadem idola nominantur. Vbicunq; enim in fine Hebraici sermonis Im syllaba reperitur, numerus plura lis est generis masculini. Vbi autem oth, ut Sabaoth, numerus pluralis est in genere fœminino. Haymo super 2. cap. Oseæ.

Alieni filij accipiuntur, qui in idolorum errore sunt generati: siue quos per ignẽ ducentes, idolis cõsecrarunt. Idẽ super 5. Oseę.

Verbum effusionis, largitatem & magnitudinem rei de qua agitur, significat. Ibidẽ.

Quia panis eorũ, animæ ipsorum. Anima hic pro uita præsenti ponitur: sicut solet fieri in diuino eloquio. super 9. Oseæ.

Ecce enim profecti sunt à uastitate. Quo in loco præteritum pro futuro ponitur, usitato more sacræ Scripturæ. Profecti sunt scilicet, pro eo quod est, proficiscẽtur. ibidem.

Venerunt dies uisitationis. Visitatio, hoc loco pro afflictione & tormento ponitur. Alibi ponitur in bono: ut, Visitauit nos oriens ex alto. Ibidem.

Videre Dei, misereri est. In cacumine eius uidi patres eorum. Ibidem.

Transitus quando de Deo dicitur, semper plagas & aduersa significat. Haymo super 10. Oseæ.

Israel licet singulariter dicatur, pluraliter intelligitur: sicut populus & plebs, rectè à singulari transit ad pluralem. Haymo super 11. cap. Oseæ.

Mare sæpe præsens seculum significat. Et formidabunt filij maris, id est, filij huius seculi. Ibidem.

Sicut nescire Dei, reprobare est: sic cognoscere, diligere est, atq; eligere. Vnde & Moysi dicitur: Noui te ex nomine. id est, speciaIiter præ cæteris elegi. Et Oseæ 13. Ego cognoui te: hoc est, dilexi. super 13. Oseæ.

Vię Domini, mandata intelliguntur ueteris ac noui Testamenti: in quibus iusti ambulant, dũ ea opere cõplent. super 14. Oseæ

Inter audire, & auribus percipere, magna distantia est, presbyteri, hoc est spirituales, sacratius audiunt: qui uerò terram inhabitant, auribus percipiunt, sed humilius. Haymo super primum caput Ioelis.

Quicquid in Scripturis sanctis, tuba comminans est: malum autem quod Dominus facit in ciuitate, non contrarium est uirtuti: afflictionem autem, & cruciatus hominum significat. Haymo super 3. cap. Amos.

In portis iudicium constituere, est præsules Ecclesiarum intra sanctam Ecclesiam, quæ est porta regni cœlorum, uera discretione boni ac mali populum docere. super 5. Amos.

Quis, aliquando pro rarò, aliquando pro nullo ponitur. ut: Deus, quis similis tibi? Quis detrahit me in terram? id est nullus. Haymo super 1. cap. Abdiæ.

Quod dubitãtes dicunt, Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus: ideo ambiguè proferunt,

proferunt, ut dubij de salute fortius agant pœnitentiam, & magis prouocent Deum ad misericordiam. Haymo super tertio capite Ionæ.

Templum sanctum uel est Ecclesia, per quam Deus testimonium perhibet ueritati: siue templum Dei est ipse filius, in quo habitat pater, & cuius ore loquitur. Haymo super 1. Micheæ.

Onus, apud Prophetas graue pondus misseriarum, ubicunq; ponitur, designat, quòd eum contra quem ponitur, premat, nec sinat eleuare ceruicem. Haymo super primum caput Nahum, & super primum Abacuc.

Calix uel potio, in Scripturis passionem uel afflictionem solet designare. super 2. Habacuc.

Filius meus es tu, ego hodie genui te. hoc est dicere: Ego semper & æternaliter manens, semper te habeo filium, coæternũ mihi. Hodie namq; aduerbium est præsentis temporis, quod propriè Deo cõpetit. Haymo super 5. cap. ad Heb.

Pedes Domini, aliquando significant stabilitatem æternitatis, aliquando humanitatem, per quam ad nos uenit cognitio diuinitatis. aliquando prædicatores, de quibus scriptũ est: Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem. aliquando uestigia imitationis eius. aliquando uerò nouissima membra. Haymo libro primo in Apocalypsin, cap. 1.

Oculi Domini, dona significant Spiritus sancti. Ibidem.

Pedes, non priora in se continent mysteria: sed tantum exempla imitationis Christi, & passionis significant. Ibid.

Ambulat Dominus, quando dona misericordiæ suæ electis tribuit: alij scilicet gratiam linguarũ, alij interpretationes sermonum. Sedet uerò, quando singulorum facta dijudicat: stat, quando eos certantes adiuuat. Stare enim, adiuuare est. libro 2. in Apocalypsin, cap. 5.

Montes sæpe in sacro eloquio superbos significant. unde est illud Esaiæ: Super montem caliginosum leuate signum. Ibidem capite sexto.

Consuetudo sacræ Scripturæ est, ut aliquando per animam, aliquãdo per corpus, totum hominem significet. Per animam, ut: Descendit Iacob in Ægyptum, in animabus septuaginta. per corpus uerò, ibi: Tulerunt Dominum meum, &c. Libro 3. in Apocalypsin, cap. 11.

In Scriptura sacra sæpe aquarũ impetus significat persecutionem. unde Psalmista: Cum irasceretur furor eorũ in nos, forsitan aqua absorbuisset nos. Lib. 4. in Apoc. ca. 12.

In Scriptura sacra, numerus senarius ideo perfectus habetur: qa in mundi origine Dñs, ea quæ primo die cœpit, sexto die opere compleuit, cum hominẽ, propter quem cuncta creauerat, ad imaginem suam fecit. Ibidem, cap. 13.

Poma, in sacro eloquio uirtutes sanctorum significant. ut: Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum. Libro 6. Apocalyp. cap. 18.

Sol, in sacro eloquio diuersas habet significationes. Aliquãdo enim significat ipsum Dominum. ut: Vobis timentibus nomen meum, orietur sol iusticiæ. aliquando tribulationem, persecutionem. ut Dominus dicit de seminibus quæ ceciderunt in loca petrosa, quia oriente sole æstuauerũt. aliquando manifestam rem. ut Nathan ad Dauid: Tu fecisti absconditè, ego uerò faciam in oculis solis huius. id est, in aperto. Libro 7. in Apoc, cap. 19.

Traductionis uerbum, sæpius in mala quàm in bona patre inuenitur. Quod etiam Græcus non absurdè sermo significat παραδειγματίσαι, hoc est, propolare: quod est, palàm & omnibus notum facere conceptum. Haymo super Euangelium in uigilijs Natiuitatis.

Duobus modis locutio diuina distinguitur: aut per angelos, aut per semetipsam. Sed cum per semetipsam fit, sola inspiratione interius, sine uerbis & syllabis cor docet, qui auditum aperit, & habere sonitum nescit. Sicut Philippo spiritus dicit: Iunge te ad currum istum. Cum uerò per angelũ, his modis fit: aliquando uerbis, sine ulla imagine: aliquando rebus, sine uerbis: aliquando uerbis & rebus. Ibidem.

Aliquando mundi nomine, sancti significantur: aliquando situs orbis terrarum, aliquando mundi amatores. Ibidem.

Vsus Scripturæ est, aliquando per solam animam, aliquando per solam carnem totũ hominem significare. Ibidem.

Confessio in Scripturis aliquãdo ad peccatum pertinet, aliquando ad laudẽ. ad peccatum, ut: Dixi, confitebor aduersum me iniquitates meas Domino. ad laudem: Confitebor Domino nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum. Haymo in Euangelium infrà octauam Natiuitatis.

Regnum cœlorum, uel regnum Dei, in Euangelio aliquando Dominum Iesum Christum. ut: Regnum Dei intra uos est. aliquando Scripturam sanctam: Auferetur à uobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. aliquando cœlestem patriam: Beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam, quoniam ipsorum est regnum cęlorum, aliquando præsentem significat Eccle-

siam, ut: Qui soluerit unũ de mandatis istis minimis,& docuerit sic homines,minimus uocabitur in regno cœlorum.super Euangelium Septuagesimæ.

Verbum, in Scripturis sacris trib. modis intelligitur.Aliquãdo pro ipso Domino: In principio erat uerbum. Aliquãdo pro facto ponitur:ut in Exodo de Moyse legimus,interfecto Aegyptio: Quomodo palàm factũ est uerbum istud?aliquando pro dicto:Quicunq; dixerit uerbum contra filium hominis.super Euangelium Quinquagesimæ.

Consuetudo sanctæ Scripturæ est, eximitatione uel consuetudine operum,filios sæpe nominare. ut Iudæi imitantes impietatẽ Amorrheorum & Cetheorũ, filij eorum uocantur à Propheta: Pater tuus Amorrheus, & mater tua Cethea. Haymo super Euangelium feriæ quintæ post Inuocauit.

Puer in Scripturis aliquando pro puritate,ut Esaiæ: Ecce puer meus electus, quẽ elegi. Aliquando pro leuitate mentis accipitur: Similis est pueris ludentib. in foro. super Euang. Domin.4. in Quadragesima.

Quis,pronomen infinitũ,aliquando uim interrogantis habet.ut: Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Aliquando abnegantis,ut:Quis potest dicere,mundũ est cor meũ? In Euangeliũ in sabbato post Lætare.

Solet Scriptura sacra meritum causarum, per statum designare temporum. Vnde Petrus qui media nocte negauit,ad galli cantũ pœnituit: qui etiã post resurrectionem Domini,diurna sub luce,illũ quẽ tertiò negauerat,tertiò æquè se amare professus est. Haymo super Passionẽ Christi secundũ Marcũ.

Carnis nomine ipsa carnis substantia designatur, sicut scriptum est: Hoc nunc os ex ossibus meis,& caro de carne mea.Aliquando autem carnis nomine, carnis fragilitas designatur: Et recordatus est, quia caro sunt:hoc est, fragiles. Aliquando genealogia cognatiõis, nomine carnis exprimitur: Non reuelauit tibi caro & sanguis. Carnis quoq; nomine, uitia & peccata quæ ex carne oriuntur,significantur:Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, eo quòd sit caro. In Euangelium feriæ tertiæ Paschatis.

Nox in Scripturis aliquãdo pro ignorantia,uel cæcitate mentis ponitur. In Euangelium Dominicæ 6.post Pentecosten.

Manus Domini, in Scripturis aliquando potentiam diuinitatis significat, ut: In manus tuas commendo spiritum. aliquando incarnationem humanitatis, ut: Emitte manum tuam de alto. In Euãgelium Dominicæ 13. post Pentecosten.

Luna, in sacro eloquio, humanæ fragilitatis defectum significat. quæ dum mẽstruis horis crescit & decrescit, nostræ calamitatis mutabilitatem exprimit: qui crescimus nascendo, decrescimus moriendo. In Euangelio Dominicæ 14.post Pentecosten.

Mos Scripturarum est,cornu pro fortitudine & potestate ponere,ut Psalmista: In te inimicos nostros uentilabimus cornu. Haymo super 3.caput Abacuc.

Binarius numerus frequentissimè in malam ponitur significationem. diuidit enim primam unitatem:& idcirco copulam coniugalem siue discordiam designat.ut in Genesi, cum in aliorum omnium dierum consummationem dicatur, Vidit Deus quòd esset bonum:in secundi diei fine non habetur. Haymo super 1.cap.Haggæi.

Nunquam nonus numerus in bonã partem ponitur in Scripturis diuinis. super secundum caput Haggæi.

Ebrietas aliquando in Scripturis pro saturitate ponitur,sicut de fratribus Ioseph dictum est: Biberunt, & inebriati sunt coram eo. Haymo super 5. Cantici cantic.

Pedes in sacra Scriptura aliquando bonas actiones significant,ut in cantico Zachariæ: Ad dirigendos pedes nostros: hoc est, actiones nostras, in uiam pacis. Aliquando significãt pedes uerbum prædicationis,ut: Subiecit gentes nobis, & populos sub pedibus nostris. Haymo super caput 10.ad Rom.

Spiritus aliquãdo pro anima ponitur,ut: Inclinato capite emisit spiritum suum. aliquando pro mente,ut Rom.11. Spiritũ compunctionis.super 11.cap.ad Rom.

Mos est sacræ Scripturæ, horam sæpissimè pro tẽpore ponere, sicut & diem. super 13.cap.ad Rom.

In sacra Scriptura, dicere aliquando pro simplici sermone accipitur, ut: Non omnis qui dicit mihi, Domine,Domine, &c. Aliquando pro ipsa re & facto, ut Ezechias rex ad Esaiã:Non fuit uerbũ: hoc est, res in domo mea. Et 1. Corinth.12. Nemo potest dicere:hoc est corde & ore confiteri, & digna opera fidei exercere. Haymo super 12. caput prioris epistolæ ad Corinthios.

Donec aliquando ponitur pro ut: Oculi nostri ad Dominum,donec misereatur: hoc est,ut misereatur. aliquando pro &: Donec peperit:id est,& peperit filium suum primogenitum. Aliquando pro semper, & continuatione temporis:Donec ponit omnes inimicos:id est, Oportet filium Dei regnare,donec ponat Deus pater omnes inimicos: uel, Filius semper regnabit, quia ponet pater inimicos sub pedibus.super 15.cap.epist.1. ad Corinth.

Mos, & usitata consuetudo est scriptorũ qui nobis sacras literas ministrant,ut quando ab aliquo eorum narratur historia, cum ad is

ad ſeipſum uenerint, ſic de ſe tanquã de alio loquantur. Sic fecit Moyſes: erat autẽ Moyſes, uir mitiſsimus. Paulus: Scio hominẽ in Chriſto. ſuper 12. ca. epiſt. ad Cor. poſterioris.

Non potui inuenire ſemina, plurali numero poſita, quando de propagatione filiorum res agitur. Si uerò ad ſementem fructũ pertinet, inuenitur pluraliter poſitum. Haymo ſuper 3. cap. ad Galat.

Anima, in Scriptura aliquando interiorem hominem, id eſt uitalem ſpiritum ſignificat, ut: Quid prodeſt homini, ſi totum mundum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentum patiatur? Aliquando præſentem uitam ſignificat, ut: Non'ne anima plus eſt quàm eſca. Haymo ſuper Euangelium Dominicæ 15. Trinit.

Particula Si, aliquando negatiuam ſignificationem habet, ut: Si reddidi retribuentibus mihi mala. hoc eſt: non reddidi. Aliquando uerò affirmatiuè ponitur: ut in præſenti loco, & alijs multis. ac ſi diceret: Omnes qui in eum crediderunt, uocabuntur ſancti. Haymo libro 1. in Eſaiam.

In libris propheticis ubicunq; onus legimus, eo quæ ſequuntur, plena ſunt ſupplicíorum, miſeriarum, ac pondere tribulationis. lib. 2. in Eſaiam.

Conſuetudo Scripturarum eſt, ut reges, principes ac magiſtros appellent ſpeculatores. Sicut hîc Scribas & Phariſæos, atq; ſacerdotes Iudęorum, qui cæci erant, neſcientes cõſpicere lumen uerum. Speculatores eius cæci omnes. libro 3. in Eſaiam.

Ventus in ſacra Scriptura uarias habet ſignificationes. Aliquando ſignificat commotionem aeris, ut: Imperauit uentis & mari. Aliquando Spiritum ſanctum, ut: Factus eſt repentè ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus. Ibidem.

Mulos in Scriptis ſacris dupliciter accipimus: hoc eſt, aut in bonam, aut in malam partem. In malam quia proni ſunt ad ſcortum, de quibus dicitur: Nolite fieri ſicut equus & mulus. In bonam: Vt phyſici dicũt, ſteriles ſunt à fœtibus, quamuis luxurię ſint dediti. ibidem.

Deus dicitur ſedere & immorari, in his in quibus plenitudo eſt ſcientiæ & cognitionis Dei. Haymo ſuper 79. Pſalmum.

Sedere Dei, eſt habitum & poteſtatem iudicandi oſtendere. Haymo ſuper 3. caput Ioelis.

Dominus nullum motum animi, nullũ poteſt recipere furorem, qui in ſumma tranquillitate mitis eſt, & ſerenus. Sed metaphoricè dicitur habere furorem, cum mala ulciſcitur, quia ſic ſuſtinentibus uidetur. Iraſcitur ergo Dominus, ut tollat à nobis. quod ſibi contrarium eſt: & ſublatis his quę ſibi diſplicent, in antiquum ſtatum correcti homines redeant. Haymo ſuper primum caput Nahum.

Scire Dei, eligere, uel miſereri eſt. Ibidem

Aſpectus Domini, eſt uis diuinę maieſtatis, qua cuncta præuidet, locis ac temporibus ſingula diſponens. Haymo ſuper tertiũ caput Habacuc.

Manus leuare, mira operari eſt, ut Habac. 3. Altitudo manus ſuas leuauit. id eſt: uirtus diuina miraculorum, ſe operibus declarauit. Ibidem.

Licet omnipotens Deus per potentiam diuinitatis ſuæ ubiq; ſit, tamen in illis ſpecialiter dicitur habitare, qui fidem eius habent. Haymo ſuper 3. cap, ad Epheſios.

Corpus Chriſti tripliciter uſurpatur. Chriſti corpus eſt, quod aſſumpſit in utero uirginali: corpus Chriſti eſt tota Eccleſia fideliũ: corpus Chriſti eſt, quod conſecratur quotidie in Eccleſia. Haymo ſuper 7. cap. ad Rom

Indiſciplinati, dicũtur inquieti & inobedientes, qui preceptis Dei obedire nolunt: in quorũ ſocietate conuerſari, periculoſum eſt. Rabanus lib. 2. in Eccleſiaſt: cap. 7.

Extraneus nobis eſt, qui à fide & religione Chriſtiana alienus eſt: cum quo non eſt conſilium ineundum: hoc eſt, de ſacramentis diuinis & myſterijs occultiorib. diſputãdum: quia neſcimus ſenſus eius qualitatẽ, utrum ad fidem uel blaſphemiam uertatur. Rabanus lib. 2. in Eccleſiaſticum. cap. 14.

Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod uolueris, porrige manum tuam. In igne, tribulatio: in aqua, refrigeriũ exprimitur. Idẽ lib. 4. in Eccleſiaſticum. cap. 1.

Montium nomine, in ſacra Scriptura prædicantium altitudo ſignatur. Idem libro 4. in Eccleſiaſticum cap. 3.

In Scripturis ubi laudantur diuitiæ, ſpirituales ſignificantur: ubi autem uituperantur, corporales opes, & nociuæ mundi damnantur cupiditates. Idem libro 7. in Eccleſiaſticum, cap. 6.

Aquæ in Scriptura ſacra aliquando Spiritum ſanctum, aliquando ſcientiã ſacrã, aliquando ſcientiam prauam, aliquando tribulationem, aliquando autem defluentes populos, aliquando mentes fidem ſequentiũ demonſtrare ſolent. Per aquam quippe, ſancti Spiritus infuſio deſignatur. Idem lib. 8. in Eccleſiaſticum, capite 18.

Lingua Domini, Spiritus eius ſanctus. ut in Pſalmo: Lingua mea, calamus. Facies Domini, oſtenſio eius per filium eius ad homines. ut in Exodo: Facies Domini dimiſit eos. Verbũ Dñi, filius. ut: Eructauit cor meũ, uerbum meum. Brachiũ Domini, filius, per quem omnia operatus eſt. ut in propheta Eſaia: Et brachium Domini cui reuelatũ eſt?

Dextera Dñi, id est, filius. ut in Psalmo: Dextera Dñi fecit uirtutes. Itē dextera Dñi gloria siue beatitudo perpetua sicut in Euāgelio de filio dicitur: Sedet ad dextram Dei, &c. Raban. lib. 2. de Serm. proprietate. cap. 1.

Cum dicitur Deus iratsci, aut zelare, aut dolere: nostro usu dicitur. Apud Deū enim perturbatio nulla est, apud quem tranquillitas summa est. ibidem.

Moris est Scripturarum, quamuis plures libros si inter se non discrepēt, & de eadem re scribant, unum uolumen dicere. Nam & uolumen in Esaiæ sermone signatum est omnis Scriptura Dei, & uno capitulo libri Ezechiel Ioannisq; nectuntur. Rabanus lib. 3. in Ecclesiast. cap. 3.

In sacro eloquio intelligentiæ magna discretio est. Sæpe enim quibusdam locis illius, & historia secunda est, & allegoria: & sæpe in quibusdā sola exquirēda est allegoria, aliquando uerò sola necesse est ut teneatur historia. Rabāus libro 9. de Sermonum proprietate. cap. 1.

DE VETERI TESTAMENTO.

TEstamentum dicitur à testatorib. Testamentum uerò uetus habuit testatores angelos, & Mosen, aliosq; prophetas. Testamentum autem nouum, habuit unū uerissimū Dñm Iesum Christum, & Apostolos, quorū ministerio per quadrifidū orbem est diuulgatū. Haymo super 4. cap. ad Galat.

Duo esse Testaméta, Rabanus docet: Duo Seraphin in Esaia, figuraliter ueteris & noui Testamenti significationem ostendunt. lib. 1. de Sermonū proprietate, ca. 5. Itē: Paterfamiliās proferens de thesauro suo noua et uetera, Christus est, proferens de impenetrabili scientia sua, gemina testamenta: uetus, in quo felicitas terrena promittitur: nouū, per quod regnum cœlorum speratur. Idem lib. 4. de Sermonum proprietate, cap. 1.

Vnde fit, docet Rabanus, inquiens: Vnus atq; idem author est ueteris ac noui Testamenti, Deus. in epistola ad Bonosum abbatem. Item: Per uirtutem & sapientiam Dei, Dominum uidelicet Christum, totus ordo ueteris & noui Testamenti conditus est. Rabanus lib. 9. in Ecclesiast. cap. 7.

De ueteri Testamento inquit Rabanus: Cum enim salubria prȩcepta in lege, de charitate, de castitate, de continentia, & de misericordia, cæterisq; uirtutib, autoritate diuina proferuntur. omnino cum honore suscipienda, & cum magna diligentia seruāda sunt: quòd in hoc se quisq; probat ipsius ueritatis deuotū esse discipulū, & mandatorū Dei custodem diligentissimū, si cōsentiat legi Dei, & credit illis quæ in ea scripta sunt. Hinc quoque ipse ad incredulos Iudæos & contra se altercantes, ait: Si crederetis Mosi, crederetis forsitan & mihi, &c. Hinc & alibi in Euangelio legitur, Abrahā de inferno ap se clamāti & postulanti, ut Lazarū mitteret in domū patris sui, quatenus testaretur, ne ipsi uenirent in locum ipsum tormentorū: respōdisse: Habent Mosen & prophetas, audiant illos. At ille dixit: Non pater Abrahā: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Mosen & prophetas nō audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Ac si patienter diceret: Si legi & prophetis, iusticiam & ueritatem docentibus non acquiescunt: nec Christo qui ex mortuis resurrexit, & Euangelij doctrinam annunciat, ritè obediunt. In epistola ad Reginbaldum chorepiscopum.

De fine ueteris Testamenti, inquit Rabanus: Omnes prophetæ testimonium perhibuerūt incarnationi Saluatoris nostri. lib. 8. in Ecclesiasticum, cap. 7. Et: Ritus sacerdotij ueteris Testamenti figuram per omnia gerebant noui testamenti, & ueri sacerdotis Domini nostri Iesu Christi. Idem lib. 10. in Ecclesiasticum, cap. 9.

DE NOVO TESTAMENTO.

HAymo inquit: Lex æternam requiem non dabat, nec de ea agabat, sed de significatione illius quietis: & in hoc erat totus finis, quia lex præcipiebat in sabbato feriari, quod erat signum futuræ quietis. Sed in nouo Testamento iam requiem ueram obtinemus. super 119. Psalmum.

De fine noui Testaméti, inquit Rubanus: In prædicatione sacri Euangelij, præparata: est uia salutis, et aditus patuit regni cœlestis: lib. 9. in Ecclesiasticum, cap. 7. Et: Rudimenta noui Testamenti, quoscunq; ex aqua & spiritu regenerant, mox uitę cœlestis introitū aptos reddunt: quod longa legis observatio nequaquam facere ualebat. libro 9. in Ecclesiasticum, cap. 1.

De cōuenientia duorum Testamentorū, Haymo ait: Sicut labia cōueniūt ad aliquod uerbū formandū, ita duo Testaméta in promissione remissionis peccatorū cōueniūt. super 15 Psalm. Item: Abyssus abyssum inuocat: id est aliud Testamentū, aliud inuocat. Nouum inuocat uetus, quasi testimonium sui: uetus inuocat nouum, ad complendum ea que promittuntur in ueteri. Per abyssum ideo Testamentum intelligimus: quia sicut abyssus est magna profunditas, ita in Testamentis est magna profunditas sapientiæ & cognitiōis Dei. Idē super 41 Psal. Itē: In Christo cōuenerunt uetus & nouū Testamentū: quia in ipso omnia promissa per prophetas, sunt cōpleta, & ob id ueritas dicitur. Et quia nobis remissionē, & alia beneficia dedit per solam misericordiam suam, ob id dicitur misericordia.

sericordia. Idem super 80. Psalm.

Rabanus inquit: In nouo & ueteri Testamẽto, est agnitio ueritatis: quia per ipsa demonstratur fides ac doctrina Saluatoris. lib. 6. in Ecclesiastic. cap. 2.

Remigius: In duobus Testamentis præcepta sunt eadem. Quia hæc precepta, Non mœchaberis, Non furtũ facies, &c. in utroque Testamento sunt eadem. promissa autẽ duorum Testamẽtorum, sunt diuersa: quia promissa ueteris Testamenti sunt hæc: Terra Chanaan, terra copiosa, abundans lacte & melle: regnum temporale, subiectio inimicorum, fœcunditas uxorum & filiorum: nouum autem Testamentum tibi promittit regnum cœleste, subiectionem uerò inimicorum, de quibus dictum est: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem. Sic sunt promissa diuersa duorum Testamentorum. Sed nota, quia promissa ueteris Testamenti præcedebant: quia prius animale, deinde quod spirituale. in 73. Psalm.

De discrimine ueteris & noui Testamenti, inquit Haymo: Vetus lex prius erat inutilis ad literam: modò intellecta per nouam legem, ad noticiam multorum directa est. Super orationẽ Habacuc. Et: In ueteri Testamento iusticia seminatur, in nouo misericordia metitur. Super 10. cap. Oseæ.

Rabanus inquit: Moses populum per desertum duxit, sed tamen ultra Iordanem, in terram repromissionis nõ introduxit. Quia uetus Testamentum, licet futuram in cœlis patriam in scriptis suis promiserit: tamẽ non nisi per Iesu Christi ductum, aditum regni cœlestis ullus adeptus est. Lib. 3. cap. 1. de Sermonum proprietate.

Angelomus ait: Moriente illo in cruce, idem uelum scissum est medium, à summo usq; deorsum: ut apertè doceretur, quia figuræ legales iam tunc ad finem uenissent: ac ueritas Euangelij, arcanaque cœlestia, & ipse cœli ingressus, non adhuc prophetandus, ac figuraliter significandus, sed iam iamque esset proximè omnibus aperiendus, qui ab initio mundi usque ad id temporis, in fide ueritatis de mundo transierunt. in 6. cap. lib. 3. Regum.

DE DEO

DE appellationibus ait Rabanus: Primùm apud Hebræos Dei nomen Heli dicitur (quod alij Deum, alij etymologiã eius exponentes ἀνδρεῖος, id est fortis, interpretati sunt) id quod nulla infirmitate opprimitur, sed fortis est, & sufficiens ad omnia perpetranda. Secundum nomen, Elohim. Tertium, Eloe: quod utrumq; in Latinum Deus dicitur. quod nomen in Latinum est ex Græca appellatione translatũ. Nam Deus Græcè θεὸς, βοῖθος dicitur, id est, timor. Quartum nomen est, Sebaoth: quod uertitur, Exercituum siue uirtutum, de quo in Psalmo dicitur: Quis est iste rex gloriæ? Sunt autem in huiusmodi ordinatione uirtutes multæ: ut angeli, archangeli, principatus & potestates, cunctiq; cœlestis militiæ ordines: quorum tamen ille Dominus est. Omnes enim sub ipso sunt, eiusque dominatui subiacent. Quintum nomẽ, est Elion: quod interpretatur in Latinum, Excelsus, qui super cœlos est, sicut scriptum est de eo: Excelsus Dominus, & super cœlos. Sextũ, Eheia: id est, qui est. Deus enim solus, quia æternus est, hoc est, quia exordium non habet, essentiæ nomen tenet. Septimum, Adonai: quod generaliter interpretatur Dominus, quòd dominetur creaturæ cunctæ: uel quòd creatura omnis eius dominatui deseruiat. Octauum, Ia: quod in Deum tantum ponitur: quod etiam in Alleluia in nouissima syllaba sonat. Nonũ, Tetragrammaton: hoc est, quatuor literaram: quod propriè apud Hebræos in Deo ponitur. Decimum, Saddai: id est, Omnipotens. Lib. 1. cap. 1. de Proprietate sermonum.

Quòd autem Deus existat, Haymo docet, inquiens: Deus omnipotens solus habet essentialiter esse: & qui adherent ei per fidem & dilectionem, illi utiq; habent esse ab illo. super 4. ad Romanos.

Rabanus inquit: Dominꝰ Iesus Christus, Deus & Dominus est cœli & terræ, & uniuersa creatura subiecta est sub pedibus eius: omniaq; quæ uult facit, in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis: nec est potestas quæ ei contradicere possit, quia cuncta in ditione eius sunt posita: nec est qui possit resistere uoluntati eius: Dominus enim uniuersorum ipse est. idcirco omnes properent ad illum, quærentes ac eo sanitatẽ corporum, & salutem animarum suarum quia ipse erigit elisos, soluit compeditos, illuminat cæcos, diligit iustos: ipsius q; clementiam assiduis precibus implorent, sperantes in misericordia eius, ut eripiat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Beneplacitum enim est super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius, &c. In epistola ad Reginbarium chorepiscopum.

Definitionẽ Dei, nullam quidem expressè tradunt: uerùm rectè de Deo senserunt & communem doctrinam retinuerunt: ideo tantum proprietates quasdã adscribemus.

AEternus. Rabanus inquit: Deus qui creator est omnium, æternitate sua tempora nostra comprehendit. In epistola ad Hunbertum episcopum. Item: Deus hoc est, quod habet, æternitatem quippe habet: sed ipse est æternitas. lucẽ habet: sed lux sua ipse est. claritatem habet: sed ipse est claritas sua.

Non est ergo in eo aliud esse, & aliud habere. ibidem.

Immortalis. Rabanus inquit: Deus dicitur immortalis, quia solus habet immortalitatẽ, quia in eius natura nulla est cõmutatio. Nam omnis mutabilitas non incõuenienter mortalitas dicitur, secũdum quod & anima dicitur mori: non quia in corpus uel aliquam aliam substantiã mutatur & uertitur, sed in ipsa sua substãtia, quicquid alio modo nunc est, aut fuit secundum id quod destitit, quod erat mortalis utiq; deprehẽditur. At per hoc Deus solus dicitur immortalis qa solus incõmutabilis, incorruptibilisq; appellatur: quia corrũpi & dissolui nõ potest, nec diuidi. Quicquid enim capit diuisionem, & interitum capit. lib. 1. de Sermonum proprietate, cap. 1.

Immutabilis. Haymo: Deus omnipotens non potest mutari, aut in melius aut in deterius: sed semper idem & æqualis manet, & incorruptibilis solus existit. Super 1. ad Romanos. Et: Solus Deus semper idem est, immutabilis ueritas, immutabilis, sempiternus, immutabilis natura, immutabilis substantia: & quicquid de eo dici potest, semper idem est quod fuit & erit. Idem super euangelium feriæ tertiæ post Remiscere.

Rabanus: Nihil est natura immutabile, nisi solus Deus pater & filius & spiritus sanctus: qui mutari non potest à bono, quia natura possidet bonum, nec potest aliud esse quàm bonus. libro quarto de Sermonũ proprietate, cap. 10.

Inuisibilis. Rabanus: Inuisibilis Deus dicitur, quia nunquam per substantiam suam apparuit oculis mortalium trinitas, nisi per speciem subiectæ creaturæ, eiusdemq; corporeæ. Nam nemo potest ipsam manifestationem essentiæ uidere, & uiuere: sicut & dictum est Mosi. Vnde & Dominus in Euangelio ait: Deum nemo uidit unquam. Inuisibilis enim res est: ideoq; nõ oculo, sed corde quærendus est. libro 1. de Sermonũ proprietate, cap. 1.

Omnipotẽs est. Rabanus inquit: Deũ qui omnipotẽs est, & non est personarum acceptor, omnia nouit, & omnia nutu potentiæ suæ ad quod uoluerit, conuertere poterit, assiduè deprecamur, ut ipse tuam causam agere, teq; defendere, & iudicium tuũ ad bonum finem perducere dignetur: ut sicut modò tibi condolentes socios fecit esse passionum, sic & per gratiam socios tribuat fieri consolationum. Dilectionem tuam diuinitas Domini nostri Iesu Christi diu hic incolumem conseruare dignetur. Rabanus in epistola ad abbatem quendam.

Omniscius. Rabanus: In omnipotente Deo ea quæ secutura sunt tempora, præsentia semper consistunt: cui nec futura ueniũt nec præterita discedunt, sed cuncta simul ante eius oculos adsistunt. Fuisse, uel futurũ esse, æternitas non habet: cui nimirum nec præterita transeunt, neq; futura superueniunt: quia cũcta præsens uidet. lib. 5. in Ecclesiasticum, cap. 11.

Impassibilis. Rabanus: Impassibilis Deus est, qui nullis perturbationib. afficitur, quibus fragilitas humana succumbit. Non enim attingunt eum ullæ passiones, ut libido, iracundia, cupiditas, timor, mœror, inuidia, &c. quibus mens humana turbatur. Sed cum dicitur Deus irasci, aut zelare, aut dolore, nostro usu dicitur. Apud Deum enim perturbatio nulla est, apud quem tranquillitas summa est. Simplex autem dicitur: siue non amittendo quod habet, seu quia non est aliud ipse, & aliud quod in ipso est, sicut in homine: cuius aliud est esse, & aliud sapere. Nam & esse potest, & sapiens non esse. Deus habet essentiam, habet & sapientiam: sed quod habet hoc est, & omnia unus: ac proinde simplex est, quia non in eo aliquid recedere potest. Sed quod est, & quod in ipso est, essentialiter est: excepto quod relatiuè ad quamcunque personam est. Summè bonus, quia incõmutabilis: creatura uerò bonum, sed non summum est, quia mutabilis est: & dum sit quidem bonum, non tamen esse potest, & summum. In corporeus autem, uel in corporalis ideo dicitur Deus, ut spiritus intelligatur uel credatur esse, nõ corpus. Immensus, quod cuncta ita concludat, & ipse à nullo concludatur, sed omnia intra eius omnipotentiã connectantur. Perfectus dicitur, quia nihil ei potest adijci. libro 1. de Sermonũ proprietate, cap. 1.

Verax. Remigius inquit: Et omnia opera eius, quæ iubet fieri sunt in fide: scilicet neminem fallentia. Nulla enim sunt sine retributione. Qui misericorditer dignatus est remunerationem promittere, fideliter uult persoluere. Teneamus fidelissimum debitorem, quia habemus misericordissimum promissorem: fideliter exhibebit, si fideliter exigamus: quia opera eius sunt in fide, & nostra sint in fide. In Psalmum trigesimum secundum.

Bonus. Haymo: Dei bonitas est ineffabilis, omniũ rerum bonitatem transcendens: quia nihil bonum, nisi participatione huius summi boni. super quintum caput Cantici canticorum.

Iustus. Haymo: Deus pater iustus & sanctus est, cuius est filius Iesus Christus, Dominus est Saluator noster. super 1 cap. Haggæi

Raba-

Rabanus: Dei iudicium iniuſtum eſſe nullo modo credimus. In epiſtola ad Otgarium archiepiſcopum.

Miſericors. Idiota inquit: Dei proprium eſt, miſereri & parcere, qui omnipotentiam ſuam ſemper parcendo & miſerendo manifeſtat. capite tertio, de Innocentia perdita. Item: Chriſtus errantes reducit: eſt miſericors & miſerator, & neminem uult perire, ſed ſaluat ſperantes in ſe. Idiota cap. 31. de Amore diuino.

Rabanus: O immenſa clementia, & inæſtimabilis, bonitas cõditoris noſtri: qui à ſuperbis contemptus, non ultionem ſupplicij peccantibus ingerit, ſed cõuerſis per pœnitentiam indulgentiam promittit: & non tantum uni genti Iudęorũ, ſed ad oẽs nationes gentium ſermonem predicationis per prophetam dirigit, ſi quo modo reuertatur unuſquiſq; à uia ſua peſsima, & per Domini miſericordiam peccatorũ ſuorum obtineat ueniam. lib. 13. in Hieremiam, cap. 36.

Liber. Rabanus inquit: Licet in quarundam ſententiarũ expoſitionibus, aliquantulum ab inuicem diſcreparent: tamen omnes id ſentire mihi uidebantur, ut hominis initium & medium & finis, in uoluntate ac poteſtate Dei cõſiſteret: quòd in manu eius ſũt omnes fines terræ, & omnia quæcũq; uult, facit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſsis: nullamque eum neceſsitatem cõſtringere, ut nõ poſsit facere quod uelit, aut mutare ſententiam, ſi uoluerit, quòd in uoluntate eius uniuerſa ſunt poſita, & non eſt qui poſsit reſiſtere uoluntati eius. Sciendum tamen eſt, quòd nequaquam eius ſubſtantia per tempora uarietur. Vnde nõ eum modò uelle hoc, modò illud uelle: ſed ſemel, & ſimul, & ſemper uelle omnia quæ uult, non iterum, & iterum: neq; nunc iſta, nũc illa: nec uelle poſtea quod nolebat, aut nolle quod uolebat prius: quod talis uolũtas mutabilis eſt, & omne mutabile æternũ non eſt. Deus autem noſter æternus. Vnde quoniam omnia pręterita, pręſentia, atque futura illi ſemper præſentialiter adſunt, & ipſe ab initio omnia nouit, & præſentia eius eum nunquam fallere poteſt: credendũ mihi uidetur, quòd nihil ei noui accidere poſsit. ſed omnia quæ, quando, & quomodo uentura ſunt, eius noticiæ certitudine ab initio comprehendit. In epiſtola ab Humbertum epiſcopum.

Punit malos. Omnipotens nullum peccatum impunitum dimittit. Rabanus in epiſtola ad Otgarium archiepiſcopum.

Rabanus inquit: Perfectus Deus dicitur, quia nihil ei poteſt adijci. Et tamen de conſummatione alicuius facti, perfectio dicitur. Deus autem qui non eſt factus, quo modo eſt perfectus? Sed hoc uocabulum de uſu noſtro ſumpſit humana inopia, ſicut & reliqua uerba: quatenus id quod in effabile eſt, utcunq; dici poſsit: quomodo de Deo nihil dignè humanus ſermo dicit, ſicut ſunt & alia. libro 1. capite 1 de Sermonum proprietate.

Multas Dei proprietates coniungit Rabanus, dicens: Deus creator, qui hominem ad ſuam ſimilitudinem creauit, eſt caritas, eſt bonus & iuſtus, atque mitis, mundus & miſericors. libro quarto in Eccleſiaſticum, capite quinto. Item: Nihil creatum, aut ſeruiens, in trinitate credendũ: ut uult Dionyſius, fons Arij: nihil in æquale, ut Eunomius: nihil gratia æquale, ut uult Aethius: nihil anterius, poſterius ue, aut minus, ut Arius: nihil extraneum aut officiale alteri, ut Macedonius: nihil perſuaſiõe aut ſurreptione inſertũ, ut Manichæus: nihil corporeũ, ut Melito & Tertullianus: nihil corporaliter effigiatũ, ut Anthropoformis, ut Vadianus: nihil ſibi inuiſibile, ut Origenes: nihil creaturis uiſibile, ut Fortunatus: nihil motib. uel uoluntate diuerſum, ut Marcion: nihil trinitatis eſſentia ad creaturarũ naturã deductũ, ut plato & Tertullianus: nihil officio ſingulare, nec alteri cõmunicabile, ut Origenes: nihil confuſum, ut Sabellius: ſed unum perfectum, quia totum ex uno: & unum, non tamen ſolitarium, ut præſumunt Silianus & praxetes, penta politana damnabilis illa doctrina ὁμοούσιος ergo, id eſt, in diuinitate patrĩ filius: ὁμοούσιος patri & filio ſpiritus ſanctus. libro quarto de Sermonum proprietate, capite decimo.

DE VNITATE DEI.

Quòd unus ſit Deus, Haymo docet: Vnus eſt Deus pater, & filius, & ſpiritus ſanctus. Vnde nõ in nominibus, ſed in nomine Trinitatis, quæ unus eſt Deus, ſacramentũ baptiſmi peragitur. ſuper 3. Ionæ cap.

Rabanus inquit: Deus iſte quem nullus deorum gentilium negare auſus eſt uerum Deum: quia & ſi negaret, non ſolùm ſubiaceret debitis pœnis, uerumetiam certis conuinceretur effectis. Iſte ergo Deus illos falſos eſſe deos, & omnino deſerendos, eorũq; templa, ſimulachra & ſacra euertenda, per ſuos uates, hoc eſt prophetas, aperta denunciatione prædixit, aperta poteſtate præcepit. aperta ueritate compleuit. In epiſtola ad Bonoſum abbatem.

DE TRINITATE.

Cognitio ſanctæ trinitatis in ueteri & nouo Teſtamento cõtinetur. Haymo ſuper 14. caput ad Romanos.

Rabanus: Habemus diſtinctam quodammodo trinitatem: in uoce patrem, in homine filium, in columba ſpiritum ſanctum.

de ſancta trinitate cap.1. Item: Fides enim noſtra, id eſt, fides noſtra, fides recta, fides datholica: non opinione præſumptionis, ſed teſtimonio lectionis collecta: nec hæretica temeritate incerta, ſed Apoſtolica ueritate fundata, hoc inſinuat: hoc nouimus, hoc credimus: hoc etſi nõ uidemus oculis, nec adhuc corde, quamdiu fide mũdamur, ipſa tamen fide certiſsimè, hoc robuſtiſsimè retinemus, patrem & filium & Spiritum ſanctum, inſeparabilem eſſe trinitatem, unũ Deum, non tres deos: ita tamen unum Deũ ut filius non ſit pater, ut pater non ſit filius, ut Spiritus ſanctus nec pater ſit, nec filius: ſed & patris & filij & ſpiritus hanc ineffabilem diuinitatem apud ſeipſam manentem, omnia innouantem, creantem, mittentem, recreantem, iudicantem, liberantem. Hanc ergo trinitatẽ ineffabilem ſimul nouimus & inſeparabilem. capite ſecundo de trinitate & unitate.

TRES PERSONAS ESSE, Vnum Deum.

Quòd etſi tres ſint perſonæ, tamen unus ſit Deus, Haymo docet, inquiens: Tribus perſonis poſitis non dicit Intendite: ſed Intende. quia ſancta Eccleſia unitatem intelligit in trinitate. ſuper quintum Pſalmum. Et: Trinitas in perſonis, & unitas in maieſtate. ſuper ſextum caput Hoſeæ. Item: Quorum una uirtus eſt naturæ, & ſubſtantia una, horum una eſt operatio indiuiſa: qui uidelicet Deus, operatur omnia in omnibus. ſuper 12. ad Corinthios epiſtolę 1. Item: Quorum inſeparabilis eſt unitas, eorũ inſeparabilis eſt etiam operatio. lib 1. ſuper primum caput Apocalypſis. Item: Notandum, cum ſancta animalia ter dixerunt: Sanctus, ſanctus, ſanctus: ad ſingularem nummerum redeunt, dicentia: Dominus Deus omnipotẽs: quia licet trinitas ſit in perſonis, unitas eſt in maieſtate: qui erat ante omnia ſecula & qui eſt immutabilis. Idem libro ſecundo ſuper 4. Apocalypſis: Item: Omnia in ſapientia feciſti. Si igitur omnia in ſapientia fecit Deus, id eſt, in filio ſuo, coæterno ſibi & cõſubſtantiali: filius utiq; omnium principium eſt. Nunquid & pater poteſt dici principiũ? Vtique rectè dicitur & pater principium, non tamen duo principia, ſicut pater Deus, & filius Deus: non tamen duo principia, ſed unum principium faciendum eſt. Ergo & Spiritus ſanctus principium eſt: non tamen tria principia, pater & filius & ſpiritus ſanctus, ſed unum principium: ſicut pater Deus, filius Deus, ſpiritus ſanctus Deus: non tamen tres dij, ſed unus Deus ſicut pater omnipotens, filius omnipotens, ſpiritus ſanctus omnipotens: non tamen tres omnipotentes, ſed unus omnipotẽs. Id enim quod pater ad ſe eſt, Deus eſt: quod ad filium eſt, pater eſt. Quod filius ad ſe ipſum eſt, Deus eſt: & quod ad patrem eſt, filius eſt: & ſpiritus ſanctus quod ad ſe eſt, Deus eſt: quod ad patrem & filium, ſpiritus ſanctus eſt, ex patre & filio procedens, unius ſubſtantiæ, poteſtatis & maieſtatis cum patre & filio. Haymo ſuper Euangelium feriæ tertiæ poſt Reminiſcere. Item: Notandum quòd non ait: Baptizãtes eos in nominibus patris, filij, & ſpiritus ſancti: ſed, in nomine: ut indiuiduum trinitatem Deum eſſe inſinuaret. quia etſi trinus eſt in uocabulis, unus tamẽ eſt in natura: quoniam Deus pater, Deus filius, Deus eſt ſpiritus ſanctus. In Euangeliũ feriæ ſextę Paſchæ.

Rabanus inquit: Deus pater, Deus filius, Deus ſpiritus ſanctus, tres habẽs perſonas. libro quarto in Eccleſiaſticum, capite quinto. Item: Chriſtus cum patre & ſpiritu ſancto unus eſt Deus. Ipſe eſt ſolus Deus, pater & filius & ſpiritus ſanctus, ſemetipſum per omnia nouit, & conſilij ſui uerus agnitor eſt. libro ſexto in Eccleſiaſticum, capite ſecundo. Et: Quòd clamant duo Seraphin in Eſaia, ter ſanctus alter ad alterum: trinitatis in una diuinitate demonſtrat myſteriũ. libro primo de Sermonum proprietate, capite decimoquinto. Et: Trinitas appellata, quòd fuit totum unum ex quibuſdam tribus, quaſi trinitas: ut memoria, intelligentia, & uoluntas: in quibus mens habet in ſe quandam imaginem diuinæ trinitatis. Nam dum tria ſunt, unum ſunt: quia & ſingula in ſe manent, & omnia in omnibus. Omnis itaq; Scriptura ueteris ac noui Teſtamenti, diuinitùs inſpirata, ſi catholicè intelligitur, hoc inſinuat, quòd pater & filius & ſpiritus ſanctus unus ſit Deus, eiuſdemque ſubſtantiæ, uniusq; eſſentiæ, atque inſeparabilis in diuinitatis unitate. Ideoq; nõ ſunt tres dij, ſed unus pater, & filius & ſpiritus ſanctus: quamuis Pater filium gẽuerit, & ideo filius non ſit qui pater eſt: filiusq; à patre ſit genitus, & ideo pater non ſit qui filius eſt: ſpiritus ſanctus nec pater ſit, nec filius, ſed tantum patris & filij ſpiritus, patri & filio etiam ipſe coæqualis, & ad trinitatis pertinẽs unitatem. Et hæc trinitas, unus eſt Deus, ex quo omnia: beato Paulo atteſtante, qui ait: Quomodo ex ipſo, & per ipſum, &c. Igitur firmiſſimè credimus, patrem & filium & ſpiritum ſanctum, unum eſſentialiter Deum: neq; tamen ipſum patrẽ eſſe qui filius eſt, nec filium ipſum eſſe qui pater eſt, nec ſpiritum ſanctum ipſum eſſe qui pater aut filius eſt. Vna eſt enim patris & filij & ſpiritus ſancti eſſentia: in qua non eſt aliud pater, aliud filius, aliud ſpiritus ſanctus: quamuis perſonaliter alius ſit

pater, alius filius, alius ſpiritus ſanctus.
Quod nobis maximè in ipſo ſacrarum Scripturarum dèmonſtratur initio, ubi Deus dicit: Faciamus hominem ad imaginem, &c. Cum enim ſingulari numero dixit Imaginem, oſtendit unam naturam eſſe, ad cuius imaginem homo fiebat: cum uerò pluraliter dixit Noſtram, oſtendit Deum, ad cuius imaginem homo fiebat, non unam eſſe perſonam. Si enim illa una eſſentia patris & filij & ſpiritus ſancti, una eſſet perſona: non diceretur ad imaginem noſtram, ſed ad imaginem meam: nec dixiſſet, Faciamus: ſed, Faciam. Si uerò in illis tribus perſonis, tres eſſent intelligendæ & credendæ ſubſtantiæ: non diceretur ad imaginem noſtram, ſed ad imagines noſtras. Sed ad unam imaginem unius Dei homo factus dicitur, ut una ſanctæ trinitatis eſſentialiter diuinitas intimetur. Hanc quoque Trinitatem perſonarum, atq; unitatem naturę, propheta Eſaias reuelatam ſibi non tacuit, cū ſe dicit audiſſe Seraphin clamantia: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Sebaoth. Vbi prorſus in eo quòd dicitur tertio ſanctus, perſonarum trinitatem: in eo uerò quòd ſemel dicitur Dominus Deus Sebaoth, diuinæ naturæ cognoſcimus unitatem. Planè abſq; dubitatione credendum eſt, patrem & filium & ſpiritum ſanctū, unum eſſe Deum: Patrem omnipotentem: æternum, incōmutabilem, & ſinguli horum Deus, & ſimul omnes unus Deus: & ſingulis quibuſq; horū plena & perfecta & æterna ſubſtantia, & ſimul omnes una ſubſtantia. Quia quicquid eſt pater, quo Deus eſt, quo ſubſtantia eſt, quo ęternitas eſt: hoc filius, hoc Spiritus ſanctus eſt. Ita etiam & filius eo quo eſt Deus, quo ſubſtantia eſt, quo æternitas eſt: hoc pater eſt, & ſpiritus S. Vna in tribus diuinitas, una eſſentia, una omnipotētia, & quicquid ſubſtātialiter de Deo dici poteſt. Si fortè de patre ſolo interrogatus fueris, qd ſit pater? reſpōde, Deus. Interrogatus de filio: reſponde, Deus. Interrogatus de ſpiritu ſancto: reſpōde Deus. Si interrogatus fueris ſimul de patre & filio & ſpiritu ſancto: non Deos, ſed Deum reſponde, unum omnipotentē, incōmutabilem. Sciēdum, quòd quædā de Deo ſubſtantialiter dicūtur: ut eſt Deus magnus, omnipotens, & quicquid ad ſe dicitur, id eſt ſubſtantiam diuinitatis ſignificans. Quædā item relatiuè dicūtur: ut pater ad filiū, filius ad patrem, & ſpiritus ſanctus relatiuè ad patrem & filium. Ad ſe autem ſiue pater, ſiue filius, ſiue ſpiritus ſanctus, Deus dicitur. Itaq; pater eo ipſo quo Deus eſt, hoc ipſo ſubſtantia: quia eiuſdem ſubſtantiæ filius, proculdubio & filius Deus, & ſpiritus ſanctus Deꝰ. At uerò Deus eo quo pater eſt, relatiuè dicitur: quia nō ſubſtantiæ nomen eſt, ſed refertur ad filiū. Non ſic dicimus, filiū patrē eſſe, quādo dicimus filiū Deum eſſe: nec ita dicimus patrem filiū eſſe, ſicut dicimus Deū eſſe: quia Deus ſubſtātialiter dicitur, pater & filius & ſpiritus ſanctus relatiuè dicūtur. Rabanus lib. 1. de Sermonum proprietate, cap. 4. Item: Chriſtus Dei ſapientia, ſecundū diuinam naturā in altiſsimo habitat: hoc eſt. ſupra omnem altitudinem cœleſtis regni, ſimul cum patre & Spiritu ſancto unus Deus regnat, lib. 5. in Eccleſiaſticum, capite 13.

Angelomus inquit: In pace Eccleſię, prę-ſules eius ſeu ſacerdotes ſimplici prædicatione, populū ſibi creditū fide informantes, non alia de Deo, neq; incapabilia illis proponunt: ſed ut ſimpliciter credant in patrē & filium & ſpiritum ſanctum, eſſentialiter unum & uerum Deum, trinum uerò perſonaliter. in 13. cap. lib. 1. Regum.

Remigius ait: Cantate Domino canticū nouum, &c. non quòd tres perſonæ Deitatis ſunt in eſſentia unitatis: ideo cum dixiſſet ilijs tribus perſonis cantandū eſſe æqualiter, ſubiunxit: Benedicite nomini eius. In Pſalmum 95. Item: Pſallite Deo noſtro, pſallite, patri uidelicet: pſallite regi noſtro, filio: pſallite Spiritui ſancto. in 46 Pſalmum.

DE DISCRIMINE PERſonarum.

Haymo inquit: Nec pater aliquando mutatur in filium, aut filius in patrem, neq; ſpiritus ſanctus in patrem aut filium: ſed pater ſemper eſt pater, filius ſemper eſt filius, ſpiritus ſanctus ſemper eſt ſpiritus ſanctus. Non enim diuina natura uel ſubſtantia mutari poteſt. Super Euangelium in die Natiuitatis. Item: Quamuis filium patri dicamus & credamus æqualem, nec ullam in eis eſſe naturæ uel ſubſtantiæ diſtantiam, nec inter generantem atque generatum aliquod interfuiſſe interuallum: tamē hoc ſeruato & cuſtodito, iſta dicimus, quòd ille pater eſt, ille filius. Pater autem no neſt, ſi non habeat filium: filius non eſt, ſi non habeat patrem. Sed tamen filius Deus de patre: pater autem Deus, ſed non de filio pater. Deus de Deo, lumen de lumine. Pater lumen, filius lumen: non duo lumina, ſed unum lumen. Pater Deus, filius Deus: non duo dij, ſed unus Deus pater & filius. Spiritus ſanctus de patre & filio procedens, & ipſe Deus. Sicut pater Deus, ſicut filius Deus, ſic etiam ſpiritus ſanctus Deus: non tres dij, ſed unus Deus, unum lumen, una ſubſtantia, una natura, una maieſtas, una æternitas, una magnitudo, una potentia, una bonitas. ſuper Euangelium feriæ tertiæ poſt Lætare. Item: Pater uita eſt, non naſcendo: filius uita eſt,

est,nascendo. Pater de nullo patre, filius de Deo patre. Pater propter filium est,filius uerò & quòd filius est, ꝓpter patrē est: & quòd est,à patre est,super Euang.feriæ 5. post Lætare. Et: Habet pater quod non habet filius,habet filius quod non habet pater, habet spiritus sanctus quod habet pater & filius. Pater habet æternitatem,sine natiuitate:filius habet æternitatem, cum natiuitate: spiritus sanctus à patre filioq; procedit. Ergo pater ingenitus,filius ingenitus,spiritus sanctus nec genitus, nec ingenitus, sed à patre & filio procedit.In sermone de cōfessione Iesu.Matth.11.

Rabanus ait:Credimus unumDeum esse patrem & filium & spiritum sanctum: Patrē eo quòd habeat filium:filium eo quòd habeat patrem, spiritum sanctum eo quòd ex patre & filio procedat. Pater ergo principiū Deitatis: qui sicut nunquam fuit non Deus, ita nunquam fuit non pater. A' quo filius natus, à quo spiritus sanctus non natus: quia non est filius, neque ingenitus, quia non est pater, neq; factus spiritus sanctus: quia nō est ex nihilo,sed ex Deo patre & Deo filio Deus procedens.Pater æternus eo quòd habeat filium æternum, cuius æternus sit pater: filius æternus, eo quòd sit patri & spiritui sancto coæternus: spiritus sanctus æternus,eo quòd sit patri & filio coæternus: non confusa in una persona trinitas,ut Sabellius dicit: neque separata aut diuisa in natura diuinitas,ut Arrius blasphemat: sed alter in persona pater, alter in persona filius, alter in persona spiritus sanctus: unus in natura in sancta trinitate Deus pater & filius & spiritus sanctus.libro 3.capite 10. de Sermonis proprietate.

DE PATRE.

Rabanus ait de Patre:Pater origo est diuinitatis. libro 6.in Ecclesiasticum,cap.2.

DE FILIO DEI.

Appellationes quasdam filij Dei exponūt Patres.ut,

Haymo:Filius uultus Dei dicitur:quia & ei est consubstantialis,& ipsius plena repræsentatio.super 45.Psalmū.Item: Christus est uirtus & sapientia patris.super 62.Psal.

Rabanus in epistola ad Humbertum episcopum,Christum uocat principem pastorem,& iudicem omnium,uiuorum ac mortuorum,

Christus dicitur leo,propter fortitudinē. Rabanus libro 5.in Ecclesiast.cap.1.

Christus appellatur sol:quia & lumen sapientiæ diuinæ est,& splendor iusticiæ. lib. nono in Ecclesiast.cap.5.

Sapientia Dei,quæ est Christus, profunditatem nouit consiliorum Dei, & diuersos tractatus cordis humani ipse scrutatur.Ibid.

¶ Quædam nomina in Christo ex diuinitatis substantia, quædam ex dispensatione susceptæ humanitatis assumpta sunt.Rabanus lib.1.cap. 2. de Sermonum proprietate. Et Emanuel ex Hebræo in Latinum, significat nobiscum Deus:scilicet quòd per uirginem natus Deus,hominibus in carne mortali apparuit.Deus dicitur, propter unitam cum patre substantiam. Ibid. Et: Dominus noster Iesus Christus, angelus typicè nuncupatur,unde Propheta ait:Venit ad templum suum dominator,quem nos uultis, & angelus testamenti,&c.Ioannes præcursor, in Malachia angelus uocatur. Vocantur & sancti prædicatores,angeli:ut,Angeli pacis,amarè flebunt.quod nomen non per naturā,sed per officium administrationis sorti ti sunt. Rabanus de Sermonum proprietate lib.1.cap.1.

Remigius ait:Filius Dei uerbum dicitur, quia interpretatur nobis uoluntatem Dei: & os patris, quia per illum nobis locutus. In Psal.32.

CHRISTVM ESSE DEVM.

Studiosè docent ac profitentur,Christum esse Deum.ut,

Idiota inquit:Verbum diuinum,hoc est, filius Dei,qui est splendor paternæ gloriæ qui est candor lucis æternæ,& speculum sine macula,in quem desiderant angeli prospicere,cuius pulchritudinē sol & luna mirantur.capite 2.Contemplationum de uirgine Maria. Item:Filius patri est coæternus & connatutalis. capite primo de Vera patientia. Et : Domine Deus creator & redemptor meus. capite quinto de Conflictu carnis & animæ.

Haymo inquit: Christus unius essentiæ est cum patre & spiritu sancto.super nonum caput ad Romanos. Item :Filius cum patre & spiritu sancto, unus & uerus saluator & Deus est.super 1.cap. ad Titum. Et:Omnia quæ sunt in cœlo & in terra,in mari & in omnibus abysis, per uerbum Dei facta sunt. Cum ergo omnia per illum facta sunt, utiq; patet,quia ipse est ante omnia. Neque enim pater filium præcesit tempore uel origine, sicut nec radius solis uel ignis suum præcedit calorem uel splendorem. Semper enim fuit pater, semper cum eo filius:qui utique à patre non est creatus,sed genitus.lib secundo in Apocalypsin,cap 3.

Rabanus ait: Christus filius Dei, qui est uirtus & sapientia patris, totius sententiæ & prophetiæ,atque omnium bonarum uirtutum author est, & distributor gratiarum spiritualium, unus & solus Deus cum patre & spiritu sancto, regnans per omne secu lum.libro octauo in Ecclesiasticum, cap.18

Item

Item: Christus dicitur unigenitus, per diuinitatis excellentiam, quia sine fratribus: primogenitus per susceptionem hominis, in qua per adoptionem, gratiæ fratres habere dignatus est, quibus esset primogenitus. Principium, eo quòd ab ipso sunt omnia, & quia ante eũ nihil est. Finis, uel quia dignatus est in fine seculorum humiliter in carne nasci & mori: uel quia quicquid agimus, ad illum referimus: & cum ad illum peruenerimus, ultrà quod quæramus non habemus. Verbum autem ita dicitur, quia omnia per eum Pater condidit, siue iussit. Vita quia omnia uiuificat. Imago dicitur, propter similitudinem patris. Virtus, quòd omnem patris potestatem in semetipso habeat, & omnia possit. Paracletus, hoc est aduocatus, quia pro nobis intercedit apud patrem, & ad culpas nostras remouendas curam gerit. Lapis angularis, uel quia duos parietes ediuersò, id est, de circuncisione & præputio, in unam fabricam Ecclesiæ iungit: uel quòd pacé angelis & hominibus in se facit. lib. 1. cap. 2. de Sermonis proprietate.

¶ Quòd Christus sit coessentialis patri, Hincmarus testatur, dicẽs: Christus regnat & uiuit cum patre, consubstantialiter, in unitate Spiritus sancti, per omnia secula seculorum. In epistola ad Hincmarum Laudunensem, cap. 32.

Haymo super Psalmum 44. Filius est cõsubstantialis patri.

Rabanus: Christus ὁμοούσιος patri, ab unitate substantiæ appellatur. lib. 1. cap. 2. de Sermonum proprietate.

¶ Quod Christus sit æqualis patri & spiritui sancto, Idiota ait: Cui (scilicet Christo) cum patre & spiritu sancto æqualis honor, immensa potestas, & intermina gloria in secula seculorum. ca. 6. Cõtemplationum de uirgine Maria.

Esse æternũ, Rabanus docet: Virtus Dei & sapientia (quæ est Christus) semper cum patre erat: & sicut pater sine initio, sic & filius sine initio est. lib. 1. in Ecclesiastic. ca 1. Et: Christus æterna Dei sapientia, semper cum patre est ante secula, fons uitæ, & lux uera est, quæ illuminat omnem hominẽ uenientem in hunc mundũ: à Deo patre natus est, & omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Ibidem. Et: Sapientia Dei, hoc est Christus, sine fine & initio constat, & inenarrabilis atq; inæstimabilis semper manet. Ibidem.

¶ Christum esse inuocandũ, Rabanus mone: Christum dico Dei uirtutem, & Dei sapientiam. Ipse laudauit animam suam, quia omnibus ostendit esse laudabilem uitã suã: & in Deo honorabitur, quia simul cum Deo patre & spiritu sancto in cœlis & in terra adoratur, & in medio populi sui gloriabitur: hoc est, in cœtibus angelicis, & in populis Christianis glorioſus prędicatur. lib. 5. in Ecclesiasticum, cap. 12.

DE GENERATIONE FILII.

Haymo inquit: Deus omnipotens pater, pater est Domini nostri Iesu Christi, tam secundum diuinitatem in qua genuit illũ coęternum sibi, & cõsubstantialem ante omnia secula, quàm secundũ humanitatẽ qua creauit illum in fine temporum in utero uirginali. super 15. cap. ad Romanos, Et: Non est dicendũ, Non erat antequã natus erat: nunquam enim non natus erat, qui patri coæternus erat. Qui sapit, capiat: qui non capit, credat. Nutriatur fide, ut possit capere uerbum Dei, quia uerbũ filius. Semper ergo filius, & semper ęqualis. Non enim crescẽdo, sed nascendo æqualis est: qui semper natus de patre filius, de Deo Deus, de æterno coæternus: Pater aũt non de filio Deus, filius de patre Deus. Ideo Deus pater, ideo gignẽdo dedit ut Deus esset, gignendo dedit ut ęqualis esset. In Euãgeliũ ferię quartę post Iudic.

Rabanus inquit: De patre genitus est filius. lib. 6. in Ecclesiasticum, cap. 2.

Remigius in 44. Psal. Ne putaremus Dominũ patrẽ indigere cõiugio, in generatione filij sui, ostẽdit nobis ipsam generationẽ nõ ab alio, sed à se ipso factã, dicẽs: Cor meũ, id est, intima substantia mea, & secreta essentia mea eructauit, id est, genuit uerbũ bonũ, id est, filiũ, mihi æqualẽ & consubstantialẽ.

QVOD CHRISTVS SIT HOMO.

Idiota inquit: Christus sola dilectione & amore inductus, induit carnem nostram mortalem, sed sine omni peccato: & mortem turpissimam pro nobis miseris uoluntariè sustinuit, & sua morte satisfecit Deo patri. Et sicut ad operandum salutem in medio terræ, ex nimia dilectione semel uenerit in carnem uisibilis: ita quotidie propter maximam dilectionem nostri, ueniat ad saluandas animas nostras, mentes nostras sua potentia inuisibili illustrãdo. cap. 5. de Amore diuino. Item: In creatione homo factus est ad imaginem & similitudinem Dei: sed in redemptione, filius Dei factus est ad imaginem & similitudinem hominis. Maius igitur opus est redemptionis quàm creationis. capite quinto de Conflictu carnis & animæ.

Haymo: Christus natus in fragili carne, nec tentationibus cessit, nec aliqua tribulatione defecit. super 1 Psalmum. Item: Christus in conceptione sine motu libidinis per Spiritum sanctum sanctificatus, stabilis contra omnem impetum diabolicæ tentationis permansit. Ibidẽ. Et: Assumpta humanitas redemptoris, nullã corruptionem, nullam

lam labem admisit. Peccatum enim non fecit. Fragilitatem quidem carnis assumpsit, sed tamen totius peccati immunis fuit. super 5 cap. Cant. Canticorum. Item: Nisi hominem assumeret, mediator nobis alio modo esse non posset. Sed assumendo carnem nostræ fragilitatis, nobis factus est mediator, assistens nunc uultui Dei pro nobis: & per illum nostras preces dirigimus ad Deũ Patrem. super tertium caput ad Galatas. Et: Sicut nos carne & sanguine constamus, sic & Christus participauit carni & sanguini, homo factus. & sicut Christus communicauit nostræ substantiæ, per assumptionem hominis: sic & nos participes eius sumus per assumptionẽ corporis & sanguinis eius. super 2. caput ad Hebr. Item: Quia ergo homo redimendus erat morte filij Dei, non angelus: idcirco non angelicam naturam assumpsit, quæ mortem non potest pati, sed humanam, in qua mori potuisset. Nec angelis est tanta dignitas collata, ut in una persona eorum naturæ filius Dei coniungeretur, quam dignitatem siue honorem humanæ naturæ diuina gratia contribuit, ut Deus & homo una esset persona. Ibidem.

Rabanus inquit: Cæterùm illud corpus quod natum est de Maria uirgine, in quod illud transfertur quod pependit in cruce, sepultum est in sepulchro, resurrexit à mortuis, penetrauit cœlos: & nũc pontifex factus, in æternum quotidie interpellat pro nobis. capite decimoquinto, de sacra Eucharistia. Et: Filius quidem, non pater, est natus de uirgine Maria: sed natiuitatem filij, non patris, de Maria, & pater & filius operatus est. Non est passus quidem pater, sed filius: passionẽ tamen filij & pater & filius operatus est, Nõ surrexit pater, sed filius: resurrectionem tamen filij, & pater & filius operatus est. cap. quinto. de Trinitate & unitate. Item: Sicut secundum diuinitatem filius à patre ante omnia secula natus est: ita ante omnia tempora, in consilio Dei patris prædestinatus est, pro humani generis salute temporaliter incarnari. Verbum enim creationis ad humanam, non ad diuinam pertinet naturam. Sed propter unitatem personæ aliquando dicitur filius genitus, aliquando uerò creatus. libro primo in Ecclesiasticum, capite secundo. Et: Christus sine peccato per uirginem natus. idem de Modo præsentiæ, capite Primo. Et: Christus Saluator noster, super omnia Deus benedictus in secula, de patriarcharum stirpe secundum carnem descẽdit. idem libro primo in Ecclesiasticum, capite decimo. Item: Secundus Adam, id est, Dominus ipse & conditor noster, natus ex uirgine, creatus incorruptibiliter atque incommutabiliter ad imaginem Dei, id est, immunis omnis delicti, & plenus omnis gratiæ & ueritatis: ut imaginem in nobis suam, & similitudinem exemplis suis restauraret, & donis. idem lib. 4. in Ecclesiasticum, capite quinto. Item: Aeterna Dei sapientia Christus, sacramentum incarnationis suæ ante secula præscitum & prædestinatum esse affirmat: cuius uis usq; in seculum, sine ullo sui defectu permanet, & inhabitatione sanctæ Ecclesiæ omnem ritum ueræ religionis ordinando disposuit. libro quinto in Ecclesiasticum, capite decimoquarto. Et: Nullo igitur modo beneficẽtius cõsuli potuit generi humano, quàm cum ipsa Dei sapientia, id est, unicus filius, consubstantialis patri & coæternus, totum hominem suscipere dignatus est, & uerbum caro factum est, & habitauit in nobis. libro quinto in Ecclesiasticum, capite decimoquarto. Item: Ipsa enim natura suscipienda erat, quæ liberanda: & ne quis fortè sexus à suo creatore se contemptum putaret, uirum suscepit, natus ex fœmina est: nihil egit ui, sed omnia suadendo & monendo. ibidem. Et: Quia nullus corporalibus oculis, diuinitatis eius splendorem aliquo modo sufferre potuit: ideo humana natura indutus est, ut fragilitas hominum, splendorem aliquo modo potuisset sufferre diuinũ. Sumpsit uelamen carnis, quo facilius ad se accedere posset conditio hominis. libro nono in Ecclesiasticum, capite septimo. Et: Christus usque ad nostrarum passionũ seu carnis contumelias descendisse cognoscitur: qui dum sit patris coæternus ante secula filius, postquam uenit plenitudo temporis, propter salutem nostram, formam serui accepit: & factus est filius Dei, filius hominis. libro primo, capite secundo, de Sermonum proprietate. Item: Adam figurã Christi gestauit. Nam sicut sexta die formatus est ad imaginem Dei, ita sexta mundi ætate filius Dei formã carnis induit, ut reformaret hominem ad similitudinem Dei. libro secundo, capite 1. de Sermonum proprietate. Item: Elisæus Christum figurauit, qui de montis altitudine, id est, cœlorũ descendens sublimitate, humiliauit seipsum, à forma Dei usque ad formam hominis: ac mortuus, membris sua membra composuit, & nostra mortalitate sui corporis medicinam aptauit. libro tertio, capite secundo, de Sermonum proprietate, Et: Christus corpus, quod de communi humani generis terra nascendo suscepit, resurgendo iam super terrena omnia subleuatum, cœlesti uirtute induit. libro quarto de Sermonum proprietate, capite primo. Item: Non pater carnẽ assumpsit, neque Spiritus sanctus, sed filius tantùm: ut qui erat in diuinitate patris Dei

filius

filius, ipse fieret in homine hominis filius: ne filij nomen ad alterum transiret, qui non esset natiuitate filius. Dei ergo filius, hominis factus est filius: natus secundum ueritatem naturæ, ex Deo Dei filius: & secundum ueritatem naturæ, ex homine hominis filius: ut ueritas geniti non adoptione, nõ appellatione, sed in utraq; natiuitate filij nomen nascendo haberet, & esset uerus Deus & uerus homo, unus filius. Non ergo duos Christos, neq; duos filios, sed Deum & hominem, unum filium, quẽ propterea & unigenitum dicimus, manentẽ in duab. substãtijs, sicut ei naturę ueritas cõtulit: nõ confusis naturis, neq; immixtis, sicut Timochiani uolũt, sed societate unitis. Deus ergo hominẽ assumpsit, homo in Deum trãsiuit: nõ naturæ uersibilitate, sicut Apollinaristæ dicunt: sed Dei dignatione: ut nec Deus mutaretur in humanã substantiã, assumendo hominem, nec homo in diuina glorificatus in Deũ: quia mutatio uel uersibilitas naturæ, & diminutionẽ & abolitionẽ substantiæ facit. lib. 4. de Sermonum proprietate, cap. 10. Item: Natus est Dei filius ex homine, & non per hominẽ: i. non ex uiri coitu, sicut Hebiõ dicit: sed carnẽ ex uirginis corpore trahens, & non de cœlo secum adferẽs, sicut Marciõ, Origenes & Eutyches affirmãt: neq; in phãthasia, i. absq; ueritate, sicut Valentinus dicit: neq; doleysi, i. putatiuẽ imaginatum: sed corpus uerum, non tãtum carnem ex carne, sicut Martianus: sed uerus Deus ex diuinitate, & uerus homo ex carne, unus filius in diuinitate uerbum patris, & Deus in homine anima & caro. Anima non absq; sensu est ratione, ut Apollinaris: neq; caro absque anima, ut Anomocus: sed anima cum ratione sua, & caro cum sensibus suis: per quos sensus ueros in passione, & ante passionẽ, carnis suæ dolores sustinuit, neq; sic est natus ex uirgine, ut Deitatis initiũ homo nascendo acceperit, quasi antequam nasceretur ex uirgine, Deus nõ fuerit: sicut Artemõ, & Berillus, & Marcellus docuerunt: sed æternus Deus homo ex uirgine natus est. libro 4. de Sermonum proprietate, cap. 10. Et: Integra fide credendum est, beatã Mariam Dei Christi matrem & uirginem genuisse, & post partum uirginem permansisse: nec in hoc blasphemiæ Heluidij acquiescẽdum, qui dixit: Virgo ante partum, non uirgo post partum. ibidem. Item: Qui saluator noster, non & cæteri mortales ex duob. hominibus natus est, sed ex Spiritu sancto, & beatę Marię semper uirginis utero, tanquam sponsus de glorioso thalamo processit. libro 6. de Sermonum proprietate.

Angelomus inqt: Vniuersitatis conditor ex nostra substãtia carnẽ sumẽs, fœnum fieri uoluit, ne nostra in perpetuum fœnum caro remaneret. in 1. caput lib. 1. Regum.

Remigius inquit: Sicut mater eãdem escã, cuius sumendę puer idoneus nõ est, per carnem traijcit, & lac puero præbet: sic Dominus sapientiam suã, ut lac nobis faceret, carne indutus uenit ad nos: & sic nos eductos de fouea peccati, uelut paruulos de utero nutriuit. in Psalm. 30.

DE DVABVS NATVRIS.

Duas igitur in Christo Iesu naturas existẽre perspicuè docent. Hincmarus inquit: In unitate quoq; unius eiusdemq; personę ex duab. & in duab. substantijs, i. naturis, diuinitatis scilicet & humanitatis subsistens Dominus noster Iesus Christus, hoc quod dixit, Pater maior me est: Arrius non humanitati, sed diuinitati ascripsit. In cap. 18. epistolæ ad Hincmarum Laudunensem.

Haymo inquit: Dñs Iesus ex duab. substãtijs diuina scilicet & humana, i. in unitate personæ subsistens, uerus Deus est, & uerus homo. secundum quod Deus est, nõ est factus, sed genitus, quia non est creatura: secundum autẽ carnem, factus est ex semine Dauid, qui fuit de tribu Iuda, de cuius ꝓgenie descendit beatissima uirgo Maria: ex cuius semine formata est Dominica caro, opere Spiritus sancti, in utero uirginali. Sup 1. ad Romanos. Et: Christus filius ex duabus substãtijs consistit, diuina scilicet & humana, in unitate personæ. Diuinitas ergo uerbi, quæ genita est à Deo patre ante omnia secula, à tempore cõceptionis illius hominis quem assumpsit in utero uirginali, in eodẽ homine plenissimè mansit: & eadem gloria & potestas quæ erat in uerbo, cœpit habitare in homine: & factus est ipse homo, gloria Dei patris. Super 2. ad Corinthios epistolæ primæ. Et: Licet ipse nobis mediator sit per humanitatem, tamen non est abruptus à natura paternitatis diuinæ. Sed ipse qui est uerus Deus & uerus homo in una natura semper, ipse manet æqualis patri in natura, potestate & diuinitate. Super 3. ad Galatas. Item: Dominus Iesus, in una persona uerus Deus & uerus homo est. Si solummodo Deus esset, nõ poterat esse mediator noster: quia ipse in natura diuinitatis, unius substãtiæ est cum patre. Ecõtrà si solummodo homo purus esset, nequaquam mediator esset inter nos & Deũ parrẽ: quia peccator esset, & similis nobis omnibus. Super 2 caput primæ ad Timotheum. Item: Specialis gratia à Deo patre homine Iesu Christo data est: ut ex quo homo esse inciperet, perfectus esset Deus & homo, humana assumens, & diuina non deserens. Super Euangelium infra octauam natiuitatis. Et: Idem est filius Dei,

& filius hominis: & idē est filius hominis, qui est filius Dei, ex substantijs duabus, & una persona. Frequentius tamen filium hominis, quàm filium Dei se maluit appellare, propter uirtutem humilitatis insinuādam. Super Euangelium Dominicæ 20. post Pentecosten. Et: Notandum, quia dum dicimus illum filium Dei esse, & filium uirginis, non diuidimus personam, quæ una est, sed distinguimus naturas, diuinam & humanā. libro 1. super Esaiam.

Rabanus ait: Christus Dei patris unigenitus est filius: qui dum esset æqualis patri, propter salutem nostram, formam serui accepit. libro 1. de Sermonum proprietate, capite 2. Item: Christus Deus in maiestate patris, homo in uirginitate matris: in illa creator, in hac Saluator. libro 6. de Sermonum proprietate. Item: ὁμοούσιος Deo & homini unus filius, manens Deus in homine suo, in gloria patris desiderabilis uideri ab angelis, sicut pater & Spiritus sanctus adoratur ab angelis & omni creatura: non homo præter Deum, uel Christus cum Deo, sicut Nestorius blasphemat: sed homo in Deo, & in homine Deus. lib. 4. cap. 10. de Sermonum proprietate.

Angelomus: Tempore trāquillo, nil amplius de Dei filio sacerdotib. Ecclesiæ prædicare cōuenit, quàm ut credatur uerus Deus ex substātia patris, sine tēpore ineffabiliter natus, & uerus homo pro nostra redemptione, de substātia matris tēporāliter creatus & natus, gemina substātia, singulari uerò persona. Cōsubstantialē patri secundū diuinitatem, cōsubstantialē uerò matri iuxta humanitatem, unum eundemq; in singularitate personæ. in 13. cap. lib. 1. Regum.

DE VNITIONE DVARVM NATVrarum in Christo.

Duas tamen in Christo naturas, non esse duas, sed unicam duntaxat personam, diligenter explicant.

Idiota inquit: Humanā naturam in eadē persona diuinæ naturæ associata est, ut soro rem nostrā (humanā scilicet naturam) Deus unigenito filio suo inseparabiliter copulauit. cap. 8. de Amore diuino.

Haymo inqt: Deitas susceptit humanitatem, quam ab omni peccato custodiuit immunem. Super 2 Psalmum. Item: Nisi Deitas humanitati coniuncta esset, humanitas more aliorum hominū mortua remaneret. Super 3 Psalmum. Item: Quando Deitas uniuit se humanitati, cæteræ humane naturę se liberatorem promisit. Super 18 Psalmum. Et: Christus eandem sibi unitam habuit diuinitatem, quam habuit pater. Super 141 Psalmum. Item: Christus unigenitus est secundum proprietatem naturæ: per diuinitatem unicus patris, per humanitatē unicus matris. Super 12. cap. Zachariæ.

Rabanus ait: Christus Deus & homo, una persona est in Trinitate. Libro 5. in Ecclesiasticum, cap. 13.

DE MESSIA.

VOcabula quædā explicant huius ætatis scriptores, ut Haymo: Crhistus dicitur sanctus sanctorū: quo mediāte, exaudiet me Dominus, cum clamauero ad eum. In 4. Psalmū. Et: Christus dicitur sacerdos: quia seipsum obtulit; & semper Deū patrē interpellat pro nobis. Super 109 Psalmum. Item: Pulchrè tam in Esaia quàm in Osea, flos siue uentus ascendens dicitur: quia de humilitate carnis ad excelsa conscendit, & nos secum ad patrem duxit, dicens in Euangelio: Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me. Super 13. cap. Oseæ. Et: Christus uerus rex est, & magnus sacerdos: cuius typum, secundum quod rex erat, gerebat Zorobabel: secundum quod sacerdos, Iesus, qui erat filius Iosedech. Super primum caput Haggæi. Item: In Scriptura sacra, cum singulari numero stella matutina ponitur, per hanc homo Christus figuratur. Libro 1. in Apocalypsin, cap. 2.

Quòd autem Messias fuerit promissus, docet Rabanus: Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus. Quis autem ille Propheta fuerit, cuius sermones audire debent, & cui tota animi intentione obediendum est, patet cum in Euangelio legitur, quòd turba fidelium uidens miracula & signa quæ faciebat Iesus, clamaret dicens: Verè hic est Propheta qui uenturus est in hunc mundum. Et alibi de eo scriptum: Accepit autem omnes timor, & magnificabant eum dicētes, quòd Propheta magnus surrexit in nobis, & quòd Deus uisitabit plebem suam. Hic ergo Propheta, & Dominus omnium prophetarum, qui est uia, ueritas & uita, conditor utriusque Testamenti, non solùm in ueteri, sed etiam in nouo, omnes errores & diuinationes, atq; artes noxias reprobauit atque cōdemnat: nec ab alio quàm à se uult requiri ueritatē, aut sanitatem, quòd ipse cum patre & Spiritu sancto, unus uerus atque omnipotens est Deus, faciens mirabilia magna solus. Vnde in Euangelio omnes ad se inuitat, dicens: Venite ad me omnes, &c. Hic, iuxta Pauli sententiam, Saluator est omnium hominum, maximè fidelium. de quo & Petrus: Non est aliud nomen, &c. In quo etiam nomine quotidie signa magna, & sanitates in Ecclesia, per orationes fidelium fiunt. Quoniam ipse discipulis suis in Euangelio ait: Ecce do uobis

potesta-

potestatem calcandi super serpentes. In epistola ad Bonosum abbatem.

DE OFFICIIS MESSIAE.

Est Saluator. Haymo: Singulari gratia homo Christus in omni humani generis massa refulsit: quia per illũ proposuit Deus saluare genus humanum, & ipse est mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus. Super 5. cap. Cant. Canticorum,

Remigius: Propitiatio, est miseratio, exhibita post sacrificium: ita & Christus, uolens propitiari populo suo, factus est sacerdos, orans ad patrem eleuatis in cruce manibus, ut possis dicere: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Hostiam obtulit, quia in ara crucis seipsum immolauit, ipse pontifex, ipse hostia, ipse propitiator, ipse propitiatio. Et quibus tu propitiaberis, beati erunt. In 64 Psalmum.

Sacerdos est. Hincmarus ait: Antistes summus, & sempiternus pontifex, sempiternum habens sacerdotium, sacerdosque magnus secundum ordinẽ Melchisedech, per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta: sedésq; ad dextram patris, id est, in gloria paternæ maiestatis, interpellat non uoce, sed miseratione pro nobis. Idemq; rex regum, & Dominus dominantium: per quem reges regnant, & conditores legum iusta decernunt, cœlestem ac terrenum principatum, cunctam uidelicet rempub. regens, & uniuersam militiam tam cœlestem & spiritualem, quàm terrestrem & temporalẽ: distinctis in ordinibus disponens ac moderans, & supernæ atq; mundanæ curiæ præsidens, miro ordine angelorum, hominumque ministerio, pro temporum uarietate & opportunitate dispensat: & quæ singulis quibusque temporibus uel personis congruũt, sua uel occulta inspiratione, uel euidentiori illustratiõe, uel patefacta præceptione decernit. In epistola ad Hincmarum Laudunensem, cap. 11.

Haymo: Considerandum, Christum non esse sacerdotem secundũ id quod genitus est à Deo patre ante omnia secula, coæternus gignenti, & consubstãtialis, uerus Deus, manens apud patrem: sed secundũ hoc quod natus est ex utero uirginali, in fine temporum homo factus, nec non propter uictimam quam pro nobis obtulit, à nobis acceptam, carnem uidelicet ac sanguinẽ suum. Super 5. cap. ad Hebræos.

Mediator. Haymo: Christus Iesus per hoc quòd homo pariter & Deus est, mediator noster est, uerba Dei patris referés nobis, & modò nostra ad illũ: interpellans assiduè p nobis, simulq; sua passione cõfirmãs nobis testamentũ nouũ. Super 13. ca. ad Hebr. Et: Iesu, filij Dauid, miserere mei. Sic Iesum clamauit cæcus, ut filiũ Dauid non dimitteret: & sic filiũ Dauid inuocauit, ut Saluatorem nõ pertrãsiret: ostendens quia mediator Dei & hominũ Dñs Iesus Christus, in una eadẽq; persona, ex diuina humanaq; substãtia perfectus Deus, perfectus est & homo credendus. Super Euangelium Quinquagesimæ.

Rex. Angelomus ait: Sicut Saul cũ asinas patris sui quę deerãt, quæreret, in regno assumptus est, simili quoq; modo Dominus & Saluator noster, postquã à patre suo missus ad oues quæ perierãt domus Israel, uenire dignatus est, super cunctum populum suum ab eo in regem tantum cõstitutus est. In lib. 1. Regum, cap. 9. & 10.

Caput est. Remigius: Nullũ maius donũ pręstare posset hominib. Deus pater quã qđ uerbũ suũ, per q, omnia cõdidit, illis caput faceret, & ipsos homines tanquã mẽbra ei coaptaret: & cũ patre Deus esset, & cũ hominib. homo: qui & orat pro nobis, & orat in nobis, & adoratur à nobis. Orat pro nobis: quia sacerdos & uictima est, quotidie apud Deũ patrẽ interpellãs pro nobis. Orat in nobis: qa caput nostrũ est. Nec hoc mirũ, si sunt in una uoce Christus & Ecclesia sua, quia sunt in uno corpore. Oratur à nobis ut Deus noster, oratur in forma dei, orat in forma serui. Hîc creator, ibi creatura. In 85 Psalmũ.

De inhabitatione Christi in nobis, scribit Rabanus: Qũo Christus in nobis naturaliter manere, iure non æstimetur, qui & naturam carnis nostrę inseparabilem sibi homo natus Deus assumpsit, & naturã carnis suæ ad naturam æternitatis, sub sacramẽto hoc nobis communicandę carnis admiscuit? Et ideo per hoc omnes in Deo patre & filio ac Spiritu sancto unum sumus: quia pater in Christo, & Christus in nobis esse probatur, libro de Eucharistia.

Christus defẽdit nos. Raban. Christus iudex sapiẽs dicitur, q cõtra uniuersos hostes populũ suũ tuetur. Lib. 3. in Ecclesiast. cap. 1.

De beneficijs Christi in genere inquit Idiota: Tu es Dñe Iesu Christe pater creatiõe & Deitate, tu es frater redemptione & humanitate: tu es Dñs naturalis, non extraneus: quicquid habemus, à te habemus, & in fine à te expectamus præmium sempiternũ. Cap. 21. de Amore diuinorũ. Item: Christus in sanguine suo nos lauit. Sicut homo pupillam oculi sui sedulò custodit, & eã summè diligit: sic tu Domine Iesu Christe, amator bone, amicũ & dilectũ tuũ protegis, defendis & custodis, ne in peccatũ labatur, néue à diabolo affligatur. Cap. 23. Et Raban. Christus dicitur uerbũ patri coæternũ, qui p uirginis partum ad salutẽ mundi processit, ut repararet creaturã, quã fecit ab initio, ac hominem

minem iterũ ad agnitionẽ & dilectionẽ ſui reuocaret, dans illi donũ Spiritus ſancti, ut ipſius munere ſaluaretur & ſeruaretur in æternum. Libro 1. in Eccleſiaſt. cap. 3.

Chriſtus eſt exemplũ. Remigius: Chriſtus lex eſt: id eſt liber & forma bonis imitandi quæ fecit & docuit, malis uitandi quæ ipſe uitauit & prohibuit. In 24 Pſalmum.

DE PASSIONE CHRISTI.

Hincmarus inquit: Dñs circa ueſperã pependit in cruce, ipſe ſacerdos, ipſe uictima, ipſe oblator, ipſe oblatio, ipſe ſacerdos eſt: qui nunc ingreſſus eſt in interiora ueli ſolus ibi ex his qui carnem geſtauerunt, interpellat pro nobis. In epiſtola ad Hincmarũ Laudunenſem, cap. 25.

Idiota inquit: Oritur amor ad te diligendum, per beneficia à te multipliciter nobis collata: quia quicquid boni habemus, à te habemus: & ultra multa dona, teipſum nobis dediſti, cum de cœlo propter nos deſcendiſti, teipſum exinaniẽs, & formã ſerui accipiens, minoratus paulò minus à Deo: cum etiam propter nos conuicia, flagella, opprobria, contumelias, ſputa, & tãdem mortem turpiſsimam crudeliſsimamq; ſuſtinuiſti. capite 2. de Amore diuino.

Haymo: Sic operabatur Dominus ea quę diuinitatis erant, ut nihilominus perficeret ea quæ erant diuinitatis & humanitatis. Super 5. caput Cantici canticorũ. Et: Ideo crucifixerunt eum: quia omnib. mortib. ſeuerior eſt mors crucis, propter longum cruciatum. Si. n. gladio trãſuerberaſſent eum, citò finiretur. uel ſic placuit ei, ut quia per lignũ peccauit homo, per lignũ redimeretur. Super 2. cap. ad Philippenſes. Et: Pontifices ueteris ſacerdotij, ſecundũ præceptum legis, munera & hoſtias ꝓ ſuis & pro populis offerebant delictis. Chriſtus uerò cum in ſempiterna diuinitatis ſuæ natura non haberet quod offerret, ſumpſit ex nobis, quod pro nobis offerret: id eſt carnem humanam, ſemetipſum uidelicet, quã obtulit in ara crucis. Super 8. ad Hebræos. Item: Chriſtus mortuus eſt ex humanitate, tamẽ uigilauit, & impaſsibilis mãſit diuinitate. lib. 2. ſuper 4 caput Apocalypſeos.

Remigius ait: Miſit Saul qui perſequerentur Dauid, ſed Dauid euaſit eorum manus: non tamẽ ſine ſanguine, quia interfecti ſunt ſacerdotes. Ita & in perſecutione Chriſti euaſit uerbum, ſed caro eius occiſa eſt. in 51 Pſalmum. Item: In hoc ſerpente (Num. 21.) tria notantur, quòd ęneus fuit, & imaginẽ ſerpentis habuit, & mortuus fuit. Per æs quia durabilius eſt omni metallo, diuinitas Chriſti denotatur. Imago ſerpentis, ſignificat Chriſtum in ſimilitudine carnis peccatricis, & non in carne peccatrice. Mortuus ille ſerpens, mortẽ Chriſti deſignat: quã ſi quis intuetur fide & opere, uidelicet eam imitando, ſanatur ab omni percuſsione ſerpentum: id eſt, ab omni impugnatione dæmonum. in 73 Pſalmum.

De oratione Chriſti, inquit Hincmarus: Imminente ſuæ paſsionis articulo, pro ſe, & pro ſuis, ſed pro his qui crediturí erant per uerbum eorum in patrem, orauit ſecundũ humanitatem, qui omnia donorũ munera cum patre diuinitatis æqualitate habet. In altera epiſtola ad Hincmarum Laudunenſem epiſcopum.

Quòd patiens fuerit Chriſtus, Rabanus inquit: Siquidẽ filius Dei unigenitus, cum inter homines cõuerſatus eſt, nihil egit ui, nihil per auſteritatẽ, nihil per ſeueritatem: ſed omnia per manſuetudinem & patientiam, de quo ſcriptum eſt: Qui cum maledicereꝰ, non remaledicebat: cũ pateretur, non comminabatur. Eleemoſynam largiri ſuadebat, neminem facere cogebat: uiam iuſticiæ oſtendebat, ſed nemini pœnam ingerebat: quod indecens erat, ut gratię uiolentiã cuiquam ingereret, ut gratia gratis data, & placidè collata ab hominibus libentius ſuſciperetur: cuius exemplũ te ſequi oportet. In epiſtola ad Hadubrandũ archipresbyterũ.

De fine paſsiõis, inquit Idiota: Ad hoc miſiſti Chriſtũ in mundũ, ut uẽditus nos redimeret, occiſus uiuificaret, iniurias paſſus honoraret, & in filios adoptaret. cap. 8. de Amore diuino. Itẽ: Morte ſua Chriſtus Deus & homo corporali, pœnali ac uolũtaria, deſtruxit noſtrã mortẽ ſpiritualem, corporalem, culpalem, pœnalem, uolũtariam & neceſſariam. cap. 2. de Morte.

Haymo: Chriſtus in paſsiõe, redimẽdo animas de poteſtate diaboli in reſurrectione ſpẽ dedit nobis reſurgẽdi, in aſcẽſione cœleſtes nobis aditus patefecit. Super 1 Pſal: Et: Chriſtus cõprobauit eloquia ſua eſſe uera, per paſsionẽ ſuam. Super 11 Pſalmum. Et: Ex paſsione Chriſti, proceſsit Eccleſiæ cõſtitutio. Super 27 Pſal. Itẽ: Per ſanguinem filij, facta eſt pax inter Deũ & homines. Super 9. caput Zachariæ. Item: Chriſtus pro noſtra redẽptione ſanguinẽ ſuũ fudit. Super 4. Cantici Canticorũ. Et: Chriſtus non ſolum illud peccatum originale, propter quod in mortẽ animæ & corporis ruinis, ſed etiã omnia actualia abſtulit in electis, & inſuper donauit uitam ſine fine manſuram. Super 5. ad Rom. Item: In hoc maior eſt gratia Chriſti quæ nobis data eſt, quàm peccatum Adæ, & magis nobis profuit quàm illud nocuit: quia peccatũ Adæ facit nos ad tempus mori, gratia aũt Chriſti dimittit nobis non ſolũ originale, ſed etiam actuale peccatum faciens nos inſuper uiuere in uitam æternam.

Super

Super 6. ad Romanos. Itē: Dupliciter damnauit, siue occidit & mortificauit Christus peccatum generis humani: uel quia nō peccauit in carne sua, uel etiā mortificādo illud in cruce. Super 8. cap. ad Rom. Item: Sciendum, quia caro nostri Saluatoris pro salute nostri corporis, sanguis uerò pro anima nostra fusus est. Super 11. ad Corint. epistolæ 1.

Rabanus ait: Christus à mortuis surgens, iter fecit Ecclesiæ ad regnum Dei, ad uitam æternam, ad rediměda opera patris ex uirgine creatus est. Suscipiens carnem, ut opera patris à corruptelæ seruitio liberaret. Caro enim Christi propter opera, diuinitas ante opera. libro 1. Commentariorum in Ecclesiast. capite. 2.

Remigius: Sicut Dauid reduxit arcam de captiuitate, ita Christus Ecclesiam de potestate diaboli. in 28 Psalmum.

Phrasin de missione, sic exponit Haymo: Dicit Dominus se à Deo patre missum, non per id quod omnipotens est, & æqualis patri, sed per id quod homo est minor patre. Super 2. caput Zachariæ.

DE REDEMPTIONE.

Quis sit redemptor, Idiota docet: Christus ex immensitate misericordiæ suæ animam nostrā suo preciosissimo sanguine redemit. capite 12. Item: Dilexisti nos Domine gratis, morte damnatos, & uita indignos. Omnes enim ducebamur tāquam latrones ad supplicium, quia ad infernum trahebamur. Sed filius tuus superbenedictus nobis subuenit, & pro nobis fide iussit. Idem capite 8. de Amore diuino.

Item: Per ostium, id est Christum, qui est uia ueritas & uita, quisquis introiuit in ouile ouium, id est, ad regnum ecclesiasticum, saluabitur, & promptus erit ad saluādos sibi commissos. Et qui non intrat per hoc ostium in ouile ouium, uidelicet non ascendit ad regimen ecclesiasticum, non pastor, sed mercenarius, fur est & latro. Et quid mercenarius fur & latro facere soleant, non est nobis opus dicendo exaggerare. Ipsa enim eorum actio intētionem illorū demonstrat. In respōsione Caroli iunioris, ad epistolam cleri Rauennatis.

Rabanus: Solus Deus pater omnipotens, unigeniti filij suĭ aduentū, per ipsum uerbū sibi coæternū, simul cum Spiritu sancto ordinauit atq; disposuit, quomodo per uirginis partum ad salutē mundi processerit, ut repararet creaturam, quod fecit ab initio. libro 1. in Ecclesiast. cap. 4. Et: Christus propter Ecclesiam infirmus factus est, ut Ecclesia per ipsum esset firma futura. lib. 4. in Ecclesiasticum, cap. 5. Et: Redēptor noster qui non habuit peccatum, neq; peccatum fecit, nec dolus inuentus est in ore eius, remissione peccatorum non eguit, qui peccatū nullum habuit, opera autem uirtutum in Spiritu sancto fecit. lib. 10. in Ecclesiast. cap. 18.

Impulsiua redēptionis ab Haymone exprimitur: Quòd carnales & fragiles sumus, proniq; ad peccandum, hęc maxima est causa quæ Deum mouet, ut se misericordē nobis exhibeat. Super 77 Psalmum.

De materia redemptionis ait Idiota: Precium quo redēpta est anima, & à morte perpetua liberata, non fuit aurum & argētum: sed sanguis & mors Iesu Christi filij Dei, donum sine precio, gratia sine merito. capite 1. de Innocentia perdita.

De descēsu Christi ad inferos inquit Idiota: Quod Deus pro nobis filium benedictū in mundū misерit, imò ex abundantia amoris in infernum transmiserit, ut inde suos extraheret. capite 8.

Haymo: Verè descendit anima humana in infernum, cum diuinitate. Super Psalmū 138. Item: Sed & Dominus Deus pater præcepit inferno, qui est draco immanissimus, ut Ionam, id est, Christum susciperet, ignorans latentem in esca carnis hamum diuinitatis: atq; ideo quantum exultauit in deuoratione, tantum luxit in uomitu, iuxta Oseę prophetiam, Ero mors tua ô mors Super 2. Ionæ. Et Christus sepultus in monumento, intrauit in domum fortis: id est, descendit in infernum, abstulit diabolo illos quos tenebat electos: & potestatem etiam quàm habebat in hoc mundo, illi abstulit. Super 6. ad Romanos.

Angelomus inquit: Christus descēdit ad inferos, & non est anima eius in inferno derelicta, sed citò resurrexit à mortuis, & reduxit eum pater ad semetipsum. in 2 caput primi libri Regum.

Remigius: Ipse enim sicut nascendo uenit in mundum, ita moriendo descendit in infernum. Sed non ibi remansit, quia suis inde liberatis cum potestate redijt. in 85 Psal.

DE RESVRRECTIONE CHRISTI.

DE suscitatiōe filij inquit Haymo: Deus pater suscitauit filium suum à mortuis, & ipse etiam filius suscitauit semetipsum: & ut etiam altius dicamus, tota trinitas suscitauit illum hominem, assumptum à uerbo Dei. Super 4. caput ad Romanos.

Item: Resurrectio Dominica fuit fundamētum Ecclesiæ, & fuit initium totius nostræ reparatiōis: quia nostra natura in ipsa Christi psona est iá facta impassibilis, immortalis, & per eum nobis spem dedit immortalitatis & impassibilitatis. super 23 Psalmū.

Et: Quæ est uirtus resurrectionis Christi? Vt sicut Christus mortuus est & resurrexit, & iam non moritur: ita & nos moriamur in

fonte bapti ſmatis peccato, & reſurgamus ad uitam, & ſemper in nouitate uitæ ambulemus. Super 3. caput ad Philippenſes.

DE SPIRITV SANCTO.

DE ſignificationib. uocabuli Spiritus, Rabanus inquit: Aliquando Spiritus nomine ipſe Deus demonſtratur cum ſcriptum eſt, Deus ſpiritus eſt. Et Spiritus ſanctus, de quo in Euangelio Angelus ad Mariã dicit: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & uirtus Altiſsimi obumbrabit tibi. Et Apoſtolus: Spiritus, inquit, omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Et: Vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Aliquando etiam ſpiritus ſignificat angelicam naturam, unde Pſalmiſta ait: Qui facit angelos ſuos ſpiritus. Aliquando animã hominis: aliquãdo ſanctos uiros, & uirtutũ decorem atque ſpiritalem habentes. unde Apoſtolus ait: Si quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, uos qui ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſmodi in ſpiritu lenitatis. Aliquando ſpiritus uocatur ratio quæ præeminet animæ: ut in Daniele, Spiritus & animę iuſtorum benedicite Dominum. Aliquando ſpiritus animam iumentorum ſignificat, unde Salomon ait: Spiritus iumentorum deſcendat deorſum. Aliquando uocem hominis ſignificat. unde dicit Apoſtolus: Si orem ligua, ſpiritus meus orat: mens autem mea ſine fructu eſt. Orabo ergo ſpiritu, orabo & mente. Aliquando increpationem cœleſtem. Vnde dicitur in Pſalmo: Ab increpatione tua Domine, ab increpatione ſpiritus iræ tuæ. Oſtendit ergo prædicatores uerbi, quia Spiritu ſancto inflammati delinquentes populos increpabant, quatenus à uitijs recederent. Aliquando uentum: ut eſt illud, In ſpiritu uehementi conteres naues Tharſis. Et in contrariam partem ſpiritus nomine ſpiritualia uitia denotantur. Vnde dicitur ſpiritus ſuperbiæ, ſpiritus iræ, ſpiritus triſticiæ, ſpiritus fornicationis. Aliquando nomine ſpiritus ipſe diabolus demonſtratur, unde dicitur: Receſsit à Saul ſpiritus Domini bonus, & inuaſit eum Spiritus nequam. Vnde & in Euangelio ipſa ueritas ait: Dum immundus ſpiritus exierit de homine, &c. Et paulo pòſt ſubiungit, dicens: Tunc aſſumit ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & intrantes habitant ibi: hoc eſt, cum plenitudine omnium uitiorum, unde fiunt nouiſsimi hominis illius peiora prioribus. Libro ſexto de Sermonum proprietate.

Haymo: Spiritus ſanctus dicitur Spiritus ſanctificationis, quia ſanctitatem præſtat angelis & hominibus iuſtis, qui etiam formauit & uiuificauit ipſum hominem in utero uirginali, ex uirginis ſemine, ſine ſemine uiri. Super 1. caput ad Romanos.

Rabanus: Digitus Domini Spiritus ſanctus, cuius operatione tabulæ legis in Exodo ſcriptæ referuntur. Et in Euangelio: Si in digito Dei eijcio dæmonia. Libro 1. de Sermonum proprietate, cap. 1. Item: Omnis in corporea natura ſpiritus in Scripturis ſacris appellatur. Vnde non tantum Patri, & filio, & Spiritui ſancto, ſed omni rationali creaturæ & animæ hoc uocabulum congruit. Ibidem: Et: In Pſalmo quinquageſimo intelligunt nonnulli Trinitatem ſignificari, in ſpiritu principali patrem, in ſpiritu recto filium, in Spiritu ſancto Spiritum ſanctum. Ibidem capite 3. Et: Spiritus ſanctus charitas propriè nuncupatur: uel quia naturaliter eos à quibus procedit, coniungit, & ſe unum cum eis eſſe oſtendit: uel quia in nobis id agit, ut in Deo maneamus, & ipſe in nobis. Ibidem. Et: Spiritus ſanctus nomine aquæ appellatur in Euangelio, Domino clamante & dicente: Si quis ſitit, ueniat ad me, & bibat. Qui credit in me, flumina aquæ uiuæ bibet. Euangeliſta autem exponit, unde diceret. Ait enim: Hoc dicebat de ſpiritu, quem accepturi erant. Sed aliud eſt aqua ſacramenti, aliud eſt aqua quæ ſignificat ſpiritum Dei. Aqua enim ſacramenti uiſibilis eſt, aqua ſpiritus inuiſibilis eſt. Iſta abluit corpus, & ſignificat quod fit in anima. Per illum autem Spiritum ſanctum ipſa anima mundatur, & ſaginatur. Libro 1. de Sermonum proprietate, capite tertio.

Remigius: Spiritus ſanctus aqua dicitur, quia ſicut aqua abluit exteriores ſordes, ita Spiritus ſancti gratia interiores. In primum Pſalmum.

Quid ſit Spiritus ſanctus, Haymo definit: Spiritus ſanctus tertia perſona eſt trinitatis. Super tertium cap. epiſtolæ ad Timotheum ſecundæ.

Quòd Spiritus ſanctus ſit Deus, Haymo docet, inquiens: Spiritus ſanctus non eſt extra patrem & filium, ſed ſimul cum patre & filio unus eſt Deus. Super 3. Oſeæ. Et: Spiritus ſanctus communis ſpiritus & patris & filij. Super 8. cap. ad Romanos. Item: Spiritus ſanctus unius eſt ſubſtantiæ cum patre & filio, & defert preces piorum ad patrem. Ibidem. Et: Idem eſt Spiritus ſanctus, quod & Deus. Et in quo habitat Spiritus ſanctus, habitat pater, habitat & filius. quia ſicut ſunt unius ſubſtantiæ, uniusq; deitatis, ita inſeparabiles ſunt. Super 6. cap. prioris epiſt. ad Cor. Item Spiritus ſanctus in ſeipſo unus idemq; manet: id eſt, immenſus, indiuiſus, inſeparabilis cum patre & filio, ſed dona illius diuiſa

ſunt

sunt,quia nõ omnibus æqualiter conferuntur.Super 12.cap.prioris ad Corinth.Et:Nemo qui sanctæ Trinitatis habet noticiã, dubitat Spiritum sanctum Deum esse:quia tertia persona est Trinitatis,& tamen non sunt tres Domini, sed unus Dominus, & scitur ab omnibus fidelibus,Spiritu sancto dictitãte, Legem & Euangelium esse cõscriptum: ideoq; Spiritus sanctus Dominus est legis & Euangelij.Super 3.cap.epistolę ad Corinthios posterioris.Item: Spiritus sanctus cõmunis est patris & filij: & quando mittitur à patre,mittitur & à filio. Super 4. cap. ad Galatas.Et:Spiritus sanctus cum patre & filio incommutabiliter datur.Super Euangelium feriæ sextæ post Oculi.

Hincmarus ait: Columbas uẽdere est,de Spiritu sancto,quẽ Deus omnipotens consubstantialem sibi, per impositionẽ manuũ hominibus tribuit, cõmodũ temporale percipere.In epist. ad Tornacensem ecclesiam.

Rabanus:Spiritus sanctus id eo prædicatur Deus, quia ex patre filioq; procedit,& substantiam eius habet. Neque enim aliud de patre procedere potuit, quàm quod est ipse pater. Spiritus sanctus autem dictus est secundum id quod ad aliquid refertur. Sicut enim relatiuè pater & filius dicuntur, ita & Spiritus sanctus ad patrem & filium quodammodo relatiuè dicitur, quia patris & filij Spiritus est : sed ipsa relatio Spiritus sancti non ita reciprocatiué conuerti potest,sicut pater & filius. Nam pater filij pater dicitur,& filius patris filius dicitur. Spiritus sanctus uerò uniformiter dicitur ad patrem & filium , quia patris & filij Spiritus est.Dicimus enim Spiritum sanctum Spiritum patris:sed non uicissim dicimus patrem Spiritus sancti , ne filius ei intelligatur Spiritus sanctus. Itẽ: dicimus Spiritum sanctum Spiritum filij:sed non uicissim dicimus patrem Spiritus sancti,ne pater eius intelligatur Spiritus sanctus. Dicitur & idẽ Spiritus donum Dei , quia Deus donator doni sui est. In quibus nominibus circumferri potest uicissim relationis regula,ut sic dicamus,donator doni, & donum donatoris. Quia in his uocabulis potuit inueniri usitata huic categoriæ , quæ dicitur Ad aliquid,circumlatio. Ergo hoc donum Dei,id est,Spiritus sanctus , qui de patre & filio æqualiter procedit, ineffabilis quædam patris filijq; communio est: & ideo fortasse sic appellatur:quia patri & filio potest eadem appellatio conuenire.Nam hoc ipse propriè dicitur , quod illi communiter dicuntur, quia & pater Spiritus,& filius Spiritus: & pater sanctus, & filius sanctus rectè dicitur. Ergo ut omnibus iunctis , separatimque. utriusque personæ conueniunt , utriusque communio propriè significetur , uocatur Spiritus sanctus,quia est tertia in sancta Trinitate persona , patri & filio per omnia æqualis,coæternus & consubstantialis. Et hæc trinitas unus est Deus, bonus,magnus, omnipotens. libro primo de Sermonum proprietate,cap.3.

Spiritus sanctus procedit. Rabanus: Spiritus sanctus communis est patri & filio, quia procedit à patre,procedit & à filio:mittitur à patre, mittitur & à filio. libro 6. in Ecclesiasticum, cap. 2. Et:Spiritus sanctus ideo non dicitur genitus , ne duo in trinitate filij suspicarentur. Ideo non prædicatur ingenitus , ne duo patres in ipsa Trinitate credantur. Procedens autem dicitur, testimonio Domini dicentis: Cum autem uenerit paracletus qui à parte procedit.Hic autem non solum natura procedit,sed semper ad peragenda opera trinitatis indesinenter procedit. Hoc interest inter nascentem filium,& Spiritum sanctum procedentem,quòd filius ex uno nascitur , Spiritus sanctus ex utroque procedit. Et ideo dicit Apostolus: Qui autem Spiritum Christi nõ habet, hic non est eius. Nam pater nunquam legitur missus , Spiritus uerò missus. ut est illud Dominicum:Paracletus Spiritus sanctus,quem mittet pater in nomine meo. libro primo de Sermonum proprietate, capite 3.

Remigius : Et Spiritu oris eius, hoc est, Christi.Hic ostendit,quòd Spiritus sanctus & à filio procedit. In 32 Psalmum.

Qui accipiant Spiritum sanctum , Haymo docet: Illi merentur Spiritum sanctum accipere,qui terrena desideria calcant,& sapientiam carnis suæ subijciunt potestati.libro 2.in Esaiam.

De officio Spiritus sancti inquit Haymo: Spiritus sanctus castas & mundas mentes sibi habitaculum facit.Super quintum Cantici Canticorum.

Rabanus:Spiritus sanctus per prædicatores sanctos flatum sanæ doctrinæ emittit. Gratia Spiritus sanctus delicta mortis gelu constricta , sui caloris ardore discutit.lib.9. in Ecclesiasten,cap.7.

Remigius:Postquam Dominus ascendit, missus est Spiritus sanctus inter discipulos, ut per eum instructi non timerent mortem. quam sciebãt destructam per resurgentem. In 98 Psalmum.

Posse Spiritum sanctum excuti,Rabanus docet : Gratia Spiritus sancti nostro uitio aut minuitur,aut fugatur à nobis.lib.4. de Sermonum proprietate,cap.10.

GENERALIA DE DEO.

OMnia Deo esse præsentia, Idiota docet dicens : Deo omnia sunt præ-

sentia,tam præterita quàm futura. cap.1,de Conflictu carnis & animæ.

Omnia scit Deus.Idiota inquit:Deus scientiarum Dominus,qui omnia scis,omnia penetras ,perspicax occultorum omnium explorator. capite 2:de Conflictu carnis & animæ.

Omnia rectè facit,ut Rabanus inquit: Deus omnia quæ fiunt, aut iusto iudicio facit aut permissu suo ita fieri finit. In epistola ad Bonosum abbatem.Item:Deus,cum omnes ex una atq; ex eadem massa simus in substãtia,& cuncti peccatores , alijs miseretur,& alios despicit , sed tamen non sine iusticia. lib.7.In Ecclesiasticum,cap.9.

Deus punit.Idiota : Coram Deo nihil est incognitũ,nihilq; impunitũr emanet,cap.1. de Innocentia perdita.Rabanus: Natura diuina est impassibilis. Etiamsi punit Deus, etiamsi pœnas infert , non hoc cum ira passibili , sed cum ineffabili clementia facit, medentis non perimentis affectu.Non propter semetipsum uindicat Deus in peccatorem,quasi ulciscens iniuriam suam.nihil enim tale recipit in se natura diuina : sed ad utilitatem nostram facit omnia,pro utilitate nostra & correptiones ducit & pœnas,nõ ut se uindicet,sed ut nos emendet, libro de Modo pœnitentiæ,cap.5.

Communem esse operationem.Haymo: Eadem facit filius , quæ & pater facit:quia una patris & filij in diuinitate substantia & operatio,una uoluntas & potestas,una uita & essentia. Et æqualia omnia sunt in patre & in filio,nisi quod pater pater est,& filius filius est. Separatio est in personis , sed unitas in natura. super Euangelium feriæ quintæ post lætare. Item : Deus pater lux est,& filius lux est , & Spiritus sanctus lux: ita & pater splendor, & filius splendor, & Spiritus sanctus splẽdor. Sed quomodo lux nascatur ex luce , & splendor procedat de splendore,non crescente numero,impossibile est definire.super 1.cap.ad Hebræos.

Christus loquitur. Haymo: Dum Christus loquitur,in eo pariter loquitur pater & Spiritus sanctus:quia sicut sunt inseparabiles unitate,sic inseparabiliter loquuntur & docent sanctorum unitatem.libro 1.in Apocalypsin,cap.2.

PHRASES DE DEO.

Rabanus: Sunt quædam uocabula ex usu nostro ad Deum sumpta de membris nostris,siue de inferioribus,qui in propria natura inuisibilis & incorporeus est. Pro efficientijs tamen causarum in ipso rerum species adscribuntur, ut more locutionis nostræ facilius seipsum insinuet : ut quia omnia uidet,dicatur oculus &propterea quòd audit omnia, dicatur auris. Pro eo autem quòd auertitur, ambulat : pro eo quòd expectat, stat.Sic in cæteris horum similibus, ab humanis mentibus trahitur similitudo ad Deũ , sicut est obliuiscens & memorans. Hinc est quod propheta dicit:Iurauit Dominus exercituũ per animam suam. non quòd Deus animam habeat,sed quòd nostro narrat affectu. Nam & facies Dei in Scripturis sanctis non caro, sed diuina cognitio intelligitur,eadem ratione qua per faciem conspectam quisque cognoscitur. Hoc enim in oratione dicitur Deo : Ostende nobis faciem tuam.ac si diceretur, da nobis cognitionem tuam. Sic & uestigia Dei dicuntur, quod nunc Deus per speculum cognoscitur. Sic & situs, & habitus & locus,& tempus in Deo non propriè,sed per similitudinem translatè dicuntur.

Cum operatio patris dicitur,non eam sine filio & Spiritu sancto operari intelligatur.libro 5.in Ecclesiasten,cap.1.

Deus dicitur tradere hominem alicui periculo,quando iusto iudicio permittit eum incidere in illud. Ideo rogamus illum in oratione Dominica,Ne inducas nos in tentationem:hoc est,ne permittas nos induci in tentationem. Deus enim neminem tentat: hoc est,neminem decipit:quia ipse intentator est malorum tentamentorum. libro 5. in Ecclesiasticum,cap.7.

Inseparabilia sunt opera sanctæ Trinitatis:id est,patris,filij, Spiritus sancti.libro 10. in Ecclesiasticum,cap.18.

Deus propriè nomen est Trinitatis,pertinens ad patrem,& filium,& Spiritum sanctum.libro primo de Sermonum proprietate,capite 1.

Quæ de Deo dicta sunt, ad totam pertinent Trinitatem , propter unam & coæternam substantiam , siue in patre, siue in filio eius unigenito , in forma autem Dei:siue in Spiritu sancto,qui unus est spiritus Dei patris , & filij eius unigeniti.lib.1.de Sermonũ proprietate,cap.1.

Quædam de Christo in Scripturis secundum formam Dei,quædam secundum formam serui dicuntur. Quorum exempli gratia duo quædam commemorantur , ut singula ad singula referantur. Secundum formam enim Dei,de se ipso dicit: Ego & pater unum sumus.Secundum formam hominis dicit,Pater maior me est. Homines autem minus intelligentes , quid,& pro quo, & ad quid dicãtur ea quæ propter formam serui dicta sunt , uolunt transferre ad formam Dei:& rursus ea quæ dicta sunt ad formam Dei,ut ad se inuicem personæ referantur,uolunt nomina esse naturæ atque substantiæ,& faciunt errorem in fide. Sic enim

Dei

Dei filio coniuncta est humana natura, ut ex duabus substantijs fieret una persona. Solus igitur homo pertulit crucem, sed propter unitatem personæ & Deus dicitur pertulisse. Hinc est quod scribitur: Si enim cognouissent, nunquã Dominum gloriæ crucifixissent. Filium enim Dei crucifixum fatemur, non ex uirtute diuinitatis, sed ex infirmitate humanitatis: non ex suæ naturæ permansione, sed ex nostræ susceptione. libro primo de Sermonum proprietate, capite 2.

DE PROVIDENTIA.

RAbanus ait: Sine nutu Dei nec passer super terram cadit: quanto magis homo, quem ad gloriam, ad imaginem suam ipse creauit? Nihil (ut scriptum est) in terra sine causa fit: nec aliquid fieri potest, quod non permiserit aut iusserit Deus. In epistola ad quendam episcopum. Et: Nos intra tempora uoluimur, per hoc quod creatura sumus. Deus autẽ, qui creator est omnium, æternitate sua tempora nostra comprehendit. Ipse nostra comprehensibiliter conspicit: nos autem ea quæ eius sunt, comprehendere nullatenus ualemus. In epistola ad Humbertum episcopum. Item: Nulla quæ in hoc mundo hominibus fiunt, absque omnipotentis Dei consilio occulto ueniunt. Nam cuncta Deus secutura præsciens, ante secula discreuit, qualiter per secula disponentur. Statutum quippe iam homini est, uel quantum hunc mundi prosperitas sequatur, uel quantum aduersitas feriatim electos eius aut immoderata prosperitas eleuet, aut nimia aduersitas grauet. Statutum quoque est, quantum in ipsa uita mortali temporaliter uiuat. Nã etsi annos quindecim Ezechiæ regi ad uitam addidit omnipotens, cum eum mori permisit, tunc eum moriturum esse præsciuit. Qua in re quæstio oritur. Quomodo ei per prophetam dicatur, Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non uiues: cui cum mortis sententia dicta est, protinus ad eius lachrymas est uita addita. Sed per prophetam Dominus dixit, quo tempore mori ipse merebatur: per largitatem uerò misericordiæ illud ei tempus ad mortem distulit, quod ante secula ipse præsciuit. In epistola ad eundem. Et: Dicere, Deum non curare mortalia, & uias hominum non examinare, impia est cogitatio, cum omnis Scriptura sacra testetur, nihil latêre Deum, & oculis eius cuncta patêre. libro quarto in Ecclesiast. capite tertio. Item: Deus unus semper & ubique totus est, omnia uiuificans, mouens & gubernans. libro quarto in Ecclesiasticũ, capite quinto. Et: Præscientia Dei omnia antecedit: & quicquid temporaliter fit in mundo, ante omnia tempora coram eo præsens erat. Vnde nihil nouum, neque mirabile in conspectu eius, quoniam omnia quæ fuerunt, & quæ sunt, atque quę futura sunt, ipse uno intuitu comprehendit, & semper sibi præsentia consistunt. libro 8. in Ecclesiast. capite 18.

Angelomus inquit: Sicut facilimum est cuilibet fasciculum herbæ uel fœni sua manu retentum conseruare: ita uirtus Domini & Saluatoris nostri, omnes per orbem electos, ab initio usque ad finem seculi, ne quis ex eis ulla ratione pereat, sine labore conseruat. Iuxta quod ipse in Euangelio, sub figura ouium de eis loquens: Et sequuntur me, inquit, & ego uitam æternam do eis, & non peribunt in æternum: non rapiet eas quisquam de manu mea. Sicut fasciculus unus quibuslibet uinculis alligatur: ita omnis sanctorum cœtus una eademque fide, spe & charitate ad inuicem constringitur, uno diuinę protectionis munimine circundatur. In 25. caput libri primi Regum.

Remigius ait: In hoc est prouidentia Dei mirabilis, quia etiam malis suorum utitur ad bonum. Quosdam enim permittit cadere, ut fortiores surgant: ut Petrum in negatione, & Thomam in dubitatione. Vel etiam ad suam & aliorum utilitatem, ut Petrus, qui in suo casu didicit, quanta mansuetudine subditorum uita sit corrigenda. in primum Psalmum.

Deum curare res humanas. Rabanus: Non enim ita despexit Dominus ex corde suo genus humanum, & abiecit à procuratione solatij sui, ut ultra propter transgressiones nolit eorum curam habere, & ope pietatis suæ sustentare: sed propter bonitatem suam festinet eos in multa patientia sua, ut de uasis iræ efficiat uasa misericordiæ: quia misericors et miserator Dominus, patiens & multum misericors. libro 19. in Hieremiam.

DE PRAEDESTINATIONE.

Haymo: Præscientia prædestinationem præcedit: & non omnia quæ præsciuntur, prædestinantur. Super undecimum caput ad Romanos. Item: Deus uult omnes homines saluos fieri. Quærendum est quare nõ omnes homines saluentur? Ad quod dicendum: quia uerum est, quod Psalmista dicit: Quia ipse dixit, & facta sunt. Similiter omnes homines uult saluare, qui saluantur, & qui per misericordiam quærunt saluari. Totum enim pro parte posuit Apostolus, sicut & in Euangelio, ubi

ubi dicit Dominus: Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me. Non enim omnes homines traxit aut trahit ad se, sed omnia electa, & ex omnibus generibus & gentibus. super 2. caput epistolæ prioris ad Timotheum. Et: Librum uitæ, quo scribuntur electi, prædestinationem omnipotentis Dei debemus intelligere: quia præsciti & prædestinati sunt omnes sancti, ante omnia secula ad uitam præordinati: sicut scriptum est, Nouit Dominus qui sunt eius. libro 1. super Apocalypsin, cap. 3.

Rabanus inquit: Omnium dies in prædestinatione Dei noscuntur esse diffiniti: sed illis dimidiabuntur dies sui, quibus contra dispositum proprium prouenire monstratur occasus. ideo enim additum est Suos, ut uoluntarios intelligeres, non à Deo constitutos. In epistola ad Hubertum episcopum. Item: Scit enim Deus, cuius debeat misereri secundum præscientiam & prædestinationem suam, & quem despicere secundum iusticiam et iudicium suum. Nec enim summa iusticia aliquid uelle aut facere potest, nisi quod omnino iustũ est. lib. 7. in Ecclesiasten, cap. 9.

Angelomus: Dominus noster Iesus Christus per occultam dispensationem, ex populo infideli, alios gratuita miseratione uiuificans, ad æternam libertatem prædestinauit: alios uerò occulto iudicio in sua impietate derelinquendo, in perpetua morte damnauit. cap. 8. libri 2. Regum.

Opinionem de numero saluandorum, habet Rabanus dicens: Ad cœlestem patriam ascensura creditur tanta multitudo hominum, quanta multitudo remansit angelorum. libro primo de Sermonum proprietate, capite 5.

DE CREATIONE.

VNde sit mundus, declarat Idiota, inquiens. Summus opifex primò condiderat angelicam naturam, quæ in parte ceciderat: & humanam, quæ corrupta erat: & corpoream inferiorem, quæ peccato hominis fuerat deterior effecta. Ædificauit autem angelis cœlum, & hæc est domus gloriæ: dæmonibus & damnatis hominibus infernum, & hæc est domus iusticiæ: hominibus lapsis mundum, & hic est carcer miseriæ. capite quarto Contemplationum de uirgine Maria.

Rabanus ait: Omnia ergo quæ sunt, in quantum sunt, hoc est, in quantum naturę, in quantum essentiæ, in quantum substantiæ sunt, uel si quo alio uerbo eadem res planius enunciatur, ex Deo esse dicimus. Vitia uerò essentiarum quæ priuantur specie ac pulchritudine, non est esse Deo. libro 7. in Ecclesiasticum, cap. 11. Item: Omnia opera sua per uerbum suum, hoc est, unigenitum filium Deus pater fecit. libro octauo in Ecclesiasticum, cap. 18. Et ipse est origo totius boni, qui cum patre & Spiritu sancto sine initio semper existit: per quem omnem creaturam pater, quando uoluit, & quomodo uoluit, fecit. libro quinto in Ecclesiast. capite 13. Item: Nam natura omnium creaturarum nõ ex se est, neq; ex sese creat. Rursum omnia quę nascuntur naturalia rerum, non per se sunt nascentia: sed uoluntate Dei omnium rerum natura cõdita est. capite primo, de Sacramento Eucharistiæ, Et: Neq; enim sic condidit omnium artifex Deus rerum naturas: ut suum uelle ab his auferret: quia omnium creaturarum subsistentia in eadem Dei uoluntate substitit, & uirtute, à qua causam habet non solum ut absistat quicquid est: sed etiam ut sic sit, sicut ipsa Dei uoluntas decreuerit, quæ causa est omnium creaturarum: alioquin nec subsisteret ulla creaturarum existentia, nisi in eius uoluntate, à quo totius eius esse manat. Et ideo natura creaturæ, quoties mutatur, aut augetur, uel subtrahitur, non ab illo esse diuertitur, in quo est: quia sic est, & sic fit, ut ille decreuit in quo est. capite secundo, de Sacramento Eucharistiæ. Item: Idcirco non æstimandum est, quòd alterius uerbis, quòd ullius meritis, quòd potestate alicuius ista fiant: sed uerbo Creatoris quo cuncta creata sunt, uisibilia & inuisibilia. Ibidem capite 40. Et: Deus fecit creaturam ab initio. libro primo in Ecclesiast. capite 4. Item: Conditor ergo noster, quando creauit cœlum & terram, & diuersas species germinum atque animalium in eis esse constituit. libro quarto in Ecclesiast. capite 1. Et: Nulla creatura inuisibilis est in conspectu eius, quia æqualiter & magnorũ & paruorum ipse creator est: quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, & omnia pauent & cõtremiscunt ad nutum eius. Ibidem cap. 3. Item: Mirabiliter omnipotens Deus ab initio creaturam suam per uerbum suum condidit. Ibidem cap. 4. Et: Dei sapientia omnia quæ in cœlis & quæ in terra sunt facta, ipse fecit. libro 5. In Ecclesiasticum, cap. 13. Item: Sana & plena fide credimus & confitemur, quòd unus Deus omnipotens, pater, & filius, & Spiritus sanctus, omnium uisibilium & inuisibilium creator est: & piè agentibus, hoc est, religiosè uiuentibus, & humiliter quærentibus, dat agnitionem suam, quantum ille nouerit eis prodesse. lib. 9. in Ecclesiast. cap. 7. Et: Deus pater per unigenitum filiũ suum, in uirtute spiritus sancti, primã mũdi creationem, sex dierum operatione compleuit. lib. 4. de Sermonum proprietate, cap. 1.

Angelo-

Angelomus: Ab una gratia benignitatis & potentiæ Dei, nos & angeli conditi sumus. In librum 1. Regum, capite 1.

Quomodo sit creatus mundus, Rabanus docet: Omnia certo numero, mensura & pondere à Creatore suo condita sunt. libro primo, in Ecclesiast. capite 1. Et: Rerum quippe substantia simul creata est, sed simul per species formata non est: & quod simul extitit per substantiam materię, non simul apparuit per speciem formæ. libro 4. in Ecclesiasticum, cap. 7.

QVAESTIO.

Ego Dominus, & non est alter, formans lucem, & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum. Vnde quæritur, quomodo bona & mala à Deo sunt, & uita et mors, cum Scriptura dicat: Vidit Deus cuncta quę fecit, & erant ualde bona. Et alibi: Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione morientium. Sed iuxta consequentiam priorũ, hic intelligimus, bona ꝓ prosperis, & mala pro aduersis posita. Similiter uitam, salutem & mortem, interitum carnis significasse. Non enim Deus alia fecit nisi bona: sed tamen iusto iudicio suo, peccantibus prouenire permittit aduersa. libro. 3. in Ecclesiasticum, cap. 3.

DE ANGELIS BONIS.

APpellationes angelis hasce tribuunt huius seculi scriptores. Virtutes, nomen proprium est unius ordinis angelorum. Haymo super 23 Psalmum. Item: Spiritus est nomen ipsius substantiæ, angelus uerò nomen officij. Haymo super 103 Psalmum. Et: Sciendum est, quòd Angelus est nomen officij, non naturæ: qui semper quidem sunt spiritus, sed nequaquam iure semper uocantur Angeli, nisi quando mittuntur. Idem super primum caput ad Hebræos.

Rabanus ait: Angeli Græcè uocantur, Hebraicè Malaoth: Latinè uerò nuncij interpretãtur, ab eo quòd Domini uoluntatem, populis nunciant. Angelorum autem uocabulum officij nomen est, non naturæ. Semper enim sunt Spiritus: sed cum mittuntur, uocantur Angeli. libro 1. de Sermonum proprietate, capite 5.

Quando creati sint, Rabanus indicat: In principio creauit Deus cœlum & terram, & aquam ex nihilo: & cum adhuc tenebræ ipsam aquam occultarent, & aqua terram absconderet, facti sunt angeli, & omnes cœlestes uirtutes. libro quarto, de Sermonum proprietate, capite 10.

De ordine angelorum inquit Haymo: Nouem sunt ordines angelorum: id est, angeli archangeli, throni, & dominationes, uirtutes, principatus, & potestates, Cherubin & Seraphin. Decimus enim per superbiam cecidit. super Euangelium Dominicæ quintæ post Pentecosten.

Rabanus dicit: Nouem esse ordines angelorum, sacræ Scripturæ testantur: id est, angeli, archangeli, throni, dominationes, uirtutes, principatus, Cherubin & Seraphin. Angeli uocantur propterea, quòd de cœlis ad annunciandum hominibus mittuntur. Archangeli Græca lingua summi angeli interpretantur. Qui enim parua uel minima annunciant, angeli: qui uerò summa, archangeli nuncupantur. Archangeli dicti, eo quòd primatum teneant inter angelos. Sunt enim & duces principes, sub quorum ordine unicuique angelorum officia deputata sunt. Nam quia archangeli angelis præsunt, Zacharias propheta testatur, dicens: Ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, &c. Throni autem, & dominationes, & principatus, & potestates, & uirtutes, quibus cunctam cœlestem societatem Apostolus complectitur, ordines angelorum & dignitates intelliguntur. Virtutes angelica quædam ministeria perhibentur, per quos signa & miracula in mundo fiunt. Potestates sunt, quibus uirtutes aduersæ subiectæ sunt: quorum potestate maligni spiritus cohercentur, ne tantum noceant quantum cupiunt. Principatus sunt, qui angelorum agminibus præsunt, & angelos subditos ad ministerium diuinum explendum disponunt. Nam alij sunt qui assistunt, alij qui administrant: sicut & per Danielem dicitur, Millia millium ministrabant ei, &c. Dominationes sunt, hi qui etiam uirtutibus & dominationibus præeminent. Throni sunt agmina angelorum, qui Latino eloquio sedes uocantur: & uocati throni, quia illis prę sidet conditor, & per eos iudicia sua disponit. Cherubin, id est, scientiæ multitudo, sunt sublimiora agmina angelorum: qui & pro eo quòd uicinius positi, diuina scientia cæteris amplius pleni sunt. Seraphin quoque similiter est multitudo angelorum qui ex Hebræo in Latinum ardentes, uel incendentes interpretantur. Qui idcirco ardentes uocantur, quòd inter eos & Deum nulli alij angeli consistũt, & ideo quãto uicinus corã eo consistunt, tanto magis claritate diui luminis inflammantur. Hæc uocabula agminum angelorum ita sunt specialia ordini singulorũ, ut tamen sint ex parte communia omnium. Sed ideo isti ordines angelorum priuatis nominibus appellantur, quia hoc ipsum officium in proprio ordine plenius acceperunt. libro primo, de Sermonum proprietate, capite 5. Item: Quidam

dam angelorum priuatis nominibus appellantur, ut per uocabula ipsa in opere quid ualeant designetur. Gabriel, uertitur fortitudo Dei. ubi enim potentia uel fortitudo manifestatur, Gabriel mittitur. Vnde & eo tempore quo erat Dominus nasciturus, & triumphaturus de mundo, Gabriel uenit ad Mariam, ut illum annunciaret, qui ad debel landas aereas potestates humilis uenire dignatus est. Michael interpretatur, quis sicut Deus. Quando enim aliquid in mundo miræ uirtutis fit, hic archangelus mittitur. Raphael interpretatur curatio, uel medicina Dei. Vriel interpretatur ignis Dei, sicut legimus apperuisse ignem in rubo. Legimus etiam ignem missum desuper, & implesse quod præceptum est. lib. 1. de Sermonum proprietate cap. 5.

De perseuerantia bonorum angelorum. Rabanus ait: Postquam apostatæ angeli ceciderunt, boni angeli perseuerantia æternæ beatitudinis solidati sunt. Vnde & post cœli creationem in principio repetitur, Fiat firmamentum: nimirum ostendens, quòd post ruinam angelorũ malorum, hi qui permanserunt, firmitatem æternæ perseuerantiæ consecuti sunt, nullo iam lapsu auersi, nulla superbia cadẽtes, sed firmiter in Dei amore & contemplatione manẽtes: nihil aliud dulce habent, nisi eum à quo creati sunt. libro 1. de Sermonum proprietate, cap. 5. Itẽ: Angeli qui in illa, qua creati sunt, beatitudine perseuerant, nõ natura possident bonũ, ut non mutarentur cum cęteris: sed arbitrij seruantes bonam uoluntatem, bonum conditionis & fidẽ scilicet seruauerũt Domino suo. Vnde & meritò ab ipso Domino sancti Angeli uocantur, quòd tenuerunt arbitrij sanctitatem, nec sociorum exemplo deuiauerũt à bono. lib. 4. de Sermonum proprietate, cap. 10.

De operibus & officijs angelorum, Idiota inquit: In angelis est uis & actus maximi amoris, quo ad te, Domine: quo ad eos qui sui sunt consortij, & quo ad nos. Diligunt enim adeò, quòd ordo supremus ab ardore charitatis nominatur Seraphin, cap. 23. de amore diuino. Item: Homini ad custodiam suam angelũ delegatur esse, ait cap. 1. de Innocentia perdita,

Haymo inquit: Officium angelorum erit in extremo iudicio, realiter cõgregare iudici sanctos, & malos in tormenta demittere. In 49 Psalmum. Item: Angelos à Deo mitti ad legationem suam in mundum, at uirtutes non esse nuncios. In 148 Psalmum. Et Singulis populis delegati angeli ad custodiam, & iuxta numerum illorũ angelorum est numerus populorum maiorum: & etiam infidelibus delegantur populis angeli, ad custodiendam primam naturam in illis, quæ bona est creatura Dei. An unusquisque homo habeat angelum, non est certum nobis. is est sensus iuxta numerum filiorum Israel, ut angeli uocentur filij Israel. Super Canticum Moysi. Item: Generaliter (sicut doctores dicunt) unicuique fidelium ab ortu natiuitatis, uel à tempore baptismatis, datur à Deo angelus, ad sui custodiam, & qui ei suadeat bona agere. Super 1. caput ad Hebræos.

Angelos & locis & hominibus præesse, Rabanus docet: Vnicuiq; angelorum propria officia sunt iniuncta, quæ promeruisso eos in mundi cõstat exordio. Nam quia angeli & locis & hominibus præsunt, prophetæ testatur angelus, dicens: Princeps regni Persarũ resistit mihi. Vnde apparet nullum esse locum, cui angeli non præsunt. libro 1. de Sermonum proprietate, cap. 5.

Angelomus: Angelorũ ministerio in habitationem patriæ cœlestis introducimur. In 6. caput libri tertij Regum. Et: Angelica ministeria nobis de corpore egressis introitum uitæ cœlestis referant. In septimum caput libri 3. Regum.

Ionas Aurelianensis: Nam sicut imperatoris optimi urbes omnes, uniuersæ ciuitates, castella singula manu militari aduersus hostilem muniuntur aduentum, ne barbarica incursione deleantur: ita Deus (quoniam barbarica & agresti mente rapientes dæmones ad pacis euersionem ubi seruantur) ad tutelam nostram constituit exercitus angelorum, ut eorum præsentia dæmonum confringatur audacia, & per eos nobis pacis gratia ministretur. lib. 3. de Imaginum cultu.

De angelorũ ignorantia inquit Haymo: Certum est quosdam angelos ignorasse assensionem Christi, donec uiderunt, & uidẽtes ualde admirati sunt. Super 23 Psalmum.

De loquela angelorum Haymo ait: Loqui angelorum ad Deum nihil est aliud, quàm in præsentia eius esse: & Deum loqui ad illos nihil est aliud, quàm præsentia uultus sui qua fruuntur, attendentes quid uelit illis manifestare. Super 13. caput prioris epistolæ ad Corinthios.

DE DIABOLIS.

VOcantur spiritus mendacij & erroris, ab Idiota, diaboli, cap. 11.

Rabanus diabolos apostatas angelos uocat. lib. 1. de Sermonum proprietate: cap. 5.

Angelomus: Philistim, hoc est cadentes poculo immundos significant spiritus, qui poculo superbię inebriati, & ipsi de cœlesti bus ceciderunt, & multos quotidie hominum peruertere festinant poculo suæ maliciæ. In 4. caput libri primi Regum. Item: Diabolus spiritus Domini appellatus est pro-

propter miniſterium, quia omnibus etiam ſpiritualibus malis bene uti dicitur, uel ad damnationem quorundam, uel emendationem, uel ad probationem. Et licet afflictionem ſemper appetat, tamen ſi ab autore noſtro poteſtatem non accipit idem malignus ſpiritus, ad tentationis articulum nullatenus conualeſcit. In decimumſextum caput libri 1. Regum.

Remigius: Calumniator eſt, qui alienam innocentiam nititur ducere in culpam exquiſita aliqua doloſitate, & machinata aliqua calliditate. Nullus ideo melius quàm diabolus hic calumniator agnoſcitur. Calumnia enim eius eſt: Nunquid gratis colit Iob Deum? Sic enim uoluit innocentiã ſanctiſsimi uiri in culpam ducere, ſi hoc poſſet efficere, ut pro terrenis diabolo ſeruiret. In 71 Pſalmum.

Vnde ſit diabolus, Rabanus annotat: Malum uel maliciam non eſſe à Deo creatam, ſed à diabolo inuentã, qui & ipſe à Deo bonus creatus eſt: ſed quia libero arbitrio, ut puta rationabilis creatura, cõmiſſus eſt, & cogitandi acceperat facultatem: ſcientiam boni uertit ad malum, & multa cogitando factus eſt inuentor mali: & quod in ſe perderat, inuidit in alijs, ut qui eſſet ſuę malitię inuentor, fieret etiam aliorum autor, & ex eo malum uel malitia percurrerit inter cæteras rationabiles creaturas. libro 4. de Sermonum proprietate, cap. 10.

Rabanus: Diabolus non aliunde talis factus eſt, niſi quia primum poſt peccatum deſperatione uſus eſt, poſtea uerò per deſperationem incidit in ſuperbiam & elationem. Libro de Modo pœnitentiæ, cap. 18.

Quis fuerit diabolus, Haymo docet, inquiens: Diabolus inter principes cœleſtes principalis erat. In 81 Pſalmum.

DE LAPSV DIABOLI.

Hincmarus ait: Et quia diuinę ordinationis diſpoſitionem ſeruare, & ſocialem uitã in cœlo tenere nõ uoluit Lucifer, qui mane oriebatur, de cœlo cecidit: & ueram beatitudinem perdens, miſeriam ſempiternam incurrit, ſibiq; conſentientes & obſequentes atq; complices, de beatis miſeros fecit: & adeò in miſeriam ſuam excreuit, ut ſe recognoſcere & humiliare nõ poſsit. quod uitium primis noſtris parentibus immiſit, ut ſuam culpam delinquentes non dicerent, ſed in alium, uidelicet in autorem ſuæ conditionis, non autem iniquitatis retorquere ſtuderent. In epiſtola ad Hincmarum Laudunenſem, cap. 44.

Idiota inquit: Damnatio angelorum propter ſuperbiam facta, irreuocabilis eſt. cap. 2. de Vera patientia.

Haymo ſcribit: Superbia ideo delictum maximum dicitur, quia per illud etiam angeli ceciderunt, & homo: & maximè regnat etiam in bonis. ſuper 18 Pſalmum. Item: Per cœlum cœli poſſumus intelligere aliud cœlum ſupra firmamentum, ad quod (ut dicit Hieronymus) anhelabat diabolus: & ideo fuit deiectus, quòd cœlum Dominus dedit Chriſto. Super 143 Pſalmum. Et Satanas ſuperbia tumens contra Deum, uoluit ſimilis fieri altiſsimo: pro qua ruens ad terram, multas angelorum legiones ſibi conſentientes ſecum deiecit. libro 1 in Apocalypſin, cap. 2. Item: Diabolus per ſuperbiam de cœlo lapſus eſt. ſuper Euangelium feriæ tertiæ poſt Inuocauit.

Rabanus ait: Primus angelus, qui per ſuperbiam de cœlo cecidit, homini poſsidere paradiſum inuidit. in epiſtola Rabani & Fuldenſium monachorum ad Otgarum archiepiſcopum. Et: Initium diabolici caſus eſt ſuperbia. idem, libro tertio in Eccleſiaſticũ, capite tertio.

Remigius: Et habitare fecit in tabernaculis. Tabernacula iſta ſignificant cœleſtem Hieruſalem, ubi angeli apoſtatæ quaſi in tabernaculis ad horam fuerunt, unde expulſi ſunt: ut quandoq; tribus Iſrael, id eſt, collectio Deum uidentium, in eorum loco aſſumatur. in Pſalmum 77.

Quottuplices ſint, Haymo monet: Dæmones, inquit, alij alijs maiores ſunt, nõ ſubſtantia, ſed poteſtate. ſuper 103 Pſalmum.

DE PROPRIETATIBVS *diaboli.*

Eſt mendax. Rabanus inquit: Antiquus hoſtis diuerſos errores per ſuos miniſtros ſeminat in mundo, ad decipiendos homines ſibi conſentientes, ut deſerant ueritatem, & ſequantur mendacium. Ipſe enim, ut ſacrum Euangelium teſtatur, mendax fuit ab initio, & pater eius: hoc eſt, inuentor & áuthor mendacij, quia ab ipſo cœpit origo totius mali & perditionis, qui primùm ſe ſuoſq; ſequaces per ſuperbiam, quã ipſe primùm inuenit, de cœleſti gloria in chaos infernale præcipitauit. Deinde hominem, quia ad imaginem Dei conditus eſt, & ad ſupplementum illius numeri quem diabolus cadẽdo minorauit ordinatus eſt, ſuaſu maligno ſeduxit, & creatori ſuo inobedientem effecit. In admonitione Rabani ad populum, quam Reginhario chorepiſcopo miſit.

Eſt ἐπιχαιρέκακος. Haymo ait: Valde in peccatis noſtris gaudent cõtrarię fortitudines. ſuper 7 caput Oſeæ.

Apoſtata. Rabanus inquit: Apoſtata angelus, hoc eſt, diabolus, pauper & ſuperbus eſt: qui cum ſupernam gloriam propter ſuperbiam ſuam perdidiſſet, adhuc ſuperbire

non ceſſat. Dives eſt, & mendax: quia cum terrenas diuitias in auaris & cupidis poſſeſſoribus poſsidet, totus mendacio deditus eſt. Senex fatuus eſt, & inſenſatus: quia cum inter cœteras angelicas uirtutes in gloria cœleſti per ſapientiam Dei in initio creatus eſt, ſapientiam ſibi datam non conſeruauit, eo quòd conditori ſuo ſubiectus eſſe noluit: & hactenus in ipſa ſtulticia perſeuerat, quando contra conditorem ſuũ rebellare non ceſſat. lib. 6. in Eccleſiaſticum, capite tertio.

Verſutus. Haymo: Verſutiſsimus ille eſt hoſtis (ſcilicet Diabolus) & tanta ſubtilitate ſpiritualis naturæ, qui etiam temporis longæuitate doctiſsimus, contra quem ſancti bella ſuſcipiunt. ſuper tertium caput Cãtici canticorum.

Vult adorari. Saul contra Scripturam alium adorauit, quàm Dominum: & putans Samuelem, adorauit diabolum, ut fructum ſuum fallaciæ ſuæ haberet ſatanas. hoc enim nititur, ut adoretur quaſi Deus. His duobus titulis ſubtilitate fallaciæ ſuæ prouidit improuidus ſatanas, quòd & adorari ſe permiſit ſub habitu & nomine Samuelis, contra legem: & uirum peccatis preſſum, cùm magna diſtantia peccatorum & iuſtorum ſit, cum Samuele iuſtiſsimo futurum mentitus eſt. Verùm poteſt uideri ſi de Samuelis nomine taceatur, quòd Saul cum diabolo futurus erat. in epiſtola ad Bonoſum abbatem.

Quomodo diaboli interiora hominis uideant, Rabanus docet: Internas animæ cogitationes diabolum non uidere, certi ſumus: ſed motibus eas corporis ab illo & affectionum indicijs colligi, experimento didicimus. Secreta autẽ cordis ſolus ille nouit, ad quem dicitur: Tu ſolus noſti corda filiorum hominum. lib. 4. de Sermonum proprietate, cap. 10.

DE OPERIBVS DIABOLI.

Idiota inquit: Non habet callidus hoſtis machinamentum ullum efficatius ad tollendam de corde dilectionem, quàm ſi efficere poſsit, ut in ea incautè, & ſine ratione ambulemus. cap. 11. de Amore diuino. Item: Habet ille nequiſsimus inimicus laqueos & iacula, utpote calliditiſsimus uenator hominum, ſitiens ſanguinem animarum. alios enim appetit telis inſidioſę ſuggeſtionis, quibus multos uulnerat, quorum tenuis eſt patientia: alios uoluptatibus irretire laborat, quibus multitudinem copioſam cõcludit. cap. 11. de Vera patientia. Item: In articulo mortis diabolus, quàm maximè poteſt, inſidiatur homini, tentans eum ſuper omnia de ueritate fidei, & ſuadens ei infidelitatem & deſperationem. Imò te patiente in cruce, idem aſtitit, credens aliquid de ſuo in tua beatiſsima reperire. Idem cap. 12. Contemplationum de morte.

Haymo ſcribit: Diabolus peccatores obcæcat, & caliginoſos reddit, ne ualeant lumen ueritatis agnoſcere. ſuper 17 Pſalmũ. Item: Dæmones quamdiu in ſua dignitate fuerunt, quodammodo uuæ erant: hoc eſt, pinguedine Spiritus ſancti referti. Poſtquam uerò ſuperbientes contra Deum, ſimiles ei fieri uoluerunt, euacuati gratia Spiritus ſancti, facti ſunt ſteriles: & ueluti ad nihilum utiles, de cœlo proiecti ſunt, ueteri ſiccitate marcentes, & nihil antiquæ gratiæ poſsidentes. ſuper tertium caput Oſeæ. Itẽ: Diabolus in pleriſque locis Scripturę aquila appellatur: ſi exaltatus fueris ut aquila, ſuper octauum caput Oſeæ. Item: Diabolum Deus in iudicio poſuit, quaſi carnificem fortiſsimum, ut per eum malos ſupplicijs afficiat, bonos autem afflictos probet: ſuper primum caput Habacuc. Item: Diabolus non eſt autor malitiarum, ſed potius incentor. Incentor enim poteſt eſſe, ſed non author. Non enim poteſt interiora cordis noſtri rimari, ſed ex geſtibus corporis intelligere quid cogitemus. Idem ſuper Euangelium feriæ quartæ poſt Oculi.

Rabanus inquit: Diabolus terræ rex eſt, ſemper nouarum rerum cupidus. Hic iudices & principes eos habet, qui amant huius ſeculi uoluptates. libro 3. in Eccleſiaſticum, capite primo. Et: Ille utique rex (diabolus) qui puer eſt, & cuius principes manè comedunt, qui perdet populum ſuum: hoc eſt, omnes ſibi obedientes in barathrũ ſecum præcipitat inferni. libro tertio in Eccleſiaſticum, capite primo. Item: Ferociſsimus leo, hoc eſt, diabolus (qui & pardus propter diuerſa ſcelera & pœnarum uaria tormenta dici poteſt.) ſine fine puniet illos. libro ſexto in Eccleſiaſticum, capite nono. Item: Caput omnium iniquorum & infidelium diabolus eſt, qui princeps eſt ſeculi, & idololatras excitat in perſecutiones Chriſtianorum. libro octauo in Eccleſiaſticum, capite ſeptimo. Item. Maligni quippe ſpiritus undique animam anguſtant, quando ei non ſolum operis, uerùm etiam locutionis, atque inſuper cogitationis iniquitates replicant. libro nono in Eccleſiaſticum, capite primo.

Angelomus inquit: Aphec furor nouus interpretatur, & bene: quia quo amplius fideles, immundi ſpiritus diuinis legibus inſiſtere conſpiciunt, & ſpem ſuam in Chriſtum collocare, eo acriora ac noua certamina felle ſuæ malitiæ abacti conſtruere non ceſſant. Vnde multos qui in ſuis uirtutibus confidunt, & in humana ſapientia gloriantur,

riantur,aut legem (prout Iudæi ſentiunt) carnaliter accipere cupiunt, & gratiam Euangelij cõtemnere non metuunt,immundi ſpiritus facile proſternũt.in 4.caput libri primi Regum.

De laqueis diaboli, inquit Remigius: Duo ſunt laquei, quibus inſidiæ fiunt fidelibus:terror & error. Terror, quo frangat: error,quo alliciat. Quos qui euadere cupit, duæ ſunt portæ,quas contrà claudere oportet:timor & cupiditas. Timor claudendus eſt contra terrorem,cupiditas contra errorem.in Pſalmum 30.

In quibus habiter, Rabanus docet:Coluber ille antiquus, qui ſemper colit umbras peccatorum, & regnat in filijs tenebrarum, interitum noſtrum ſine ceſſatione deſiderat, & ſuggerit nobis opera facinoroſa, ipſe omnino nobis fugiendus eſt: quia ſi acceſſerimus ad illum conſentiendo ſuggeſtionibus eius,ſuſcipiet nos ad inferni tartarum ſecum ducendos,quatenus tormentorum eius participes,& damnationis conſortes. libro quinto in Eccleſiaſticum, capite primo.

Quomodo inhabitent, Rabanus monet: Dęmones per energiam non credimus ſubſtantialiter illabi animæ: ſed applicatione & oppreſsione uniri. Illabi autem menti,illi ſoli poſsibile eſt, qui creauit: qui natura ſubſiſtens incorporeus,capabilis eſt ſuæ facturæ.libro quarto de Sermonum proprietate,capite 10.

Qua de cauſa angeli non recipiantur,exponit Haymo: Maligni angeli propter hoc manent irredempti, quia nulla eorum natura,quę quidem perfecta erat,ſed ſola ſuperba uoluntas impulit eos ad peccadum. ſuper 77 Pſalmum. Item: Sed fortaſſe quærit aliquis, quare homo ſit reparatus potius, quàm angelicus lapſus? Cui reſpondendũ, hominem non tãtum deliquiſſe, quantum diabolum.Ille enim diabolo ſuadente peccauit:diabolus uerò nullo ſuadente,ſed ſuperbiendo corruit. Homo quia corpus habebat, manducare indigebat:diabolus autem,quia ſpiritus eſt, totus inexcuſabilis fuit. Fuit & tertia cauſa,quia homo nec dũ peruenerat ad locum, ubi æternaliter cum Deo regnaturus erat: ſed in paradiſo terreno morabatur, de quo transferendus erat ad cœlum, completo numero electorum: diabolus autem in cœlo iam erat collocatus.ſuper ſecundum cap.ad Hebr.

DE HOMINE.

HOmo duobus modis in diuina pagina accipitur:uel ſecundum carnalitatem, uel ſecundum terrenitatem. utroque modo ſic legitur, Filij hominum: id eſt, filij carnalium.uel, filij hominum:id eſt,rationabilium.Haymo ſuper 4. Pſalmum.

QVID SIT.

Idiota inquit:Homo eſt nobilis creatura Dei,ad gloriam regni cœleſtis creata. cap.3. de Vera patientia.

Quotuplex ſit,Rabanus exponis:Duplex eſt homo, interior & exterior. Interior homo anima,& exterior homo corpus. lib. 6. de Sermonum proprietate,cap.1.

De partibus hominis inquit Idiota:Duæ ſunt partes hominis, corpus & anima.Corpori paradiſus uoluptatis in terris præparatus,animæ uerò cœlum ſplendidum in ſupernis.cap.2.de Vera patientia.

Vnde ſit, Haymo docet: Cum non eſſemus:ab illo de nihilo conditi ſumus: & cũ noſtro uitio perditi eſſemus, ab ipſo redempti ſumus,donante nobis pariter bona temporalia, & promittente æterna.ſuper 8. ad Romanos.

Rabanus ait: Homo qui ad imaginẽ Dei creatus eſt,arbitrij libertate delapſus,rurſus per gratiam unigeniti filij in priſtinum reſtituitur.lib.4.in Eccleſiaſticũ,cap. 4. Item: Homo de terræ limo formatus, animam à creatore ſuo accepit rationalem, in quo exprimit cõditoris ſui imaginẽ, &c. Hic pulcherrimam nouitatem diuinæ in ſe imaginis peccando corrupit, corruptamque in ſe proſapiam generis humani procreauit.lib. 4.in Eccleſiaſticum,cap.5.

De materia hominis,inquit Haymo:Deus ex duabus ſubſtantijs animę & corporis unum animal,ſcilicet hominem,compegit. ſuper 12.cap. Zachariæ.Item: Homo cum omnibus creaturis quandam cõmunionẽ habet: quia omnis creatura in tria diuiditur. Aut enim eſt corporalis, quæ poteſt mouẽri & uolui per loca:aut eſt animalis,qua anima uiuificatur: aut eſt ſpiritualis,ut angeli. Homo ergo in hoc quòd corpus habet,coniungitur corporalibus creaturis, per animã, anima uegetantibus, per rationem qua diſcernit inter bonum & malum,ſpiritualib. ſuper 8.ad Romanos.

Rabanus: Mulier de uiri latere facta eſt, propter ipſius coniunctionis uim commendandam. Quòd autem dormiente facta eſt,quòd oſſe detracto, in cuius locum caro ſuppleretur, ſignificabat, quòd de latere Chriſti in cruce per mortem ſopiti, ſacramenta eſſent ſalutis exitura, uidelicet ſanguis & aqua, de quibus ſponſa illi conderetur Eccleſia. libro quarto in Eccleſiaſticum,capite quinto. Item: Protoplaſtum parentem noſtrum ex limo terræ formauit,unde omne genus hominum originem duxit. libro ſeptimo in Eccleſiaſticum, capite undecimo. Et: Corpus notiſsimis

quatuor constat elementis, hoc est, terra, aqua, aere & igne. libro octauo in Ecclesiasticum, capite quarto. Et: Duabus substantijs constat homo, anima tantum & carne: anima cum ratione sua, & carne cum sensibus suis: quos tamen sensus absque animæ societate non mouet caro, anima uerò & sine carne rationale suum tenet. Non est tertius in substantia hominis spiritus, ut Dydimus contendit: sed spiritus ipsa est anima, pro spirituali natura, uel pro eo quòd spiret in corpore, spiritus appellatur: animam uerò ex eo uocari, quòd detur ad uiuendum, uel uiuificandum, animet corpus. Tertium uerò quoniam ab Apostolo cum anima & corpore inducitur, spiritum gratiam Spiritus sancti esse intelligamus, quam orat Apostolus, ut integra perseueret in nobis, nec nostro uitio aut minuatur, aut fugetur à nobis. libro quarto de Sermonum proprietate, capite 10.

Remigius: Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, &c. Nota, quia in creatione Angelorum nulla præcessit materia, bene eum dixisse, priusquam montes fierent. In creatione autē hominis, quia terra materia præcessit, bene dixit, Formaretur terra: quia tunc terra quasi formositatē recepit, quando ad esse hominis deducta fuit. in 89 Psalmum.

Qualis sit conditus homo, docet Idiota inquiens: Homo ad imaginem & similitudinem Dei in creatione factus est: sed in redemptione filius Dei factus est ad imaginem & similitudinem hominis. capite quinto de Conflictu carnis & animæ. Item: Considera quid es (ô anima) & quid fuisti. Fuisti namque, sola Dei misericordia, ex nihilo creata, ad imaginem eius facta, sacro fontis lauacro regenita, uirtutibus & gratijs adornata, Dei filio Iesu Christo desponsata, eius fide decorata, sancti spiritus amica, rationis capax, contra aduersarios tuos armatura inexpugnabili armata, socia angelorum, particeps hæreditatis æternæ, templum æterni regis, habens ad tuam custodiam angelum delegatum. capite primo de Innocentia perdita.

Haymo inquit: Deus non creauit hominem in miseria, sed in perfectione. super octuagesimumtertium Psalmum.

Rabanus inquit: Deus hominem rationalem creauit, ad honorem & gloriam nominis sui. libro septimo in Ecclesiasticum, capite quinto. Et: Homo à factore suo Dominus terræ constitutus est, ut haberet inde temporalis uitæ alimentum, non sanitatis suę detrimentum. libro septimo in Ecclesiasticum, cap. 8.

De fine hominis, inquit Idiota: Animæ ob nihil aliud factæ erant, nisi ut esset in eis habitatio sapientiæ: & hoc, si permansissent sanctæ. capite quarto Cotemplationum de uirgine Maria.

In quibus hominibus Deus habitet, Haymo docet, inquiens: Nullus est dignus in quo habitet Dominus, nisi prius à spiritu præparetur sancto. super 96 Psalmum.

DE LAPSV HOMINVM.

Vnde sit lapsus hominis, docet Rabanus: Deus hominem creauit rectum, sed ille se per inobedientiam fecit peruersum. libro primo in Ecclesiasticum, cap. 4. Et: Creauit Deus hominem rectum, & sensu ac ratione pollentem, ut obseruando iusticiam, uitam haberet columnam: sed quia ille conditoris sui legem non conseruauit, per inobedientiam longæuæ uitæ perdidit gloriam, numerumq; dierum & temporis spacium accepit, in quibus præsentis uitæ clauderet terminum. Idem lib. 4. in Ecclesiast. cap. 5.

Remigius ait: Disposuit ascensiones in ualle lachrymarū, &c. Vallis lachrymarum est uita ista misera, in quam decidimus per lapsum primi parētis. Eramus enim in ipso in monte gaudij: sed apostatauit primus parens, & eiectus est de summitate uirturū in profunditatem uitiorū, & in uallem lachrymarum. In qua ualle quis positus, si nō uult submergi, necesse est ut disponat ascensiones, eundo in locum quem posuit Deus primo homini ad inhabitandum. in 83 Psalm.

Haymo: Quęrunt nonnulli, quare omnipotens Deus non creauerit Adam, ita ut nō posset peccare. Quibus respondendum est: quia si talem fecisset eum, ut non posset peccare, bonum illius non esset perfectū, quod præmium mereretur, sed necessarium. neq; etiam liberum arbitrium haberet. creauit enim hominem ad imaginem & similitudinem suam, ut sicut ipse uoluntate est bonus, non necessitate: ita & homo uoluntate debet esse bonus, non necessitate. super 1. cap. ad Philemonem.

De malicia hominum, inquit Remigius: Magna & inusitata nequitia est in hominib. quia cum ipsi debeant uiuere secundum uoluntatem Dei, uolunt Deum uiuere secundum uoluntatem suam: & cum ipsi nolunt corrigi, uolunt Deum deprauari, non arbitrantes iustū esse quod Deus uult, sed quod ipsi uolunt. Quod faciunt illi, quibus graue est hoc, quòd uident malos florere, bonos laborare. Qui tales nolentes Deo seruire pro futuris, sed tantum ad hoc ut bene sit eis in præsenti, murmurant contra Dominum. in Psalmum 48.

De imbecillitate hominis, Rabanus ait: Hæc sententia mundo data est, hæc Dei lex est, ut omnia orta occidant, & aucta senescant,

nescant, & infirmentur fortia, & magna minuantur. Nam cum olim ultra octingentos, & nongentos annos, uita hominum longæua procederet, uix nunc possit ad centenarium numerum peruenire. Canos uidemus in pueris, capilli deficiunt antequam crescant. Nec ætas in senectutem desinit, sed incipit à senectute. Sic in ortu suo ad finem natiuitatis properat. lib. 2. in Ecclesiast. cap. 12.

De phreneticis Haymo ait: Illi qui phrenesin patiuntur, qui nesciunt quid agant, non habent peccatum. super 2. cap. 2. epistolæ ad Thessalonicenses.

DE ANIMA.

Rabanus ait: Credimus necessariò, animas hominum non esse ab intio inter cæteras intellectuales naturas, nec simul creatas, sicut Origenes fingit: neque cum corporibus per coitum seminantur, sicut luciferiani, & Cyrillus, & aliqui Latinorum præsumptores affirmant, quasi naturæ consequentia seruiente. Sed dicimus corpus tantũ per coniugij copulam seminari, creationem uerò animæ, solum Creatorem nosse: Dei uerò iudicio coagulari & compingi atq; formari: ac formato iam corpore animam creari & infundi, ut uiuat in utero homo, cõstans ex anima & corpore, & egrediatur uiuus ex utero, plenus humana substantia. Neq; duas animas esse dicimus in uno homine, sicut Iacobus & alij Syrorũ scribũt: unã animalem qua animatur corpus, & immixta sit sanguine: & alteram spiritualem, quæ rationẽ ministret: sed dicimus unam eandemq; esse animam in homine, quæ & corpus sua societate uiuificet, & semetipsam sua ratione disponat, habens in se libertatem arbitrij, ut in suæ substantiæ legat cognitione quod uult. Solum hominem credimus habere animam substantialem, quæ & exuta corpore uiuit, & sensus suos atque ingenia uiuaciter tenet: neque cum corpore moritur, ut Arabs asserit: neque postmodum interitura, ut Zenon dicit, quia substantialiter uiuit. Animalium uerò animæ non sunt substantiæ, sed cum carne ipsa carnis uiuacitate nascuntur, & cum carnis morte finiũtur, & ideo nec ratione reguntur, sicut Plato & Alexander putant, sed ad omnia scilicet naturæ incitamenta ducuntur. Anima humana non cum carne moritur, quia nec cum carne seminatur: sed formato in uentre matris corpore, Dei iudicio creari & infundi, ut uiuat homo intus in utero, & sic procedat natiuitate in mundum. libro quarto de Sermonum proprietate, capite decimo. Item: Anima dicitur mori, non quia in corpus, uel in aliquam alteram substantiam mutatur & uertitur, sed in ipsa sua substantia quicquid alio modo nunc est, aut fuit, secundum id quod destitit esse, quod mortalis erat, utique deprehenditur. libro primo de Sermonum proprietate, capite primo. Et: Anima in suo corpore ubique tota uiget, uiuificans eum, mouens & gubernans. Nec in maioribus corporis sui membris maior, & in minoribus minor: sed in minimis tota, & in maximis tota: & hæc est imago unitatis omnipotentis Dei, quam anima habet in se, quæ quoque quandam sanctæ Trinitatis habet imaginem: primo in eo, quia sicut Deus est, uiuit & sapit. Est quoque & alia trinitas in ea, qua ad imaginem sui conditoris perfectæ quidem & summæ Trinitatis (quæ est in patre & filio & spiritu sancto) condita est: & licet unius sit illa naturæ, tres tamen dignitates in se habet, nempe intellectum, uoluntatem, memoriam, quod idem, licet alijs uerbis, in Euangelio designatur, dum dicitur: Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: id est, ex toto intellectu, & ex tota uolnntate, & tota memoria. Nam sicut ex patre generatur filius, ex patre filioq; procedit spiritus S. ita ex intellectu generatur uoluntas, & ex his ita ambob. procedit memoria. libro quarto in Ecclesiasticum, cap. 5.

DE LIBERO ARbitrio.

DE integro libero arbitrio inquit Haymo: Dederat Deus homini rationẽ, qua quicquid sibi esset agendum, posset intelligere: & liberum arbitrium restituerat, quo posset diuinæ gratiæ assentiri. super trigesimumquintum Psalmum.

De amissu libero arbitrio inquit Rabanus: Homo per liberum arbitrium peccando, naturæ suæ bonum corrupit, & peruersæ uoluntatis suæ per praua exempla, multa indicia præbuit. libro quarto in Ecclesiasticum, capite septimo. Item: Libertati arbitrij sui commissus est homo, statim in prima mundi conditione, ut salua uigilantia mentis, annitente etiam præcepti custodia perseueraret, si uellet, in id quod creatus fuerat permanere. Postquam uerò seditione serpentis per Euam cecidit, naturæ bonum perdidit pariter, & uigorem arbitrij: non tamen electionem, ne non esset suum quod emendaret peccatum, nec meritò indulgeret, quod non arbitrio doluisset. Manet itaque ad quærendam salutem arbitrij libertas, id est, rationalis uoluntas, sed admonente prius Deo, & imitante ad salutem, ut uel eligat, uel sequatur: uel agat occasione salutis, hoc est, inspiratione Dei. Vt autem consequatur quod eligit, uel quod sequitur, uel quod occasione agit,

Dei esse liberè confitemur. Initium salutis nostræ Deo miserante habemus: ut acquiescamus salutari inspirationi, nostræ potestatis est: ut adipiscamur quod ad acquiescendum admonitione cupimus, diuini est muneris: ut non labamur adepto salutis munere, nostrę solicitudinis est, & cœlestis pariter adiutorij: ut labamur, potestatis nostræ est, & ignauiæ. Idem lib. 4. de Sermonũ proprietate, cap. 10.

DE NON RENATO.

Idiota: Sciebam, & uerè cognoscebam, quòd ante oculos meos erat uita & mors, bonum & malum, gloria & pœna: & cum liberum arbitrium haberem eligendi alterũ ex his, elegi tanquã fatuus & iniquus mortem, malum & pœnam. Et licet prædictæ electionis cogitatio & primi motus nõ essent in mea potestate, tamen mera delectatio, cõsensus & operis cõsummatio, à mea uoluntate pendebant: nec cogi ab aliquo poterã, nisi uoluntariè consensissem, id quod ego feci, imò quod perniciosius mihi est, frequenter tentationes præueni, ita ut iam nõ possem dici patiens, sed agens. cap. 5. de Innocentia perdita.

Cogitationes non esse in hominis potestate monet Idiota: Scio utique Domine, quòd non est in hominis potestate, facere ne surgant, scilicet malæ cogitationes, utinam sit in eius uirtute, facere ne crescant: quia paruulę me uehementer affligunt, adultæ perimunt uiolenter. cap. 5. de Conflictu carnis & animæ.

Vnde renatum arbitrium. Idiota inquit: Tu Iesu Christe es causa efficiens & finalis amoris & dilectionis, ut occasionem habeas glorificãdi nos: quia tu occasionem das, tu affectionem creas, tu desiderium consummas. cap. 9. de Amore diuino.

Rabanus inquit: Deus duritiam in peccantibus præueniente gratia ad pœnitentiam emollit. libro de Modo pœnitentiæ, capite 21. Item: Bonę autem cogitationes semper à Deo sunt. libro 4. de Sermonum proprietate, cap. 10. Et: Non naturæ uiribus, sed propositi adiumento, per Dei gratiam acquirimus sanctitatem. Ibidem.

Hominem per se non posse conuerti, Haymo docet: Homo per se recedens è Deo non per se redit ad ipsum Deum: ideo necesse est homini, ut Deus apponat manum, & reducat eum. super septuagesimum septimum Psalmum. Item: Deus operatur omnia in omnibus. Quibus uerbis tollitur humana arrogantia, cum sine spiritu sancto, nec magna nec minima bona operari possit nostra fragilitas. super duodecimum caput prioris ad Corinthios. Et: Per liberum arbitrium Paulus cooperatus est gratiæ Dei. Ipsa tamen gratia præuenit eum ut uellet, & subsecuta est ut posset implere quod uolebat. Et in hoc quod uoluntatem suam iunxit uoluntati Dei, ideo dignus est remuneratione. super decimumquintum caput eiusdem epistolæ. Item: Non solum non ualemus bonum aliquod perficere sine Dei misericordia & gratia præcedente & subsequente, sed nec cogitare. Dei enim gratia nos præuenit ut uelimus, & ipsa nos subsequitur ut possimus. super tertium caput secundę epistolæ ad Corinthios. Et: Omne bonum quod habemus, tam bona uoluntas quàm bona operatio, non est à nobis, sed à Deo. super 2. cap. ad Philip. Item: Sciendum est, quia ut aliquid Deo daremus, prius ab illo accepimus, cuius misericordia pręuenit ut uelimus, subsequitur ut operemur. libro 3. super Apocalypsin, cap. 11.

Rabanus: Vbi ergo sunt, qui dicunt proprio hominem regi arbitrio, & sic datam liberi arbitrij potestatem, ut Dei misericordia tolleretur, atq; iusticia. libro 5. in Hieremiam.

DE PECCATO IN *genere.*

HAymo inquit: Interest aliquid inter iniquitatem & peccatum. Iniquitas est quicquid ante diuinam committitur cognitionem: peccatum uerò, quod post legem perpetratur, quod etiam grauius accipitur. super 8. cap. Oseæ. Item: Iniquitas est mentis acerbitas, peccatum uerò est perpetrario mali. super 1. caput ad Romanos Et: Hoc distat inter iniquitatem & peccatum, ut quidam dicunt, quòd iniquitas sit ante legem, peccatum post legem: uel, iniquitas sit cogitationum, peccatum sit operũ. Quidam etiam dicunt, iniquitatem esse, quod contra legem committitur: peccatum quod contra naturam & cõscientiam. Sed indifferenter unum pro altero sæpe ponitur. super 4. cap. ad Rom.

Idiota tres ponit species peccati: nempe mortale, ueniale & origenale, cap. 2. Cõtemplationum de B. Maria.

Haymo ait: Omne peccatum est uel uoluntate sine cogitatione, uel consensu, uel in actu, uel in doctrina. super primum Psalmum.

Rabanus: Vbi sunt qui dicunt, in cogitationibus non esse peccatum, cum omnia uitia iuxta Euangelicam ueritatem de corde procedant. lib. 2. in Hieremiam.

Vnde sit peccatum, Idiota docet: Peccatum primorum parentum precipua causa calamitatũ huius uitæ est, quas nostris peccatis nos accumulamus. capite secundo de Vera patientia. Item: In Adam, id est, in peccato

peccato Adam omnes moriuntur: nisi tu, qui omnia potes, aliter ordines. capite tertio, de Morte. Et: Statutum est hominibus semel mori, in pœnam grauissimam, propter peccatum primorum parentum: quæ lex nunquam habuit, nec habitura est, saltem quantum ad cursum communem, in aliquo exceptionem. Istam enim mortalitatem, id est, moriendi necessitatem, transfuderunt primi parentes in posteros, quia peccauerunt: sicuti ediuerso immortalitatem transfuderunt, si non peccassent. capite tertio, de Morte. Item: A' muliere initium factum est peccati, & propter ipsum omnes morimur. capite decimo, de Morte. Et: Eua gratiam amisit per superbiam, inobedientiam & curiositatem uanam. capite sexto, Contemplationum de beata Maria.

Haymo: Diabolus est author peccati, & caput omnium reproborum, omniumque uitiorum, quæ sunt corpus eius. super 6. caput ad Romanos. Item: Adam in beatitudine positus, abijt non localiter ab eo qui ubiq; præsens est, sed recessit à Deo per dissimilitudinem, ad quem acceditur per similitudinem: quia ratione postposita, in qua Deo similis erat creatus, Euæ & consilio serpentis paruit. super primum Psalmum. Et: Dum primus homo perstitit in obedientia, præfuit ratione animalitati, ita quod ipsa animalitas secundum nullum sensum corporis mouebatur ad aliquam uoluptatem carnis, in qua sic subiecta rationi quiescebat ratio cum lætitia. Postquam uerò ab obedientia discessit, factus est lectus doloris. in quadragesimum Psalmum. Item: Diabolus & Eua, qui persuaserunt Adæ, nos in peccatum dimerserunt. super sexagesimumquartum Psalmum.

Rabanus: Vitia erga creata non sunt in hominibus, sed peruersa uoluntate rationabilis animi reperta. libro tertio in Ecclesiasticum, capite tertio. Et: Nec creator homnus, qui cuncta quæ fecit ualde bona condidit, in operibus suis reprehendendus est: sed neglectio creaturæ à summo bono auersæ, ualde reprehensibilis est, cum temporalia præponit æternis, & caduca mansuris. Ibidem. Et: Deus hominem ad imaginem suam condidit, cæterisque animantibus illum præfecit, dans illi liberum arbitrium, ut ipse imaginem Dei tenens, quanto glorioſior fuisset cæteris, tanto deuotior esset in subiectione sui conditoris. Sed ille abusus concessa hac potestate, per suggestionem antiqui serpentis erexit se in contrarietatem sui artificis, uolens propria uti potestate, nec subditus esse sub creatoris sui dominatione. Vnde factum est, ut transgressor mandatorum Dei existens, id quod sublimius accepit præ cæteris, minoratū haberet omni tempore suæ peregrinationis. libro quarto in Ecclesiasticum. cap. 1.

De affectibus peccatorum inquit Idiota: Tanto amore anima nostra Christo coniuncta est, ut nullo modo ab eo possit auelli, nisi per peccati mortalis immundiciam. capite decimoquarto. Item: Propter peccatum primorum parentum aduersus Deum commissum, omnes obligati sunt ad solutionem debiti. capite decimotertio, de Vera patientia. Et: Per iniquitatem Deus abijcitur, & diabolus intromittitur: anima fit periura Deo, adultera Christo, inimica Spiritui sancto, uirtutibus & gratijs spoliata. capite secundo, de Innocentia perdita. Item: Peccatum præcessit, & secura est mors. quod sanè si cauisset homo, in æternum mortem non gustasset. Peccando itaque uitam amisit, & mortem inuenit, quoniam tu Domine ita prædixeras. Et iustum quidem erat, ut si peccaret homo, moreretur. tu siquidem Domine uita es animæ, & anima est uita corporis. Peccando igitur uoluntariè, nolens desijt uiuere: & sponte repulit uitam, cum uoluit uiuere. capite secundo, de Morte. Et: Per peccatum Domine anima separatur à te, & sic mortua reputatur: quia sicut corpus uarijs modis interficitur, sic anima per diuersa peccata necatur & occiditur. capite decimosexto, de Morte.

Haymo: Adam infringens obedientiam, factus est mortalis & patiens peccati, quod manet Ecclesiæ in filijs Adæ. super trigesimum septimum Psalmum. Et: Per peccatum omnes tenebantur captiui à diabolo, ante Christi aduentum. super octuagesimūquartum Psalmum. Item: cum nullus iustus siue peccato esse possit, Deo placere per omnia non potest. super centesimumdecimumquartum Psalmum. Et: Patres & nos filij per inobedientiam ab illa dignitate deiecti sumus. super centesimum decimumoctauum Psalmum.

De proprietatib. peccati inquit Haymo: Nullum peccatū perficitur sine cōcupiscentia: ut qui facit homicidium, concupiscit illum occidere. super 7. cap. ad Romanos. Itē: Corpus nostrum & caro nostra, caro peccati est, quia libidinoso usu procreatur: ideoq; cum peccato concipitur, cum peccato originali nascitur, & in hoc seculo sine peccato non potest conseruari: super 8. cap. ad Romanos. Et: Nullus homo est super terram, qui faciat bonum, & non peccet, aut in uerbo, aut in cogitatione. super primum caput ad Corinthios.

DE ORIGINALI.

Vnde sit. Haymo: Originale peccatū præ occupauit humanum genus in conceptione. super 17 Psalmum.

Remigius: Et in peccatis concepit me mater mea, id est, in concupiscentia carnali, quæ carnalis delectatio ex peccato primi parentis in carne nostra uiget. Non ideo in peccatis cōcipiuntur homines, quia peccatum est misceri coniugibus. Opus hoc castum in coniuge non habet culpam, sed origo peccati secum trahit, quasi ex radice debitam pœnam. Non enim maritus, quia maritus est, mortalis est. Erat enim & Dominus mortalis, sed non de peccato suscepit pœnam nostram, sed non culpam nostram. Meritò ergo in Adam omnes moriuntur, in Christo autem omnes uiuificabūtur. In quinquagesimum Psalmum Et: Delictum primi parentis, pœnam contraxit magnæ infirmitatis in omnes posteros. Non enim quod uolo, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio. In sextum Psalmū. Item: Ab occultis meis munda me, id est, originalibus delictis, quæ occultè à parentibus quasi hæreditario iure descendunt. In 18 Psalmum.

Omnes peccatores esse: Haymo: Nullus est absque peccato, nec infans unius diei, cuius uita est super terram. super tertium caput Ionæ. Et: Proprium est hominum, peccato non carere. lib. primo in Apocalypsin, capite primo.

Rabanus: Nemo absque peccato, nec si unius diei fuerit uita eius. libro primo in Hieremyam. Item: Omnis homo ex uiri semine & mulieris natus, cum peccatis nascitur: & nisi per gratiam Christi renascatur, & liberetur à maledictione illa, non saluabitur. libro nono in Ecclesiasticum, capite secundo.

Angelomus: Corda electorum Dominus ut bona operentur, inspirat & adiuuat. Nullum tamen in hac duntaxat uita commorantem, absq; peccato esse tribuit. namque hoc donum futuræ uitæ beatitudinis reseruat. in 7. cap. lib. 3. Regum.

Remigius: Non potest esse, quamdiu sumus in hoc corruptibili corpore, ut non sit in nobis peccatum: sed tunc dominatur, cum consentimus, & uoluntatem nostram subdimus. Vnde Apostolus: Non ergo regnet peccatum in uestro mortali corpore. Et propterea munda me, & parce: sed ut nec proprijs cogitationibus prauis subdar, nec alienis persuasionibus. In 18 Psalmum. Et: Nullus est sanctorum, cui non sit conflictus cum diabolo, & qui non luctetur cum uitijs & concupiscentijs, referendo uidelicet illicitos motus. Et quia in hoc mundo non potest esse pax uera, amemus illam quę futura est, & in illo mundo per spem reficiamus: quia cum uenerit, erit finis totius pugnæ, sine qua modò nec sanctus est. Nam nullus iustus, est alienus à pœnis peccati, fame, siti, lassitudine, contra quæ pugnandū est, quia ab illis impugnamur. In 84 Psalm. Et: Nullus est ita sanctus, ut omnino careat peccato. in 98 Psalmum.

Effectus. Remigius ait: Non potest esse, quamdiu homo in hoc tabernaculo ingemiscit, ut fomes peccati eum non inquietet. Sed ei consentire non debet: sed si surrexerit, talem faciat, ut in eo inueniat arma iniquitatis, quibus extendat manum ad proximum: uel si surrexerint alij motus illiciti, non inueniant instrumenta iniquitatis. Vnde Paulus: Est peccatum in mortali nostro corpore, sed non regnet. in septuagesimum quintum Psalmum.

De peccato in Spiritum sanctum, inquit Rabanus: Desperatio inter omnia minima maximū crimen est, quod uidelicet irremissibile peccatum & blasphemiam in Spiritū sanctum, quidam intellexerunt. In epistola ad Otgarum archiepiscopum. Item: Obdurato corde uiuit, siue qui conuertitur desperans de indulgētia peccatorum: siue qui sic misericordia Dei sperat, ut usque in finem uitæ præsentis, in suorum criminum peruersitate remaneat. Proinde diligentes misericordiam Dei, metuentesque iustitiā, nec de remissione peccatorū desperemus, nec remaneamus in peccatis: scientes quia illa omnium hominum debita sit exactura æquitas iustissimi iudicis, quæ non dimiserit misericordia clementissimi redemptoris. Sicut enim misericordia suscipit absoluitq; conuersos: ita iusticia repelet & puniet obduratos. Hi sunt, qui peccantes in Spiritum sanctum, neque in hoc seculo, neq; in futuro, remissionem accipient peccatorum. capite nono, de Vera pœnitentia. Item: Nullus sanctus & iustus caret peccato. nec tamē ex hoc definit esse iustus uel sanctus, cum affectu teneat sanctitatem. Non enim naturæ uiribus, sed propositi adiumento, per Dei gratiam acquirimus sanctitatem: & ideo ueraciter se omnes sancti pronunciant peccatores, quia in ueritate habent quod plangāt: & si non reprehensione conscientiæ, certè mobilitate peccatricis naturæ. Idem lib. 4. de Sermonum proprietate, cap. 10.

De concupiscentia, inquit Rabanus: Concupiscentia carnis est omne quod ad uoluptatem & delicias corporis pertinet, in quibus sunt maxima, cibus, potus, concubitus. libro sexto in Ecclesiasticum, capite 5.

De peccato hæreticorum inquit Remigius

gius: Quanto magis est perdere quàm odio habere, tanto maius est peccatum mentiri quàm male agere, non qualicunque mẽdacio quod semper in actu est, ut hæreticorũ, &c. in Psalm. 5.

De pertinentia inquit Remigius: Culpã geminat, qui excogitatam nequitiam diuulgat, & duplex peccatum est, malum excogitare, & hoc quasi in bonum propagare. in 72. Psalmum.

Sanctos posse labi, Rabanus ait: Fideles, & qui Deo placent, non tantum in leuibus peccare, uerùm etiam immanitate scelerũ, uiam sibi præcludere regni cœlorũ possunt. cap. 5. de Vera pœnitentia.

DE LEGE.

De officio legis, quod indicet peccata, Hincmarus docet: Post legem naturę data est lex literæ, populi congruens duritiæ, quæ propter transgressiones posita est: quam lex Euangelij tempore posterior, sed gratia prior, est subsecuta: quæ per incremẽta temporum ab Apostolis, eorumq; successoribus est propagata. In epistola ad Hincmarum Laudunensem, cap. 20.

Haymo inquit: Lex non est data ut peccata auferret, sed ut demonstraret. super 6. cap. ad Romanos.

Remigius ait: Sicuti tensis laqueis uel retibus, solent lapides in sepes mitti, ut sic deterreantur aues, ut ad laqueum ueniant: sic solet proponi fidelibus uerbum asperum in minis & blãditijs, ut uel timore perterriti, cadant in laqueos: uel amore eorum quæ sibi blandis uerbis proponuntur, pedem uinciant laqueis. in Psalmum 90.

De liberatione à lege, inquit Haymo: Per fidẽ Domini Saluatoris liberi efficimur in baptismate non solum à peccatis, sed à seruitio etiam legis. super 2. ad Galatas.

De lege naturæ inquit Remigius: Manus plasmatoris in cordibus hominum naturaliter legem uitæ inscripsit: Quod tibi nõ uis fieri, alij ne feceris. Hic omnis iusticia & omnis lex continetur, non solum quod uitandum, sed quod sit sequendum. Hoc omnes intelligunt: id est, habet omnis homo quod ei displicet: furtum, homicidium, adulteriũ, & quod non uult sibi fieri. Si qui autem putant aliquid deesse, scripsit Deus legem, & posuit ante oculos hominum, ut iusticiæ inexcusabiles essent, ut alterutra alteram confirmet. Vnde dictum est, Præuaricatores legis redite ad cor. in Psalmum 57.

De ceremonialibus legibus Mosi, inquit Remigius: Datæ sunt carnales obseruationes, non ut iustificarent, sed ut rudem illum populum quasi elemẽtis quibusdam erudirent, ut tandem à carnalibus ad spiritualia transirent. in 21 Psalmum.

DE EVANGELIO.

De generali significatione Euangelij, inquit Haymo: Per testamentum sanctum Euangelium accipimus ideo, quia sicut aliquis testamento suo hęreditatem promittit, & præcipit hæredibus quid faciant, & testamentum morte confirmat: ita Christus hæreditatem promittit in Euangelio, & dat suis præcepta uiuendi, & morte testamentum suum confirmat. Per testimonia eius, Scripturas Prophetarum accipimus. Prophetę enim testes fuerunt promissionũ, quæ in Christo completæ sunt. super uigesimumquartum Psalmum. Item: Euangelia quadrigæ dicuntur, propter quatuor de Christo prædicata, natiuitatem, passionem, resurrectionem, & ascensionem. Haymo super orationem Habacuc.

Item: Quid ergo est Euangelium? Bonum nunciũ. Et quod est melius nunciũ, quàm omnipotentem Deum Trinitatem habere in personis, unitatem in substantia, patrem ingenitum, filium unigenitum, Spiritum sanctum procedentem ab utroque: annunciare natiuitatem quoque Christi secundũ diuinitatem ante secula, secundum humanitatem in fine temporum miracula illius, passionem, resurrectionem, ascensionem ad cœlos, aduentum illius ad iudicium, resurrectionem generalem, gloriam electorũ, damnationem reproborum. Haymo super primum caput ad Romanos.

Rabanus: Christus in mandatis Euangelij, quibus in deserto istius mundi nutrit credentes, arguit ac damnat incredulos. libro tertio de Sermonum proprietate, cap. 1.

Quid tractet Euãgelium, Rabanus exponit: Misericordia, id est, gratia Christi per prędicationem Euãgelij, animarum curat uulnera, & mitigat æstum carnalis concupiscẽtiæ. libro 8. in Ecclesiasticum, capite septimo.

De fine Euangelij, inquit Haymo: Euangelium ministerium iusticiæ est, quia per illud ministerium iusticia, salus & uita æterna, tempore baptismatis. super tertiũ caput epistolæ ad Corinthios secundæ.

De discrimine legis & Euangelij, inquit Haymo: Decalogus peccata operum prohibet, Euangelium autem cogitationum peccata resecatur: lex prohibet homicidium, Euangelium iram. super quintum caput Zachariæ. Item: In lege nulla reseruatur pœnitentia: sed precipitur, ut qui peccat, occidatur. Euangelium autem dicit, Nolo mortem peccatoris. super Canticum canticorum. Et: Quanta distantia est inter Moysen & Christum, tanta distantia est inter legem & Euangelium, & inter doctores

legis

legis & Euangelij. super tertium caput, secundæ ad Corinthios. Item: Lex non est ex fide. Fides est ea credere & sperare, quæ non uidentur. Lex ergo non complebatur fide, sed opere: Euangelium autem completur fide magis quàm operibus, quia sola fides saluat. super 3. cap. Galat.

DE IVSTIFICATIONE.

HAymo inquit: Iusticia Dei, hoc est, iustificatio, qua iustificat in se credentes, in Euangelio manifestatur, dum dicitur: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, id est, iustus. Hęc est iusticia, qua omnes credentes dono patris & filij & spiritus sancti iustificantur. Quæ idcirco iusticia Dei dicitur, quia eam impartiendo fidelibus, iustos eos reddit. super primũ caput ad Romanos. Et: Iusticia fidei dicitur, quia primùm fidem habuit Abraham, & per eam iusticiam promeruit, quia iustificatus & mundatus est ab omnibus peccatis. Nam in gentilitate siue in præputio positus, fide est iustificatus. super 4. caput ad Romanos.

Vnde sit iustificatio, Haymo docet: Mediante Christo ad patrem uenitur. super 5 Psalmum. Item: Per Christum saluatur genus humanum. super 11 Psalmum. Et: Per mediatorem Christum, Deus conuersus est ab ira, quam habebat de peccato primi parẽtis erga Deum. super 70 Psalmum. Item: Filius est author pacis & reconciliationis inter Deum & hominem. super octuagesimũ quartum Psalmum. Et: Nullus iustorum regnum cœlorum intrare ualuit, nisi per Christum: quia ipse primus ascendit, & sequentibus suis membris cœlum aperuit. In septimum caput Cantici canticorum. Item: Christus dedit nobis remissionem peccatorum, & alia beneficia, per solam misericordiam suam. super octuagesimum quartum Psalmum. Et: Ante mundi cõstitutionem, cum homo adhuc non esset, decreuit Deus pater cum filio suo saluare genus humanũ, nullis præcedentibus meritis. super quartũ ad Romanos. Item: Etenim quia nemo legis operibus perfectè iustificabatur, misit Deus filium suum, qui præcepta iusticiæ, quæ uocantur Euangelia, nobis tradidit, & in ipso iusticiæ perfectionem nobis exhibuit, cuius fidei gratia perfectionem consequi mereremur. super decimum ad Romanos. Et: Hoc quoque sciendum, quia caro nostri Saluatoris pro salute nostri corporis, sanguis uerò pro anima nostra fusus est: quia sedes animæ in sanguine consistit, in cuius memoriam corpus & sanguinem illius sumimus: quoniam ipse, ut totum hominem saluum faceret & redimeret, sangui nem suum fundi permisit. super undecimũ caput primæ ad Corinthios. Item: Christus sine peccato nascens, sine peccato conuersans in mundo, innocenter mortuus est, pro omnibus prædestinatis ad uitam, & (ut Prosper dicit, & Iohannes Chrysostomus, aliíq; doctores) licet omnes non credant, & etiam omnes credentes non saluentur, ille fecit quod suum erat, pro omnibus moriẽs. super quintum caput, secundæ ad Corinthios.

Rabanus: Qui sine saluatore salutẽ uult habere, & sine uera sapientia æstimat se prudentem fieri posse, non saluus, sed æger: non prudens, sed stultus in ęgritudine assidua laborabit, & in cæcitate noxia stultus & demens permanebit. In epistola ad Bonosum abbatem. Et: Homini è paradiso electo, nulla spes recuperationis suæ erat, nisi ipse author humani generis, & conditor totius creaturæ, propter suam magnam misericordiam illi consuleret, & mitteret in hunc mũdum, ut de Spiritu sancto conceptus, per Virginem nasceretur homo, & sic per passionẽ quam innocens pertulit, nostræ mortis uincula disrumperet, & nos à reatu primæ pręuaricationis absolutos, iterum reduceret ad paradisum, ac eius propositũm, quod de hominibus facere disposuit, inconuulsum maneret, & homo ad honorem Dei conditus, pristinæ dignitati restitueretur. In admonitione ad populum, quam Reginhario chorepiscopo misit.

Angelomus: Deus per filium suum unigenitum, quem ad salutem generis humani mittendum decreuerat, in litera legis, Iudæis nescientibus, absconditum habuerat. In uigesimum caput libri primi Regum. Et: Dominus Iesus Christus Ecclesiam suam, precioso sanguine suo emptam, ac per septiformem gratiam spiritus sancti à cunctis suis delictis purgatam, in domum sibi sempiternam sanctificauit. In uigesimum quartum caput libri secundi Regum. Item: Iesus Christus propterea fundamentum, domus Domini potest rectè uocari, quia ut Petrus ait, Non est aliud sub cœlo datum nomen hominibus, in quò oporteat nos saluos fieri. In quintum caput libri tertij Regum.

Remigius: Cœli ennarant gloriam Dei, hãc scilicet, quòd non ex operibus iusticię, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Et hæc est magna gloria Dei. Omnes enim peccauerũt & egent gloria Dei, iustificati gratis. Et hoc est, enarrant Dei, id est, misericordiam exhibitam per filium, in qua Deus glorificatus est. In decimum octauum Psalmum.

Quæ

Quæ sit materia iustificationis, docet Haymo: Christus totius iusticiæ est fundamentum. super uigesimumsextum Psalmum. Et: Nos agentes pœnitentiam sciamus, nihil nos dignum dare possumus ad placandum Deum, sed solummodo in sanguine immaculati & singularis agni nos posse saluari, si tamen imitemur eius passionem, ut pro illo mori parati simus. super sextum caput Micheæ. Item: In passione Domini dimissa est iniquitas, & redonata iusticia in die una. super tertium caput Zachariæ. Et: Homo per passionem Christi non solum à peccatis iustificatur, sed etiam diuinum consortium meretur. super quartum caput Cantici canticorum. Item: Christus per passionem suam & fidem iustificat in se credētes. super decimum caput ad Romanos. Et: Christi passio & obedientia omnibus credentibus sufficit ad salutem æternam. super quintum caput ad Ebræos. Item: Sanguine passionis suæ introiuit Christus in patriam cœlestem, quo sanguine omnes sunt redempti, perfecteque iustificati, non temporali, sed æterna redemptione. super nonum caput ad Hebræos. Et: Perfecta mundatio & remissio in sanguine Christi consistit, qui pro nobis effusus est in remissionem peccatorum, sine cuius sanguinis effusione nemo redimitur. Ibidem.

Remigius: Spes mea ab uberibus matris meæ, id est, à carnalibus obseruationibus legis, in qua natus sum, ut in tua iusticia confiderem, non in iusticia legis. Quia ex operibus legis nullus iustificatur, sed per gratiam tuam. Datæ sunt enim carnales obseruationes, non ut iustificarent, sed ut rudem illum populum, quasi elementis quibusdam, erudirent, ut tandem à carnalibus ad spiritualia transirent. In uigesimumprimum Psalmum.

Quales iustificentur, docet Idiota: Diuinâ tuam potentiam euidentius nihil manifestat, quàm iustificare impium. cap. 6. de Conflictu carnis & animæ.

Qualis sit nostra iustificatio, exponit Haymo: Fuerunt iusti illi per Christum à peccato liberi, quamuis non essent prorsus deleta originalia peccata, donec Christi sanguis effunderetur. super 39 Psalmum. Et: In præsenti tempore iusticia Dei manifesta est, non ea solummodo, qua ipse iustus est, aut qua iustificetur, qui essentialiter ipsa iusticia est: sed qua induit impium, quando misericorditer de infideli facit fidelem, de adultero & fornicatore facit castum & continentem, de iniusto & peccatore facit iustū & amatorem uirtutum. super tertium caput ad Romanos.

CAVSAE IMPVLSIVAE.

Gratia & misericordia iustificamur. Hincmarus: Gratia Dei iustificat impios, hoc est, ex impijs facit iustos. In epistola ad Hincmarum Laudunensem.

Idiota: Absit Domine Deus meus, ut de tua misericordia desperem, quoniam miserationes tuæ super omnia opera tua: non enim ex operibus iusticiæ, quæ fecimus nos, sed secundum tuam misericordiam, saluos nos fecisti. Multum Domine peccauit Cain, quando interfecit Abel: sed magis peccauit, cum ait, Maior est iniquitas mea, quàm ut ueniam merear. Absit enim Domine, ut maior sit iniquitas mea, quàm misericordia tua: cum defectus à bono, qui est, iniquitas, summo bono comparari non possit, quæ est misericordia tua Deus. capite tertio de Conflictu carnis & animæ. Item: Quis diffidere possit Domine Deus meus, quin miserearis illius, quem fecisti ad imaginem & similitudinem tuam? Nemo, certè: sed multò quoque minus dubitare ualeat Domine, quin tu miserearis illius, propter quem exinaniuisti temetipsum, formā serui accipiens. Miserere igitur mei Domine per meritum sacratissimæ incarnationis & passionis tuæ. Ibidem capite quinto. Et: Salua me peccatorem per gratiam tuam, quem damnare potes per iusticiam. capite sexto de Innocentia perdita. Item: Anima à morte, misericordia, & magno mortis Christi beneficio, præseruatur æterna. capite 2. de Morte.

Haymo ait: Per totum mundum iam fideles per misericordiam iustificabuntur. super 118 Psalmum. Et: Deus gratis condonat peccata, quia dedit sanguinem filij sui, precium nostræ redemptionis. super 129 Psalmum. Item: Nemo debet de meritis suis præsumere, sed omnem saluationē ex Christi meritis expectare. super 131 Psalmum. Et: Vno peccato originali uenit condemnatio omnium hominum, gratia autem Christi, qua nobis gratis dimittuntur peccata, in iustificationem fidelium, uenit ex multis delictis, quæ post originale peccatum addita sunt. super 6 caput ad Romanos.

Rabanus: Homo iam non aliter saluari potest, nisi per gratiam Iesu Christi, uidelicet sui redemptoris. libro quarto in Ecclesiasticum, cap. 1.

Gratis. Idiota inquit: Futura gloria gratis à Deo promittitur. capite nono de Vera patientia.

Haymo ait: Gratis dicit Apostolus, sine ullis præcedentibus meritis. Verbi gratia: Qui ad baptismū uenit, nihil unquā boni fecit, baptizatur, statimq; iustificatur. Ecce gratis iustificatur per gratiā, id est, per donum Dei,

Dei,& hoc per redemptionem , quæ est in Christo Iesu,non operibus legis . super caput tertium ad Romanos. Et:Si Abraham propter opera sua posset iustificari sine gratia Dei se præueniente , & sine fide,quæ etiam gratis illi data est,non esset præmiũ iustificationis gratis illi datũ,sed debitũ esset: nec esset unde Deo referrentur gratię,ideoque superflua , id est,sine causa esset passio Christi. super 4 ad Romanos. Item: Qui nos uocauit in gratiam , id est,remissionem peccatorum,quam nobis Deus pater gratis dedit,siue per passionem filij sui,siue per baptismum.super primum caput ad Galatas. Item:Hæres scilicet uitæ æternæ , non suo merito,sed gratia Dei,per quam est redemptus.super 4.ad Galatas. Item: Gratia dicitur gratis data,non merces reddita, sed uenia gratis collata : quæ gratia specialiter in hoc est accipienda, quia sine merito hominum misit Deus filium suum , qui nos suo sanguine redemit, & ad filiationem perduxit.libro primo,super primum caput Apocalypseos. Item : Præueniente gratia Dei saluamur,& subsequente iustificamur.libro septimo,super uigesimumsecundum caput Apocalypseos. Et : Vita æterna nulli per debitum redditur,sed per gratuitam misericordiam]datur.super Euangelium Dominicale Septuagesimæ.

Rabanus : Per solam Christi gratiam ab omni scandalo liberantur electi.libro 7 in Ecclesiasticum,cap.2.

Remigius : Veterem populum fecit Adã sui conformatione,scilicet seruus. Nouum uerò populum fecit Dominus , quia gratis iustificauit,sine præcedentibus meritis.Peccatores enim nosipsos fecimus , iustos autẽ sola Dei misericordia.in 21 Psalmum: Et: Vita æterna non est ex merito, quia cadere per nos potuimus: sed per nos surgere non potuimus:sed ex uoluntate eius,id est, sola misericordia.Idem,in 29 Psalmum.

Remigius:Reuera isti soli beati , isti soli salui sunt,qui per gratiam iustificantur , & non ex meritis.in 32 Psalmum. Item:Magnum Dei donum est,& magna scientia hominis , attendere & intelligere quòd quicquid sit,ex gratia Dei sit,& nihil per se sit. Nam qui per se uult esse,tendit ad non esse. Qui autem per gratiam Dei studet existere, manet in uero esse.Gratia ista est , per quam cum non essemus,facti sumus ex impijs pij, ex incœstis casti,ex seruis liberi, ex damnatis in regno assumpti.Idem , in 70 Psalmũ.

Fide nos saluari,Idiota monet,dicẽs:Christo sic placere fidem , quod per ipsam omnes sanet & saluet,quia dicit : Fides tua te saluum fecit: & sine ea neminem ei placere posse.cap. 2 de Amore diuino.

Haymo inquit: Duobus modis iustificatur homo. Per fidem Christi(uerbi gratia) si fuerit sine operibus bonis ante baptismũ, in ipso baptismate iustificatur: aut etiã post baptismũ sine legis operibus, quæ iam non sunt obseruanda,iustus habetur. super 3 ad Romanos. Et : Ideo ex fide & per fidem iustificantur omnes Iudæi siue gentiles,credentes,& per fidem sunt hæredes, non per legem,ut secundum gratiam , quam gratis promisit,non secundum meritum, neq; iecundum legem,ut firma sit promissio, quã promisit Deus omni semini Abrahę:non solum ex Iudęis,sed etiam ex Gentibus.super quartum ad Romanos. Item: Fides Christi iustificat credentes,dum in ea baptizantur,& fructus iusticiæ ac fidei operantur. super nonum ad Romanos. Et: Vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus: id est,ut in nomine eius benedicerentur omnes Gentes,& in fide ipsius iustificarentur, esseтq; gratia & indulgentia illius : ut quos lex non poterat saluare, ipse redimeret : & qui per legis opera non eramus digni saluari,iustificationem per eius fidem obtineremus.Idem super 3.ad Galatas. Item:Nullus sine fide saluari potest.Idem super Euangelium feriæ secundæ post Iudica. Et: Hæc est una fides, quia hæc est uera fides, & ideo hæc est catholica fides,unius substantię sanctam credere Trinitatẽ,& in Dei filio carnis animæq; nostræ naturalem cognoscere ueritatem.Ista fide iustificamur,hac fide mundamur,ista fide saluamur: in hac fide credidimus,quia nobis tribuit remissionem omnium peccatorum.Idem super Euangelium in octaua Paschæ.

Rabanus : Omnis in Christo credens,ęternæ uitæ dona consequitur.libro 5. in Ecclesiasticum,cap.14.

Angelomus : Quicunq; firma fide tangit mortem Christi, & spem suam ueraciter in ipso collocat,sine dubio particeps erit resurrectionis eius.in 13 caput lib.4.Regum.

Remigius:In domino confido,&c. Tota fides mea in.Christo est,per illum solum credo me iustificari & saluari.Ille est mihi mõs, ille refugium.Quia Dominus meus est, qui est Deus per naturam.Vos autem qui homines,estis infirmi ut ego.in 10 Psalmum.

Certò accipitur.Haymo:Remissio peccatorum & aliæ gratiæ iustificantes ita firmiter nobis data est,ut iã ipse diabolus insidiator non possit nobis diripere. super 116 Psal.

Vbi sit remissio peccatorum, docet Hincmarus: Vbi quippe,nisi in catholicæ matris sinu? Quando, nisi ante uenturi exitus diẽ? Quia ecce nunc tempus acceptabile.Qualibus,nisi conuersis,qui ad paruulorum imitationem magistra humilitate formantur? in epi-

in epistola ad Hincmarum Laudunensem, capite 48.

Omnia peccata dimitti, Haymo: Nullum peccatū tam magnū est, quod medicamento pœnitentię sanari non possit. Non enim mentitur ille, qui ait: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem, &c. Super Euangelium Dominicæ 13. post Pentecosten.

De fructu iustificationis, inquit Idiota: Melius est iustificare quàm creare, cum creando detur natura, iustificando uerò, & auferatur culpa, & conferatur gratia. cap. 6. de Conflictu carnis & animæ.

De differentia iusticiæ Dei & hominum, sic inquit Rabanus: Deus solus est iustus, seu bonus per naturam: cæteri autem per gratiam. libro quarto in Ecclesiasticum, capite septimo.

Phrasin annotat Haymo: Misericordiam facere, est peccata remittere, & iusticiam dare. super octuagesimumtertium Psalmum. Item: Misericordiam appellat Apostolus (Roman. 11.) fidem. gratiam baptismatis, remissionem peccatorum, & donū Spiritus sancti: pariterq; reconciliationem, qua reconciliati sunt gentiles Deo, & insuper quicquid boni post Domini aduentum gratis à Deo perceperunt. super 11. ad Romanos. Item: Arbitramur hominem iustificari, &c. id est, iudicamus, definimus, siue testificamur. super tertium ad Romanos. Item: Data est gratia, id est, fides, remissio peccatorum, & redemptio, & quicquid boni habemus. Et hęc omnia gratuito munere omnipotentis Dei largita sunt nobis. super quartum ad Ephesios.

DE FIDE.

Fides dicitur, eo quòd fiat, ut promittitur. Haymo super 1. cap. ad Romanos. Generalem definitionem ponit Haymo: Fides est confessio sanctæ trinitatis, & solidum fundamētum religionis, qua ueraciter credimus id, quod nequaquam uidere ualemus. Si autem quod credimus, iam uidemus, fides iam non est habenda, sed cognitio. super 1. caput ad Romanos. Item: Fides est, qua Deum trinitatem habere in personis, & unitatem in substantia credimus, mysteria quoque incarnationis & passionis filij Dei. super decimumtertium caput prioris epistolæ ad Corinthios. Item: Fides est, qua credimus Deum omnipotentem, trinitatem habere in personis, unitatem in substantia, & qua speramus & credimus ea, quæ necdum uidemus. Idem super 5. ad Galatas.

Vnde sit, Haymo docet: Fides qua credimus in Deum, & à patre, & à filio, & à Spiritu sancto datur: nec est in homine naturaliter, sed à Deo datur: quoniam si esset, omnes haberent fidem. super 12. caput prioris epistolæ ad Corinthios. Item: Fides, remissio peccatorum, & cuncta Dei dona gratis dantur fidelibus. Idem super 16. caput, 1. epistolæ ad Corinthios.

De fidei fundamento, inquit Haymo: Fides in corde locanda est, quæ Deum trinitatem habere in personis, & unitatem in omnipotētia maiestatis credat, filiumq; humanatum: sed secundum Euangelium firmiter teneat, genus humanum sanguine illius redemptum: & ea quæ circa humanitatem eius sunt facta, deificè exhibita non hæsitet. super 10. cap. ad Romanos.

De effectu fidei, inquit Haymo: Fides hominem munit, & ab eo diaboli iacula & infestationes repellit, ita tamen, ut sit bonis operibus adornata. super sextum caput ad Ephesios.

Rabanus: Ad cœlestem ciuitatem ianuas desperatio quidem claudit, aperiet autem spes, & fiducia latum præbebit ingressum. cap. 18. de Modo pœnitentiæ.

De ficta fide, inquit Haymo: Fides ficta est, quæ confitetur ore, sed non tenetur corde, neq; exornatur operibus. Fides uerò uera est, quæ tenetur corde, profitetur ore, perficitur opere. super 1. cap. prioris epistolæ ad Timotheum.

De uestę nuptiali, Haymo scribit: Vestem nuptialem non rectè fidem intelligere possumus, quia sine illa Ecclesiam intrare non ualemus. Nam & baptismū uestem nuptialem, nō accipimus, quia sine illo Ecclesiam non intramus. Fiducialiter ergo & absq; ulla contradictione, uestem nuptialem intelligamus charitatem, sine qua quisq; in uacuum Ecclesiam intrat, etiamsi rectam fidem se habere simulat. Rectè ergo uestem nuptialem intelligimus charitatem. quia sicut uestis duobus filis texitur, superiori & inferiori: sic charitas duobus præceptis impletur, dilectione Dei uidelicet, & proximi. super Euangelium Dominicæ 21. post Pentecosten.

DE BONIS OPERIBUS.

Vnde sint bona opera, Haymo exponit: Nullus bene agit, nisi te Deo, non ipso operante. super 91 Psalmum.

Angelomus: In omnibus indigemus Spiritus sancti iuuamine. in præfatione super tertium librum Regum. Item: Nullus suis uiribus bona operari ualet, nec diabolo resistere, imò si se contra Dominum erigere tentauerit, bonum si quod habere uidetur, amittit, quod in ipso primo angelo, & postea in homine demonstratum est. Scriptum est namq;: Non glorietur prudens in pru-

dentia sua, &c. in 2. cap. 1. lib. Regum. Item. Nec Deus absq; gratia Spiritus sancti potest amari, nec proximus. Idem in 7. caput lib. 3. Regum.

Remigius : Rectè uiuentes nihil nobis, sed totum gratiæ Dei attribuamus. In trigesimumnonum Psalmum.

Quę opera sint facienda, Haymo indicat: Omnia opera Ecclesię quasi orationes sunt. In cunctis enim quæ agit, semper Dominũ deprecatur : & tali modo impletur illud quod Dominus dicit, Oportet semper orare. super 4. Cant. canticorum.

Quinam possint bona opera facere, Haymo: Fidelis extra Ecclesiam, uel extra fidem non potest bona opera & Deo placentia facere. super 83 Psalmum. Item: Solus Christus est, sine quo aliquod bonum humana fragilitas facere non potest : ad quem postquam per fidem peruenimus, bonum facere possumus. super decimumtertium Psalmum. Et: Nihil boni possumus facere, nisi credimus. super 115 Psalmum. Item: Opera nulla dicuntur in conspectu Dei esse, nisi solius iusti. super 118 Psalmum.

Quòd ex corde debeant procedere, Remigius : Quia non potest manus abstinere ob opere, nisi mens etiam cesset à crimine: quia melius est arare quàm saltare, & fodere quàm usque ad crapulam bibere. In nonagesimumprimum Psalmum.

Fide bona opera facienda esse, Haymo: Ex fide quæ concipitur corde, & profertur ore, & bonis operibus exornatur, uiuit iustus uita ęterna. mortua autem fides est sine operibus. super 1. cap. ad Romanos. Et: Opera nostra super sacramenta Ecclesię fidem & baptismum posita, sunt Deo acceptabilia. super 83 Psalmum.

Remigius: nullus potest bene operari extra fidem, siue hoc siue illo modo. In trigesimumsecundum Psalmum.

De ordine, inquit Haymo: A' fide uenitur ad bona opera agenda, non ab operibus ad fidem. nisi enim Cornelius, Actorum 10. fidem prius habuisset, præuentus ab inspiratione diuina, nequaquam bona opera habuisset. super undecimum caput ad Romanos. Item: Sicut fundamentum sine structura parietum nihil utilitatis habet, ita qui cunque fidem sine operibus habere uidetur, non ideo perfectus habebitur, quia fides sine operibus mortua est : quapropter exornanda est bonis operibus, ut quod corde credimus, confiteamur ore, & bona opera sectando studeamus decorare fundamentum. super 2. caput prioris epistolæ ad Corinthios.

De fine, Remigius: In custodiendis illis retributio multa, non solum in futuro, sed etiam in præsenti. Nunquam enim uirtus est sine præmio, sicut nec uitium sine pœna. Habet enim hic præmium bonæ conscientiæ, ille uerò supplicium de præmio uiuorum. in decimumoctauum Psalmum. Item: Ignis in conspectu eius ardebit. Ignis iste paleam incinerat, auram purgat : sed mutemus uitam, ut non timeamus pœnam. Et in hoc quisque studeat, quia etsi fieri posset ut dies iudicij non fieret, tamen non esset malè uiuendum. Quia si nulla alia pœna immineret peccatoribus, nisi separatio à facie Dei : tamen in quantalibet essent affluentia diuitiarum, non uidentes à quo creati sunt, & separati ab illa dulcedine ueritatis eius, se plangere deberent. quod nouerunt illi, qui utcunque ueritatis illius dulcedinem sentire cœperunt. Qui autem non desiderat faciem, timeat uel ignem : & quem non inuitant præmia, terreant supplicia. Vile est tibi quod pollicetur, contremisce saltem quod minatur. In 49 Psalmum.

De dilectione erga Deum, Idiota inquit: Tantus est amor à tota mente procedens, quòd anima tibi unita tali dilectionis glutino, nec pœna, nec tormento, nec igne, nec ferro, nec ullo alio supplicio potest dissolui, si aduenìat peccati mortalis immundicia. capite decimoquarto, de Amore diuino.

Rabanus : Charitas Dei, quæ certissimum donum est Spiritus sancti, citissimè ad intelligenda atque obseruanda Dei mandata, cor quod implet, inflammat. Ipsa facit bonum incipere & perficere, ipsa & remuneratio nostra erit in uita futura. libro primo in Ecclesiasticum, capite quinto.

De dilectione inimici, inquit Haymo Sic sunt diligendi inimici, ut quicquid mali nobis faciant, non repercutiamus, sed pro eis oremus : & quam diu in eis proficere putamus, diuina admonitione eis insistamus. Si autem in eis nihil proficere ualemus, nec salua religione cum eis habitare possumus, ab eorum familiaritate & habitatione separari debemus. super centesimum decimum octauum Psalmum.

De eleemosyna, inquit Haymo: Eleemosyna quæ pauperi largitur in terra, à Deo recipitur in cælo. Et noli attendere, quod hoc tibi sit redditurus, quod accepit : Tu enim terram dedisti, ille cœlum reddet : temporalia dedisti, æterna mercaberis. super decimumtertium caput ad Hebræos.

Rabanus inquit : Eleemosyna non solummodo est in uictu & in uestitu, quibus consulitur quidé egenti, sed in omni re qua-

qua per misericordiam fauetur necessitatẽ patienti, corporaliter scilicet siue spiritualiter. lib. 7. in Ecclesiasticum. cap. 2.

Remigius: Tribus modis fit eleemosyna: duobus modis de superiori, scilicet primùm cum nos ipsos impendimus, quod pręcipuum est. Secundum, cum proximum ad charitatem Dei trahimus. Tertium, de inferiori, cum in carnalibus proximis ministrando, Deo seruimus. In trigesimum secũdum Psalmum.

De timore, Rabanus: Vnus est timor, quo timent homines Deum, ne mittantur in gehennam. Alter, cum quis se corrigit, & incipit bona desiderare. Cum bona desiderare cœperis, erit in te timor sanctus. libro primo in Ecclesiasticum, capite quinto.

Item: Timor Domini fons est uitæ, gloria, lætitia & corona exultationis: quem qui tenuerit, hic bonorum operum dignis meritis crescit, & in futuro lætitiam & gaudium in longitudine dierum habebit. lib 6. in Ecclesiasticum, cap. 6.

De spe, Rabanus: Spes est salutis nostræ anchora, & uitæ nostrę fundamentum, dux itineris quo itur ad cœlum. Denique Apostolus ait: Spe salui facti sumus. Spes ergo est in qua salus nostra consistit, & quæ de terris animas uelut quibusdam catenis cœlitus dependentibus innixas, sibi euehit ad superiora, & reuocat ad sedes cœlestes eos, qui sibi uehementius inhærent, celsioresque eos uitæ huius terrenorum malorum turbinibus reddet. Si quis ergo inter hæc positus resoluatur animis, & salutaris spei anchoram demittat è manibus, decidat necesse est in abyssum, atque in profundum malorum enecetur. capite quarto de Vera pœnitentia.

De superbia, Rabanus: De superbia namque nascuntur hæreses, schismata, detractiones, inuidia, uerbositas, iactantia, contentiones, animositates, ambitio, elatio præsumptio, uanitas, inquietudo, mendacium, periurium, & cætera eiusmodi. lib. 3. in Ecclesiasticum, cap. 3

DE POENITENTIA.

De appellatione inquit Rabanus: Pœnitẽtia appellata quasi punientia, eo ꝙ ipse homo in se pœnitendo punit, quod malè admisit. Nam nihil agunt, quos uerациter pœnitet, nisi ut id quod malè fecerint impunitum esse non sinant. Eo quippe modo sibi non parcentibus ille parcit, cuius altum iustumque iudicium nullus contemptor euadet. Perfecta est autem pœnitentia, præterita deflere, & futura non admittere. libro 5. cap. 15. de Sermonum proprietate.

Quòd sit agenda pœnitentia, Idiota docet, inquiens: Sicut ipsam animam puram fecit per baptismum, ita rursum hoc tempore puram reddat per pœnitentiæ & reconciliationis gratiam. cap. 2. Contemplationũ de B. Maria. Et: O diuina patientia, quæ nihil aliud est quàm longanimitas tuæ expectationis, qua scilicet nos expectas ad pœnitentiam, nolens nos peccatores continuò iudicare, sed patienter sustinens mala nostra. Neque propter hoc subtrahis à nobis peccatoribus beneficia tua. capite septimo, de Vera patientia.

Haymo dicit: Si quid consensu perpetrãdi facinoris in anima delinquimus, citò hoc confessione & dignis pœnitentiæ fructibus abstergamus. super centesimum quinquagesimum Psalmum.

Rabanus inquit: Necesse est unicuique, qui se peccatorem & reum esse cognoscit, ut cum pœnitentiæ sibimet remedio subueniat, nec differat de die in diem conuerti in melius: sed dum uacat, & in hac uita subsistit, studeat magis bonis operibus curam impendere, quàm negligẽtia & desidia torpere, docente hoc Scriptura, atque dicente: Ne adijcias peccatum super peccatum, & dicas, Miseratio Domini multa est. cap. 1. de Vera pœnitentia.

De partibus pœnitentię, inquit Rabanus: in peccatoris utriq; pectore incessanter debet spes & formido cõiungi: quia incassum misericordiam sperat, si nõ etiam iusticiã timeat: incassum iusticiam metuit, si non etiã de misericordia confidat. libro 1. in Ecclesiasticum, cap. 19.

Vnde sit, Hincmarus inquit: Ipsam pœnitendi affectionem, ex Dei credamus inspiratione correptam: deinde apostolo, Ne forte det illis Deus pœnitentiam. In epistola ad Hincmarum Laudunensem, cap. 48.

Recipi post baptismum lapsos, Haymo docet: Impossibile est, iterum renouari posse eos, &c. Quid ergo? excluſa est pœnitentia post baptismum, & uenia delictorum? absit. Duo siquidem genera sunt pœnitentiæ: unum quidem ante baptismum, quod & præparatio baptismatis potest appellari, quia iniungitur illis qui instruuntur antequam ad baptismum perueniant, nõ posse iterum renouari per pœnitentiam, quatenus pœnitentia peracta, iterum baptizentur. Alterum autem genus pœnitentiæ est, quo post baptismum delentur peccata, quã beatus Apostolus minimè excludit: Terret ergo omnes, ut timeant post baptismi gratiam grauioribus se peccatis implicare, quia non potest fieri secunda uice renouatio per lauacrum baptismatis. super sextum caput ad Hebræos. Item: Nunquid illi desperandi sunt, qui post baptismum macu-

lis criminum uitam coinquinant? Non utique, quia & illi si pœnitentiam egerint lachrymarum fletibus prioris uitæ maculas detergunt: quod est secundum baptismi genus, libro primo in Apocalypsin, capite tertio.

Rabanus inquit: Deus pater omnipotens, filium prodigum & luxoriosum, antiquum Adam, in genere humano peccatis sordidum, & omni dæmonum deceptione pollutum, pœnitentem & reuersum cum gaudio suscepit. Stola prima qua eum de Hierusalem descendentem in Hiericho latrones spoliauerunt, induit, annulo decorauit, calceamentis muniuit, & ad lætitiam receptionis eius cum amicis celebrandam, non qualecunq; pecus, sed uitulum saginatum, Christum uidelicet, de armento patriarcharum in carne descendentem, & gratia Spiritus sancti pinguissimum, quia saluum eum recipit. In epistola ad Ludouicum Imperatorem. Et: Qui baptizatus, postea desertor, uiolatorq; sacramenti fuerit, & peccans Deum repellit à se, si agat pœnitentiam ex toto corde, & si agat ueram pœnitentiam, ubi uidet qui uidit cor Dauid, quando increpatus à Propheta grauiter & post comminationes Dei terribiles, exclamauit dicens: Peccaui. & mox audiuit: Dominus abstulit peccatum tuum, non peribis. En quantum ualet hæc uox? tres syllabæ sunt, Peccaui: sed in his tribus syllabis flamma sacrificij cordis eius ad cœlum ascendit. Ergò qui egerit ueraciter pœnitentiam, & solutus fuerit à ligamento, quo erat constrictus, & bene post pœnitentiam uixerit, post reconciliationem cum defunctus fuerit, ad Deum uadit, ad requiem uadit, regno Dei non priuabitur, à populo diaboli separabitur. capite secundo de Vera pœnitentia. Item: Peccantibus dicitur: Peccator in quacunque die conuersus ingemuerit, omnes iniquitates eius in obliuionem traduntur. Si enim redemptor noster, qui peccatores non perdere, sed iustificare uenit, in obliuione peccantium delicta derelinquit, quis hominum condemnanda reseruet, cum Apostolus dicat: Si Dominus iustificat, quis est qui condemnet ad fontem misericordiæ recurrentes? Euangelicam proferamus sententiam: Gaudebo, inquit, super uno peccatore pœnitentiam agente, magis quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia: & ouem perditam, nonaginta nouem non errantibus relictis, humero ad ouile reportauit. libro de Nuptijs consanguineorum, capite primo.

Ex misericordia peccatores recipi, Rabanus inquit: Miserationes Domini multæ sunt nimis, & iudicia eius abyssus multa, quia sicut peccatores & prænaricatores legis suæ iustè corripuit, ita humilibus & obedientibus sibi misericorditer solatij sui opem contulit. libro decimo quarto in Hieremiam.

De longaminitate Dei, inquit Angelomus: Ipse pius conditor noster facturam suam non deserens mala hominum & persuam patientiam tolerat, & per eorum quandoq; conuersionem relaxat. Cum duras atque insensibiles mentes respicit, modò eas minis, modò uerberibus, modò reuelationibus terret, ut quę pessima securitate duruerant, salubri timore mollescant. In 2. caput libri primi Regum.

Semper locũ esse pœnitentiæ, Rabanus: Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra, sicut hi exacerbatione. Quod autẽ dicit Hodie, omne tempus quo uiuimus indicat, etiam ad ultimam, si res ita accidat, senectam. Non enim temporis longitudine, sed affectus synceritate pœnitudo pensatur. Aut non legimus, Leuitas peccatum illud grauissimum in deserto, non temporis longitudine, sed unius diei hora exigua diluisse? Sed & latro ille qui pendebat in cruce, non eguit prolixitate temporis, ut ingressum paradisi mereretur: sed tantum ei spacij suffecit, quantum expendi potuit, donec unum posset proferre sermonem, ita ut intra momentum temporis totius uitę sceleribus absolutus, pręcedere ad paradisum etiá Apostolos mereatur. Quid autem & martyres? Non ne frequenter una die, interdum uerò & sub unius horę spacio coronas sumere ingentium præmiorum? & ideo audendum est tantummodo, & promptis atq; incitatis animis aggrediẽdum, ut quadam uelut indignatione nos aduersus deceptatricẽ nostram libidinem & affectũ nostrum conuertamus ad uirtutẽ Dei. Hoc est enim, quod uult & poscit à nobis Dominus: non quærit temporum longitudinem, nec afflictionem crucis. Ad hoc pręcipuè respicit, si uera sit & syncera conuersio. cap. 8. de Modo pœnitentiæ.

Non desperandum, Idiota: Absit Domine, ut de tua misericordia desperem, quoniam miserationes tuæ super omnia opera tua. capite tertio, de Conflictu carnis & animæ.

Rabanus: Inimica est conuersioni & pœnitentiæ desperatio, quæ si insederit menti, quantumcunque sit salutis desiderium, quamuis grande sit saluandi propositũ, desperatione occurrente omnis salutis aditus obstruetur. Intersecta.n. pœnitẽtiæ uia, claditur pariter & agonis ingressus: & quomodo iam poterit qui extra uiã est, & cui ostiũ claudi

clauditur, boni aliquid operis implere, cum ad bonorum non ueniat ingressum desperatione prohibente. libro de Modo pœnitentiæ, cap. 5. Item: Si nos desperationis metus procul à uia uirtutis effecerit, nullũ diabolo aduersum nos certamen ultra remanebit. Quem enim impugnet, cum nullus obsistat? Ibidem. Et: Euidentius nobis testimonium dabit etiam rex ille impius Achab, qui cupiditatis quidem suæ prædam uxoris nequitia quęsiuit, sed & perturbatus ipsius sceleris immanitate pœnituit, & cilicio circundatus facinus suum fleuit, atq; ita erga se Dei misericordiã ꝓuocauit, ut cunctis eum absolueret malis. Sic enim ait: Et Dixit Dominus ad Eliam, uidisti quo modo compunctus est Achab à facie mea: & quia fleuit in conspectu meo, non inducam mala in diebus eius. Sed & post hunc iterum Manasses, qui omnes tyrannos immanitate scelerum superauerat, qui cultum diuinę religionis & obseruantiam legis euerterat, qui templum Dei idolis repleuerat, cœlesti cultu uacuatum: hic ergo impietate scelerum supergredieus omnem maliciam, tamẽ quia pœnituit, inter amicos Dei post modum numeratus est. libro eodem, capite septimo. Item: Non debes, ô homo, diffidere Domino, & de misericordia eius desperare: nolo dubites, neq; desperes, in melius te mutari posse. Si enim tantum potuit diabolus, ut à celsis uirtutum fastigijs in profundum te deduceret malorum: quãto magis poterit Deus ad summum te bonorum uerticem reuocare, & non solum in id te restituere quod fuisti, sed & beatiorem multo quàm prius uidebaris efficere. Neq, enim tantum concedas animo, nec bonorũ quæso tibi spem abscindas, ne accidat tibi quod impijs solet. Non enim multitudo peccatorum in desperationem inducit animam, sed impietas. libro eodem, cap. 4.

Non differendam pœnitentiam, Rabanus: Nullus hominum debet sub misericordiæ Dei spe in suis diutius remanere peccatis: Tales enim qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt, & sibi de Deo indulgentiam repromittunt, nonnunquã ita præueniuntur repentino Dei furore, ut nec conuersionis tempus, nec beneficium remissionis inueniant. Ideo unũquemque nostrũm sacra Scriptura benignè præmonet, dicens: Ne tardaueris conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim uenite ira eius, & in tempore uindictæ disperdet te. libro de Modo pœnitentiæ, capite nono. Item: Peccare humanum est, permanere autem in peccatis diabolicũ est. libro eodem, capite decimoseptimo.

De extrema pœnitentia, inquit Hincmarus: Vera ad Dominum cõuersio in ultimis positorũ mente potius æstimẽda est, quàm tempore. In epistola ad Hincmarum Romanorum episcopum.

Periculosam esse seram pœnitentiam, Rabanus docet: Quisquis autem positus in ultima necessitate ægritudinis suæ, acceperit pœnitentiam, & mox reconciliatus fuerit, & transierit de corpore, fateor, non illi nego quod petit: sed nec præsumo dicere, quia bene hinc exit, non præsumo, non polliceor, non dico, neminem fallo, neminem decipio, non penitus promittitur. Fidelis bene uiuens, securus de hoc seculo migrat, si agit pœnitentiam dum sanus est, & reconciliatus postea bene uixerit, &c. Non solum post pœnitentiam à uitijs se homo seruare debet, sed & ante pœnitentiã dũ sanus est: quia nescit, si ipsam pœnitẽtiam possit accipere, & confiteri Deo & sacerdoti peccata sua. Et paulo pòst. Quod dicturus sum attendite, habeo planius explanare, ne aliquis me malè intelligat. Nunquid dico damnabitur? sed nec dico, quia liberabitur. Iam dixi, non præsumo, non promitto, prorsus nescio. De Dei uoluntate uis te dubio liberari, uis quod incertum est euadere? Age pœnitentiam dum sanus es. libro de Vera pœnitentia, capite tertio.

In hoc seculo agendam pœnitentiam, Haymo: Nisi hic conuersi fueritis, misericordiam non inuenietis: quia tunc est tarda pœnitentia, & nõ est acceptabilis. super 105 Psalmum.

Rabanus: In hac uita Deus expectat & accipit conuersionem nostram, in illa autem reddet unicuique secundum opera sua. lib. 1. in Ecclesiasticum, capite nono. Item: In hac uita quantacunq; nobis acciderint peccata, possibile est ablui omnia per pœnitentiam. Cum autem abducti fuerimus de seculo hoc, iam etiamsi pœnitebit nos, ualde enim pœnitebit, sed nulla erit pœnitentiæ utilitas: & licet stridor dentium sit, licet ululatus & fletus, licet fundamus preces & innumeris obsecrationib. proclamemus, nemo audiet, nemo subuẽiet, sed ne extremo quidem digito aquã quis infundet linguæ nostræ positæ in flammis. Sed audiemus illud quod diues ille audiuit ab Abrahã: Quia chaos magnum confirmatum est inter nos & uos, &c. libro de Vera pœnitentia, cap. 8 Item: Tempus ad inquirendam uitam æternam, in ista tantum uita Deus hominibus dedit, ubi uoluit etiam pœnitentiã esse fructuosam. libro eodem, cap. 9.

De externis gestibus, inquit Haymo: Fundamentum pœnitentiæ ieiuniũ est, comes autem ieiunij fletus & planctus. super 2. caput Ioelis,

De fine pœnitentię, inquit Rabanus: Pœnitentia impetrat remissionem in hoc seculo, quæ ualet in futuro. libro quinto in Ecclesiasticum, cap. 1.

DE CONTRITIONE.

RAbanus: Duplex resipiscenti debere esse luctus in pœnitentia: uel quia malè gessit, uel quia demum ad iudicium malè præsumpsit. libro de Sacramento Eucharistiæ, cap. 21.

De ficta humilitate, ait Angelomus: Ficta humilitas ueniam à Deo consequi non ualet. In decimumquintum caput libri primi Regum.

De nouitate, inquit Haymo: Nouitas uitæ est, post baptismum criminalia peccata non committere: & à leuibus, quantum possibile est, temperare. qua nouitate innouantur quotidie electi, dum proficiunt in uirtutibus, & laudatur omnipotens Deus in illorum operibus, super sextum caput ad Romanos.

Sanatus sibi caueat, Remigius: Sicut sapientia est, sibi in posterum cauere: sic insipientia est, sanatum in posterum sibi non cauere. in 37 Psalmum.

DE CONFESSIONE.

RAbanus ait: Quicquid se meminerit homo nequiter egisse, per confessionem sacerdoti patefaciat. cap. 1. de Modo pœnitentiæ. Item: Quod si uerecundia pertrahēte reuelare coram hominibus erubescis peccata tua, illi quem latere non possunt, confiteri ea iugi supplicatione non desinas, ac dicere, tibi soli peccaui, &c. qui & absque ullius uerecundiæ publicatione curare, & sine improperio peccata donare consueuit. Idem cap. 17. de Modo pœnitentiæ.

Remigius: Quare tu quisq; te habeas iratum, ut sentias eum placatum: habeas te accusatorem, ut in uenias illum defensorem. Fac confitendo tibi propitiū, quem negando non facias nescium. Confitere ut auertat faciem suam à peccatis tuis, & non à te. Auertatur ab eo quod tu fecisti, nō ab eo quē fecit. Ipse enim fecit hominem, tu fecisti peccatorem. in septuagesimum quartum Psalmum. Et: Confessio est duplex. Quia est cōfessio uel gemēris, uel laudātis. Quę utraq, ad laudem Dñi pertinet. Nā laudabilē confessionem ad laudē Dñi pertinere, non dubium est. Confessio etiam gementis fit ad laudem Domini, quia quanto maior est exaggeratio in peccato confitentis, tanto maior est laus ignoscentis. in nonagesimumquartum Psalmum. Item: Confessio duplex est, uel quando Dominum laudamus ex bene factis nostris: uel quando nosipsos accusamus in confitendo, quod malè fecimus. in nonagesimumprimum Psalmum.

DE SATISFACTIONE

RAbanus inquit: Satisfactio aūt est, causas peccatorum & suggestionū excludere, & ultrà peccatum non iterare. Reconciliatio uerò est, quę post complementū pœnitentiæ adhibetur. lib. 2. de Institutione clericorum. Item: Satisfactio pœnitētię est, causas peccatorū excludere, nec earum suggestionibus aditum indulgere. lib. 4. cap. 10. de Sermonum proprietate. Et: Satisfactio est, causas peccatorum & suggestiones excludere, & ultrà peccatū non iterare. Reconciliatio uerò est, quod post complementū pœnitentiæ adhibetur. Nam sicut conciliamur Deo, quando primùm à gentilitate conuertimur: ita reconciliamur, quando post peccatum pœnitendo regredimur. lib. 5. de Sermonum proprietate, cap. 15.

DE ORATIONE.

QVis sit inuocandus, docet Hincmarus Remorum archiepiscopus in epistola ad clerū & plebē Beluacēsem: ubi uult ipsum inuocari & exorari in electione episcopi, à quo est omne datum optimū, & omne donum perfectum.

Remigius: Christus orator à nobis, ut Deus noster: oratur in forma Dei, orat in forma serui. Hic creator, illic creatura. in Psalmum 85.

Quis non adorandus sit, Remigius indicat: Confundātur, qui gloriantur in simulachris suis, &c. Qnia non sunt adoranda simulachra. Nec etiá angelus adorādus est, quia legitur in Apocalypsi, cum quidā uoluisset adorare angelum pro miraculis quæ fecit, quod ipse prohibuisset ne adoraretur, dicens: Vide ne feceris, cōseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum. in 96 Psalmum.

Qui orare debeant, Rabanus monet: Ille homo uidetur Deum tentare, qui ita orat ut docuit, & tamen hoc non agit quod iussit. Cuius infructuosa est oratio: quia solummodo illi ab eo audiuntur, qui recta fide & bonis operibus leuant orationes suas ad Deū. lib. 4. in Ecclesiasticum, cap. 8.

Qui non possint orare, Remigius docet: Qui exercet usuram, frustra Dominicam orationem cantat, cum grauius sumitur uindicta, quàm sit offensa, ut pro colapho homicidiū. Et si publicè id non audent, dolosè faciunt. in 54 Psalmum.

De loco & tempore, inquit Rabanus: Cōstat oratio loco & tempore. Loco quia non ubiq; cum prohibeamur à Christo in publico orare: sed ubi opportunitas dederit, aut necessitas importauerit. Neq; enim contra præceptum reputatur ab Apostolis factum, qui in carcere audientibus custodibus orabant, & cātabant Deo. De tempore uerò dictum est, Sine intermissione orate. sed hoc

in

in singularibus. Nam est obseruatio quarundam horarum cõmunium. Qui autem uult orationem suam ad Dominum uolare, faciat illi duas alas, ieiunium & eleemosynam: & ascendit celeriter, & exauditur. libro 5. de Sermonum proprietate, cap. 14.

De mora, inquit Rabanus: Omnipotens Deus, quod nobis profuturum esse ualeat sciens, dissimulat exaudire dolentium uocem, ut augeat utilitatem, ut purgetur uita per pœnam: & quietis tranquillitas, quę hîc inueniri non ualet, alibi quæratur. lib. 19. in Hieremiam.

Instandum precatione, Rabanus: Nec prius obsecratione cessemus, quam impetrare peccatorum nostrorum ueniam meremur. Hoc enim uerè est constantis animę, & pertinacis, ut nequaquam repellatur à perseuerantia deposcendi, desperatione impetrandi: sed perseueret ac persistat in precibus, donec misereatur Deus: Et ne fortè arbitreris te offensam magis contrahere apud Dominũ, si cum non merearis audiri, importunius persistas in precibus: recordare Euangelij parabolam, & ibi inuenies, quod perseuerantes & importunos precatores Dominus non sibi ostendit ingratos. ait enim: Etsi nõ dabit ei propter amicitiam, tamen propter importunitatẽ eius surget, & dabit ei quantum opus habet. Intellige ergo, quia propterea diabolus desperationem subijcit impetrandi, ut spem nobis Domini bonitatis abscindat. cap. 4. de Modo pœnitentiæ.

Quomodo orandũ, Rabanus docet: Bene ergo orat, qui mandata Dei seruat, & qui munus rectæ fidei (quæ per dilectionem operatur) Deo exhibet, talisq; deprecatio coram oculis Dei inueniet gratiam, quia bene operando seruauit iusticiam. lib. 8. in Ecclesiasticum, cap. 4.

In humilitate orandum, Angelomus docet: Respexit Dominus ad orationem Annæ, &c. Nobis optimus modus orandi ad exemplum datus est, ut nõ in multiloquio formemus preces nostras ad Dominũ, sed in compunctione cordis, & effusione lachrymarum, nos exaudiri ab eo credimus, quia sacrificium Deo est spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus nõ spernit. Quod tunc dignè fit, si oratione completa, nos in eodem rectore iusticiæ permanebimus. in primum caput primi libri Regum.

Cur Deus preces differat, docet Haymo: Ad hoc plerunque differt uota & orationes sanctorum Deus, ut ardentius eum desiderare incipiant. super quintum caput Cantici conticorum.

De imbecillitate in orando, inquit Remigius: Vix est aliquis, qui beatissimam illam orationem, in qua Deo familiariter & attentè loqui deberet, sic finire possit, ut phantasmata & illusiones uanæ non incurrant. Vnde alibi: Quoniam lumbi mei impleti sunt & illusionibus. Sed in his omnibus patitur nos Deus, donec perficiat, & donec cor nostrũ inueniamus, ut dignè eum oremus. Vnde Dauid: Inueni Dñe Deus cor meũ ut orarem ad te. Tolerat in nobis hoc Deus, quod nemo iudicum uel amicorum pati uellet, quia non est amicus qui nõ indignè ferret, si collocutorem suum ad alium se uertere uideret, & uelle confabulari alij, postquam se cum loqui disposuit. Nullus est etiam iudicũ, qui nõ indignaretur, si alicui locũ secum loquendi constituit, & ille, se subitò ad aliũ uerteret, & cũ eo loqui inciperet. In 85 Psal.

FORMA ORATIONIS.

Idiota: Domine Iesu Christe, ignis & lux amoris, accende & illumina cor meum durum & rebelle, ad amorem tuum, quo adiuuante de peccatis & malis meis propter te doleam, dignè per te satisfaciam, opera studiosa & tibi placita, corde puro humili & amanti exerceam, ut tua gratia præueniente, assistente & subsequente, sic in præsenti uita uiuam, ut illa finita, uitam obtineam sempiternam. cap. 6. de Amore diuino. Item: Adiuua me pijssime Domine Iesu Christe, ut peccata odio habeam, de præteritis doleam, ut condignè uirtute amoris satisfaciã, & à futuris malis & peccatis præcaueã. Idẽ capite 9. de Amore diuino.

Quod Deus exaudiat, Idiota: Amor & dilectio postulata à te promptè & facilè obtinet, quia illum qui te ueraciter diligit, libenter exaudis, & postulata ei concedis. cap. 18. de Amore diuino.

De effectu orationis, Rabanus ait: Apud Deum pura & deuota multum preualet oratio. lib. 4. in Ecclesiasticum, cap. 2.

DE GRATIARVM ACTIONE.

BEneficia Dei esse celebrãda, Idiota monet, dicens: Non mirum est Domine Deus meus, si infidelis minus diligit te, minus enim te agnoscit. Sed quid est Domine de me, miserabili creatura tua? Te enim per ueram fidem agnosco, & te teneo uitæ meæ non solum gratuitum largitorem, largissimum administratorem, pium consolatorẽ, solicitum gubernatorem: sed insuper etiam copiosissimum redemptorem, ęternũ conseruatorẽ, ditatorem & glorificatorẽ. Vrget namq; ratio & iusticia naturalis, ut totũ me per amorem tradam tibi, à quo me totum habeo: & si me totum debeo tibi, quia me fecisti, ad magis amandum sum tibi obligatus, quia me refecisti, nec tam facilè me refecisti quàm fecisti, nam semel dicendo me fecisti, sed reficiendo, & dixisti multa, &

geſsiſti mira, & pertuliſti dura, nec tantum dura, ſed & indigna. capite decimo de Amore diuino.

DE SACRAMENTIS *in genere.*

HIncmarus inquit: De ſacramentis humanæ ſaluris, quæ ab exordio mundi uſq; ad aduentũ Domini ſaluatoris, pro tẽporum uarietate diuerſa, ad unitatem tamẽ unius fidei recurrentia extiterunt, quædam ſpiritualiter intelligenda ſunt tradita, quædam uerò immutata, & quædam penitus abolita: quædam etiam permanent, ut fuere decreta. In epiſtola ad Hincmarum Laudunenſem, cap. 20.

Rabanus ait: Sacramentum igitur eſt, quicquid in aliqua celebratione diuina nobis quaſi pignus ſalutis traditur, cum res geſta uiſibilis longè aliud inuiſibile intus operatur, quod ſanctè accipiendum ſit. libro de Sacromento Euchariſtiæ, cap. 9.

Quæ ſint, Rabanus docet: Sunt autem ſacramenta Chriſti in Eccleſia, baptiſmus & chriſma, corpus quoque Domini & ſanguis: quæ ab hoc ſacramenta uocantur, quia ſub eorum ſpecie uiſibili, quæ uidentur, ſecretius uirtute diuina caro conſecratur, ut hoc ſint interius in ueritate, quod exterius creduntur uirtute fidei. libro de Sacramento Euchariſtiæ, cap. 9. Item: Ecce duo iſta ſacramenta quid efficiunt? per baptiſmum renaſcimur in Chriſto, & per ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſtus in nobis, non ſolum fide, ſed etiam unitate carnis & ſanguinis manere probatur. Et ideo iam membra Chriſti, eius carne ueſcimur, ut nihil aliud quàm corpus eius unde uiuimus, & ſanguis inueniamur. libro eodem, cap. 24. Item: Sunt autem ſacramenta, baptiſmus & chriſma, corpus & ſanguis, quæ ob id ſacramenta dicuntur, quia ſub tegumento corporalium rerum, uirtus diuina ſecretius ſalutem eorundem ſacramentorum operatur, unde & à ſecretis uirtutibus uel ſacris, ſacramẽta dicuntur. libro primo de Inſtitutione clericorum, capite uigeſimoquarto. Et: Moſes uirga percutiens petram, fontem uiuentis aquæ produxit. Sic & Chriſtus per paſsionem crucis mortẽ deguſtans, ſanguinem & aquam de latere ſuo produxit. Quibus duobus ſacramentis ſancta induitur Eccleſia. libro tertio de Sermonum proprietate, capite primo. Item: Sacramentũ eſt in aliqua celebratione, cum res geſta ita fit, ut aliquid ſignificare uideatur, quod ſanctè accipiendum eſt. Sunt autem ſacramenta, baptiſmus & chriſma, corpus & ſanguis Domini: quæ ob id ſacramenta dicuntur, quòd ſub tegumento corporalium rerum uirtus diuina ſecretius ſalutem eorundem ſacramẽtorum operatur. Vnde & à ſecretis uirtutibus uel ſacris ſacramenta dicuntur. Quæ ideo fructuoſè penes Eccleſiam fiunt, quia ſanctus in ea manens ſpiritus eundem ſacramentorum latenter operatur effectum. Vnde ſeu per bonos ſeu malos miniſtros intra Dei Eccleſiam diſpenſentur, tamen quia Spiritus ſanctus myſticè illa uiuificat, qui quondam apoſtolico in tempore uiſibiliter apparebat operibus, nec bonorum meritis diſpenſatorum amplificantur hæc dona, nec malorum attenuantur: quia neq; qui plantat aliquid, neq; qui rigat, ſed qui incrementũ dat Deus. Vnde & Græcè myſterium dicitur, quod reconditam habet diſpenſationem. lib. 13. de Sermonum proprietate, cap. 11.

Paſcaſius ait: Sacramentum igitur eſt, quicquid in aliqua celebratione diuina nobis quaſi pignus ſalutis traditur. Cum res geſta uiſibilis, longè aliud inuiſibile intus operatur, quod ſanctè accipiendum ſit, unde & ſacramenta dicuntur: aut à ſecreto, eo quòd in re uiſibili diuinitas intus aliquid ultra ſecretius efficit per ſpeciem corporalem: aut à conſecratione ſanctificationis, quia Spiritus ſanctus manens in corpore Chriſti, latenter hæc omnia ſacramentorũ myſtica, ſub tegumento uiſibilium pro ſalute fidelium operatur. Magis igitur uis diuina ex hoc mentes credentium ad inuiſibilia inſtruit, ac ſi uiſibiliter eo monſtraret, quæ interius præſtat ad effectum ſalutis. Per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem. Sunt autem ſacramenta Chriſti in Eccleſia, baptiſmus & chriſma, corpus quoq; Domini & ſanguis. libro de Corpore & ſanguine Domini, cap. 10.

DE BAPTISMO.

Baptiſmũ uocat Haymo uitale lauacrũ. ſuper 7. Cant. canticor. Item: Duæ ſunt generationes, una Adæ quæ carnalium eſt, alia Chriſti quæ ſpiritualis eſt, ſcilicet illorũ qui ſe conformare Chriſto conantur: à qua ſicut expelluntur mali Chriſtiani, ſic etiam illi includuntur boni, qui fuerunt ante aduentũ Chriſti, ſuper 84. Pſalmum.

Rabanus in genere de baptiſmo inquit: Baptiſma græcè, latinè tinctio interpretatur. Quæ ideo tinctio dicitur, quia homo ſpiritu gratiæ in melius immutatur, & longè aliud quàm erat efficitur. Prius enim fœdi eramus deformitate peccatorum, in ipſa tinctione reddimur pulchri de albatione uirtutum. Vnde & in Canticis ſcribitur cãticorũ: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit quaſi dealbata? Cuius myſterium non aliter niſi ſub trinitatis deſignatione, id eſt, patris & filij & ſpiritus ſancti cognominatione completur, dicente Domino ad Apoſtolos: Ite docete omnes

omnes Gentes, baptizantes eos, &c. Sicut enim in tribus testibus stat omne uerbum, ita sacramentum confirmat ternarius numerus nominum diuinorum. Quod autem per aquam baptismus datur, hæc ratio est: uoluit enim Dominus, ut res illa inuisibilis per conuenientiam, scilicet per contrectabile & uisibile impenderetur elementum, super quod etiam in principio ferebatur Spiritus sanctus. Nam sicut aqua purgat exterius corpus, ita latentur eius mysterio per Spiritum sanctum purificatur & animus. Inuocato enim Deo descendit spiritus de cœlis, & mediatis aquis sanctificat eas de semetipso, & accipiunt uim purgationis, ut in eis & caro & anima delictis inquinatæ mundentur. libro quinto de Sermonum proprietate, capite undecimo.

Distinguit baptismos Haymo: Quatuor sunt genera baptismatum. unum tantum in aquis, sicut fuit baptisma Iohannis, quod remissionem peccatorum non dedit. Aliud in igne uel spiritu, quo baptizati sunt Apostoli in die Pentecostes. Tertium in aqua & spiritu, in quo sancti Apostoli baptizabant præcipiente Domino. quod genus baptismatis sancta Ecclesia modò retinet. Quartum est in sanguinis effusione, quo baptizatus est ipse Dominus, omnesque sancti martyres, &c. Sed & hoc quoque notandum est. In baptismate tria sunt corporalia & uisibilia, & tria incorporalia atq; inuisibilia. Visibilia, ut sacerdos, corpus baptizandum, & aqua. Tria inuisibilia fides, & anima quæ abluitur à peccatis, & spiritus, quo cooperante remissio peccatorum datur. super lextum caput ad Romanos.

Vnde fit, Haymo admonet: In carnali natiuitate hominis operatur Deus & natura, sed in regeneratione solus Deus. super 21 Psalmum.

Rabanus, ex Ambrosio & actis Apostolicis probat, officium docendi & baptizandi in primitiua Ecclesia omnibus commune fuisse, omnibus locis & temporibus occasione oblata. Postea ad certas personas officia ista restricta esse, ne si omnes eadem possent, irrationabile esset, & uulgaris res & uilissima uideretur. In epistola ad Reginbaldum chorepiscopum.

De materia, Rabanus: Aliud est aqua sacramenti, aliud aqua quæ significat spiritum Dei. Aqua enim sacramenti uisibilis est, aqua spiritus inuisibilis est. Ista abluit corpus, & significat quod fit in anima. Per illum autem Spiritum sanctum ipsa anima mundatur, & laginatur. libro 1. de proprietate Sermonum, cap. 3.

De forma Baptismi, Haymo ait: Tempore baptismatis profitemur nos credere in Deum patrem, & Dominum Iesum Christum, & in Spiritum sanctum: abrenunciare quoque diabolo & omnibus pompis eius, omnibusq; operibus eius. Si ergo hoc obseruamus, fide obedimus: sin autem minus, infidelitatis redarguimur. super primum ad Romanos. Et: Quando interrogante sacerdote iuxta fontem stantes abrenunciamus diabolo & omnibus pompis eius, quasi tunc morimur. Cum uerò in fontem descendimus, quasi tunc in sepulchro sepelimur: & cum de fonte eximus mundati, tunc quasi resurgimus. super 2 caput ad Colossenses.

Rabanus: Dominus noster in aqua baptismatis tria personarum nomina, patris & filij, & spiritus sancti populo fidei proposuit, ut quisquis hoc pleno corde perspexerit, efficiatur ouis Dei. libro secundo de proprietate Sermonum, capite secundo.

Item: Baptisma unum est, sed in Ecclesia, ubi una fides est: ubi in nomine patris, filij, & spiritus sancti datur. Et ideo si qui apud illos hæreticos baptizati sunt, qui in sanctæ trinitatis confessione baptizant, & ueniunt ad nos, recipiantur quidem quasi baptizati, ne sanctæ trinitatis inuocatio uel confessio annulletur: sed doceantur antè & instruantur, quo sensu sanctæ trinitatis mysterium in Ecclesia teneatur. & sicut sentiunt credere, uel acquiescunt confiteri purgati iam fidei integritate, confirmentur manus impositione. Si uerò paruuli sunt, uel hebetes, qui doctrinam non capiant, respondeant pro illis: qui illos offerunt, iuxta morem baptizandi: & sic manus impositione & chrismate communiti, Eucharistię mysterijs admittantur. Illos autem qui non in sanctæ trinitatis inuocatione apud hæreticos baptizati sunt, & ueniunt ad nos baptizari, debere pronunciamus non rebaptizari. Neque enim credendum est, eos fuisse baptizatos, qui non in nomine patris, & filij, & spiritus sancti iuxta regulam à Domino positam, tincti sunt. ut sunt Paulianistæ, Proclianiboritæ, uel Spurisifori, Photiniani, qui nunc uocantur Bonosiani, Montani & Manichæi, uarieta impietatis germina, uel cæteri istorum originis, siue ordinis, pestisque, qui duo principia sibi ignota introducunt, ut Cerdo & Marcion: uel contraria, ut Manichæus: uel tria & barbara, ut Secianus & Theodocus: uel multa ut Valentinus: uel Christum hominem fuisse absque Deo, ut Cerinthus & Ebion, Barithemon & Photinus. Ex istis, inquam, si qui ad nos uenerint, non requirendum erit ab his, utrum baptizati sint an non: sed hoc tantum quærendum, si credãt in Ecclesię fidẽ, & baptizentur Ecclesiastico

ſtico baptiſmate. libro quarto de Sermonũ proprietate,cap.10.

Paſchaſius: Quando in nomine patris,& filij,& ſpiritus ſancti ter mergimur in fonte, tunc utiq; baptizamur non in uirtute illius & poteſtate qui hæc dicit, ſed in uirtute Chriſti qui hoc præcipit:Ite, docete omnes gentes;baptizantes eos in nomine patris & & filij & ſpiritus ſancti. libro de Corpore & ſanguine Domini,cap 42.

Semel baptizandum, Haymo: Si ſemel mortui ſumus peccato in baptiſmo,nõ poſſumus iterum baptizari.ſuper ſextum caput ad Romanos.

Rabanus: Quòd ſemel in baptiſmatis ſacramento eſt confectum, non licet iterari: quoniam unus eſt Dominus,una fides,unũ baptiſma. Attamen ille qui præſumptuoſè egit,& non pro neceſsitate aliqua,canonica diſciplina cohercẽdus eſt.In epiſtola ad Reginbaldum chorepiſcopũ. Item:Quod autẽ unum ſit Chriſti baptiſma,& licet à diuerſis miniſtris miniſtretur,non debeat iterari uel mutari,ſacrum Euangeliũ oſtendit,ubi uerba Ioannis Baptiſtę poſita ſunt,ita dicentis: Vidi ſpiritum deſcendentem quaſi columbam ſuper eum.Ibidem.

Vnum omniũ baptiſma eſſe,Haymo docet:Licet baptiſmus ſit unus, tamen in multis populis fit.ſuper decimumſeptimũ Pſalmum.Et: unũ eſt baptiſma, quia omnes æqualiter per uniuerſum orbem baptizãtur, qui ſignaculum fidei percipiunt. ſuper quartum caput ad Epheſios.

Omnes baptizandos eſſe, Haymo tradit: Nullus ſine lauacro baptiſmi fidelis eſſe poteſt.ſuper 4.cap.Cant.canticor.

Non rebaptiſandum eſſe quenquã,Haymo docet: Sicut homo in uentrem matris ſuæ iterum nõ poteſt introire & renaſci,ſic qui baptizatus eſt,rebaptizandus nõ eſt.Siue ab hęretico,ſiue à quolibet facinoroſo in nomine ſanctæ trinitatis baptizatus fuerit, iterum non eſt baptizandus, ne inuocatio tanti nominis uideatur annullari. Hoc autem ſacramentum nec malus peius,nec bonus melius implere poteſt. Quia qualiſcunque ſit miniſter exterior,Spiritus ſanctus operator eſt interior. Vnde poſt baptiſmum Eccleſia peccantibus pœnitentiam indicit, non autem baptiſmũ iterat. ſuper Euangelium in octaua Pentecoſtes.

Rabanus inquit: Nam ſi pro diuerſitate meritorum baptiſmus eſſet, quia diuerſa ſunt merita, diuerſa eſſent baptiſmata: ſed unum eſt baptiſma, & ſolus eſt Chriſtus, qui per diuerſos miniſtros ſuo baptiſmate baptizat in remiſsionem omnium peccatorum.ideo ſacri canones præcipiunt, ut qui ab hæreticis baptizari ſunt,non rebaptizentur, ſed per impoſitionem manus ſola ſancti Spiritus inuocatione,quem ab hæreticis nemo accepit, à catholicis ſaccerdotib.Eccleſiæ unitatem conſequantur. In epiſtola ad Reginbaldum chorepiſcopum.

DE BAPTISMO INfantium.

Hincmarus Remorũ epiſcopus,ad Hincmarum Laudunenſem inquit: Cur non te terruit & ab hac peruerſa ſentẽtia,proferenda,Domini promiſsio reuocauit, qua uniuerſali Eccleſię ſuas per Eſaiam prophetam pollicitus eſt,dicens: Ab Oriente adducam ſemen tuum, & ab Occidente congregabo te:dicá Aquiloni, da:& Auſtro, noli prohibere. Et tu prohibes Eccleſiæ ab imaculato diuini fontis utero, Domino filios generare,qui uenit animas non perdere,ſed ſaluare.Quomodo te præterijt quod in Euangelio legis:Offerebãt, inquit,illi paruulos,ut tangeret illos.diſcipuli autem cõminabantur offerre. quod cũ uideret Ieſus, indignè tulit, & ait illis: Sinite paruulos uenire ad me,& ne prohibueritis eos. Et tu prohibes offerri Domino paruulos? Etſi tremendum Dei iudicium te non terruit, & à furore animi tui,ut talia præciperes,reuocare non potuit,quia nunquam & nuſquam,poſtquam ſacrum Nicenum cõcilium eſt celebratũ,tale quid factum fuiſſe audiuiſti,ſicut fieri prę cepiſti,timere debueras,ne tu ſolus hoc agere,quod nullus Chriſtianorum unquã facere auſus fuit.Nam de infantibus baptizãdis,qui nec dum baptizati naſcuntur, quoties neceſsitas exegerit. Regula Eccleſiaſtica per beatum Siricium prolata demõſtrat, dicens: Ita Infantibus,qui nondũ loqui potuerunt per ætatem,uel his quibus in qualibet neceſsitate opus fuerit, ſacri unda baptiſmatis omni uolumus celeritate ſuccurri,ne ad noſtrarũ pernicièm tendat animarum,ſi negato deſiderantibus fonte ſalutari,exiens unuſquiſq; de ſeculo, & regnum perdat & uitam.Quicunq; etiam diſcrimen naufragij,hoſtilitatis incurſum, obſidionis ambiguum,uel cuiuslibet corporalis ægritudinis deſperationes inciderunt,& ſibi unico credulitatis auxilio popoſcerunt ſubueniri,eodem quo paſcunt momento temporis expetitæ regenerationis præmia conſequantur.Item:Et Aphricanum concilium etiam eis infantibus,de quibus non inueniuntur certiſsimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe ſine dubitatione teſtẽtur, neq; ipſi ſunt per ætatem traditis ſibi ſacramentis idonei reſpondere,abſq; ullo ſcrupulo eos eſſe baptizandos præcepit, ne iſta trepidatio eos faciat ſacramentorum purgatione priuari. Et ſanctus Leo hinc dicit, Si nulla extãt indicia

dicia inter propinquos & familiares, nulla inter clericos aut uicinos, quibus hi de quibus quæritur, baptizati fuisse doceantur, agendum est ut renascãtur, ne manifestè pereant. Item: Et sanctus Gregorius scribens ad Ioannem Larissæum episcopum, dicit: Secundum, inquiens, de criminalib. capitulũ aduersus Adrianum episcopum uidetur esse propositum, de infantibus eius iussu à sacri baptismatis susceptione prohibitis, atq; in ablutos sorde peccati defunctos in tenebris. Item ad eundem.

De tempore, inquit Rabanus: De baptismatis autem perceptione bonũ mihi uidetur, ut nouella illa gens quæ inter paganos cõstituta, sub tuo regimine gubernatur, nõ minis cõstringatur, ad illa duo legitima tempora seruanda: sed ubi opportunitas dictat, & possibilitas sinit. Quod si fuissent pariter in ciuitate, ubi clericorum frequentia est, legitima tẽpora possent facilè obseruare: sed qui in pagis longius ab ecclesijs ac presbyteris constituti, sub maximo periculo genti liũ uersantur, melius puto ut extra Pascha & Pentecosten baptizentur, quàm sine baptismo periclitentur, & originali constricti peccato, mortem incidant perpetuam. Quid autem inde sacri Canones præcipiant, non arbitror te ignorare, ubi scriptũ est, Leone papa dicente: Ita enim ad has duas festiuitates connexa sibimet, &c. Rabanus in epistola ad Hadubrandum archipresbyterum.

Typi baptismi: Eua designat Ecclesiam, spõsam Christi factam per lauacri mysteriũ, quod de latere morientis Christi profluxit. Rabanus lib. 2. cap. 1. de Sermonũ proprietate. Et: Sicut Noe cum suis per aquam & lignum saluatus est, sic familia Christi per baptismum & crucis passionẽ est sanata. ibidẽ. Peccata remanere post baptismũ. Remigius docet: Nemo ita lotus, quin puluerulentos pedes habeat, iter post lauationẽ faciens. Ita nullus aqua baptismatis ita purificatus, quin uel leuiorib. peccatis aspergatur in hac uia: id est, in hac corruptibili uita. in 24. Psalmũ.

De dignitate baptismi, ait Haymo: Baptismus passionis Dominicæ fide consecratur. super 2 cap. Oseæ.

De fine baptismi, ait Idiota: Anima per susceptionem sacri lauacri purificata est. cap. 2. Contemplationum de Maria uirgine. Item: Sacro fontis lauacro anima regeneratur. ca. 1. de Innocentia perdita. Et: In sacro baptismate Christũ in sponsum recipimus, & thalamum eius gratijs & uirtutibus ornatum introimus. cap. 3. de Innocentia perdita.

Haymo ait: In baptismo recipimus innocẽtiam & sanctitatem animę, in qua homo factus est ad imaginem & similitudinẽ Dei. Non enim in corpore fuit illa similitudo & imago, sed in anima. super 1. ca. ad Ephesios. Itẽ: Aqua baptismi dicitur aqua refectionis, quia per eam & à peccatis mundamur & ad bonos fructos ferendos irrigamur, qui ficci ac steriles & quasi puluis prius fueramus dissoluti. super 22. Psal. Et: In baptismo fit remissio peccatorũ, & cõfortatio ad bene operandũ fit in cõfirmatione. super 26. Psalmũ. Item: Viuunt iusti in baptismate, ubi crimina mundi moriuntur: quod significatũ fuit in diluuio, in quo Noe propter suã iusticiã securus habitauit, & criminosi mortui sunt. Spiritus sanctus purgat eos per diluuiũ baptismatis, filius in eis iudicat, pater dat incrementum bonorum. Idem super 38 Psalmum. Et: Per Iordanem accipimus, baptismum, quia in eo baptisatus fuit Christus ex quo nobis processit baptismus: qui baptismus irrigans nos & lauãs peccata, facit nos terram fructiferam. Et quia Iordanis descensus interpretatur, in hoc notamus humilitatem, quã in baptismo habemus, dum pompam diaboli reijcimus. super 41 Psalmũ. Itẽ: Conuertuntur homines amari, & fluctuantes in amaritudine huius mundi per aquas baptismi, in aridam, cum omnis amaritudo peccati abluitur. super 65 Psalmum. Item: Per flumen Iordanis, in quo Christus baptisatus est, accipimus baptismum, per quem Christus dilatatur per totum mundum. super 71 Psalmum. Item: Per aquas baptismi homo exit à diaboli potestate. super 73. Et: Aqua quæ in cruce fluxit de latere Domini, baptismi ablutionem nobis significauit, & alias spirituales gratias, quibus peccata nostra lauantur. super 77 Psalmum. Iem: per mare rubrum intelligimus baptismum, qui rubet sanguine Christi consecratus: quem diuisit Dominus, quia alijs ad uitã, alijs ad damnationem, scilicet cõtemptoribus, quia in hoc amplius transgressores inueniuntur, & hoc in diuisiones, quia ibi incipiunt fideles initium uiarum suarum per quas tendũt ad Dominum. super 135 Psalmum. Item: Per baptismum peccati remitti, ueramque esse refectionem corporis & sanguinẽ Christi: idem super centesimum quadragesimũ tertium Psalmum. Et: Diaboli non habent tantum uim in baptizatis. super Canticum Mosis. Et: Renascimur per aquam baptismatis, & gratiam Spiritus sancti, à tenebris ad lumen uenimus. super sextum caput Oseæ. Item: Renati per fidem & baptismum efficiuntur filij Dei. super tertium caput Habacuc. Et: Percepta fide renascimur in Christo & in aqua baptismi nostra abluuntur peccata. super 13 caput Zachariæ. Et: Animæ electorum in baptismo reliquerunt sordes ueteris hominis & renouatæ sunt in Christo. super 1. caput Cantici canticorum. Et: Sicut

ille populus per mare rubrum saluatus est, Pharaone demerso: ita Ecclesia gentium per baptismum de diaboli seruitio liberata, & ad ueram repromissionis terram, & Euangelicam libertatem introducta est: sicq; quę erat ancilla uitiorum, facta est amica Christi, emundata & abluta per baptismum à sordibus peccatorum. super 1. Cantici canticorum. Item: Engaddi fons hœdi interpretatur, per quod significatur baptisma & sacrificium, in quo omnia peccata abluuntur. hœdus namq; peccatores significat. Baptismus ergo fons est hœdi, quia peccatores suscipit, sed immaculatos & mundatos ab omnibus peccatis reddit. ibidem. Et: Per baptisma fideles in nouam creaturam regenerantur. Idem super 7. Cantici canticorum. Item: Gratia, id est, remissio peccatorũ, quã percipiunt credentes in lauacro baptismatis, & pax per quam reconciliationem merentur, æqualiter à tota trinitate prędstantur. super primum caput ad Romanos. Item: Paruuli in baptismate mundantur. super 5. ad Romanos. Et: Filij Dei sumus effecti in baptismate, non per naturam, sed per adoptionem. super 8. ad Rom. Et: Omnes sumus filij iræ, antequã renascamur ex aqua & spiritu. super 9. ad Rom. Et: Christus Dominus noster semel mortuus est pro peccato, quia nullum fecit peccatũ: & nos ad exemplum mortis eius semel mortui sumus peccato, purgati ab omnibus delictis in baptismate, redempti Christi sanguine. Non ergo nobis morimur peccato in baptismate, sed Christo, dum nõ in nostra potestate ablutionem consequamur, sed per passionem & baptismũ, atq; per fidem illius abluimur. super 14. ad Rom. Item: Vt Domino placeamus ad similitudinem illius qui nunquã peccauit, per fidem & redemptionem sanguinis eius, ab originalibus & actualibus peccatis, in baptismate mũdamur. ibidem. Et: Sicut dimittuntur ei omnia peccata, qui à sancto & innocente uiro tingitur in aqua: ita & illi, qui à peccatore & scelerato: tantum in nomine sanctę trinitatis illud fiat. Meritum enim uitæ baptizantis siue agentis, nec prodest, nec obest in hac parte, illi qui baptizatur. super 1. caput, prioris epistolæ ad Corinthios. Et: Signaculum similitudinis Dei, quod perdidimus peccante primo parente nostro, illud recipimus in baptismo: hoc est, Innocentiam & sanctitatem animæ, in qua homo factus est ad imaginem & similitudinem Dei. Non enim in corpore fuit illa similitudo & imago, sed in anima. super 1 ad Ephes. Item: Ecclesiam intrare non possumus, nec corporis & sanguinis eius participes esse, nisi prius ab originalis peccati immundicia, per baptismum simus purificati. iuxta illud, quod ipse dicit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. Idem super Euangelium in die Circumcisionis.

Rabanus ait: Per baptismum ab omnibus sordibus peccatorũ mundati estis. In adhortatione ad populũ, cõiuncta epistolæ ad Reginharium. Et: Sic planè nemo dubitare debet, qd in alueo baptismi, priusquã infans à fonte surgat, Spiritus sanctus in eum qui nascitur adueniat, etsi non uideatur. Quia non minus est diuina uirtus prouida & præstabilis ad regenerationem sacræ adoptionis, quàm fuit prius in natiuitate carnis, ut uiuificaret fata hominis membra, licet concepta sint ex delicto. libro de Sacramento Eucharistiæ, capite decimo. Item: Qui baptizantur in Spiritu sancto, eorum omnium peccata dimittuntur: & quem accipit Ecclesia, ut cui dimiserit peccata, dimittuntur ei. libro 5. in Ecclesiasticum, cap 1. Et: Baptismi sacramentum ad abluenda crimina generis humani, huius dispensatione in mundum uenit. libro 6. in Ecclesiasticum, capite secundo. Item: Christus per fluenta baptismatis populum suum in terram Ecclesiæ introducens, uitæ æternæ electis suis dedit promissionem, & terrigenas fecit esse cœlicolas. lib. 3. de Sermonum proprietate, cap. 1. Et: Naaman Syrus significat ex gentibus populum congregatum, maculis delictorum pollutum, atq; à Christo per sacramentum baptismatis purificatum. Ibidem cap. 2. Et: In ipsa baptismi gratia uisibilis actus est, quod in aqua mergimur: sed spiritualis effectus, quod à delictis mundamur. lib. quinto de Sermonum proprietate, capite undecimo. Item: In baptismo peccatorum remissio datur. Ibidem.

Bertramus: Consideremus fontem sacri baptismatis, qui fons uitæ non immeritò nuncupatur, quia descendentes in se, melioris uitæ nouitate reformat, & de peccato mortuis uiuentes iusticiæ donat. libro de Corpore & sanguine Domini.

Angelomus inquit: Baptisato Christo cœli aperti sunt, ut ostenderetur, quia per baptisma, quod nobis ipse cõsecrauit, ianuam patriæ cœlestis deberemus ingredi. In sextũ caput libri tertij Regum. Et: Sacramentum Baptismi, & uitæ nobis mundiciem in hoc seculo quærit, & uitæ nobis æternæ gloriã promittit in futuro. In septimum caput libri tertij Regum. Item: Quicquid uisu, quicquit auditu, quicquid olfactu, quicquid gustu, quicquid tactu delinquimus, totum hoc nobis gratia Dei, per ablutionẽ uiuifici fontis, relaxat. Sed non sufficit præteritorũ remissio peccatorũ, si nõ quisq; deinceps bonis studuerit insistere operib. alioquin diabolus qui exierat de homine, si hunc

si hunc à bonis uiderit uacare, multiplicius redit, facitq; nouissima hominis illius peiora prioribus. Ibidem.

Remigius: Assumpsit me de aquis multis id est, de multis baptismatibus. Quia cũ unum sit baptisma, & omnia uitia ibi demergantur præterita, sicut Aegyptij demersi sunt in mari rubro, ut nec unus supereset. Significat enim mare rubrum baptismũ, qui sanguine Christi sanctificatus & ruber factus, est ad demergentia uicia potens, tamen diuiditur secundum baptizatorum sequentia merita. Alij enim sic baptizantur, ut in illa puritate maneant, ita ut toti mundi sint, & non indigeant nisi ut pedes lauẽt à puluere, id est, cogitationes ab illicitis. Alij quædam addunt crimina, sed uenialia. Alijs autem nihil prodest, quia redeunt penitus ad uetustatem prauè uiuendo, sicut legitur de illo mari: Qui demisit mare rubrũ in diuisiones. In 17. Psalmum. Item: Fides in baptismo accipitur quasi fundamentum, quia sine fide impossibile est placere Deo. In 22 Psalmum. Et: In baptismate omnes hostes nostri submerguntur, quia peccata originalia & actualia abluuntur. Sed interrumpitur postea, quia etsi omnes æqualiter recipiunt in baptismate remissionem peccatorum, non tamen omnibus est ad salutem: quia his qui post resurrectionem baptismatis à Deo apostatant, est ad perditionem. Quia melius est uiam ueritatis ignorare, quàm post agnitam retrorsum abire. In 77 Psalmum.

Paschasius ait: Baptismi sacramento introandi ad eandem adoptionem ostium credentibus panditur, ut deinceps in membris Christi per eandem renascentiam liberati à malo, unum corpus efficiamur. In quo nimirum baptismo, & deinceps Spiritus sanctus in animam renascentis diffunditur, ut uniuersa Christi Ecclesia, uno spiritu percepto uiuificetur, & unum corpus efficiatur. libro de Corpore & sanguine Domini, capite 10.

DE CLAVIBVS IN *genere.*

DE potestate clauiũ inquit Rabanus: Ecclesiæ Deus in persona beati Petri ligandi, soluendiq; tribuit potestatem, dicens: Quæ alligaueris super terram, alligata erunt & in cœlis, &c. cap. 8. de Modo pœnitentiæ. Et: Duodecim portę ciuitatis Hierusalem, duodecim apostolorum figuram expresserunt, qui uerè portæ sunt spiritualis Hierusalem, per quorum prędicationem & doctrinam omnibus undique uenientibus in sanctã Ecclesiam patefactæ sunt portæ regni cœlestis, quibus etiam data est potestas, & successoribus eorum in Ecclesia ligandi & soluẽdi in cœlo & in terra, utquoscunque per culpam ligauerint in terra, ligati sint in ęterna tormenta: quoscunque autem saluerint, cõfitentes & pœnitentes peccata sua, soluti sunt in cœlo, omnium hic remissione peccatorum percepta, ad æternæ beatitudinis gaudia eorum precibus adiuti, per Dei gratiam peruenire mereantur. libro quarto de Sermonũ proprietate, cap. 1.

Item: Petrus personam gestat Ecclesiæ, quæ habet potestatem dimittendi peccata, atq; reducendi ab inferis homines ad cœlestia regna. Ibidem.

Angelomus: Apostoli, apostoliciq; uiri accepta à Domino potestate ligandi atque soluendi, & dignos intra regni ianuam admittunt, & contumaces, impuros ac superbos excommunicando siue anathematizando, ab ingressu uitæ perennis eliminãt. In 6 caput libri tertij Regum.

Qui soluendi & ligandi, docet Hincmarus, inquiens: Quapropter quod est tenere Ecclesiam, non hoc est, in diuinis tenere primatum, aut si omnis qui tenet Ecclesiam, etiam primatũ tenet, omnes illi iniqui Ecclesiam non tenent, qui tamen intus uidentur & baptismum dare & habere, à nullo nostrûm negatur. Nam eos primatum in diuinis habere quis dicat, nisi qui nihil diuinũ sapit? Et foris quidem, id est, in hæresi uel schismate, nec ligari aliquid potest, nec solui, ubi non sit, qui aut ligare possit aut soluere. Sed soluitur qui cum columba fecerit pacem, & ligatur qui cum columba non habet pacẽ, siue apertè foris sit, siue intus esse uideatur. In epistola ad Hincmarum Laudunensem cap. 48.

DE ABSOLVTIONE.

De fine absolutionis inquit Rabanus: Per claues regni cœlorum non dubitatur fieri remissio peccatorum. In epistola ad Reginharium chorepiscopum.

DE EXCOMMVNICATIONE.

Quomodo sit excõmunicandum, Hincmarus monet, dicens: Regula quippe, unde & qualiter quique excommunicari debeant, nobis est manifestè deprompta, dicẽte Domino: Si peccauerit in te frater tuus, &c. Amen dico uobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo. Et hac regula, atque hoc regulari iudicio, canonicoq; ordine, ab Ecclesiæ cõmunione medicinaliter usque dum conuertantur, & ad pœnitentiam redeant, separatos constat, rata à Deo prolata sententia, Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo. In Epistola ad Hincmarum Laudunensem, cap. 30.

Haymo: Excommunicat episcopus ut os

Ecclesiæ, cui consentit Ecclesia tota dicens, Amen. super 150 Psalmum.

Hincmarus: Et ne quenquam Ecclesiastici ordinis ministrum occasione turpis lucri, ut aliquid ab eo absoluto capiat, contra sacras regulas excommunicet inhibemus. Quia ut sanctus Augustinus exponens sententiam Pauli: Auferte malum ex uobis, demonstrat, non temerè & quomodo libet, sed per iudicium auferendi sunt mali ab Ecclesiæ communione: multò magis autem cauendum est, ne sine regulari iudicio ministri Ecclesiæ officio suo priuentur. In Epistola ad Ecclesiam Tornacensem.

DE CONFESSIONE.

DE confessione coram Deo, inquit Idiota: O misericordissime Domine Iesu Christe, ego iniquissimus peccator dignus sum, & dignum me sentio odio, non amore tuo: pœna, non gloria: quia licet cognouerim ex tua immensa pietate tuâ exuberantem dilectionem & amorem dulcissimum, tamen his obliuioni quodammodo traditis, gratias tibi non rependi, nec meipsum disposui, ut tuam dilectionem in me ampliori gratia augeres. Sed te potius ad iracundiam & uindictam prouocaui ob miserabilem uitam meam, quam diuersis uicijs & peccatis contaminaui, succurre mihi. cap. 3. de amore diuino. Et paulo pòst: Ego miserabilis peccator, oneratus magno pondere peccatorum, magnam sitim amoris patior, quia à te fonte uiuo sum nimium elongatus.

De confessione oris, Haymo dicit: In ore confessio debet esse, quia fides cordis promenda est officio oris. Illa enim confessio fit ad salutem, si tamem exornata fuerit bonis operibus per spaciũ uitæ. Super 10. cap. ad Romanos.

DE COENA.

Hincmarus appellat cœnam uiaticum munus. In epistola ad Hincmarum Laudunensem.

Haymo: cœna Dominica dicta est, eo qđ ipso die Saluator cum discipulis cœnauerit, complens ueteris Testamẽti pascha, & mysterium corporis & sanguinis sui tradẽs. Super 11. caput prioris epistolæ ad Corinthios.

Remigius appellat cœnam sacrificium: Videte quoniam suauis est Dominus, &c. quasi dicat: Sumite sacrificium corporis & sanguinis mei, & intelligite quid sumatis, quia in exemplum humilitatis & patientiæ meæ hoc sumitis. ut sicut ego gloriã meam non quæsiui, sed Domini: ita & uos sumite cum timore & reuerentia, & uidebitis quoniã suauis est Dominus. Sicut ego de morte transiui ad uitam, de passione ad suauitatem & gloriam: ita & uos comedentes me, id est, imitantes passionem & humilitatem meam in hac uita, uidebitis tandẽ: quoniã Dominus qui modò amarus uidetur propter passionum tollerantiam, suauis est in remuneratione. in 33. Psalmum.

Paschasius ait: Sacramentũ igitur est, quic quid in aliqua celebratione diuina nobis quasi pignus salutis traditur. Cum res gesta uisibilis, longè aliud inuisibile intus operatur, quod sanctè accipiẽdum sit. Vnde & sacramenta dicũtur, aut à secreto, eo quòd in re uisibili diuinitas intus aliqd ultra, secretius efficit per speciem corporalem: aut à cõsecratione sanctificationis, quia Spiritus sanctus manens in corpore Christi, latenter hæc omnia sacramentorum mystica, sub tegumento uisibiliũ pro salute fidelium operatur. Magis igitur uis diuina ex hoc mentes credentium ad inuisibilia instruit, ac si uisibiliter ea monstraret, quæ interius præstat ad effectum salutis. per fidem enim ambulamus, & non per speciem. capite 10. de Corpore & sanguine Domini. Item: Quę ob hoc sacramenta uocantur, quia sub eorum specie uisibili, qua uidentur, secretius uirtute diuina caro consecratur, ut hoc sint interius in ueritate, quod exterius creduntur uirtute fidei. ibid.

De materia cœnę, inquit Idiota: Ecce prãdium meũ paraui uobis, uenite ad nuptias. Ad nuptias, inquã, Ecclesiæ militantis properceptione ipsius prandij, id est, altissimi sacramenti corporis & sanguinis tui, & ad nuptias etiam Ecclesię triumphantis: ad quas quia grandis restat uia, cibus iste uiaticum est potentissimum, in cuius uirtute ambulat Christianus usq; ad mortem Dei, id est, usque ad cœlum, sicut per figuram huius ambulauit Elias usque ad montem Dei Oreb. Habet enim istud uiaticum omne delectamentum, & omnis spiritualis saporis suauitatẽ, cuius perceptione cõfortetur cor meum. cap. 20. contemplationũ de Morte.

Haymo ait: Quidã in Ecclesia, licet Christum pro nobis mortuum confiteantur, & baptismi aquam ad remissionem peccatorum ualere concedant: tamen de mensa, id est, refectione Dominici corporis dubitant, non credentes, quòd Deus eos possit corpore & sanguine filij sui in hoc deserto huius uitæ pascere. Super 77 Psalmum: Et Christus obtulit discipulis calicem & panem, id est, corpus suum in qualitate panis & uini, & idem sacrificium per omnem Ecclesiam instituit. Super 109 Psalmum. Item: Qui temporalibus bonis abundantes area & torculari (corpore, scilicet & sanguine Christi) non satiantur: quia dum indignè comedunt, perpetuũ luctum, & æterna sibi tormenta præparant. Super 9 cap. Oseæ. Et:

Corpus

Corpus Christi est quod consecratur quotidiè in Ecclesia. Idem super 7. cap. ad Rom.

Rabanus ait: Christus ad hoc immolatus est agnus, ut nos carnem eius comedamus. cap. 44. de Sacramento Eucharistiæ. Item: Et, ut mirabilius loquar, non alia placuit, quàm quæ nata est de Maria, & passa in cruce, & resurrexit de sepulchro. Hæc inquam, est ipsa, & ideo Christi caro est, quia pro mundi uita adhuc hodie offertur, & cũ dignè percipitur, uita utique æterna in nobis reparatur. cap. 3 de Sacramento Eucharistiæ. Item: At uerò quisquis ista non credidit, si uidisset Christum in cruce in specie serui, quomodo Deum illum intelligeret nisi per fidem prius credidisset? Ita & in hoc corpore, ubi species alia monstratur, quomodo carnẽ Christi uideret, nisi per fidem uerius credat. capite 4. de Sacramẽto Eucharistiæ. Et: Nemo fidelium ignorare debet, nemo nescire quid ad fidem, quid ue ad scientiam in eo pertineat, quia nec fides in mysterio sine scientia rectè defenditur, nec scientia sine fide, quæ nec dum capit, quandoque ut percipiat enutritur. ibidem capite septimo. Item: Sed quia Christum uorari fas dentibus non est, uoluit in mysterio tunc panem & uinum uerè carnem suam & sanguinem consecratione Spiritus sancti potentialiter creari. Creando uerò quotidie, pro mundi uita mysticè immolari, ut sicut de uirgine per spiritum uera caro sine coitu creatur, ita per eundem ex substantia panis ac uini mysticè idem Christi corpus & sanguis consecretur. ibidem capite undecimo. Et: O homo quotiescunq; bibis hunc calicem, aut manducas hunc panem, non alium sanguinẽ te putas bibere, quàm qui pro te & pro omnibus effusus est in remissionem peccatorum. ibidem cap. 41. Et: De ipsis fructibus terræ, hoc est, frumento & uino ipse conditor rerum & redemptor hominum aptum mysterium faciens, in corpo ris & sanguinis sui Sacramentum conuertit. libro 7. in Ecclesiast. cap. 8. Item: De reliquis quoque duobus testamentis, hoc est, corpore & sanguine Domini, quæri potest, cur inter omnes fructus terræ potissimùm ad hoc delegerit frumentum atque uinum, quasi ipsa cunctos fructus terræ dignitate præcellant, & preciosiores omnibus fiant. Quod ita solui posse credimus. Maluit enim Dominus corporis & sanguinis sui sacramẽta fidelium ore percipi, & in pastum eorum redigi, ut per uisibile opus inuisibilis ostenderetur effectus. Sicut enim cibus materialis forinsecus nutrit corpus & uegetat, ita etiam uerbum Dei intus animam nutrit & roborat: quia non in sole pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit de ore Dei, & uerbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ait enim ipsa ueritas: Caro mea uerè est cibus, & sanguis uerè potus est. uerè scilicet caro Christi est cibus, quia pascit uerè, & ad æternam uitam hominem nutrit: & sanguis eius uerè est potus, quia esurientem animam & sitientem iusticiam, in æternum ueraciter satiant. temporalem quippe uitam sine isto cibo & potu habere homines possunt, æternũ omnino non possunt, quia iste cib. & potus æternam societatem capitis, membrorumq; suorũ significat. Qui mãducat, inquit, meam carnem, & bibit meum sanguinẽ, in me manet, &c. Huius rei sacramentum, id est, unitatis corporis & sanguinis Christi de mensa Domini, assumitur quibusdam ad uitam, quibusdam ad exitium. Res uerò ipsa omni homini ad uitam, nulli ad exitium, quicunq; eius particeps fuerit, idem Christo capiti membrũ associatus in regno cœlesti: quia aliud est sacramentum, aliud uirtus sacramenti. Sacramentum enim ore percipitur, uirtute sacramenti interior homo satiatur. Ergo quia panis corpus confirmat, ideo ille corpus Christi congruenter nuncupatur. uinum autem quia sanguinem operatur in carne, ideo ad sanguinem Christi refertur. Hæc autẽ dum sunt uisibilia sanctificata, tunc per Spiritum sanctum in sacramentũ diuini corporis trãseunt. lib. 5. cap. 11. de Sermonũ proprietate.

Bertramus inquit: Ille panis qui per sacerdotis ministerium Christi corpus efficitur, aliud exterius humanis sensibus ostendit, & aliud interius fidelium mentibus clamat. Exterius quidem panis, quod ãtè fuerat, forma prætenditur, color ostenditur, sapor accipitur. Ast interius longè aliud, multoq; precios ius, multoq; excellentius intimatur, quia cœleste, quia diuinũ: id est, Christi corpus ostenditur, quod nõ sensibus carnis, sed animi fidelis contuitu uel aspicitur, uel accipitur, uel comeditur. Vinum quoq; quod sacerdotali consecratione Christi sanguinis efficitur sacramentum, aliud superficietenus ostendit, aliud interius cõtinet. Quid enim aliud in superficie, quã substantia uini conspicitur? Gusta, uinũ sapit. Odora, uinum redolet. Inspice, uini color intuetur. At interius si cõsideres, iam non liquor uini, sed liquor sanguinis Christi, credentiũ mentibus & sapit dum gustatur, & agnoscitur dum conspicitur, & probatur dum odoratur. Hæc ita esse, dum nemo potest abnegare, claret, quia panis ille uinumq; figuratè Christi corpus & sanguis existit. Non enim secundum quod uidetur, uel carnis species nullo pane cognoscitur, uel in illo uino cruoris unda monstratur: cum tamen post mysticam consecrationem nec panis iam dicitur,

citur,nec uinum, sed Christi corpus & sanguis.libro de corpore & sanguine Domini. Item:Non ergo sunt idem quod cernuntur, & quod creduntur. Secundum enim quod cernuntur,corpus pascunt corruptibile,ipsa corruptibilia. Secundū uerò quod creduntur, animas pascunt in æternum uicturas, ipsa immortalia.ibid.Item: Non dicit carnē ipsius quæ pendit in cruce particulatim cōcidendā fore,& à discipulis manducādam, uel sanguinē ipsius,quē pro mundi redemptione fusurus erat,dandum esse in potum: sed uerè per mysterium,panem & uinum in corporis & sanguinis sui cōuersam substantiam à credentibus sumendam. ibid.

Remigius scribit: Et pauperes edent me, hoc est,sacramentum corporis & sanguinis mei sument.Et saturabuntur, imitando me & seipsos tradendo:quia edere Dominum, est eum in omnibus uelle imitari, & illi uniri.In 21 Psalmum.

Paschasius: Vnde, quia sic uoluit,ut caro eius esset & sanguis,hoc mysterium,in nullo dubites,si Deum credis:sed uerā fidē habeas in animo, quod hæc est caro illa,quæ oblata est pro mundi uita.Quā qui dignè comederit,mortē non uidebit in æternū.cap. 7.de corpore & sanguine Domini. Item:Si Deus ueritas est,quicquid Christus promisit in hoc mysterio,utiq; uerū est, & ideo uera Christi caro & sanguis,quā q māducat dignè, habet uitā æternā in se manētem.Sed uisu corporeo & gustu ꝓpterea nō demutātur quatenus fides exerceatur. Ibid. Et: Vnde nec minus Spiritus sanctus,qui hominē Christū in utero uirginis sine semine creauit,etiam ipse panis ac uini substantiam,carnem Christi & sanguinē inuisibili quotidie potentia,per sacramentū sui sanctificationē operatur,quamuis nec uisu exterius,nec gustu saporis comprehendatur.Sed quia spiritualia sunt,fide & intellectu pro certo,sicut ueritas prædixit,plenissimè sumūtur. libro eodē cap.11.Et cap.12. Quod in ueritate corpus & sanguis fiat consecratione mysterij, nemo,qui uerbis diuinis credit, dubitat.Vnde ueritas ait: Caro enim mea uerè est cibus,& sanguis meus uerè est potus. Et ut discipulis non rectè intelligentibus clarescèret,de qua dicebat carne, uel de quo sanguine,manifestans insinuat: Qui māducat meā carnem,inquit,& bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Ergo si uerè est cibus,& uera caro,& si uerè est potus, utiq; & uerus sanguis. Alioquin quomodo uerū erit,quod dicit:Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi uita, nisi uera sit caro?utique & panis qui de cœlo descendit,uerus panis. Item: Vera utique caro Christi,quæ crucifixa est & sepulta, uerè illius carnis sacramentum,quod per sacerdotem super altare in uerbo Christi per Spiritum sanctum diuinitùs consecratur. Vnde ipse Dominus clamat:Hoc est corpus meum. Et ne mireris ô homo, neq; requiras naturæ ordinem. Si carnem illam uerè credis de Maria uirgine in utero sine semine, potestate Spiritus sancti creatam, ut uerbum caro fieret,uerè crede,& hoc quod conficitur in uerbo Christi per Spiritum sanctum corpus ipsius esse ex uirgine.Vbi si rationem quæris,quis explicare poterit,aut uerbis comprehendere? Imò scias quæso,quia ratio in uirtute Christi est,scientia in fide, causa in potestate,effectus uerò in uoluntate,quòd potentia diuinitatis contra naturam, ultra nostræ rationis capacitatem efficaciter operatur. Idcirco habeatur scientia in doctrina salutis, teneatur fides in mysterio ueritatis:quoniam in his omnibus per fidē ambulamus,& non per speciem.libro eodem,cap.13. Et:Veram carnem Christi,& sanguinem in mysterio sumimus.cap.14. Item, Et quod dicit: Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur: crede ô fili, quia ita est, quoniam ipse dixit & factum dubitare non potes: ipse mandauit,& creatum est.libro eodem,cap. 42. Et: Viget autem hoc uerbum & manet: Hic est enim calix sanguinis mei,qui pro uobis effunditur,& pro multis. Quapropter ò homo,quotiescunque bibis hunc calicem,aut manducas hunc panem,non alium sanguinem te putes bibere,quàm qui pro te & omnibus effusus est in remissionem peccatorum.cap.43. Item: Neq; aliam carnē,quàm quæ pro te & pro omnibus tradita est,& pepēdit in cruce:quia sic ueritas testatur:Hoc est corpus meum,quod pro uobis tradētur, Et de calice:Hic enim sanguis meus est,qui pro uobis effundetur in remissionē peccatorum. Vnde sicut in remissionem fusus est peccatorum & traditus, ita adhuc hodie in remissionem comeditur & potatur delictorum.cap. 44. Et: Cæterùm secundum præmissam doctrinę ueritatem,nihil aliud quā caro Christi & sanguis iure creditur, quæ non sapore carnis, sed spirituali dulcedine degustantur, & fidei ratione intelliguntur. cap.45.Item: Nam in calice nihil aliud bibimus, quàm Christi sanguinem, ubi & nos per aquam admixti couniti sumus. In pane uerò nihil præter corpus, ubi nos per Christi consperſionem iam membra sumus.libro eodem,cap.51.

Quando utendum cœna.Rabanus: Quotidie Eucharistiæ cōmunionem percipere, nec uitupero nec laudo,omnibus tamē Dominicis diebus cōmunicandū hortor,si tamen mens in effectu peccandi non sit.Nam habentem adhuc uoluntatē peccandi, grauari

uari magis dico Eucharistiæ perceptione, quàm purificari. Et ideo quamuis quis peccato mordeatur, peccandi de cętero non habeat uoluntatem, & cōmunicaturus satis faciat lachrymis & orationibus, & confidens de Domini misericordia: quia peccata piæ cōfessioni donare consueuit, accedat ad Eucharistiā intrepidus & securus. Sed hoc de illo dico, quem mortalia & capitalia peccata non grauant. Nam quem mortalia crimina post baptismum commissa premunt, hortor, prius publica pœnitentia satis facere, & ita sacerdotis iudicio reconciliatum cōmunioni sociari, si uult, non ad iudiciū & condemnationē sui Eucharistiam percipere. libro 4. de Sermonum proprietate, cap. 10.

De spirituali manducatione, inquit Paschasius: Sacramentum hoc uerè caro ipsius & sanguis, quam spiritualiter manducat & bibit homo. lib. de Corpore & sanguine Domini, cap. 14. Item: Caro Christi & sanguis sumitur spiritualiter. ibidem. Et: Bibimus quoq; & nos spiritualiter, ac comedimus spiritualem Christi carnem, in qua uita ęterna esse creditur. Alioquin sapere secundum carnem mors est, attamen uerā Christi carnem spiritualiter percipere, uita æterna est. Ibidem. Et: Cæterùm quibus omnem saporem & omne delectamentum præbuit, eandem de cœlo escam, quam nūc percipimus spiritualem, & typica illa perceptio in ore sapuit. Hinc apostolus patres nostros eādem comedisse escam spiritualē testatur, sed non in pluribus eorum beneplacitū fuisse Deo: profectò quia fastidientes spiritualia, carnaliter sapiebāt. libro eodem, cap. 19. Item: De quo nimirum sanguine inebriatur omnis Christi Ecclesia, & ideo speciē uini iure tenet in sensu, dum spiritualiter sanguis potatur in mysterio: quia hinc lætificamur spirituali lætitia ad gaudiū, hic uerò redimimur de morte ad uitam, & precio salutis nostræ interius saginamur. cap. 28. Et: Ideo hæc mysteria nō carnalia, licet caro & sanguis sint, sed spiritualia, iure intelliguntur. cap. 50. de corpore & sanguine Domini.

De indignè sumentibus, Paschasius ait: Per ignorantiam autem illud percipit, qui uirtutem eius & dignitatem atque circumstantiam ipsius sacramenti penitùs ignorat. Qui nescit uerè, quod corpus & sanguis sit Domini secundum ueritatem, licet in sacrāmēto accipiatur per fidem, hic quidem mysterium accipit, sed nescit mysterij uirtutem. cap. 9. de corpore & sanguine Domini. Item: Ecce quid māducat peccator, & quid bibit? Non utique sibi carnem utiliter & sanguinem, sed iudiciū, licet uideatur cum cæteris sacram entū altaris percipere. Et quare? quia non se probat, nec dijudicat corpus. capite 15. Et: Deinde nihil damnabilius, antequam corrigatur, propter perfidiā humanam, cum Iuda à mysterio sanctæ communionis pedem non retrahere. cap. 18. Item: Timeas percipere non uirtutem Spiritus sancti, sed iudicium sacramenti. cap. 21.

Quomodo accipiendum. Rabanus: Venerabile sacramentum redemptionis bibēdo sanguinem eius, gaudentes laudamus. libro 6. in Ecclesiast. cap. 1.

Cur iteretur. Paschasius: Iteratur autem hoc mysterium, & ob commemorationem passionis Christi, sicut ipse ait: Hæc quotiescunque agitis, in meam commemorationem facite. Quotiescunq; ergo hunc panem sumitis, & bibitis hunc calicem, mortem Domini annunciabitis donec ueniat. cap. 26. de corpore & sanguine Domini.

Duæ partes. Paschasius: Ideo carne uerbi pascimur, & potamur sanguine. capite septimo. Et: Sacramentum Dominici corporis & sanguinis, quod quotidie in Ecclesia celebratur, nemo fidelium ignorare debet. capite octauo. Item: Licet ab omnibus Christi caro & sanguis quotidie comedatur, ipse tamen agnus uiuus & integer permanet. capite 9. Et: Deinde uirtute ipsius Christi corpore quotidie pascimur & potamur sanguine. capite undecimo. Item: Ideo quàm rectè caro sanguini sociatur, quia nec caro sine sanguine utique, nec sanguis sine carne, iure communicatur. capite 48. Et: Vt nemo à carne Christi & sanguine extraneus deputetur, nisi qui seipsum culpis exigentibus abscinderit. cap. 58. de corpore & sanguine Domini.

Oportere credi licet sensus nō percipiāt: Paschasius: In hoc corpore, ubi species alia monstratur, qnomodo carnem Christi uideat, nisi per fidem ueracius credat? cap. 5. Itē: Quicquid uult, ita fit ut uult, & in nullo fallitur: quia in sapientia sua omnia uult, imò ipsa sapientia eius uoluntas est, & propterea nihil mali, nihil quod non possit uult. cap. 6. de corpore & sanguine Domini.

De fine inquit Haymo: Non solum Dominico corpore à uicijs mundamur, uirtutibus replemur, sed etiam contra omnem persecutionem sustentamur. super 22 Psalmum. Et: Deus fuit refugium Christo in resurrectione, suis mēbris est refugium, cum facit eos securos per sacramenta Ecclesiæ, scilicet per corpus Christi, orationes. Super 30 Psalmum. Item: Propugnacula Ecclesiæ sunt diuinarum scripturarum sacramenta, de quibus ueluti iacula procedunt, quibus aduersariæ repelluntur potestates. Super 4. cap. Cant. Et: Caro Christi pro salute nostri corporis, sanguis uerò pro anima nostra fusus est, quia sedes animæ in sanguine consistit.

fistit. In cuius memoriam corpus & sanguinem illius sumimus : quoniam ipse ut totum hominem saluum faceret & redimeret, sanguinem suum fundi permisit. Super 11.cap.secundæ ad Corinthios. Item : Sicut Christus communicauit nostræ substantiæ per assumptionem hominis:sic & nos participes eius sumus per assumptionem corporis & sanguinis eius.Super secundum caput ad Hebræos.

Rabanus ait : Cæterùm sacramento corporis & sanguinis tantundem pascimur in uia & potamur,ut ex eo nutriti, unum efficiamur,quo nimirum uegetati gustu ad immortalia & æterna præparemur. Quatenus spiritualiter, iam angelica gratia signati,in eo uiuificemur.Operatur nobis in his omnibus sacramentis Spiritus diuinus.cap.10.de Sacramẽto Eucharistiæ. Item: Sed quia illũ secundum carnem cœlos opportuit penetrare,ut per fidem illuc in illo renati confidentius appeterent, reliquit nobis hoc sacramentũ uisibilem figuram & characterem carnis & sanguinis,ut per hæc mens nostra & caro nostra ad inuisibilia & spiritualia capescenda per fidem uberius nutriatur. Est autem figura uel character, hoc quod exterius sentitur:sed totum ueritas & nulla adumbratio,quod intrinsecus percipitur, ac per hoc nihil aliud hinc inde quàm ueritas & sacramentum ipsius cranis aperitur,uera utiq; caro Christi quæ crucifixa & sepulta est,uerè illius carnis sacramẽtum, quod per sacerdotẽ super altare in uerbo Christi per Spiritũ sanctum diuinitùs consecratur. Idẽ, cap.41.de sacramento Euchatistiæ.

Bertramus: Iste namque panis & iste potus,non secundum quod uidentur, corpus siue sanguis existunt Christi : sed secundum quod spiritualiter uitæ substantiam submi-
niſtrãt.Illud ueri corpus , in quo semel passus est Christus,non aliã speciẽ præferebat, quã in qua consistebat. Hoc enim erat uerè quod uidebatur,quod tagebatur,quod crucifigebatur , quod sepeliebatur. Similiter sanguis illius de latere manãs, nõ aliud apparebat exterius, & aliud interius obuelabat.Verus itaq; sanguis de uero corpore ꝓfluebat,ast nũc sanguis Christi quẽ credẽtes ebibũt,& corpus quod comedũt,aliud sunt in specie, & aliud in significatione. Aliud quod pascũt corpus esca corporea, & aliud quod signant mentes æternæ uitæ substantia.libro de Corpore & sanguine Domini.

Paschasius inquit: Cum dignè percipitur, uita utiq; in nobis æterna reparatur. cap. 4. de Corpore & sanguine Domini. Itẽ.Sacramẽto corporis & sanguinis tantundẽ pascimur in uia & potamur,ut ex eo nutriti unũ efficiamur.cap. 11. de Corpore & sanguine Domini.Et:Sic itaq; ex hoc ligno corporis quicunque spiritualiter comedunt,si mandata obseruauerint, nunquam inæternũ in spiritu mortales erunt.ibid.cap.17.Et: Veritate Dominici corporis & sanguinis, ad uitã illustratur & uegetatur.ibid.cap.49.

De diuerso effectu inquit Paschasius. Simili itaq; modo nunc in Ecclesia cibus iste, quibusdã uita est, quibusdam uerò pœna,& suppliciũ peccati.Porrò illis uita est,quibus Christus est uita:illis uerò mors,qui per carnem & ignorantiam membra sunt diaboli. cap.19.de Corpore & sanguine Domini.Itẽ: Et ideo alius accipit mysteriũ ad iudiciũ dãnationis:alius uerò ad uirtutem mysterij ad salutẽ.cap.20.libro eodem.Et : Nec dubium quin fidelis uitam,contemptor uerò mortẽ accipiat.libro eodem,cap.23.

Paschasij phrases sunt: Et ideo nullus moueatur,de hoc corpore Christi & sanguine, quod in mysterio uera sit caro & uerus sit sanguis,dũ sic ille uoluit qui creauit.cap.3. de Corpore & sanguine Domini.Itẽ: Mysticũ Christi corpus & sanguis. libro eodem, cap. 8. Et:Mysterium corporis & sanguinis Christi.lib.eodẽ,cap.9. Et: Quia Mysticũ est sacramentũ,nec figuram illud negare possumus: sed si figura est, quærendũ,quomodo ueritas esse possit:omnis enim figura alicuius rei figura est,& semper ad eam refertur, ut sit res uera,cuius figura est.Nã figuras ueteris Testamẽti umbras fuisse,nemo qui sacras literas legit,ambigit. Hoc mysteriũ aut ueritas est, aut figura ac per hoc umbra est. Aut certè quęrendũ hoc totũ,utrum ueritas dici queat,sine falsitatis umbra,quãuis mysterium huiuscemodi res appellari debeat. Sed figura esse uidetur,dum frangitur,dum in specie uisibi aliud intelligitur,quam qđ uisu carnis & gustu sentitur,dumq; sanguis in calice simul cum aqua miscetur. Porrò illud fide sacramentũ,iure ueritas appellatur. Veritas ergo dum corpus Christi & sanguis uirtute spiritus in uerbo ipsius, ex panis uiniq, substantia efficitur. lib.eodẽ,cap.12.Et: Sed si ueraciter inspicimus, iure simul ueritas & figura dicitur, ut sit figura uel character ueritatis,quod exterius sentitur. Veritas uerò quicquid de hoc mysterio interius rectè intelligitur aut creditur.cap.13.lib.eodẽ.Itẽ:Mystica corporis & sanguinis sacramẽta.cap.40.lib.eodẽ. Sed hęc omnia interpretatur,quod nõ appareat qdẽ oculis corporalib.corpus & sanguis Dñi:sed quod iuxta uerbũ Dei sit hoc credẽdũ,quod corpus Christi comedas, & sanguinem eius bibas.

Malus sacerdos nõ uitiat sacramentũ.Paschasius:Nunc autẽ licet leprosus sit qui offert,munda sunt quę hauriuntur: quia caro & sanguis Saluatoris nullius immunditia sordi-

sordidantur.cap.36.de Corpore & sanguine Domini.

DE SACRIFICIIS.

SAcrificium quasi sacrum factum, quod prece mystica cõsecratur in memoriã Dominicæ passionis:unde hoc eo iubente, in corpus Christi & sanguinem Domini: quod dum sit ex fructibus terræ sanctificatur,& fit sacramentum, operante inuisibiliter Spiritu Dei.Rabanus lib.1.cap.32.de Institutione Clericorum.

De sacrificijs piorum inquit Haymo: Moraliter uictimæ Domini sunt laudes credentium,pœnitẽtia peccatorum,lachrymę orationum.de quibus scriptum est:Sacrificium Deo Spiritus contribulatus. Super 5 caput Oseæ. Item:Oratio est speciale Dei sacrificium.Idem super 2 caput Abacuc. Et: Bonum aliquod opus,oratio,eleemosyna,cæteraq;, Deo sunt grata sacrificia. Idem super 1 cap. Malachiæ. Item:Quando quilibet orat pro aliquo,si uita illius mũda fuerit, pro quo oratur, subleuat orationem deprecantis,ut à Deo exaudiatur:sicut ecõtrà,uita mala eius, pro quo oratur,impedit orationẽ illius, qui pro ipso orat.Idem super 3 caput ad Philippenses.

Remigius ait:Si uolumus Deo sacrificare,non extrà petamus quod offerre uolumus.In nobis est laudis incẽsum,fidei sacrificium,quicquid offerimus,accendatur charitate.in 55 Psalmum. Item: Non prosunt hostiæ nisi cum fide:quia ueri sacrificij extra catholicam Ecclesiã non est locus.Idem. in 95 Psalmum

DE ECCLESIA.

ECclesia ideo ciuitas dicitur, qa sicut in ciuitate quilibet aduena recipitur, sic in Ecclesia.Itẽ:sicut ciuitas munita est turribus:sic Ecclesia Apostolis & uirtutib.lætificatur,qa cõfirmat eos Deus,gratia Spiritus sancti,contra tribulationes,quæ inferebantur eis.Haymo super 45 Psal.Item per lunã intelligitur Ecclesia, quia deficit & crescit sicut luna:& sicut luna à sole lumen recipit, ita Ecclesia à Christo. Idem super 71 Psalmum. Et:Ecclesia fidelium propter soliditatem fidei super terram appellatur.Idem super 9 caput Oseæ.

Ἐκκλησία Græcum est, quod in Latinum uertitur cõuocatio siue cõuentus, eo quòd omnes conuocat ad se. καθολικὸς autem dicitur,id est,uniuersalis:quia in toto mundo una est Ecclesia Christi, quæ & spõsa Christi,& corpus eius est. Rabanus libro 1. de Institutione Clericorum,capite 1. Et: Illud enim templum Domini est,in quo habitat uera fides,sancta conuersatio omniumque uirtutum chorus.Idem libro quarto in Hieremiam, cap.7. Item : Vocatur autem Ecclesia Catholica,mulier fortis.Mulier uidelicet quia spirituales Deo filios ex aqua & Spiritu sancto gignere consuenit.Fortis, qa cuncta seculi aduersa simul & prospera proconditoris sui fide contemnit.libro 6 in Ecclesiast.capite 5. Et: Ecclesia dicitur species mulieris,hoc est,decor,quem habet in recta fide & bonis operibus. Hæc exhilarat faciem uiri, sponsi uidelicet sui Domini Iesu Christi,qui delectatur in profectu eius. lib. 8 in Ecclesiast. cap.7.

Quid sit,Haymo docet:Ecclesiaest munita uirtutib.ampla charitate,collecta per fidẽ ad iure uiuendum:non ciuitas Babyloniorum & confusorum hæreticorum, sed Dei nostri. Super 47 Psalmum. Item:Cõgregatio populi collectio est in Ecclesia fidelium per fidem, ætatum diuersitas, discretio est meritorum.Idem super 2 cap.Ioelis.

Rabanus ait: Creatura Dei est Ecclesia, quã ipse sibi per gratiã Christi,ac donũ spiritus sancti acquisiuit.li.8 in Ecclesiast. cap.4.

Duplex est Ecclesia,Hincmarus: Vniuersalis Ecclesia,partim iam in cœlo cum Deo regnat,partim autem adhuc in terris peregrinatur , & ad patriam cœlestem suspirat procedere. Caput 44.ad Hincmarum Laudunensem.

Haymo:In sancta Ecclesia sunt multi qui renascuntur in baptismate,& qui filij uidentur esse Abrahæ,sequendo uarios errores,diuersaq; schismata , & uarijs criminibus se implicant,non merentur cum electis hęreditate patriæ cœlestis frui.Super 4. cap. ad Galatas.Item : sunt quidã intra sanctam Ecclesiam constituti,qui uitam quidem ab omni crimine custodiunt , sed tamen in agendo quælibet bona non assurgũt: & hi tales nec frigidi nec calidi sunt , quia nõ sufficit mala cauere,nisi studeat quis & bona facere.libro 2 in Apocalyps.cap.3.

Remigius:Sicut duæ sunt generationes, una fideliũ,altera infidelium:ita duo patres & duæ matres:una quæ generat in confusionẽ,id est,Babylon,quæ interpretatur cõfusio:altera,quę generat ad uitam , id est,Ierusalem.Vir Babylonis diabolus, uir Hierusalem Deus.In 26 Psalmum.

Vnde sit.Haymo:Per hoc facta est Ecclesia, & cęterę Christi ꝓmissiones cõpletæ,quia ipse surrexit & ascẽdit in suã gloriã, & inde misit Spiritũ,per quẽ Apostoli cõfortati,sibi Ecclesiã cõstruxerunt, & quo ipse ascendit, facit conscẽdere arcam suã,hoc est,Ecclesiã. Super 131 Psalmum. Et: Vir Ecclesiæ Christus est.Super 2 cap.Oseæ.Item: Electio gentium non fuit ex electione meritorum, sed secundum gratiam & prædestinationem Dei.Super 9.cap.ad Romanos. Et:De latere Christi pendentis in cruce Ecclesia formata

mata est,quando unus militum lãcea latus eius aperuit,& continuò exiuit sanguis redemptionis & aqua baptismatis. Super Euangelium Dominicæ 1 aduentus.

Rabanus:Sicut luna à sole,ita & Ecclesia à Christo illuminatur,& eius gloria stabilitur.Lib.9.in Ecclesiast.cap.7.

Remigius:Sicut luna à sole illuminatur, sic Ecclesia non habet lumen,nisi à uero sole,à Domino uidelicet, illuminetur. In 71 Psalmum.

Per quod mediũ colligatur Ecclesia Dei. Haymo:Firmiter stabiliuit Deus Ecclesiam per suam prædicationem,& angelicã custodiam,ducendo eam in suam æternitatẽ. Super 47 Psalmum.

Qualis sit,Rabanus docet: Sancta Ecclesia Christi uestigia deuoto cordis sequitur affectu,& bonorum operum imitatur effectu.Vbi & ministri eius,hoc est, rectores fidelium & prædicatores sancti,ipsius mãdatis sedulo obtemperantes erunt, alijsque similiter facere instanter præcipiunt. Libro 3 in Ecclesiast.cap.1. Item:Ecclesia Domini Saluatoris portat imaginem. Fusca sum & decora,id est,fusca corpore carnali, formosa cœlestibus meritis. Libro 8 in Ecclesiast. cap.7.

Rex Ecclesiæ.Rabanus: Christus filius in genuorũ Ecclesię rex est.Libro 3 in Ecclesiasticum,cap.1.

Caput Ecclesiæ.Rabanus: Christus est caput corporis Ecclesiæ.Libro 10 in Ecclesiasticum,cap.9.

Angelomus:Christus est caput Ecclesiæ, cuius membra sunt fideles.In 2.cap.lib. primi Regũ.Item: Omnia per ipsum,& in ipso creata sunt,& ipse est antè omnes, & omnia in ipso constant , & ipse est caput corporis Ecclesiæ,qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit ipse in omnibus primatũ tenens.In 4 cap.libri 3.Regum.

Remigius:Pupilla est illa pars,per quam oculus uidet & discernit.Sic & Christus est pupilla Ecclesię suę,quia ille solus discernit suos à non suis.In 16 Psalmum.

Christum esse fundamentum Ecclesiæ. Rabanus: Fundamentum quod Apostolus Paulus architectus posuit, unum est,Dominus noster Iesus Christus.super hoc fundamentum stabile & firmum , & per se robusta mole fundatum,ędificatur Christi Ecclesia. Libro 5 in Ecclesiasticum , cap. 5. Et : Mons Christus intelligitur , super quem ciuitas Ecclesiæ, hoc est, in eius fide fundata est. Libro sexto in Ecclesiasticum, capite 5.

Et libros sacros.Hincmarus: Catholica Ecclesia seruat libros de Euangelica ueritate,& Apostolica authoritate , atq; canonica institutione,& omnes seruare docet.In epistola ad Hincmarum Laudunensem.

Haymo: Ecclesia super Prophetarum & Apostolorũ fidem fundatur.Super 44. Psal. Item:Mõs domus Domini in uertice montiũ est præparatus, ac super colles eleuatus, Christus uidelicet , super quem fundata est Ecclesia,à Deo patre præparatus & eleuatus super omnem principatum, & uirtutem & dominationem. Libro primo in Esaiam.

Rabanus ait:Ecclesiæ Saluatoris firmantur per doctrinam sanctorum prædicatorũ. Sub gubernatione Christi status uiget Ecclesiæ.Libro 3.in Ecclesiast.cap.1.

Verbum Dei esse fundamẽtum Ecclesię, Haymo docet:Sicut aries præbet ducatum gregi fortem,& defendit cornibus: sic Apostoli & præbent ducatũ Ecclesiæ, & eã cornibus,id est ueteri & nouo Testamento defendunt.Super 28 Psalmum.

Rabanus: Fides passionis Christi in cordibus credentium,adiuncta doctrinæ Apostolorũ,indissolubile ædificium Ecclesiæ facit, ueręq; charitatis glutino fortiter connexũ. Libro 5 in Ecclesiast.cap.5.Et: Decor Ecclesiæ sanctę fidem Saluatoris sui castè & inuiolatè custodit,& sapientiam diuinam inhianter discit.Libro 6.in Ecclesiast.cap.5.

Esse uniuersalem Ecclesiam Rabanus docet,inquiens:Deus Ecclesiam per totum orbem terrarum ad honorẽ & cultum sui nominis fundauit.Libro 3 in Ecclesiast. cap. 3. Item : Diuina sapientia Ecclesiam suam instituens,per totius partes orbis illam dilatauit,atque in singulis gentibus collocauit. Libro quarto in Ecclesiast.cap.4. Et:Grex Domini est Ecclesia catholica per totum orbem diffusa,cuius pastor unus est:quia ex duobus populis unum sibi construxit ouile,ut gregis Dominici fieret unum ouile & unus pastor. Libro 4 in Ecclesiast. cap.7. Item:Ex omnibus gentibus sancta congregatur Ecclesia , quæ electa eius hæreditas est , ubi in seculum seculi ipse permanet & regnat. Libro quinto in Ecclesiast. cap.13. Et:Sancta Ecclesia comparatur oliuæ,quæ in campis totius mundi transplantata decore orbem uniuersum illustrat , & Spiritus sancti gratia per unctionem sacri chrismatis sanctificat credentes. Libro quinto in Ecclesiast. capite 14. Item : Ecclesiæ status figuratur terebintho, quæ per totum orbem terrarum extẽdit ramos suos: quia per prædicationem Euangelij per singulas gentes ramos fidei expandit, & dilatat locum habitationis suæ. Ibidem. Et: Omnes gentes, imò in uniuersis gentibus, prædicando pronunciat Ecclesia catholica laudem Christi , quod idem filius Dei qui est

qui est uirtus & sapientia patris, totius sententiæ & prophetiæ, atquæ omnium bonatum uirtutum author est, & distributor gratiarum spiritualium. Libro 8 in Ecclesiasticum cap. 18. Item: Ecclesia catholica, uniuersalis. Non enim sicut conuenticula hæreticorum, aliquibus regionum partibus coarctatur, sed per totum terrarum orbem dilatata diffunditur. Quod & Apostolus approbat ad Romanos dicens: Gratias ago Deo meo pro omnib. uobis, quia fides uestra annũciatur in uniuerso mundo. Hinc & uniuersitas ab uno cognominata est, propter quod in unitate colligitur. Vnde Dominus in Euangelio ait: Qui mecum non intelligit, spargit. Cur autem Ecclesia cum una sit, à Iohãne septem scribuntur, nisi ut una catholica septiformi plena spiritu designetur. Quæ tamen septem una esse non ambigitur, dicente Apostolo: Ecclesia Dei uiui, quæ est columna & firmamentum ueritatis. Libro quarto de Sermonum proprietate, capite tertio.

Sanctam esse Ecclesiam. Rabanus: Sancta Ecclesia dicitur nidus, ubi piæ electorum animæ filios bonorum enutriunt. Libro 8 in Ecclesiasticum, cap. 7.

De bonis Ecclesiæ inquit Haymo: Inter omnes gentes possunt mirabilia Dei numerari, sed ueritas Dei de natiuitate, passione, potest & debet enunciari tantum in Ecclesia sanctorum, in qua sola Dei natiuitas & passio colitur & amatur. Super 88 Psalmum.

Ecclesia orat. Rabanus: Orat Ecclesia pro persecutoribus suis, ut ipsi conuertantur ab errore suo, & agant pœnitentiam de peccatis suis. Lib. 8 in Ecclesiasticum, cap. 7.

Fide præditam esse. Haymo: Ecclesia iam per fidem & spem, introducta est in æternã beatitudinem, & in supernæ patriæ gaudia quandoque introducetur per rem. Super 1 cap. Cant.

Esse mixtum cœtũ. Haymo: Habet Ecclesia quosdam in se, qui baptismo Christi sunt renati, & nomine Christianitatis titulati, moribus tamen & conuersatione seculo seruiũt, & Ecclesiam suauissima sopitam quiete, inquietare, atque ad perferendos tumultus excitare nituntur. Super 8 caput Cant.

Rabanus ait: Iudas in comitatu Christi inter Apostolos fur erat & proditor. Inter septem diaconos primos Nicolaus inuentus est reprobus. Nec tamen Petrus propter Iudam perdidit principatum, nec Stephanus propter Nicolai errorem deuiauit à ueritate. Sagena Domini in præsenti pelago trahit pisces bonos & malos, usq; ad littus. Cum autem ad littus peruẽtum fuerit, mittet filius hominis angelos suos, & colligent omnia scandala de regno eius: bonos autẽ pisces recipiẽt in uasa congrua, malos autẽ proijcient foras. In epistola ad Hadubrandum presbyterum.

De unitate inquit Haymo: Altare Domini est unitas fidei. Super 3 caput Amos. Et: Nullus est tam altus in Ecclesia, quin sub protectione Ecclesiæ Dei protegatur & unione: quia si separetur de unione Ecclesię Dei, ab omni altitudine decidet. Super 79 Psalmum. Item: In unione Ecclesiæ omnes sunt ligati uinculo fidei & charitatis. Super 118 Psalmum. Et: Altare sanctæ Ecclesiæ unum est, licet per diuersa orbis terrarum loca multa construantur altaria, sicut una fides, unum & baptisma. Super 5 cap. Oseæ. Item: Malum punicum plenum est multitudine granorum, quæ uno puniceo cortice continentur: & ideo designat in numeram sanctorum populorum multitudinem sub unius fidei societate, quasi intra unius corticis gremium adunatam. Super 2 cap. Aggęi. Et: Vna est catholica per uniuersum mũdum diffusa Ecclesia, quæ ex reginis & adolescentibus constans, etiam concubinas habet: hoc est, quosdam, qui nominetenus Christiani uel doctores dicuntur. Super 6. cap. Cant. Item: Vna est Ecclesia, sicut unus est spiritus. unde & catholica Græcè dicitur, id est, uniuersalis, & septiformis spiritus munere repleta. libro 1 in Apocalypsin, capite primo.

Rabanus: Differentia non debet esse in diuersitate nationum, quia una est Ecclesia catholica per totum orbẽ diffusa, & quique fidelium filij sunt lucis cũ sint filij Dei. In epistola ad Otgarium archiepiscopum.

Cur Iudęi non sint omnes deleti, exponit Remigius: Multę sunt, inquit, causę propter quas iudæi non sunt statim de terra deleti. Ad custodiendam donum eius: id est, sepulchrum. Nullum poterunt habere refugium, quin cõuicti eum resurrexisse confiteantur. Prophetias & libros ueteris legis, aut non haberemus ex toto: uel si haberemus correcti non essent. Prophetia etiam non impleretur, quæ dicit: Reliquiæ Israel saluæ fient. In 58. Psalmum.

Typi Ecclesiæ. Rabanus: Eua designat Ecclesiã sponsam Christi factam per lauacri mysteriũ, quod de latere morientis Christi profluxit. Libro 2 de Sermonũ proprietate, cap. 1. Et: Sicut Noe cum suis per aquam & lignum saluatus est: sic familia Christi per baptismum, & crucis passionem est saluata. Arca enim ista Ecclesiam demonstrabat, quæ natat in fluctibus mũdi huius, & Christo gubernãte ad littus æternæ quietis tendit. Ibidem.

De fine

De fine inquit Haymo: Ecclesia catholica quæ fideliter sanctæ trinitatis fidem inseparabili unitate confitetur, saluabitur in Domino Deo suo, non in exercitus multitudine, aut uirium suarum fortitudine. Super 1 Oseæ. Et: Ecclesia est porta regni cœlorum. Super 5 Oseæ. Item: Per Ecclesiam Deus testimonium perhibet ueritati. Super 1 cap. Micheæ. Et: Christus Iesus est filius Dei per naturam, reliqui electi per gratiã, accepta potestate ad unico filio Dei, ut sint filij Dei. Super 2 cap. Cantic. Item: Qui sine Ecclesia Christum quęrit, errare & fatigari potest, proficere non potest. Super 5. cap. Cant.

De persecutiõe Ecclesiæ inquit Haymo: Mali persequendo Ecclesiam, faciunt eã impingueſcere interius & fructiferam. Super 82 Psalmum.

De tristi statu Ecclesiæ ante finem mundi inquit Haymo: Ecclesia in fine mundi sub Antichristi persecutione, iniquitate abundabit, refrigebit charitas, ponetur in solitudinem, pauciſsimiq; remanebunt, qui se uerè & non simulatè fateantur esse Christianos. Super 22. cap. Sophoniæ.

De uocatione gentium inquit Rabanus: Gentes siue ethnici fide & cultu à Christiana religione sunt alieni. Super eas Dominus alleuat manum suam, quando eas prædicatione & miraculis conuertit ad fidem, ut qui prius fuerunt inimici & persecutores populi Dei, postmodum fiant fratres & cohæredes regni cœlestis. Libro 8 in Ecclesiasticum cap. 7.

De capite decimosexto Matthæi Rabanus ait: Petrus personam gestat Ecclesiæ, quæ habet potestatem dimittendi peccata, atque reducendi ab inferis homines ad cœlestia regna. Libro 4. de Sermonum proprietate, cap. 1.

DE ANTICHRISTO.

VOcatur Antichristus pastor. Haymo: Pastor stultus & imperitus Antichristus est, qui in cõsummatione seculi uenturus dicitur. Super 11. cap. Zachariæ.

Quòd uenturus Antichristus, Haymo docet: Fornax magna nouiſsima est uexatio tempore Antichristi futura, de qua uidelicet fumus egredietur, id est, aduersa doctrina quæ mentes pereuntium in caliginẽ uertat, cui fumus putei comparatur: quia sicut nunc & eo amplius error, ita tũc seminabitur ab impijs. unde dicit Dominus: Erit tribulatio magna. Sed sciendum, quia illa persecutio & falsa doctrina Antichristi & cæterorum, ex parte similis erit, ex parte dissimilis. Similis erit in persecutione sanctorum, in errore mendacij. Dissimilis uerò in hoc, quòd tum illi miracula facturi sunt, cum sint falsi doctores, quod isti facere non possunt, ideoque immanior erit illa, quia per utraq; decipiet. libro 2 in Apocalypsin, cap. 9.

Definit Antichristum Haymo: Antichristus est illud suppar malitiæ diaboli & quasi administrator deceptionis. Super 3 caput Abacuc.

Vnde sit, Haymo indicat: Sicut in Christo plenitudo diuinitatis requieſcit, ita in illo plenitudo nequitię. Et sicut Christus per uirtutem uerbi omnia sua facit opera, ita & ille perditus per diaboli potestatem, qui in eo habitabit, opera sua faciet. Draco itaq;, id est, diabolus dedit illi potestatẽ suam & uirtutem, ut faceret miracula & signa inaudita: & potestatem magnam dedit illi, per quam eleuatur super gentes & regna. libro 4 super 13 caput Apocalypseos.

Quando uenturus, Haymo significat: Senium est decrepita ætas, quod erit in Ecclesia tempore Antichristi, cũ fortitudo ipsius Ecclesię penitùs ferè extinguetur. Super 70 Psalm. Item: Diuina prędicatio præibit Antichristi aduentum. Super 2 caput Ioelis. Item Cum dies Domini aduenier, & finis mundi appropinquabit, satan omnem uirtutem suã Antichristi temporibus effundet, & ad tentandas, subuertendasq; animas uehementius pugnabit. Super 3 Ioelis.

Vbi uerò futurus, Haymo exponit: Non in uno loco, sed in omnib. mundi partibus persecutio Antichristi cõtra Ecclesiã grassabitur. Super 6. cap. Apocalypseos lib. 2.

Quomodo uẽturus: Haymo declarat: Gog rex locustarum, qui secundũ 70 interpretes positus est, interpretatur tectũ, superba quædam & arrogans fortitudo Antichristi significatur, qui in fine mundi cum innumerabili infidelium multitudine ueniens, uelut in serotino cunctã herbã terræ, hoc est, omnia infirma & tenera humani generis consumpturus est. Super 7 caput Amos. Item: Antichristus duob. modis captiuabit homines, primùm uidelicet à fide Christi eos separãs mente, deinde ab æterna societate fideliũ: quia qui ei obaudierint, perpetuo captiuitatis exilio damnabuntur. Ita & ille prius captiuabitur in anima, dum diabolo tradatur ad possidendũ. Deinde damnabitur in inferno captiuitate perpetua. libro 4. super 13 caput Apocalypseos. Item: Veniente Antichristo, postquam plenitudo gẽtium intrauerit, prædicante Elia & Enoch: omnis Israel saluabitur. Et illo in tẽpore complebitur illud quod dictũ est: Superabundabit iniquitas, refrigerescet charitas multorũ. Multi enim præ timore Antichristi, & afflictione negabunt Christũ, & tunc cõfringetur paxillus, id est,

id est, Euangelium, quod erat in Ecclesia, & ex parte cessabit & transibit ad Iudęos. libro 2 super Esaiam.

Remigius ait: Quia omnium inimicorũ suorum dominabitur, &c. Hoc spirituali-ter de ipso Antichristo capite omnium impiorum dicitur. Cuius inimici erunt omnes amici Christi, quorum dominabitur, quantum ad corpus: quia sine contradictione permittetur in eos sæuire, ad eorũ saluationem & suum interitum. In 9 Psalmum. Item: Sicut leo latet in spelunca, ut foris eũ non timeant bestiæ, & sic illuc appropient, dum nusquam eius terror apparet, donec exeat, & apertè deuoret: ita Antichristi crudelitas quadã adulatoria prędicatiõe, & quibusdam miraculis multos seducet. Et quos hoc modo seducere nõ poterit uarijs supplicijs, uelut leo uiolenter inuadet. Hęc omnia ideo tam diligenter describit de Antichristo & eius membris, ut suos cautos reddat. Minus enim lædunt iacula quæ præuidentur. Hinc alibi: Attendite à falsis Prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouiũ, intrinsecus autẽ sunt lupi rapaces. Duę persecutiones fuerunt in Ecclesia, aperta & uiolentia. Primo tempore uiolenta, fraudulenta in medio, quemadmodum per hęreticos & falsos fratres. Validissima, & ex his duabus iũcta, in fine, tempore Christi: qui quos non poterit attrahere miraculis, coget minis, quoniam ut leo in spelunca insidiatur: aptè subiungit, Insidiatur, scilicet blandis uerbis, ut tandem si non poterit blanditijs, uiolentia quadam rapiat pauperem. Insidiatur rapere pauperem, dum attrahit eum. Et ut melius possit attrahere, in laqueo suo humilauit eum, id est, uilificabit his qui ad sua stupebunt miracula. Sed non impunè, quia inclinabit se, id est, intus corruet, datus in reprobum sensum, eo ipso quo foris irrogabit supplicia. ibidem.

Crudelitas eius ab Haymone describitur: Tanta sæuitia tunc (temporibus Antichristi) erit, & erit immanis illa persecutio, ut non satientur reprobi, postquam interfecerint eos: sed etiam ad augendam suam malitiam, neq; post mortem permittent eos poni in monumento. libro 3 super 11 caput Apocalypseos.

De fine & machinationibus Antichristi, inquit Haymo: Antichristum uenturum ad acquirendam gloriam suam. Super 117 Psalmum. Item: Diabolus totam ferè consumet Ecclesiam tempore Antichristi. Super 70. Psalmum.

Rabanus inquit: Antichristus est caput omnium iniquorum. libro 9 in Ecclesiasticum. cap. 2.

De effectibus Antichristi, Haymo inquit: Fides Christi & Ecclesię in quorundam corde sub Antichristo deficiet. Super 2 caput Ioelis.

Quomodo cõtra eum pugnaturi sint pij, Haymo docet: Sicut Antichristus crudelior erit omnibus persecutoribus, ita & illi (qui sunt membra Christi) fortiores erunt omnibus retrò ante martyrib. lib. 1. super 1. caput Apocalypseos.

DE MINISTERIO VERBI.

DE appellationib. sic inquit Rabanus: Rectores quos proposuit Deus in unaquaq; gente, aut angelos possumus intelligere, quos deputauit ad custodiam singularem gentium: aut doctores sanctos, quos in orbem terrarum electio diuina ad prædicandum uerbũ suum direxit. libro 4. in Ecclesiasticum, cap. 5.

Apostolos ita distinguit Haymo: Apostolorum quatuor sunt genera. Primum, quod nec ab hominibus, nec per hominem, sed à Deo tantummodo: de quorum numero fuerunt Moses, Isaias, & duodecim Apostoli. 2. Quod à Deo est, sed per hominem, de quorum numero extitit Iosua, qui Deo uolente atque præcipiente per Mosen missus est. 3. Quod ab homine est tãtummodo, & non à Deo, cum fauore hominũ aliquis eligitur, non pro bona conuersatione neq; causa religionis. 4. Quoque genus est Apostolorum, quod neq; à Deo, neque per hominem fit: sed à semetipso tantũ constat, ut sunt pseudoprothæ & pseudoapostoli. In prologo super epistolam ad Romanos. Item: Apostoli ex præcepto Domini compellabantur trãsire de regno in regnum: Episcopi uerò suis in Ecclesijs authoritate canonica residere iubentur, ob utilitatẽ sibi commissorum. Super 13. caput prioris epist. ad Corinth.

De Prophetis & Apostolis inquit Rabanus: Per dispensationem filij Dei primùm Prophetæ, & postea Apostoli ad prædicandum uerbum Dei missi sunt. libro 3. de Sermonum proprietate, cap. 2. Itẽ: Christus per duodecim Apostolos quaternũ Euangeliũ, per quatuor orbis partes annunciãs, ad ętherna tabernacula oẽs sibi credentes inuitauit, dicens: Venite ad me oẽs qui laboratis, &c. Ibidẽ. Itẽ: Per duodecim Apostolos omnis turba fideliũ sacrę fidei doctrina potatur, & ad æternæ uitæ gaudia sancta prędicatione uocatur. ibidem. Item: Viri 12. ex duodecim tribub. Israelis siccis pedib. Iordanẽ transeuntes, duodecim lapides eleuãtes, pro signo ibidẽ posuerũt in testimoniũ sempiternum posteris suis. Hi duodecim Apostolorũ tenuêre figuram, qui in sacro baptismate officij sui trophæa fixerunt, & prædicationis suæ credentibus insignia reliquerunt.

Hi tan-

Hi tantum duodecim uiri ad prædicandum teſtimonium ſempiternum, id eſt Euangelium, regnum Dei, omnibus per orbem terrę nationibus miſſæ ſunt, qui etiam in ſancta Eccleſia omnibus credentibus ſunt miſsi in teſtimonium: quia quiſquis ad æternæ uitę gaudia peruenire uoluerit, eorum prædicationem & doctrinam in omnibus ſequi neceſſe eſt, quorumq; ſucceſſores nunc in ſancta Eccleſia ſunt omnes ueritatis prædicatores, adnunciantes & prædicãtes uerbum ſalutis æternæ in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Ibidem.

Vnde ſit miniſterium, Haymo docet: Sciendum quòd antequam Chriſtus aſcenderet, omnia parauit, quæcunque ad Eccleſiam conſtituendam cognouit neceſſaria: ſcilicet Apoſtolos inſtruxit doctrina Euangelica, quã in omni terra audire & cõuerti ſeminarent uolentibus. Super 131. Pſalm.

Rabanus: Poteſtas ſanctorum doctorum diſpenſatione Dei ordinata eſt, quib. & miniſterium honoris dedit, quando eos uice ſua generi humano ꝓpoſuit. Ipſi ſunt enim ſcribæ, de quibus ipſa ueritas in Euangelio ait: Similis eſt homini patrifamiliâs, q profert de theſauro ſuo noua & uetera. lib. 3. in Eccleſiaſticum cap. 1.

Qualis debeat eſſe miniſter uerbi, Rabanus docet: Conuenit ergo uiro diſciplinis Euangelicis erudito, ut humilitatem ante omnia impendat, in meditatione Scripturarum cautus lector exiſtat, fidem rectam teneat, modũ in ſcientia habere non negligat, ita ut charitatis regulam in ea per omnia ſeruandam eſſe ſciat, & ſic coram Deo placitus & coram hominib. erit probatus. Rabanus libro 7. in Eccleſiaſticũ cap. 7. Et: Decet doctorem catholicum loqui uerbum Dei cum omni fiducia, quaſi maiorem natu, non utique ætatis corporeæ prouectu, ſed ſobriæ mentis intellectu: & primùm hoc ſemper attendat, ut eius ſermo magis proficiat auditoribus ſuis ad eruditionem, quàm fautoribus propter eloquentiam ad inanem fauorem. Libro eodem cap. 9. Item: Doctor catholicus non ſolum in labore ſuo ſibi utilis eſt, dum quærendo & meditando lucem acquirit ſapientiæ: ſed etiam alijs profectuoſus, cum in doctrinis ſuis exhibet correctionem uitæ, & modeſtiam diſciplinæ. Libro eodem cap. 11. Et: Proinde rectores & miniſtri Eccleſiæ ritè ordinem ſuum teneant, & cum diſciplina ſubditos ſibi regant atq; cuſtodiant, ut dum bene miniſtrauerint, gradum ſibi bonum acquirant, & regnum æternum pro bonis meritis Chriſto tribuẽte, in fine uitæ ſuſcipiant. Ibidem. Et: Sancti doctores & ſpirituales medici animarum, ſemper opportunum tempus quærunt, quando infirmis animabus congruam poſsint adhibere medicinam, orationibusq; ſacris uirtum operibus inſtanter Dominum deprecantur, ut dirigat opera eorum, & refrigerium præſtet his qui uariis uiciorum ægritudinibus laborauerunt. Libro 8 in Eccleſiaſticum cap. 14. Item: Qui tenet doctoris officium, & colere debet uomere Euangelico corda hominum, gloriatur in iaculo diuinorum teſtimoniorum, ſeminat uerbum Dei ſtimulo exhortationis, agitat brutos, quatenus non ſegniter uiuant, ſed fortiter in bonis operibus conuerſentur. Superbos quoſque prędicationis ſermone caſtigat, & diſciplina Euangelica domat: ut non uacent otio, ſed carnem ſuam macerantes, & deſideria carnalia in ſe mortificantes, & uicia omnia à ſe extirpare feſtinent, & uirtutes ſpirituales pro eis plantare certent. Libro eodẽ, capite 15. Et: Predicatores ſancti omni tempore aut docendo, aut exhortando, aut bona exempla oſtendẽdo, auditores ſuos inſtituunt, quatenus interioris hominis uirtutem eliciant, & ad conditoris ſui imaginem animam humanam reforment. Libro eodẽ, cap. 16.

Audiendos eſſe Doctores, Rabanus monet, inquiens: Mẽſa magna eſt copia Scripturarum diuinarum, ſemper quam ſedẽtes nõ debemus eſſe procaces, ut aliquid inde indignè ſine doctore & ſine prẽuio rapiamus: ſed magis tritam uiam ſanctorum doctorũ ſequentes, eorum diſciplinis inſtructi, regulam uirtutis teneamus, ne aliqua ſcrupoloſitate permoti, dubia & incerta aliqua ibi eſſe putemus. Libro 7 in Eccleſiaſt. cap. 7. Et: Vir ſenſatus contemnitur, cum Doctor catholicus & præco ueritatis à ſtultis ſperni tur, & eius ſanæ doctrinæ præponitur ſecta humanæ philoſophiæ. Libro 6 in Eccleſiaſticum, cap. 5.

Alligati ſunt ad uerbum miniſtri, ut Rabanus exponit: Sancti doctores per quatuor Euangelia totum orbem illuminant. Libro 4 de Sermonũ proprietate, cap. 1. Item: Per uerbum prædicationis in toto orbe terrarum populum Dei ſpiritualiter genuerũt Apoſtoli. Ibidem.

De officio miniſtrorum inquit Haymo: Sancti doctores ſua prædicatione ad unitatem fidei, dilectionis, multitudinem fideliũ in Eccleſia nectunt, & in unum decorem redigunt. Super 4. Canticor. Item: Doctores ſancti quaſi mediatores ſunt inter Chriſtum & reliquos, quos inſtruunt, & quaſi Chriſtum corpori ſuo, id eſt, Eccleſiæ coniũgunt. Ibidem.

Rabanus inquit: Quomodo in Chriſti ſacerdotibus diſcreta debet eſſe pietas erga condignè pœnitẽtes: ita debet & fortis eſſe conſtantia

constantia contra superbos atque contumaces. Nec debet ulla terrena potestas terrere rectorem animarum, nec mollire secularibus blandimentis rigorem Christi pontificum, qui uicarij principis pastorum in Ecclesia Dei esse uidentur. Hoc & Apostolorum docet authoritas, qui mundum contra se insolescentem uerbo domabant: & sanctorum pontificum, qui eorum imitati sunt uirtutem, copiosa testantur exempla, ut Ambrosij, qui Theodosium Imperatorem: & Auiti, qui Gundobatum Burgundiorum ducem excommunicauit. Item Euangelica authoritas maximè hoc nobis commendat, ne terreamur minis, uel seducamur adulationibus hominum, quibus propio certamine promissum est regnum cœlorum. In epistola ad Humbertum Episcopum. Et: Nunc igitur quia diuina gratia dolum antiqui hostis patefecit, ac te fortiorem illo esse donauit, instanter uerbum Dei prædica, populum ab errore reuoca, & signi miraculum quod factum est in testimonium coram populo adhibe, ut omnes intelligant, quòd Iesus Christus Deus & Dominus est. In Epistola ad Reginharium corepiscopum. Item: Officium doctoris in Ecclesia est, ut auditores suos per recta doctrinam simul instruat, & per bona exempla. Libro tertio in Ecclesiasticum, capite decimo. Item: Verus prædicator uerbi Dei sæpius malorum afficitur contumelia, quia ab æquitatis nullo modo uult discere regula. Hoc enim distat inter hæreticum & catholicum, quòd ille appetit laudem humanam, iste gloriam diuinam, Ille quærit prospera mũdi, iste non pertimescit pro Christo aduersa pati. Ille tendit ad portas mortis, iste ad gaudia regni cœlestis. Libro 5 in Ecclesiasticum, cap. 3. Et: Doctor Ecclesiasticus uerba Dei scribẽdo & docendo non solum sibi laborat, sed alijs: quia sibi laborat ꝑ æterna mercede & quiete, alijs autem pro uera salute, ac perpetua requie. libro 6. in Ecclesiasticum, cap. 2. Et: ille est ergo doctor Ecclesiasticus, qui lachrymas nõ risum mouet, qui corripit peccatores, qui nullum dicit esse beatũ uel felicem, nec præuenit sententiam iudicis sui, dicẽte Scriptura sancta: Ne beatum dicas quenquã homi- num ante mortem. lib. 4. cap. 6. in Hieremiam. Item: Condecet enim seruum Dei diligenter & cautè ea à magistris discere, quę ipse postmodum alijs prudenter & salubriter possit proferre. Ne fortè si ille prius piger & segnis sit ad meditãdum, postea alijs inueniatur inutilis ad docendum. libro 2 in Ecclesiasticum, cap. 13.

Angelomus ait: Doctores sancti & sacerdotes, instruendo, baptizando, Domini & sanguinis mysteria communicando, prima nobis Ecclesię præsentis limina pandũt. cap. 7. in lib. 3. Regum. Item: Alia debet esse doctrina qua rudes imbuũtur ad fidem, & alia qua iam perfecti instruuntur ad scientię plenitudinem. in 12. caput libri 4. Regum.

Remigius inquit: Sicut per plateas incedimus, sic prælatorũ uita moribus ad imitandum est exemplar. In 54. Psalmum.

Concilium Aquisgranense: Sacerdotes pro populorum iniquitate damnãtur, si eos aut ignorantes non erudiãt, aut peccatores non arguant. cap. 36. Concilij Aquisgranensis sub Ludouico Pio.

Quomodo sit arguendum, monet Rabanus: Ante omnia considerandũ est, ut sic cẽsura disciplinę tẽperetur, ne per immoderationẽ correptionis peccati cumulus augeatur. In epistola ad Humbertum episcopum.

Angelomus ait: Ex hac sententia (scilicet Iata Heli.) discant sacerdotes, quòd non debeant propter ullos humanos fauores aut cõmoda terrena, ijs quibus præsunt, in peccatis quibus peccant in Deum, non solum assentire & blãdiri: sed nec lenitate aut mansuetudine, imò dura ac seuera increpatione corrigere & emendare, ne si tacuerint peccata filiorum, id est, scelera populorũ, ipsi pereant qui correcti non fuerant: & qui præsunt, pariter cum eis puniantur. Qui quamuis sancti sint, culpa tamẽ subditorum propter silentium & molliciem inuectionis, si non coherceant, eis reputabitur. E regione nãq; si iuxta modũ culpę, dum inuectione increpare studuerint, & antidoto suæ prędicationis, uulnera peccatorũ curare non neglexerint, coronam æternę mercedis sciant se esse percepturos. Scriptum namq; est: Qui conuerti fecerit peccatorẽ ab errore uię suę, saluabit animã eius à morte, & operit multitudinẽ peccatorũ. in 2. caput libri 1. Regum.

De publica reprehẽsione ait Haymo: Ideo publicè Petrum redarguit Paulus, quia ipse publicè peccauit, ut & eius correctione cæteri corroborarẽtur in fide. Publica culpa. n. publica eget castigatione corã omnib. ut in Canonib. habetur. Super 2 caput ad Galat.

In pace Ecclesię & exorientibus hæresibus, quomodo fidelis prædicator se gerere debeat, docet Angelomus in 13 cap. lib. 1. Regum. In pace Ecclesiæ prælules eius seu sacerdotes, simplici prędicatione, populũ sibi creditum, fide informantes, non alta de Deo, neq; incaptabilia illis proponũt: sed ut simpliciter credãt, in Patrẽ & Filiũ & Spiritum sanctum, essentialiter unũ & uerũ Deũ, trinum uerò personaliter. Si aũt quicũq; hæreticus Sabellianę partis assertor dicat: quia in Deum sicut una Deitas, ita & una persona credenda est, non tres, id est ut ipse credatur

datur pater, qui & filius: & ipse filius, qui & pater, sicut Sabellius impius prædicabat. Quid tunc agendum erit uiris Ecclesiasticis, nisi ut & ipsa sacra Scriptura contra huiusmodi assertorem probare queant, quomodo Deus omnipotens unus sit in natura, trinus uerò in personis. Rursum tempore quieto, nil amplius doctoribus Ecclesiæ catholicæ plebibus quibus præsunt, prædicare conuenit, quàm ut credát Patrẽ & filium & Spiritum sanctũ unius substantię ac Deitatis. Filium uerò non aliunde, quam de patris substantia genitum sine initio, ac per omnia patri similem & coæqualem. Spiritũ uerò sanctum, ex patre & filio procedentẽ, unius substãtiæ cum ijs à quibus procedit. Si uerò contra huiusmodi ueridicam prædicationem prouenerit, ut quispiam Arianæ partis assertor dicat, non ita est ut prædicatis: sed sicut tres personas in Deum confitemini, ita & tres substãtias in eum uobis credere oportet. Filium quoq; non de substantia patris substitisse, sed ex nihilo creatum: similiter & Spiritum sanctum non Deum, sed creaturam credere oportet. Quid contra huiusmodi impium prædicatorem, uir Ecclesiasticus facturus erit? nisi ut ex utroque testamento proferat documenta, atque uelut ferramenta acuat diuina testimonia, per quæ & illa quæ prædicat, defendere ualeat, & contradicentes refutare. Rursum tempore trãquillo nil amplius de Dei filio sacerdotibus Ecclesiæ prædicare conuenit, quàm ut credatur uerus Deus ex substantia patris sine tẽpore ineffabiliter natus, & uerus homo (pro nostra redemptione) de substantia matris temporaliter creatus, & natus gemina substantia, singulari uerò persona. Consubstantialem patri secundum diuinitatem, cõsubstantialem uerò matri iuxta humanitatem unum eundemq; in singularitate personæ. Contra quã fidem si econtrariò diuersi occurrant, unus uidelicet qui ita duas naturas in filio Dei cõfundat atq; permisceat, ut inter Deũ & hominẽ nullã esse differentiam astruat: sed hoc esse Deitatem, quod & humanitatẽ in eo, sicut & Euthitiani, & eorum similes hæretici defendere contendunt. Rursum alius ex aduerso prosiliat, qui sicut duas in eo naturas, ita & duas personas affirmare uelit, sicut Nestoriani. Iterũ tertius uel quartus occurrat, unus uidelicet qui eũdem filium Dei dicat in ueritate Deũ esse, hominẽ uerò in phãtasia fuisse, quemadmodum Manichęi & Priscillianistæ dicere ausi sunt. Alius autem qui illũ purum hominem fuisse absque Deo, contendat, sicut Fotiniani. Rursum alij atque alij existant, qui eum, hoc est, filium Dei, nihil de matre assumpsisse, nec eiusdem naturæ fuisse ex qua & nos sumus, sed nescio quã imaginariam carnem in mundo gestasse, & cæteri plurimi, quas omnes memorare, nimis prolixum est, & non necessarium: contra quos omnes hostes fidei, quid Ecclesiasticis uiris agendum est? nisi ut ex utroq; testamento diuersas sententias atq; testimonia, quasi uaria ferramenta liment, exactuant atque elucident, per quæ & ea quę credunt ac prędicant, defendere queant, & aduersarios suos, aut confodiẽdo sibi substernere, aut certè terrendo in fugam conuertere. Hoc quippe modo, & contra diuersas quęstiones, quę in Ecclesia, per contentionis uitium oriuntur, Dei sacerdotibus omni circunspectione agendum est. Et aduersus uarias hæreticorum nouitates, omni studio uigilandum, ne fides Ecclesiæ, uelut ædificij fundamentum per eorundem hæreticorum impetum, quasi impulsu uentorum labatur atque subruatur.

De refutatione aduersariorum inquit Rabanus: Cõtra expugnatores ueritatis firma authoritas tenẽda est, quia nullo modo his est cedendum, sed fortiter resistendum. lib. 3. in Ecclesiasticum, cap. 8.

De uita Doctorum inquit Haymo: Tunc prædicatur ministeriũ suũ honorificat, quãdo secundum illud quod prędicat, uiuere studet, ut quod prædicat ore, honoret & cõfirmet homo exẽplo bonisq; operibus. Super 11 caput ad Romanos.

Angelomus inquit: Quisquis diuino ministerio fungi appetit, necesse est, ut primũ castè cõtinenterq; uiuat, ac sic in bonis operibus semetipsum exerceat. In 2 caput libri 1 Regum Et: Virtutum operibus illi præcipuè, quibus fidelium cura commissa, & claues regni cœlorum sunt datæ, omni debent solertia insistere, ut quantum gradu prędemi nent cæteris, tantũ & merito præcellant bonæ actionis. lib. 6 in 3. librum Regum.

De dignitate ministrorũ inquit Haymo: Doctores Ecclesiæ & prædicatores in corpore, cui caput est Christus, summum locum tenent, & cœlestia ac spiritualia prę cæteris membris uident. Super 4. cap. Cantici canticorum.

De ordine inquit Rabanus: Ordo Ecclesiasticus hic est, ut doctores & prędicatores fideliũ sint apud eos in honore, & maximè illi qui timorem Dei coram oculis habere probantur. lib. 3. in Ecclesiasticum, cap. 3.

Sceleratos ministros à Deo puniri Haymo docet: Sunt quædam enormia flagitia, quæ potius per mundi iudices, quàm per antistites & rectores Ecclesiarum inducantur, sicut cum quis interficit pontificem Apostolicum, Episcopum siue presbyterorum siue diaconum. Huiusmodi reos reges & prin-

& principes mundi damnant. Super 13 ad Rom.

DE CRVCE.

QVòd homines sint expositi cruci, Idiota testatur, dicens: propria humanæ conditionis ratio est, mundi miserijs subiacere, & tribulationes sustinere: quia etiam oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam. Tribulationes namq; præsentes sunt tributum, ad quod soluendum natura est obligata: sunt onus, ad quod portandum est subiugata, sunt iugum ad quod trahendum est ordinata. Et idcirco debemus eos benigniter portare, & humiliter sustinere. cap. 15 de Vera patientia. Et: Sancti etiam in nouo Testamento, & præcipuè martyres, pro honore nominis tui Domine Iesu Christe, patientissimè sustinuerunt, & cum gaudio ac libenti animo receperunt. Multi deniq; alij quotidie moriuntur, qui mortē cum patientia suscipiunt, considerantes, quòd quicquid futurum est necessariò, hilari animo ferri debet. capite 8. de Morte. Et: Scripturæ in hoc seculo nihil aliud promittunt quàm tribulationes & angustias, pressuras & augmenta, dolorem & abundantiam tentationum: ad ista namque nos præparare oportet, ne imparati deficiamus. nam sine ferro aut flammis martyres esse possumus, si patientiam in animo ueraciter conseruemus. Capite 10 de Vera patientia.

Haymo inquit: Si qui uolūt fieri iusti, nō fugiāt passionem pro nomine Iesu Christi, cum opus fuerit. Super 17. Psalmū. Et: Nunquam est Ecclesia sine impugnatione diaboli & ministrorum eius. Super 139 Psalmum.

Rabanus inquit: Non est mirandum, si mundus odio habeat seruos Christi, qui ipsum Dominum antea oderat, & occidere tractabat. Magna gloria est famulorum, si ritè sequantur uestigia dominorum. Sufficit discipulo ut sit sicut magister eius, & seruus sicut dominus eius. In epistola ad Simonem magnum sacerdotem.

Angelomus: Adeò diligit Ecclesia Christum, ut non solum omnia contemnat pro ipso, aduersa scilicet & prospera mundi, uerùm etiam mori non formidet pro dilectione eius. In 1 cap. libri 1 Regum.

Remigius: Sicut mulier parturiens est in dolore, ita & Ecclesia in hoc seculo. In 52 Psalmum. Item: Nemo dicat, Fuit prius tribulatio, nunc non est. Si tribularis, non es Christianus. In 55 Psalmum.

De speciebus crucis, inquit Rabanus: Duo sunt martyrij genera, unum in aperta confessione, alterum in occulta animi uirtute. Nam multi hostis insidias diaboli tolerātes, & cunctis carnalibus desiderijs resistētes, pet hoc quòd se omnipotenti Deo in corde mactauerunt, etiam pacis tempore martyres facti sunt: qui etiam, si persecutionis tempus existeret, martyres fieri possent. lib. 4. de Sermonum proprietate, cap. 2.

De duplici martyrio inquit Haymo: Duo sunt martyrij genera in hoc mundo: unum scilicet apertum, quod fit in corpore sicut martyrizatus est Petrus, Paulus, & alij: alterū uerò occultū, quando sancti ab impijs opprobria, irrisiones & contumelias sustinēs. Libro 2 in Apocalypsin, cap. 6.

De causis calamitatum Idiota differit capite secundo, de Vera patiētia: Vita præsens laboribus & tribulationibus plena est. Nam cum luctu agitur, & cum lachrymis amittitur. Tanta igitur est tribulatio huius miseræ uitę, ut nec uita sit dicenda, sed potius mors, uel quippiam aliud morte deterius; cum uix aliquis pertranseat sine tribulatione uel unicum diem. Causa uerò seu occasio præcipua huius tribulationis, fuit peccatum primorum parentum. Quod si propter peccatum primorum parentum tribulamur, quanto magis tribulationes in nobis peccatoribus augēndæ sunt, qui quotidie peccamus, & innumerabilibus peccatis inuoluimur, & delictis? Et cap. 5. Scio quod post transgressionem parentū in hoc mundo miserabili diuersis tribulationibus affligimur, propter indictum necessitatis: nam passio tribulationis nobis indicta est post transgressionem mandati diuini. Propter exempli authoritatem, quia ut Dominus Iesus Christus alijque sancti tribulationes sunt passi, & per tribulationes cœlestē regnum ingressi, multo magis necesse est, ut nos qui continuè peccamus, tribulationes sustineamus. Tribulamur denique & affligimur propter præmij utilitatem. Scriptum est enim: Sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis.

Vnde sint afflictiones, docet Haymo: Tētationes & percussiones nūquam sine Dei permissione & uoluntate contingūt. Super 2 caput Ionæ.

Rabanus: Diabolo semper aduersus nos certamen est. Capite 4. de Modo patientiæ.

De causa Rabanus ait: Vbi Christus in causa est, non est uerendum odium praua-rum, sed amplectendum. Felix, qui cum Christo coadiunctus, odium sustinet mundi. Separat ergo se à corpore, qui non uult odium sustinere cum capite. Proinde sancti martyres pœnas cōtemnebāt persecutorū, ut suo corpori iungerētur in regno cœlorū. In epistola ad Simonē magnum sacerdotē.

De patiētia in cruce, inquit Rabanus: Patientes estote, & nolite amittere cōfidentiā uestrā: quæ si perseuerauerit, magnā à Deo habet remunerationē. In epistola ad episco-

pum quendam. Et: Possessio animæ in uirtute patientiæ ponitur, quia radix omnium, custosq; uirtutum patientia est. Sciendumque quòd trib. modis patiētia exerceri solet. Alia namq; sunt quę à Deo, alia quæ ab antiquo aduersario, alia quæ à proximo sustinemus. Lib. 1. in Ecclesiast. cap. 7.

De fine crucis inquit Idiota: Magnum signum amoris tui est Domine, correptio & immissio flagelli, sed homines desperatos & peruersos quolibet ire permittis, & in precipitium peccatorum incidere: quia quem diligis, castigas, & flagellas omnem filium quē recipis. Cap. 23 de amore diuino. Item: Omnipotens sempiterne Deus misericordiam tuam nobis immiseris tribuis incessanter, dum tribulationes & aduersitates super nos multiplicas, quæ nō ex odio procedūt, sed potius ex amore. Filium enim tuum dilectū, tribulationes multas & diuersas propter nos miseros peccatores sustinere uoluisti. Quod si igitur filius tuus nos filios adoptatos flagellat, non ex hoc se nobis ostēdit inimicum, sed potius uerum amicum, sicut dixit discipulis suis: Sicut dilexit me pater, & ego dilexi uos. Et paulo pòst: Peccatori uehementer irasceris ô Deus, dum permittis cuncta ei ad uotum succedere, & postea eum supplicia tolerare. Non enim est Christianæ dignitatis, his temporalibus exaltari, sed potius deprimi, cum mali nihil habeant in cœlo, & boni nihil in mundo. Cap. 1. de Vera patientia. Item: Deus temporaliter & paternè diuersis tribulationib. nos affligit. Temporaliter tribulat & affligit peccatorem, ut de commissis criminibus puniatur: sed paternè hoc agit, ut deuiantem reducat, & errantem corrigat, & de morte æterna eum eripiat, &c. Effectus igitur tribulationis, quamuis sit amarus, & toleratu difficilis, est tamen potentissimus ad sanandum, & ad diuinæ gratiæ subsidiū inueniendum. Dissoluit namq; per compūctionem, confortat & consolidat per spem & consolationem, corrodit carnem putridam, & extenuat per dolorem, roborat & conglutinat per sanitatis spiritualis instaurationem. Animam quoque à morte & corruptione inferni præseruat per uitę æternæ collationem. Capite sexto de Vera patientia. Et: Deus quos saluandos in perpetuum cernit, sub disciplinæ regimine astringit, & transitorio uerbere affligit, ut ita ad æternæ hæreditatis patriam præparētur obtinendam. Capite 11. de Vera patientia. Item: Flagello tuo pijssimo puluis excutitur, quem ad deformitatem animæ iniquitas assidua congessit, & exteriori uulnere sanatur plaga interior. Sic enim irasceris ut mansuescas, affligis ut parcas, prosternis ut erigas. Nam sicut in nobis passiones tuæ abundant, ita per te consolatio nostra abundat. Capite 18 de Vera patientia. Et: Palmites in uite purgantur, ut fructus plus afferant. Sic tu Domine Deus meus purgas in electis tuis peccata per afflictiones & flagella, ut fructus uirtutum & tuarum gratiarum plus adferant, quemadmodum apparuit in sanctis Iob, Thobia & multis alijs. Capite 21. de Vera patientia.

Haymo ait: Tribulationes Deus infert, ad purgationem & probationem, sed tandē nos ducet in refrigerium. Super 65 Psalmum. Item: Prosperitatibus elati nonnunquam Dei præceptis contraimus. Iterum autem afflictionibus attriti ad nosmetipsos reuertimur, & peccasse nos recognoscimus, & ad illius confugimus misericordiā, sub cuius protectione nobis bene fuisse recolimus. Super 2 caput Oseæ. Et: Non percutit Deus ut disperdat in perpetuum, sed ut emendet. crudelitas quippe Dei pœnitentię & pietatis occasio est. Super 11 caput Oseæ. Item: Omnis tribulatio in præsenti uidetur non esse gaudij, sed postea fructum pacatissimum exercitatis reddit iustitiæ. Super 7 caput Micheæ. Et: Zelatur Deus in salutem quos dignos habet, ut quos non seruat clementia, corrigat castigatio. Super 1 caput Nahum. Item: Quinque sunt modi specialiter, quib. à Dño flagellantur homines, aliquando ad augmentanda merita, sicut Iob & Thobias: aliquando ad custodiā uirtutum, ut Paulus: aliquando ut peccata prēterita corrigantur, sicut paralyticus, cui dicitur: Ecce sanus factus es, &c. aliquando non ut emendentur, sed duplici pereant perditione, ut Antiochus, Herodes. Aliquando ut Dei gloria per hoc ostendatur manifesta, ut Lazarus & cæcus natus. Sed electi quocūq; modo affligūtur, meliores efficiuntur ex flagello. Libro 2 in Apocalypsin ca. 3.

Remigius: Dum posteri incitantur bona fama priorum, semper Ecclesiæ adduntur pennæ, quibus uolet in altū, & quibus sub limiter exaltetur, & glorioſè prædicetur. In 67 Psalmum. Et: Gustata amaritudine magis desideratur dulcedo. Quanto magis tribulatio huius uitæ exacerbat pios, tāto magis desiderant uitam illam, ubi nulla persecutio. Si enim hic essent in lætitia semper, non tātopore desiderarēt. Et hæc est utilitas quam pressura in fidelibus operatur. Impij autem nulla persecutione occultè dānātur. in 9 Psal. Item: Viuit impius pio quàmdiu habet aurū, quod purgari possit. Vtilis est fornax, ut lima ferro. Ita impij locū habuerunt in Ecclesia, quamdiu sine offensa esse non potuit. Flagellum enim Dei fuerunt.

In 9.

In 9 Psalmum. Et: Solet Deus facere quod frequenter faciunt homines, qui colligunt qualecunq; sarmentum, & corrigunt inde filios, quibus correctis sarmentum mittunt in ignem, & filijs seruant hæreditatem: ita Deus per impios probat pios, & frequenter per temporalem potentiam damnãdorum, exercet disciplinam saluandorũ. In 73 Psal. Angelomus: Sic sic in hoc seculo electi pressuris tribulationũ coangustantur, ut his admoniti, arctius ad inuicẽ mutua charitate connectantur, & coadunati ad inuicem manu sui redemptoris in perpetuum cõseruentur. At uerò reprobi, quando latius in hac uita uoluptatibus proprijs, uelut libri dimittuntur, tanto longius in futuro à diuinæ uisionis gloria proijciuntur, ut de eis meritò dicatur, Et quidem ipsi de manu tua expulsi sunt. In 25 cap. libri primi Regum.

Quare patienter ferenda tribulatio, exponit Idiota cap. 3 de Vera patientia. 1. Quia tribulationes adducunt tribulatum patientem ad consolationem perpetuam. 2. Per tribulatiões augetur gratia Dei in nobis, quia Deus facit cum tentatione prouentũ, id est, uirtutis augmentum. 3. Patienter sustinendo calamitates, ipsum imitamur, cui assimilari gloria magna est: sicut scribitur, Magna gloria est sequi Dominum. 4. Tribulatio est mẽtis medicina, ideo qui infirmus est mente, gaudere debet, quando datur ei tribulatio, tanquam magnam spem habeat salutis recuperandæ, cum talis medicus, qualis est Deus, sanitatem illius procuret. 5. Tribulationes debita nostra soluunt. 6. Tribulatio inducit odium præsentis uitæ. 7. Misericordia tua Deus, electis tuis iter asperum præbet, ne delectati in uia, obliuiscantur quæ sunt in patria. Et cap. 4 Tribulatio opera uiciorum impedit, & uirtutũ opera iuuat, ostendit salutem æternam: quia si compatimur, conregnabimus. Excitat cor hominis ad deuotionem. Item: Deus est patiens erga nos peccatores, super peccatis & iniquitatibus nostris: multo magis nos debemus esse patientes in tribulationibus, quas propter scelera & peccata nostra quotidie sustinemus. Cap. 7. de Vera patientia. Et: Licet Domine Deus meus sæpe exterius appareas durus per iusticiam & correptionem, tamen interius es ualde mitis & pius per cõpassionem & benignissimam intentionẽ. Ideò tuam tribulationem patienter sustinere debemus, cũ certi simus, quòd propter bonum nostrum tribulationẽ illam frequẽter infligis. Cum autem tribulamur, occasionem patientiæ nobis donas, eo quòd tribulationes parum durare soleant, & citò deficere ac cessare. Cap. 8. de Vera patiẽtia. Item: Tribulatio probationem operatur & ducit ad gloriam. Gloria igitur est in tribulatione, in qua est spes gloriæ. Quinimò in tribulatione gloria cõtinetur, sicut spes fructus in semine. Illud enim tribulationis nostræ, quod in præsenti momentaneum est & leue, in æterna gloria magna gratiarum pondus operatur in nobis. Nullus enim sanctorũ coronatus est sine flagello uel certamine. Cap. 9. de Vera patientia. Et: Ab incunabulis Ecclesiæ non deficit premens iniquitas, & iusticia patiens. Nec omnes qui patiuntur sunt principes patientię sed qui: passione rectè utuntur, ij patientiæ munere coronantur. cap. 10. de Vera patiẽtia. Item: Nihil proficiet inimicus diabolus in eo quẽ tribulatio comprehendit, dum tamen per impatientiam non deijciatur: sed potius ualidiusimè in Deo confortetur, & de sua tribulatione & aduersitate gaudeat & lætetur. cap. 11. Item: Non cum nescio, sed cum sentio te iratum, tunc maximè confido te esse propitium: quia cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Damnandis & reprobris tribulatio parit pusillanimitatẽ, pusillanimitas perturbationem, perturbatio desperationem, quæ interimit. Cap. 20. de Vera patientia.

Haymo inquit: Scitote quia non consurget duplex tribulatio, nec bis iudicabuntur: quia in illis quos præsens tribulatio affligit, futuram damnationem consurgere non finit. Et peccatoribus idcirco Deus ad præsens infert supplicia, ne in æternum pereant. Super 1 cap. Nahum. Item: Permittit Deus, malis, & facultatẽ illis dat, ut possint sæuire contra Ecclesiam, quatenus per illorum malitiam Ecclesia probetur, & illi grauius puniantur. Nouit enim Dominus malis hominum bona quædam facere, sed ipsam persecutionẽ in sua potestate habet, ut non tantum sæuiant, quantum uolunt. Quo enim acerbius Ecclesia concutitur, eò maiorem uirtutẽ odorem ex se emittit. Super 4 cap. Cant.

Rabanus ait: Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius cõsolationis sine cuius nutu nec passer super terrã cadet: quanto magis homo quem ad gloriam, ad imaginem suã ipse creauit, qui electos suos in prę senti seculo ita diligere consueuit, ut quos suo dignos amore duxerit, paterno uerbere castigare non cesset. Flagellat enim & sanat, uulnerat & medetur, ut ab omni labe mundanæ contagionis pijs correptionib. emundatos, suis conspectibus in æterna luce dignos efficiat. Propterea patientes estote, & nolite amittere confidentiã uestram: quę si perseuerauerit, magnam à Deo habet remunerationem. Nihil enim, ut scriptum est in

terra sine causa fit:nec aliquid fieri non potest,quod non permiserit aut iusserit Deus. qui etsi,pro qua ipse scit causa, uestræ excellentiæ ad tempus flagellum iusto iudicio irrogauit,non tamen obliuiscetur patientiæ & humilitatis uestrę, nec misericordiæ & consolationis suę à uobis munus amouebit:sed ideo momentaneá uos humiliationem subire patitur,ut absterſa labe quę oculos suæ maiestatis fortè offenderat,non solum pristinis honoribus cum fauore principis gloriosius extollat,uerùm etiam æterna beatitudine uestrã sanctitatẽ dignã efficiat. In epistola ad episcopum quendam.

Remigius ait: Tolerãda sunt flagella corripientis,ut non sit tandem sententia punientis.in 65 Psalmum.

De diuersis finibus crucis, inquit Idiota: Aliquos Deus affligit & tribulat ut probet, sicut Tobiam & Iob.Alios, ut flagellia resipiscant,ut Nabuchodonosor. Alios ut post flagella magis indurati persistant,sicut Pharaonem. Alios, ut tu glorificeris:ut in cæconato.Alios,ut desperati moriãtur: ut hic incipientes infernum suum, de tormento in tormentum transeant. sicut legitur de Antiocho,qui post acerbas afflictiones in doloribus mortuus est,& damnatus.capite 15.de Vera patientia.

Rabanus ait:Sciendum est,omnes homines triplici ratione tentari, plerunq; ob probationem, nonnunquam uerò ob emendationem, interdum ob merita delictorũ.lib. 14.in 64 caput Hieremiæ.

Deus nos sustentat & liberat.Remigius: Solent aues quædam,ut aquila,pullos suos scapulis portare,& sic circumducere,donec discant uolare, ne cum primitùs uolare inceperint,casum patiãtur:ita Dominus,dum infirmi sumus, portat nos donec nos perficiat,ne si nos dimiserit,casum pro imperfectione patiamur.in 90 Psalm.Item:Duobus modis Deus liberat fideles, apertè & occultè.in 68 Psalmum.

Cur puniat Deus,Haymo declarat:Deus ad hoc uindictam suam facit,ut retrahat hominem à peccato.Super 28 Psalmum.

De pœnis ait Angelomus:Iusticia diuina, quæ singulis reddit secũdum opera sua,punit peccata hominum aliquando manifesta ultione,aliquando occulto iudicio, uindicat per reges & duces,uindicat per Prophetas & sacerdotes, cum alios nocentes facit cõplecti mucrone,alios trãsuerberat gladio linguæ.in 19 cap.lib.3.Regum.

Cur non statim Deus puniat,Haymo docet: Ne desperet peccator magnitudine uitiorum,benignitas, & misericordia Dñi illi pollicetur:quia peccãtes non punit statim, sed pœnitẽtię dat locũ. Super 2 Ioelis caput.

De tẽtatione quòd malis bene est, sic inquit Remigius:Solent minus eruditi,id est minus perfecti in corpore Christi, quod est Ecclesia, peruersè cogitare,tacitè dolere,in uocem etiã aliquãdo murmurãdo prorumpere,uidentes florem malorũ, & laborẽ bonorũ:illos regnare,istos seruire:illos exaltari,istos deprimi:illos abundare,istos egere. & dicunt se fruſtra credidisse, & sic incitantur ad malitiam eorũ.uel si non audent propter infirmitatem,quia timent humanũ iudicium,licet seruent manus innoxias,mentem tamen coinquinãt:& inter cæteras iniquas cogitationes habẽt caput iniquarũ cogitationum,dicentes, quòd Deus auerterit oculos suos à fidelib. uel dicũt, quòd Deus non curet gubernare hæc infima.uel dicunt, eum æqualiter diligere bonos & malos:uel quod peius est,bonos insectari,malis fauere.& cum sic murmurant,nulli damnum faciunt, si tantum maximum malum inferunt,quia non habent ueram innocentiam.Vera enim innocentia est,quæ nec sibi nec alteri obest.in 93 Psalmum.

DE SCANDALO.

RAbanus ait: Duplicia peccata ille alligat,qui non solum semetipsum à peccatis non cohibet,sed etiam alijs ad peccandum consentiendo fauet : cui in uno reatu satis esset,etiamsi in altero se non implicaret.Libro 2.in Ecclesiasticum,cap.6.

DE MIRACVLIS.

REmigius ait:Multa miracula filius Dei operatus est & per se , & per suos, occultè & manifestè. Occultè,faciendo de impio pium,de persecutore discipulum.Manifestè uerò,infirmos sanando, mortuos resuscitando:quod minus est,quàm quod occultè. Maius est enim animã resuscitare quàm corpus.Maius enim fuit Paulum persecutorem conuertere , quàm Lazarum de monumento resuscitare.unde Dominus: Qui credit in me,opera quæ ego facio , & ipse faciet,& maiora his faciet. In 9 Psalmum.

DE DIABOLICIS *miraculis.*

DE Ægyptiacis Magis Raban.inquit: Non ergo fuerũt creatores draconũ, nec Magi Mosi resistentes:nec angeli mali, quibus ministris illa operabantur. Insunt enim rebus corporeis per omnia elementa mũdi,quædã occultæ seminariæ rationes, quibus cum data fuerit opportunitas tẽporalis atq, causalis,prorumpũt in species debitas suis modis & finibus. & sic nõ dicũtur angeli,

angeli,qui ista faciũt,animaliũ creatores: sicut nec agricolæ,segetũ uel arborũ, uel quorũcunq; in terra gignentiũ creatores dicẽdi sunt,quãuis nouerint præbere quasdã uisibiles opportunitates & causas,ut illa nascãtur.quod aũt isti faciunt uisibiliter, hoc illi inuisibiliter. Deus uerò solus unus creator est,qui causas ipsas &rationes seminarias rebus inseruit.In epistola ad Bonosum. Item: Quod uerò non solũ quædã dæmones futura prædicũt, uerumetiã quædã mira faciũt, pro ipsa utique sui corporis excellentia,cur non contemnatur à prudentibus,cũ pleriq; iniqui ac perditi homines ita exerceant corpora sua,tantaq; diuersis artibus possint, ut hæc qui ea nesciũt, nec aliquãdo uiderũt,etiã narrata uix credãt.Quàm multa funãbuli,cæteriq; theatri artifices? quàm multa opifices,maximeq; mechanici mirãda fecerũt? Nũ ideo meliores sunt bonis,&c. Et paulo pòst:Cũ sint prauitate uoluntatis dæmones maximæq; superbię fastu & inuidiętię mali tia spiritus immundi,atq; peruersi, quantũ aũt ualeat aeris elementum,quo eorum corpora prævalẽt ad multa uisibilia inuisibiliter molienda,mouenda mutanda,atq; uertenda,longum nunc est demonstrare. Ibid.

DE TRADITIONIBVS.

DE adiaphoris, inquit Haymo : Sunt quædam quę non essent necessaria ad faciendum,nisi uouerentur: sicut abstinere ab uxore,à carne.Et ideo sunt alliciendi homines,ut uoueant.super 75 Psalmum.

Clerus Rauẽnatẽsis in epistola ad Carolũ iuniorẽ ꝓbat, uestitũ esse rem adiaphoricã.

DE CONIVGIO.

RAbanus inquit:Matrimoniũ est,nubiliũ iusta conuentio & cõditio. Coniugiũ est,legitimarũ personarũ inter se coeundi & copulãdi nuptiæ.Tribus aũt de causis ducitur uxor.Prima est prolis, de qua legitur in Genesi:Et benedixit eis dicens, crescite,&c.Secũda causa adiutorij,de qua in Genesi dicitur:Non est bonũ hominẽ esse solũ. Tertia causa incontinentiæ,unde dicit Apostolus:Qui se non cõtinet,nubat. libro 7.de Sermonum proprietate,cap.5.

De gradibus,inquit Rabanus: Quod aũt proximis temporibus Romanorum pontificum scripta continent,usq; ad sextam uel septimam generationẽ coniungij usum deserẽdũ,magis ex cõsuetudine humana quàm ex lege diuina hoc eos præcepisse credendũ est.Et paulo pòst: Scimus enim quòd qui in lege cognationis ius obseruare constituit, ipse in Euãgelio fœdus cõiugij nõ dissoluẽdum præcepit,ita sanè,ut si quis dimitteret uxorẽ,excepta causa fornicationis, faceret eam mœchari.sic & Apostolus eandẽ rationem sequẽs,in epistola sua iussit mulierem à uiro non discedere.Si enim ubicunq; aliquid proximitatis uel consanguinitatis, licet longinquæ , inter coniugatos inueniri potest,statim matrimoniũ dissoluitur: uere or quòd adulterium & fornicationis scelus multiplicetur. Quòd cum coniugato adolescenti uel iuueni societas compatis suæ denegatur, nec aliquid ei solatij impenditur,unde continentiam seruare possit,libidine inflammatus per diaboli instigationẽ, multiplici fornicatione forsan polluitur, ac sic in pręcipitium mortis æternæ anima demergitur.Vnde Apostolus huiuscemodi uitium amputare uolens,scripsit: Bonum est mulierem nõ tangere,propter fornicationẽ autem unusquisq; uxorem suam habeat, &c.His ergo omnibus cõsideratis, bonum mihi uidetur,ut legis diuinæ cõstitutio inuiolata seruetur.Tandẽ cõcludit:Reor magis sequendum,ut post quintã generationẽ iam licitũ coniugiũ fiat,quia,nec lex diuina cõtradicit,nec etiam sanctorũ patrum dicta hoc prohibent.Si aũt & in quinta ab inscijs copula fuerit peracta, melius mihi uidetur ut cum pœnitentiæ humiliatione, si se uxoratus cõtinere nõ uult,Deo satisfaciat: & tamẽ ei prædicetur quàm bonũ sit,ut ab huiuscemodi copula se abstineat si fortè det illi Deus pœnitẽtiam,& resipiscat à diaboli laqueis.In epist.ad Hubertũ.Itẽ:Alij tertia uel quarta,alij quinta,alij sexta generatione legitimè fieri posse coniugia iudicabant:sed illud ibi præcipuè considerandũ est, quid lex diuina pręcipiat. Manifestũ est enim, quòd sacri canones ei anathema dicunt , qui de propria cognatione,uel quam cognatus habuit,duxerit uxorẽ:& ideo ibi summa cautela est habenda,ne fortè pro incæsti noxa, æterna damnatio sequatur. Et paulo pòst: Patet ex Cæsariensi cõcilio,quòd æquè malum est hoc,quòd mulier duobus fratribus nupserit:& illud, cum uir duas sorores duxerit,aut pater & filius si cum una muliere dormierint.In epistola ad Reginbaldũ chorepiscopum. Et:Verùm tamen si quis uoluerit se continere,usque ad quintam , uel sextam,uel etiam septimam generationem, non prohibendus est:sed magis hortandus, quòd quanto longior est à discrimine, tanto securior erit de internitiõe.Nam Apostolo testante,Honorabiles sunt nuptię & thorus immaculatus: ideo Christianum decet omnia honestè & secundum ordinem facere,&c. De his prohibitis gradibus sentiat quisq; quòd uelit,ita tamẽ ut discretionem in iudicio,& ueritatem conseruet in facto. In epistola ad Bonosum abbatem.

Item in Concilio Moguntiaco:In quarta generatione nullus amplius coniugio copuletur , & si post interdictum factum

inuentũ fuerit,ſeparetur.Canone 54. Et: Si quis uxorẽ uiduam duxerit, & poſtea cum filiaſtra ſua fornicatus fuerit, ſeu duabus ſororibus nupſerit,aut ſi qua duobus fratrib. nupſerit,ſeu cum patre & filio,tales copulationes anathematizari & diſtingui præcipimus,nec unquam amplius coniugio copulari.Cano.56.Et:Si quis cum nouerca ſua dormiret,nec ille nec illa poſſunt ad coniugiũ peruenire.Si quis cum filiaſtra ſua dormierit,ſimiliter ſentẽtia poteſt ſtare. Qui cũ duabus ſororibus dormierit, & una ex illis antea ei uxor fuerit, nullam uxorem poſtea habeat,nec illa ſoror habeat uirũ.Canon.63.

Contra polygamiam Angelomus ſcribit: Nunc reges ſi plures habeant uxores uel cõcubinas,in crimine reputatur:quia iam trãſierunt figuræ,pro quibus uxorum uel concubinarum uenia concedebatur. At nunc quia figuræ tranſierunt, uenia nulla datur. In 5.caput libri 3 Regum.

DE MAGISTRATIBVS.

DE officio Magiſtratuum inquit Rabanus:Nulli regum licuit diuina profanare mandata,ſed magis ſemper boni reges ſtuduerunt Regi regũ ſemetipſos ſubijcere, & eius præceptis obedire.Vnde etiam ſuperiores effecti ſunt omnibus inimicis ſuis. In epiſtola ad Brunuuardum abbatem.

Remegius ait:Antiqui iudices in porta iudicabant ad terrorem ut ingredientes & egredientes,mali pœnã cernerent boni præmium.In 9 Pſalmum.Item:Principes maiori potentia ſubdi debent Deo, quàm ſubditi: quia maioruis Domini apparuit in conuerſione regum,quàm in conuerſione pauperum.In 88 Pſalmum.

Quatenus Magiſtratui non obtemperandum,Rabanus monet:Si aliquis mihi oppoſuerit dicẽs, Regalis mihi poteſtas hoc iuſſit,ut ſacerdoti non obedirem,uec ullam rationem miniſterij mei coram eo facerem. Huic S.Petri ſentẽtia reſpondebo: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. In epiſtola ad Brunuuardum abbatem.

DE MORTE.

QVid ſit mors,Idiota exponit:Mors nihil aliud eſt, quàm finis & defectus uitæ,quando ſcilicet anima definit corpus uiuificare. Mors namque non eſt aliquid poſitiuum, ſed priuatiuum. Tu enim mortẽ nõ feciſti Domine,nec lætaris in perditione uiuorum. Verùm ſicut cætera omnia quæ ſunt hic naturaliter(quod ſit contrarietate quatuor elementorũ) corruptioni obnoxia ſunt,ut patet in animalibus, arboribus & fructibus:ita nos quoq; qui elementis contrarijs conſtamus,ideo uarietati & mutabilitati ſubiecti ſumus.Hinc eſt, quòd neceſſe eſt omnes homines per mortẽ corrumpi deficere,& multiplici ſubiacere miſeriæ,cap.1.de Morte.

Rabanus:inquit,Mors non ſolum carnis obitum,ſed etiam interitum animæ & damnationem inferni ſignificat.libro 7. de Sermonum proprietate.

Diſtinguit mortẽ Idiota:Triplex eſt uita, cui triplex mors opponitur.Scilicet uita naturę,cui opponitur mors corporalis,quæ nihil aliud eſt quàm animationis ceſſatio, & receſſus animę à corpore.Vita gratię cui opponitur mors ſpiritualis,quæ eſt peccatum mortale,p quod anima priuatur gratia,quæ eſt uita eius.Eſt etiã uita gloriæ,cui opponitur mors gehẽnæ ſeu inferni,quæ eſt principalis carẽtia diuinę uiſionis,quã comitatur in adultis pœna ſenſualis & animæ tormentũ.cap.15.de Morte.Itẽ:Mors criminalis nihil aliud eſt quam mors peccati,quæ animã occidit & hominem peccatorem mortuum reddit.cap.16.

Haymo:Noſtra mors dupla eſt,quia in anima morimur per peccatũ, & in corpore per pœnã Chriſti aũt mors ſimpla tantũ fuit,quæ in corpore tantũ mori potuit,in anima uerò nunquã mortẽ admiſit, quia nunquã peccauit.ſuper 2 cap.Ionæ. Itẽ: In ſacra Scriptura tres mortes ſæpe ponuntur,una ſcilicet peccati,altera carnis,tertia uerò ſuppliciũ æternæ damnationis. lib.1 in Apocalypſin,cap. 2.Et:Duæ mortes ſunt,corporis & animæ. Mors corporis eſt exhalatio & trãſitio animæ.Mors animæ eſt peccatũ & perpetratio ſceleris,ſicut dicitur in lege:Anima quę peccauerit,ipſa moritur.lib.2 in Eſaiam.

Rabanus:Duę ſunt mortes,una corporis, quæ omnibus hominibus eſt communis: alia animæ,quę peccatoribus ſolũmodo eſt ſpecialis.una in preſenti ſeculo terminatur, altera aũt in æternũ non finietur.lib.5 in Eccleſiaſt.cap.5.Itẽ: Tolerabilius eſt mortẽ ſubire temporalẽ,quàm æternã in gehenna pro peccatis ſuſtinere cõbuſtionẽ.lib.6.in Eccleſiaſt.cap.5.Et:Tria ſunt genera mortis: acerba,immatura & naturalis. Acerba infantũ, immatura iuuenum,merita naturalis ſenũ. lib.7 de Sermonum proprietate, cap.6.

Vnde ſit mors,Idiota docet: In Adam, id eſt,in peccato Adã omnes moriuntur.cap.2 de Morte. Item:Statutum eſt hominibus propter peccatũ primorum parẽtum ſemel mori.Mortis autẽ modus eſt ſubitus & imperceptibilis,nihilq; certius eſt morte:hora aũt mortis,& loco,ac modo nihil incertius. cap.3.Itẽ:Cum magna patientia mors expectanda eſt, quia propter peccatum debetur nobis.cap.8.Et:Mors eſt omniũ pœna,omnium tributum,omnium carcer,omniũ domina,omnium receptaculum, & eſt finalis repoſitio omniũ mortaliũ. cap.13.de Morte.

Haymo:

Haymo: Interitus totius generis humani fit propter inobedientiam primi hominis. In 1 Psalmum.

Rabanus ait: Cogita quòd per inuidiam diaboli mors introiuit in totum orbem terrarũ, imitantur aũt eũ q̃ sunt ex parte ipsius. In epistola ad abbatẽ quendam. Et: Mortis sentẽtia propter peccatũ data est hominib. lib. 8. in Eccleſiast. cap. 15. Itẽ: Primus homo uetitæ arboris pomũ mordẽs, mortem incidit lib. 7. de Sermonum proprietate, cap. 6.

Omnibus esse moriendum, Idiota monet: Omnes homines uadunt ad mortẽ, & subter terram manent, & nullus inde reuertitur super terram. cap. 2. de Morte.

Rabanus: Mors ab Adam ducta omnibus filijs eius dominatur, manet illud priuilegiũ in Domino, quod de eo specialiter dicitur, Non dabis sanctũ tuũ uidere corruptionem. lib. 4. de Sermonũ proprietate, cap. 10.

De fine bonę mortis inquit Idiota: Lucrũ est mori. Per bonã mortẽ enim cõmutat homo in securitatẽ timorẽ, per bonã mortem euadit omne periculum amittẽdi gratiam tuã. Item: Laborẽ in tranquillitatem, inopiã in ſocietatẽ, triſticiã in iucunditatẽ. Melius est ergo cõmutare ſtatum bene moriendo, & tranſire ſtatim ad locum, ubi propter ſublimitatem & æquitatem iudicis nihil erat confuſum, nihilq; turbulentum, aut quod poſsit aliquam triſticiã ingerere, quam esse diutius in hoc mũdo. cap. 6 & 7. de Morte.

Rabanus inquit: Bonum est cultoribus Chriſti iudicium mortis præſentis, quoniã per ipſum tranſeunt ad uitam ętternam. lib. 9. in Eccleſiaſt. cap. 2.

De conſideratione mortis, inquit Idiota: Aſsidua memoria mortis prodest ad hominis humiliationẽ. Vnde antiqui uolentes ſe humiliare, ponebãt cineres ſuper capita ſua, in memoriã mortis: & qd̃ in cinerẽ redigẽtur, prodest ad fugiẽda peccata. Itẽ ad deprimẽda carnalia deſideria, & ad abigendas tẽtationes uarias & diuerſas quę ſeparãt animã à Deo: prodeſt etiã ad erogationẽ eleemoſynarũ, & ad prouocandũ & inducendũ peccatorẽ ad uerã pœnitẽtiã. cap. 4. de Morte. Itẽ: Cõſideratio mortis bonorũ est utilis ad noſtram animationẽ, quia boni qui mortui ſunt, in te ſperauerũt, & cõtra hoſtes animæ fortiter dimicarunt: & ideo taliũ exempla nos ad ſimilia animare debent, & ſimilibus de cauſis conſolari. Cõſideratio mortis malorum est ad noſtram cautionem, ut deſiſtamus à cõcupiſcentijs, ne ut & illi, præoccupemur uinculis mortis. cap. 5. de Morte.

Cõſolationẽ in morte ſuppeditat Idiota dicẽs: Mors nõ est timenda uiro iuſto, tũ qa certa est & neceſſaria, tũ qa utilis ẽ & meritoria, tũ qa breuis & trãſitoria. ca. 9. de Morte.

DE RESVRRECTIONE.

De duplici reſurrectione, Haymo inquit: Duæ reſurrectiones ſunt à Domino prolatæ, & à nobis creditæ. Prima est quæ fit in anima & fide, quando homo qui mortuus est in infidelitate, in inobedientia, in iniuſticia, omnibusq; peccatis, uenit ad baptiſmum, & per fidem qua credit in Deum omnipotentem, & per gratiam baptiſmatis reſurgit ad fidem & obedientiam. Altera est generalis corporum, quæ erit in die iudicij. ſuper 2. caput epiſtolæ 2. ad Timotheum.

Quid reſurget, Haymo declarat: Cæterũm credendum est, carnem noſtram in reſurrectione abſque corruptione uel fragilitate mortis, in ueritate ſubſtantiæ esse reſurrecturam, iuxta illud quod Iob teſtatur dicens: Scio quòd redemptor meus uiuit. ſuper Euangelium feriæ tertiæ Paſchæ.

Qui reſurrecturi, Rabanus docet: In reſurrectione ex mortuis ſexus forma nõ mutabitur, ſed uir mortuus reſurget in forma uiri, & fœmina in forma fœminæ non carens ſexu, ſed tamen huius uitæ tantum cõditione ſpecie naturali, ne non ſit uera reſurrectio, ſi non id reſurgit quod cadit. libro 4. cap. 10. de Sermonum proprietate.

Quomodo ſit futura reſurrectio Haymo exponit: Tam uelox erit & celerrima reſurrectio electorum, ut illi qui in corpore uiuũ inuenti fuerint, & ſuper terram, non potuerint præuenire eos, obuiam eundo per aera Domino, qui in puluere terræ iacebant. ſuper 4. cap. 1. epiſtolæ ad Theſſalonicenſes.

Rabanus: Erit reſurrectio mortuorum hominũ, ſed una & ſemel: non prima iuſtorũ, & ſecunda peccatorũ, ut fabula ſomniatur, ſed una omniũ. Et ſi id reſurgere debet qd̃ cadit, caro ergo noſtra in ueritate reſurgit, ſi cut in ueritate cadit, & nõ ſecũdũ Origenẽ immutatio corporũ erit: id est, aliud nouũ corpus p̃ carne: ſed eadẽ caro corruptibilis tã iuſtorũ quã iniuſtorũ caro incorruptibilis reſurgit, ut uel pœnã ſufferre poſsit pro peccatis, uel in gloria æterna manere pro meritis. Omniũ enim hominũ erit reſurrectio. Si omniũ erit, ergo omnes moriũtur, ut mors ab Adam ducta omnib. filijs eius dominetur, & maneat illud priuilegium in Domino, quod de eo ſpecialiter dicitur: Nõ dabis ſanctũ tuũ uidere corruptionẽ. Hãc rationẽ maxima patrũ turba tradẽte ſuſcepimus: uerũ quia ſunt & alij æquè catholici & eruditi uiri, qui credunt animã in corpore manentẽ, immutãdos ad incorruptionẽ & immortalitatẽ eos, qui in aduẽtum Domini uiui inueniendi ſunt, & hoc eis reputari pro reſurrectione ex mortuis, quod mortalitatẽ immutatione deponant non morte. Quolibet

quis

quis acquieſcat,modò nõ eſt hæreticus,niſi contentione hæreticus fiat. Sufficit enim in Eccleſię lege,carnis reſurrectionẽ credere futurã de morte. Quod aũt dicimus in Symbolo,in aduentu Domini uiuos & mortuos iudicãdos,nõ iuſtos & peccatores iudicare,ſicut Diodorus ſignificare putat: ſed uiuos eos,qui in carne inueniendi ſunt,dicit,qui adhuc morituri credũtur, uel immutãdi,ſicut alij uolũt, ut reſuſcitati continuò uel reformati cũ antè mortuis iudicẽtur. Poſt reſurrectionẽ & iudiciũ non credamus reſtitutionẽ futurã,qua Origenes delirat ut dęmones uel impij homines poſt tormenta quaſi ſupplicijs expurgati, uel illi:in angelicã redeãt qua creati ſunt dignitatẽ, uel iſti iuſtorũ ſocietate donẽtur,eo quòd hoc diuinę cõueniat pietati,ne quid ex rationalib. pereat creaturis,ſed quolibet modo ſaluentur. Sed nos credamus ipſi iudici omnium & retributori iuſto,qui dixit: Ibunt impij in ſupplicium æternum,iuſti autem in uitam æternam,ut percipiant fructum operũ ſuorum. lib.4.cap.10.de Sermonum proprietate.

De differentia eorũ qui reſurgent, inquit Haymo: Sit certiſsima ſpes omnib. nobis, quia uera reſurrectio carnis,quę pręceſsit in Chriſto,ſequetur in nobis. Caro iſta omniũ hominũ mortuorũ,ſiue fideliũ,ſiue infideliũm,reſurget in fine,ſed caro infideliũ reſurget ad pœnã. ſup Euãgeliũ in octaua Paſchę.

Remigius ait: Reſurgẽtiũ alij ſurgũt ad iudiciũ,alij nõ reſurgũt ad iudiciũ. Qui reſurgũt ad iudiciũ, aut iudicabũtur ad ſalutẽ,iã purgati in purgatorijs: aut ad dãnationẽ,ut illi quorũ ꝓditio nõ eſt in hac uita manifeſta. Reſurgentiũ nõ in iudiciũ,alij nõ iudicabũtur,qa iudicabũt alios,ut ſancti Apoſtoli, & alij perfecti in Eccleſia: alij nõ iudicabuntur,quia iam euidẽter damnati ſunt,nõ ſolũ apud Deũ,ſed apud eccleſiã, ut gentiles: Iudæi,& hæretici,& illi qui in criminalib. peccatis ptæſentem uitam ſine confeſsione & digna pœnitentia finiunt,licet ignoretur ab eccleſia. in Pſalmum 1.

De fine reſurrectionis Haymo inquit: Sicut minima gutta aquæ in ignẽ ualidũ proiecta abſorbetur, ita ut non ultrà uideatur: ſic mors abſorbebitur & deglutietur in uictoria & uirtute reſurrectionis, & ultra iam nõ ſentietur. ſuper 15.cap.1.epiſt. ad Corint.

DE EXTREMO IVDICIO.

IVdicium uocatur dies: quia ibi erunt omnia manifeſta,quaſi in die. Haymo ſuper 39.Pſalmum.

Rabanus inquit: In breui præſens uita finietur, & citò ante tribunal Chriſti ſtabimus,rationẽ reddituri de omnibus actibus & iudicijs noſtris. In epiſtola ad Humbertũ epiſcopum. Itẽ: Scio in quibus anguſtijs uerſamur,& ſub quibus periculis in hoc mundo conſtituti ſumus,ita ut quotidie periclitemur,& imparati ad tribunal iuſtiſsimi iudicis hinc rapiamur, ut ibi recipiat unuſquiſq; propria corporis,prout geſsit,ſiue bonum ſiue malum. In epiſtola ad Orgarium archiepiſcopum.

Qui ſint iudicandi, Haymo docet: Impij infideles,ut Iudæi & gentiles, & qui ab eccleſia expulſi ſunt, non in ſecunda reſurrectione iudicabuntur, quia hic iam iudicati ſunt. Illi uerò qui in eccleſia exiſtẽtes à præſenti uita recedũt,de quorum operib. an bona an mala ſint,incertum eſt, iudicabuntur, quidã ad uitã,quidam ad mortẽ. Illi uerò de quorũ ſanctitate in Eccleſia certũ eſt,nõ iudicabuntur,quia iã in hac uita ad uitã ab Eccleſia ducti,iudicati ſunt: ſed iudicabũt,non tamẽ omnes,ſed illi qui Apoſtolorum uicẽ obtinent,ut epiſcopi & huiuſmodi. ſuper 1 Pſalmum. Item. Illi ueniẽt cũ Chriſto in gloria ad iudiciũ,qui mortui ſunt ante eius aduentum, & poſtea in fide paſsionis eius,& qui ſigno crucis ſunt muniti, atq; ſacramento corporis & ſanguinis eius die mortis muniti,credentes ſuam ſalutem ibi contineri. ſuper 4.cap.1.epiſtolę ad Theſſalonicenſes.

Vnde ſit, Haymo oſtẽdit. Cũ uenerit Dñs ad iudiciũ, ſiccabit mare & flumina. iuxta illud. Et mare iã nõ erit. ſuper 1. cap. Naum.

De miniſtris iudicij, inquit Haymo: Angelorum officium erit, realiter congregare iudici ſanctos,& malos in tormenta dimittere. ſuper 49 Pſalmum.

Differẽtia in iudicio erit. Licet omnes in momẽto reſurgãt,iuſti & impij, in die iudicij: ſoli tamen iuſti occurrẽt Domino in aera,deportãdi ab angelis, Impij uerò manebunt in terra, quouſq; percipient illam terribilem ſententiã iudicis: Ite maledicti &c. Haymo ſuper 3.caput ad Philippenſes.

Quis iudex ſit futurus, Haymo docet: Noſtra fides habet, quod in iudicio ſolũmodo perſona filij uidebitur: quia in ea forma qua iudicatus eſt, iudicabit. & pater non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio. Sed ſciendũ, quia licet perſona filij in iudicio tantũ uideatur, tamẽ illic cũ illo pariter erũt Pater & Spiritus ſanctus in unitatis diuinitate,& ipſa inuiſibilis trinitatis natura per aſſumptam filij humanitatẽ iudicabit reprobos. lib.2.ſuper 4. cap. Apocalypſeos. Et: Nõ uidebitur filius in iudicio in ea natura, qua cõſubſtãtialis eſt Deo patri: ſed in ea qua cõſubſtãtialis eſt matri,& homo factus eſt. Super Euangeliũ feriæ 5. poſt Lętare. Itẽ: In die Iudicij nõ apparebit perſona Dei patris reprobis,ſed filij: ut ipſe qui primo aduentu humilis apparuit, appareat terribilis ad perdendos omnes impios,cũ patre ipſorum

rum diabolo,& iudicet illos iuſtè, à quibus iudicatus eſt iniuſtè.lib.2.Super Eſaiam.

Rabanus inqt:Saluator noſter Ieſus Chriſtus iudex eſt uiuorũ & mortuorum,& princeps regũ terræ,eſt ipſa ueritas,quę neminẽ fallit,nec falli poteſt à quoquã.Hic ſecundũ uerba orbem terrę in ęquitate iudicat, datus præmiũ obedientib.ſibi,& pœnã æternã inobediẽtib.In epiſt.ad Brũuardũ abbatẽ.

Remigius inquit:Pater nõ iudicat quẽquã,ſed omne iudiciũ dedit filio. Ipſe enim uidebitur terribilis,qui uiſus eſt contẽptibilis.Demõſtrabit in iudicio potẽtiã, qui oſtẽdit in cruce patientiã. Apparebit in iudicio homo,ſed in claritate. Quia ſicut uidiſtis eũ ire,dixerũt angeli,ſic ueniet. Forma hominis ueniet ad iudiciũ,ideo uidebũt illum & impij:ſed non in forma Dei eũ uidebũt,quẽ ſoli mũdo corde uidebũt. Apparens ergo in hominis forma,dicet: Ite maledicti in ignẽ æternum,ut impleatur , quod dixit Eſaias: Tollatur impius , ne uideat gloriam Dei, quia in forma qua æqualis eſt patri,eum nõ uidebunt.In 85 Pſalmum.

Quomodo futurũ ſit iudiciũ,docet Haymo:Nõ tantũ de operibus,ſed etiã de ociosis ſermonibus,& de ſubtiliſsimis cogitationib.ratio fiet & uindicta.ſuper 1.cap. Sophoniæ.Itẽ:Ignis præcedet Dominũ, tantũ ſpaciũ aeris occupans,quantũ occupauit aqua in diluuio,qui ardebit terrã & craſsitudinẽ aeris,& purgabit electos:reprobi aũt audiẽtes à Dño,Ite in ignẽ æternũ, inuoluẽtur abiſto igne,& trahẽtur ad ſupplicia inferni.Super 1.caput epiſtolæ 2.ad Theſſalonicenſes.

Quale ſit futurũ,Rabanus exponit:Reſurget Dñs in iudicio,hoc eſt , ad retributionẽ ſe præparat,& retribuet unicuiq; iuxta meritũ ſuũ,& iuxta intentionẽ cordis ſui, ſecũdũ quã iudicia ſua tẽperat. Vnde dicitur,Cõuertet in interiores partes terræ,hoc eſt, iudicat ſecretũ uolũtatis internæ.lib.4.in Eccleſiaſt.cap.5.Item:Examine uenturi iudicij omnia diſsipabũtur,& ad nihilũ redigẽtur. lib.4.in Eccleſiaſt.cap.7. Et:In die agnitionis,hoc eſt,in die iudicij,quãdo ueniẽs Dominus illuminabit abſcondita tenebrarũ,& manifeſtabit cõſilia cordiũ,tũc inueniet firmamentũ, quia tunc iuſticiæ uerũ & firmũ percipiet præmiũ.lib.6.in Eccleſiaſt. cap.6. Item:Qui fert ſecũ illuc plura bona, & plura mala,in ipſis pœnis habebit aliquid refrigerij.Qui aũt bonorũ operũ nihil,malorũ ſecũ multã copiã defert, quid eum maneat non opus eſt dicere.Erit enim ſine dubio cõpenſatio bonorum operũ, malorumq; & uelut in ſtatera poſita utraq; pars,quæ emerſerit, illa ſibi eorum , quo momentum uergitur operum,uindicabit.Si ergo malorum multitudo quantitatem bonorum operum ſuperauerit,pertrahit ad gehennam. Si emin maior fuerit operum,bonorum ſumma, uĩ obſiſtent atq; repugnabunt malis,atq; operatorem ſuum ad regionẽ uiuorum ex ipſo etiã gehennæ confinio reuocabunt. Verùm hæc non tam ex noſtro ſenſu, quàm ex diuinis Scripturarũ ſermonibus affirmantur.Sic enim Scriptura pronunciat dicens:Ipſe reddat unicuiq; ſecundum opera ſua,&c. Rabanus de Modo pœnitentiæ,cap.22.

Angelomus ait:Quod Dauid Salomoni filio ſuo præcepit de iuſta retributione eorũ, qui ſibi ſolatio fuerũt, uel iniuſtè nocuerũt, licet ipſe patiẽtiſsimè eos regnãs toleraret: quid melius ſignificare poteſt,quàm futurã retributionem iudicij uenturi,in qua impij pro mercede pœnam perpetuã, iuſti autem æternã beatitudinem percipient?In 1.cap.libri 3.Regum. Et:Dominus Ieſus Chriſtus diabolũ latẽter hominibus inſidiantẽ, ante Chriſtũ in poſterũ manifeſtiſsimè ſęquentẽ, in iudicio puniturus eſt.In 17.ca.lib.1.Reg.

Quando.Haymo:Notandum quod non ſtatim ueniet Dominus ad iudiciũ,ubi fuerit Antichriſtus interfectus:ſed ſicut ex lib. Danielis intelligemus,poſt mortẽ illius cõcedentur electis ad pœnitentiã dies quadraginta quinq;.Quantulumcunq; uerò ſpaciũ temporis ſit,uſq;quo Dominus uenit,penitus ignoratur.In 2.cap.ad Theſſ.epiſt.2.

Rabanus:Chriſtus eadẽ hora qua reſurrexit,ad iudicãdum uenturus eſt.lib.5.de Sermonum proprietate,cap.8.

Vbi.Haymo: Multi autumãtes dicũt,qđ Dominus ſuper montẽ Oliueti ſedebit, ex quoaſcẽdit ad cœlos.Dñs nõ deſcẽdet in terrã ad iudiciũ,ſed in aere ſedebit in nube cõtra montẽ Oliueti.Non deſcẽdet ergo in terrã,ſed in ſpacio iſtius aeris ſedebit in nube cõtra montẽ Oliueti,cõſtipatus agminibus & uirtutibus cœlorum lib.2.in Eſaiam.

De fine ait Haymo:Tranſacto iudicio,electis ampliorẽ gloriã ſuæ Chriſtus demõſtrabit claritatis.Generalẽ enim omniũ ſanctorũ uiuificationẽ & reſurrectionẽ ordinauit Deus pater fieri per filiũ.Super 6. cap. Oſeæ.

Rabanus:Ad iudicium Dei tendimus, ut eius ſententia aut pro reatu puniamur, aut pro bonis meritis coronemur. In epiſtola ad Humbertum epiſcopum.

Adhortationem de extremo iudicio talem Hincmarus ponit : Habe ſemper ante mẽtis oculos,quam terribilis Iudex noſter ſit in conſilijs ſuper filios hominũ,& quàm deſtrictus ad iudicandũ ueniet,cœlis & terris ardẽtibus, & uniuerſis cœlorũ uirtutib. atq; omnibus creaturis obſequiũ ſui terroris commotis,quãdo ignis ante ipſum præcedet,& inflammabit in circuitu inimicos eius,aduocans cœlum deſurſum, & terram diſcer-

discernere populum suum, quando veniet nos iudicaturus de cogitationib. uerbis & actibus nostris. Qui pręueniendus nobis est in confessione, & plorandum ante eum qui fecit nos. Attendendum est etiam quæ nobis uerecundia tunc erit, in conspectu totius humani generis, omniumq; uirtutum cœlestium confundi, & post confusionem quæ nos pœna sequetur, cum animam immortaliter morientem reatus inuoluet, & indeficienter non deficientem carnem gehẽna consumet, si radices cordis huic seculo perseueranter infixas habuerimus: quia nemo potest (ut scriptum est) hic gaudere cũ seculo, & illic regnare cum Domino. Simus igitur, ut docet Apostolus, quasi moriẽtes, & ecce uiuimus: ut castigati, & non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. In epistola ad Hincmarũ Laudunẽsem, cap. 54.

Mundum crematum iri, Rabanus docet: Mundus iudicij igne cremabitur. libro 9. in Ecclesiast. cap. 7. Item: Elementa, id est, cœlum & terram, non credamus abolenda per ignem, sed in melius commutãda: figuram mundi, id est imaginem, non substantiam transituram. libro 4. de Sermonum proprietate, cap. 1.

DE INFERNO.

HAymo inquit: Inter mortem & inferos hoc interest, Mors est qua anima separatur à corpore. Infernus locus est, in quo animæ recluduntur, siue ad refrigeriũ, siue in pœnis pro qualitate meritorum. Super 13. Oseæ.

De damnatione in inferno inquit Idiota: In extremo iudicio omnia facta usq; ad minimam cogitationem discutientur, & damnatis nulla erit amplius uia misericordiæ, sed in igne æterno ardebunt. cap. 6. de Innocentia perdita.

Haymo: In inferno unusquisq; secũdum qualitatem operum sustinebit magnitudinem pœnarum. lib. 2. in Apocalypsin. cap. 6.

Rabanus: Vindicta carnis impij ignis & uermes: quia caro peccatorum quæ luxuria affluebat in mũdo, simul cum anima pœnis arctabitur in futuro, & igne cruciabitur gehennæ. Vermem autem & ignem in gehenna esse, ipse Dominus commemorat in Euangelio dicens: Et si scandalizauerit te manus tua, abscinde illam. In uerme putredinem gehennæ, sicut in igne ardorem designat. Siue uermem dicit feram scelerum pœnitudinem, qua nunquam in tormentis cõscientiam afflictorum mordere cessabit, ut ignis sit pœna extrinsecus sæuiens, uermis dolor interius accusans. lib. 2. in Ecclesiast. cap. 7. Et: Homo qui peccatis uiuebat, si se ab eis non correxerit, atq; à delictis non cohibuerit, morte multatur æterna, ubi serpentem antiquum, & bestias diabolicas atrocissimas sentiet se punire tortores, nec iam spem habet euasionis, cum nulla requies illi datur continua doloris. lib. 3 in Ecclesiasticum, cap. 2. Item: Ignis gehennæ tam corpus, quàm etiam animam post diem iudicij excruciaturus est, cuius plagæ non est sanitas: quia postquam homo sine pœnitentiæ remedio de hac uita exierit, & illuc iusto Dei iudicio damnatus fuerit, sine fine ibi atdebit. libro 5 in Ecclesiast. cap. 1. Et: Melius est corporalem tẽporaliter perdere uitam, quàm cum illa societatem in gehenna habere perpetuam. libro 6 in Ecclesiast. cap. 9. Itẽ: Verè ibi timor est mortis, ubi continuum incendium est gehennę ignis, iracundia perseuerat & cõtẽtio: quoniã nulla pax ibi est, & nulla doloris mitigatio. Esaias propheta de reprobis & de supplicio mancipatis, longè antè prædixit: Vermes eorum non moriuntur, & ignis eorum non extinguitur, & erunt eis ad satietatem uisionis omni carni. quid enim horribilius dici, quid cogitari potest, quàm damnationis uulnera suscipere, & dolores uulnerum nunquam finire? In huius uitæ tormentis timor dolorem habet, dolor timorem non habet: quia nequaquam mentem metus cruciat, cum pati iam cœperit quod metuebat. Inferni ignibus reprobi traditi, & in supplicijs dolorem sentiunt, & in doloribus angustia pulsante semper pauore feriuntur: ut quod timent tolerent, & rursum quod tolerant sine cessatione pertimescant. Hic flamma quę succendit illuminat, illic ignis qui cruciat, obscurat. Hic metus amittitur, cum tolerari iam cœperit quod timebatur: illic & dolor dilaniat, & pauor angustat. libro 9. in Ecclesiasticum, capite 1. Item: Horrendo modo erit tunc reprobis dolor cum formidine, flamma cum obscuritate, si sic uidelicet à damnatis sentiri pondus summæ æquitatis debet: ut quia à uoluntate conditoris nequaquam sunt ueriti discrepare dum uiuerent, in eorũ quandoque interitu ipsa à suis qualitatib. etiam tormenta discordent, quatenus quo se impugnent, cruciatus augeant: & cum uariè prodeant, multipliciter sentiantur: quia inferni supplicia in se demersos & ultra uires cruciant, & in eis uitæ subsidium, extinguentes seruant, ut sic uitam terminus puniat, quatenus semper sine termino cruciatus uiuat: quia & ad finem per tormenta properat, & sine fine deficiens durat, infernis supplicijs peccatoribus deditis, fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defunctus sine defuncto: quia & mors uiuit, & finis sem-

finis ſemper incipit,& deficere defectus neſcit: & mors perimit, & non extinguit: dolor cruciat, ſed nullatenus pauorem fugat: flamma cõburit, ſed nequaquam tenebras decutit. quantum per noticiam præſentis uitæ colligitur, ſupplicia ordinem non habent, quia non ſuam per omnia qualitatem tenent. Quamuis illic ignis & ad conſolationem non lucet, tamen ut magis torqueat, ad aliquid lucet: ſequaces quoque ſuos ſecum in tormenta reprobi flamma illuſtrante uiſuri ſunt, quorum amore deliquerunt, quatenus qui eorum uitam carnaliter contra præcepta conditoris amauerant, ipſorũ quoque eos interitus in augmentum ſuæ damnationis affligat. Quòd & Euangelio teſtante colligimus, in quo ueritate nuncante diues ille, quem contigit ad æterni incendij tormenta deſcendere, quinque fratrum meminiſſe deſcribitur, qui Abraham petit ut ad eorum eruditionẽ Lazarum mitteret, ne illuc eos quandoque uenientes par pœna cruciaret. Qui igitur ad doloris ſui cumulum propinquorum abſentium memorem, conſtat proculdubio quia ad augmentum ſupplicij paulo pòſt potuit etiam præſentes uidere. ibidem. Item: Præſentia tormenta finem habent, futura autem nullo termino finientur. ibidem. Item: Multo grauiores quàm gehennę dico eſſe cruciatus, remoueri & abijci ab illa gloria. (qua fruentur beati) Nec puto tam acerba eſſe gehennæ ſupplicia, ut ſunt illa, quibus torquetur is qui arcetur à conſpectibus Chriſti. Hoc credo mihi pœnis omnibus grauius eſt. cap. 12. de Modo pœnitentiæ. Item: Nec tempus nec ratio eſt operandi apud inferos: ſed poſt finem præſentis uitæ iuſta iudice retribuente, percipiet unuſquiſque propria corporis prout geſſit ſiue bonum, ſiue malum, libro 7. in Eccleſiaſt. cap. 7.

Paſcaſius ait:

Cunctáq; cunctorum cunctis arcana patebunt.
Quod cor, lingua, manus tenebroſis geſſit in antris:
Et quod nunc aliquem uerecondans ſcire ueretur,
Omnibus in patulo pariter tunc ſcire licebit.

Vbi ſit, Haymo dicit: Infernus in terrę medio eſſe perhibetur. ſuper 2. cap. Ionæ.

Qui ſint in inferno futuri, docet Idiota: Anima cum carne in gehenna cruciãda eſt. cap. 2. de Conflictu carnis & animæ.

Cauſam, cur in infernum homines conijciantur, Rabanus commemorat: Proprij erroris illuſio, & Diaboli ſeductio, uindictam perpetuam faciet impios ſubire in inferno. lib. 6. in Eccleſiaſt. cap. 7.

DE VITA AETERNA.

VNde ſit uita æterna, Remigius docet: Vita æterna non ex merito, quia cadere per nos potuimus, ſed per nos ſurgere non potuimus: ſed ex uoluntate eius, id eſt, ſola miſericordia. in 29 Pſalmum.

Quis nos in uitam æternam ſit translaturus, Rabanus monet: E cœlis exſpectãmus Dominum noſtrum ſaluatorem, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, & præparat electis ſuis locum in regno patris ſui, quos in finem mundi uenturus illuc ſecum recipiet, ut uiuant ſemper, & laudes illi decantent in ſecula ſeculorum. Rabanus in epiſtola ad Simonem ſacerdotem.

Qualis ſit illa æterna uita futura, docet Haymo: Vnus tunc erit princeps Deus trinitas, quia ceſſabit omnis creaturæ poteſtas in angelis & hominibus. Ceſſabit timor, regnabit integra Charitas: nec iam erit inter præſidentes & ſubditos ulla diſſenſio, ac propterea bonorum ſpirituum & iuſtorum omnium princeps unus Deus erit. ſuper 15. caput primæ epiſtolæ ad Corinthios. Et: Animæ fideles cum ſuis corporibus ſemper lætabuntur. Animæ quoque infideles cum ſuis corporibus ſemper torquebuntur. ſuper Euangelium in octaua paſchæ.

Rabanus inquit: In diuinis repromiſſionibus nihil terrenum, nihil tranſitorium exſpectemus, ſicut Meletiani ſperant: non nuptiarum copulam, ſicut Cerinthus & Marcion delirant: non quòd ad cibum uel potum pertinet, ſicut Papia, autore Terrenus, & Tertullianus & Lactantius acquieſcunt: neque per mille annos poſt reſurrectionem regnum Chriſti in terra futurum, & ſanctos cum illo in delicijs regnaturos ſperemus, ſicut Nepos docuit, qui primam iuſtorum & ſecundam impiorum reſurrectionem confinxit: & inter has duas mortuorum reſurrectiones, gentes ignorantes Deum, in angulis terrarum in carne reſeruandas, quæ pòſt mille annos regni in terra iuſtorum, inſtigante diabolo moriendæ ſunt ad pugnam contra iuſtos regnantes, & Domino pro iuſtis regnante imbre igneo compeſcendos, atque ita mortuos cum cæteris in impietate mortuis ad terrena gaudia in corruptibili carne reſuſcitandos. lib. quarto de Sermonum proprietate, cap. 10. Item: Poſſeſſores ſuos in medio magnatum conſidere faciet, quando eos cum patriarchis & prophetis, cum apoſtolis & martyribus, & cæteris ſanctis, regni cœleſtis tribuet eſſe particeps. libro tertio in Eccleſiaſticum, caput 3. Et: Seculum ſanctum eſt quies æternæ uitæ, quæ alibi nuncupatur ſeculum æternum, & ſeculum ſeculi, ſeu ſecula ſeculorum. libro quarto in Eccleſiaſt. cap. 6. Et: Sanctæ ani-

mæ electorum pennis uirtutum ſemetipſos à terreſtrium & carnalium ſocietate ſubleuant, & ſanctis angelis in cœleſti gaudio aſſociari appetunt: quibus etiam in futura uite coniungentur, quando ueritas Chriſtus in die iudicij reuertetur, & eos qui mandata eius bene operãdo cuſtodierũt ad ſemetipſum recolliget. Econtrariò uerò peccatores ſine dubio in laqueum perpetuę mortis cadẽt. lib. 6. in Eccleſiaſt. cap. 6. Itẽ: Qui ſanam doctrina diſcipulũ ſuũ inſtruit, & fidei ueritate imbuit, hic nimirum pro huiuſcemodi ſtudio laudem & gloriã perpetuã in conſortio ſanctorum obtinebit. lib. 7. in Eccleſiaſt. cap 4. Et: Doctores quiq; ſanctę Eccleſię cõpleto tempore ſui ſancti laboris, æterna in cœlis quiete remunerantur. lib. 7. in Eccleſiaſt. cap. 4. Itẽ: Aeternę beatitudinis requies nullo termino coarctatur. libro 8. in Eccleſiaſt. cap. 4. Et: Ipſe redẽptor, ſolus æternus, ſplẽdore ſuo illuſtrabit credentes, & ardore iudicij ſui puniet peccatores. lib. 9. in Eccleſiaſt. cap. 7. Itẽ: Omne tẽpus uitæ huius quaſi unius noctis ſomniũ ad æternitatis cõparationẽ uidetur eſſe. cap. 10. de Modo pœnitẽtiæ. Itẽ: Prouidit bonitas Dei, ut in hac breui & exigua uita agones eſſẽt & labores: in illa uerò quæ æterna eſt, corona & præmia meritorũ, ut labores quidẽ citò finirentur, meritorũ uerò pręmia ſine fine durarẽt. Sed hoc ſicut lætificat eos qui per laborũ patiẽtiã coronantur: ita affligit & cruciat illos in futuro, qui uidẽt ſe paruo & exiguo deliciarũ tẽpore perdidiſſe, quidẽ bona ęterna, mala uerò quęſiuiſſe perpetua. cap. 11. de Modo pœnitẽtię. Itẽ: Dicitur de æterna uita quodã loco, quòd aufugiet ibi dolor, & triſticia & gemitus. Quid hac beatius? ubi nõ eſt pauperatis metus, nõ ęgritudo. Nemo lædit in iuſtè, aut lędit nemo, nemo iraſcitur, nemo inuidet, nulla cupiditas exardeſcit, nullũ cibi deſideriũ, nulla honoris pulſat & poteſtatis ambitio, ſed omnis uitiorũ labes depoſita & penitùs extincta eſt, pax cũcta cõtinet & lætitia, tranquilla ſunt omnia & quieta, iugis ſplẽdor: nõ iſte qui nũc eſt, ſed tãto ſplẽdidior, tãto clarior, quãto ſplẽdidior eſt ſol lucerna. Nulla nox ibi, nullæ tenebræ, nullus imbriũ turbo, nulla frigoris, nulla ardoris aſperitas: ſed talis quædã erit rerũ tẽperies, quã ſcient illi ſoli, qui ea digni fuerint perfrui. Non eſt ſenectus ibi, nec ſenectutis miſeria: ſed omne quicquid corruptionis eſt exoluit, & gloria incorruptionis cuncta circumdat. Verùm ſuper hæc omnia eſt, ſociari conſortijs angelorũ & archangelorũ, omniumq; cœleſtium ſupernarumq; uirtutũ contubernijs perfrui. Vltra omnem uerò hãc huiuſmodi eſt gloriam, ipſius Domini noſtri Ieſu Chriſti ineffabili adipiſci conſpectu, & maieſtatis eius inenarrabili ſplendore radiari. cap. 12. de Modo pœnitentiæ. Et: Cõferamus oculos ad montem illũ, in quo trãsformatus eſt Chriſtus: & intueamur ſplendorem eius illũ, quo tunc in trãſformatione reſplenduit. Nec ſic quidẽ inueniemus cunctã nobis futuri ſeculi gloriam patefactam. Illa enim transformatio patefacta eſt, non in quantum futurorum bonorum ueritas habet, ſed quantum ferre oculi poterant intuentium. ſic enim & Euangelium dicit, Quia reſplenduit ſicut ſol. Incorruptorum autem gloria corporum non hoc tantum ſplendoris emittet, quãtum ex iſta corruptibili luce procedit: nec talem lucẽ, qualem nũc mortales oculi capere poſſunt: ſed tantus erit futuræ lucis ſplendor, quantum corporeus ferre non poſſit aſpectus, cum tamen illum tulerit qui in montis formatione reſplenduit. Vnde oſtenditur, quia tantum reuelatum ſit, quantum ferre oculi mortalium poterant: nec tamen toleraueruntex integro, ſed ceciderunt, inquit, ſuper facié in terrã. cap. 13. de Modo pœnitentiæ. Et: Enoch ſeptimus ab Adam trãslatus eſt, & ſignificat ſeptimã requiem futurę reſurrectionis, quomodo ſancti transferentur in uitam perpetuæ immortalitatis, & dedicabũtur habitaculũ Dei in Spiritu ſancto. libro 7. de Sermonum proprietate, cap. 1.

Angelomus ait: In cœleſti Hieruſalem omnes electi poſt diẽ iudicij translati, abſq; illa perturbatione ſub ipſo Domino uſq; in æternum manebunt. In 7 caput libri ſecundi Regum. Item: In præſenti Eccleſia talem nos ingredi ac ducere uitam neceſſe eſt, in qua dilectionem Dei & proximi, per fidem & operationem, per patientiã & benignitatem ſeruemus. In futura autẽ uita, ubi Deũ & proximos in luce æternæ beatitudinis uidebimus, eadem utique dilectione genuina, abſque ullo prorſus labore, imò in magna multitudine diuinæ dulcedinis fruemur. In 6. caput libri tertij Regum.

Remigius: Tota hæc uita quaſi nox eſt, quia multis & magnis ignorantiæ & uitiorum tenebris inuoluitur. Tranſacta hac corruptibili uita, cum mortale hoc induet immortalitatem, ueniet mane: id eſt, initium diei nunquam deficientis. Tunc enim fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno patris eorum, claritate uirtutum ſplendidi, nullam maculam corruptionis habentes. In 5 Pſalmum. Item: Chriſti corpus, hoc eſt Eccleſia, prius nunc ungitur ante baptiſmum, & pòſt in baptiſmo, præſignans illam tertiam & ueram unctionem, quæ in capite ſuo, id eſt, Chriſto iam completa eſt: & tandem in eius membris complebitur, cum mortale hoc induet immortalitatem, & cor-

& corruptibile incorruptionem. Cum erimus ueri reges, quia tunc ſpiritus uerè reget, & dominabitur carni: & ueri ſacerdotes, offerentes nos ipſos Deo hoſtiam uiuam, ſanctam, Deo placentem. in 26 Pſalmum. Et: Omnes ſancti dij erunt: ſed hoc nomen non prius uerè accipient, quàm cũ Deus erit omnia in omnibus. in 51 Pſalmum. Item: Quòd ſabbatum illud, quod Iudæis, fuit iniunctum ad celebrandum, ſit ſignum futuræ requiei, notat liber Geneſeos, qui cum præcedentes dies per mane & ueſpere determinat, ſeptimam illam diem, uidelicet ſabbatum, in quo Dominus ab opere requieuit, per ueſperum non determinauit. Quia requies illa quę per hoc ſabbatum futura deſignatur, nullis tenebris obfuſcatur: ſed in puriſsima claritate æternaliter agitur. in 91 Pſalmum. Et: Meritò nouiſsima fidelium, ſenectus dicuntur: quia ſicuti in ſenectute capilli, qui prius fuerunt nigri, fiunt albi: ita & ibi, qui prius laborauerant temporali certamine, gaudebunt æterna requie, ubi nulla nigritudo erit morum perfectorum in .91 Pſalmum.

Duos tantùm eſſe locos, quò perueniunt homines uita functi, docet Rabanus: Nuſquam omnes boni niſi in cœlo, nuſquam omnes mali niſi in inferno: in epiſtola ad Hadubrandum presbyterum.

DE ASTROLOGIA.

HAymo: Legimus quia una eandemq; hora ex ijſdem uiſceribus Rebecca mater duos filios habuit, Eſau ſcilicet & Iacob: & tamen unus electus, alter uerò reprobatus, dicente Domino: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Si autem fatum eſſet, aut uterque electus, aut uterque reprobatus eſſet. Ex quibus omnib. cognoſcimus, quia non fatalis accidentia, ſed diuina prouidentia hominum uitam ordinat atque diſponit. Sed ſolent ad hæc Mathematici obijcere, quia conſtellatio fatalis in ictu pungentis fiat. Quibus nos econtrariò reſpondemus: quia homo non in ictu moritur, ſed naſcendi moras agit. Et ſi fatum crederidum eſſet, tot cogerentur credi fata, quot ſunt hominis membra. Super Euangelium de Magis.

DE MAGIA.

RAbanus inquit: Magicas artes atque incãtationes & ſuperſtitiones diuinationibus ſuis & obſeruationibus peruerſis ſequi uidẽtur, deteſtatur lex diuina, quę in libro Exodi ita dicit: Maleficos in terra tua non patieris uiuere. Et in Leuitico: Non comedetis, inquit, cum ſanguine, non auguramini, nec obſeruabitis ſomnia. In epiſtola ad Bonoſum abbatem. Item: Curandũ ſummoperè eſt omnibus nobis, hoc eſt, prælatis & ſubditis, maioribus & minoribus, ſacerdotibus & plebi, ne aliquem ſeducat per huiuſcemodi illuſionem fraus, dolus & nequitia hoſtis antiqui, ita ut à mendacibus uelimus diſcere ueritatem, & à peſtiferis morborum mortiſq; autorib. quęramus infirmitatis noſtræ remedium: ſed magis ad Deum uiuum, & uiuificatorem omnium confugiendo deuoto corde properemus, per orationes ſacras, ieiunia & eleemoſynas illum deprecantes, ut ipſe propter benignitatem ſuam conſulat ſeruis ſuis, eripiẽs nos de omnibus inimicis noſtris. ibid.

Definitiones Magorum recitat Rabanus in epiſtola ad Bonoſum abbatem.

Magi ſunt, qui uulgò malefici ob facinorum magnitudinem nuncupantur. Hi permiſſu Dei elementa concutiunt, turbant mẽtes hominum minus Deo confidentium: ac ſine ullo ueneni hauſto, uiolentia tantum carminis interimunt.

Necromantici ſunt, quorum præcantationibus uidentur reſuſcitari mortui diuinare, & ad interrogata reſpõdere: ad quos ſciſcitandos cadaueri ſanguis adijcitur.

Hydromantici, ab aqua dicti. eſt enim hydromantia, in aquæ inſpectione umbras dæmonum euocare, & imagines ludificationis eorum uidere, ibiq; ab eis aliqua audire. ubi adhibito ſanguine, etiam inferos perhibentur ſciſcitari.

Diuini dicti, quaſi Deo pleni. Diuinitate enim plenos ſe eſſe aſsimulant, & auſtutia quadam fraudulenta hominibus futura cõiectant. Duo autem ſunt genera diuinationis: ars & furor.

Incantatores dicti ſunt, qui artem uerbis peragunt.

Arioli uocati ſunt, quod circa aras idolorum nefarias preces emittunt, & funeſta ſacrificia offerunt, ijsq; celebratis dęmonum reſponſa accipiunt.

Aruſpices nuncupati, quaſi horarũ inſpectores. Dies enim & horas in agendis negocijs operibusq; cuſtodiunt, & quid per ſingula tempora obſeruare debeat homo, intẽdunt. Hi etiam exta pecudum inſpiciunt, & ex eis futura prædicunt.

Augures ſunt, qui uolatus auiũ & uoces intendunt, aliqua ſigna rerum uel obſeruationes improuiſas hominibus occurrentes.

Pythoniſſæ, à Pythio Apolline dictæ, q, is autor diuinandi fuerit.

Aſtrologi dicti, eo q, in aſtris augurantur.

Genethliaci appellati ſunt, propter natalium conſiderationes dierum. Geneſes

enim hominum, per duodecim cœli signa describũt, siderumq; cursu nascentium mores, actus & euentus prædicere conãtur. Hi uulgò Mathematici uocantur.

Horoscopi dicti, quòd horas natiuitatis hominum specularentur, dissimili & diuerso fato.

Sortilegi sunt, qui sub nomine fictæ religionis, per quasdam, quas sanctorum sortes uocant, diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcunq; scripturarum scientię inspectione futura promittunt.

Salisatores uocati sunt, qui dum eis membrorum quæcunque partes salierint, aliquid sibi exinde prosperum seu triste significari prædicunt. Adhæc omnia pertinent ligaturæ execrabilium remediorum, quæ ars medicorum commendat, seu in præcantationibus, seu in characteribus, uel in quibuscunque rebus suspendendis atque ligandis. In quibus omnibus ars dæmonum est, ex quadam pestifera societate hominum & angelorum malorum exorta. unde cuncta uitanda sunt Christiano, & omni penitùs execratione repudianda atq; damnanda. Hęc Rabanus.

Angelomus ait: Nonnulli hoc genus magicæ (de Phitonissis loquitur) phantasiæ ab Apolline Pythio repertum, atque ab eius cognomine sic dicunt esse uocatum. Sed & Hebræum nomen congruit, inquiunt, qui phitona abyssi dicũt, unde & Phitonissam & Phitones legendum putãt. Quod & nos diligenter inuestigantes, sic in antiquis uoluminibus scriptum reperimus. Alij uerò à serpente qui Phyton dictus est, de cuius pelle diuinabant, dictum asserunt: unde & Phytonyssam & Phytones legunt. Quod nos arbitrio prudentis lectoris relinquimus, quid magis eligere placuerit. in 30 caput libri primi Regum.

DE LIBRIS.

CArolus Iunior in responsione sua ad epistolam cleri Rauẽnatis inquit: Sicut beatus Hieronymus in præfatione librorum Regum dicit, uiginti duo elementa sunt apud Hebræos, per quæ scribimus Hebraicè omne quod loquimur, & eorum initijs uox humana comprehenditur: ita uiginti duo uolumina supputantur, quibus quasi literis & exordijs in Dei doctrina, tenera adhuc & lactans uiri iusti eruditur infantia. Quorum librorum nomina, qui ad autoritatem tenentur, ibid. quisquis uoluerit, potest relegere. Et quicquid extra hos est, inquit, inter apocrypha esse ponendum. Sed quę tunc temporis inter apocrypha deputabantur, nũc autoritate Carthaginensis concilij, & decretis beatorum Innocentij atq; Gelasij, inter Ecclesiasticas Scripturas leguntur & computantur.

Rabanus inquit: Vetus Testamentũ ideo dicitur, quia ueniẽte nouo cessauit. De quo Apostolus meminit: Vetera transierunt, & ecce facta sunt omnia noua. Testamentum autem nouum ideo nuncupatur, quia innouat. Non enim illud discunt nisi renouati homines ex uetustate per gratiam, & pertinentes iam ad testamentum nouum quod est regnum cœlorum. Hebræi enim uetus Testamentum, Esdra autore, iuxta numerũ literarũ suarũ in uiginti duos libros accipiunt, diuidẽtes eos in tres ordines, legis scilicet, & prophetarũ, atq; Hagiographorum. Primus ordo legis in quinque libris accipitur, quorum primus est Bereschith, qui est Genesis. Secundus Elleſmoth, qui est Exodus. Tertius Vaiecra, q est Leuiticus. Quartus Vaiedaber, quod est Numerus. Quintus Helleaddabarim, quòd est Deuteronomiũ. Hi sunt quinque libri Moysi, quos Hebræi Thorath, Latini Legem appellant. Propriè autem Lex appellatur, quæ per Mosen data est. Secundus ordo prophetarum in quo cõtinentur libri octo, quorum primus Iosue Bennun, qui Latinè Iesu naue dicitur. Secũdus Sobthim, qui est Iudicũ. Tertius Samuel, qui est Regũ primus. Quartus Malachim, qui est Regum secũdus. Quintus Esaias. Sextus Ieremias. Septimus Ezechiel. Octauus Thariſtra, qui dicitur Duodecim prophetarum. Qui libri quia sibi pro breuitate adiuncti sunt, pro uno accipiuntur. Tertius est ordo Hagiographorum, id est, sancta scribentium, in quo sunt libri nouem, quorum primus Iob. Secundus Psalterium, qui in quinque incisionibus diuiditur. Tertius Masloth, quod est Prouerbiũ Salomonis. Quartus Cœleth, quod est Ecclesiastes. Quintus Firasarim, quod est Cantica Canticorum. Sextus Daniel. Septimus Dabreiamin, qđ est uerba dierum, id est paralipomenon, qui & Chronicon. Octauus est Esdras, qui in duos libros diuiditur apud Græcos & Latinos. Nonus Hester: qui simul omnes, quinque, & octo, & nouẽ, faciũt uigintiunũ. Quidam aũt Ruth & Cinoth, quod Latinè dicitur lamẽtatio Ieremiæ, Hagiographis adijciũt, & uigintiquatuor uolumina Testamẽti ueteris faciunt, iuxta uigintiquatuor seniores, qui ante conspectum Dei assistunt. Quartus est apud nos ordo ueteris Testamenti, eorum librorum qui in Canone Hebraico nõ sunt, quorum primus Sapientiæ liber est. Secundus Ecclesiasticus. Tertius Tobias. Quartus Iudith. Quintus & sextus Machabæorum, quos licet Iudæi inter Apocrypha separarẽt, Ecclesia tamẽ Christi eos inter diuinos libros honorat & prædicat. In nouo

nouo autem Testamento duo sunt ordines. Primus Euãgelicus, in quo sunt Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes. Secundus Apostolicus, in quo sunt quatuordecim epistolæ: Petrus in duabus, Ioãnes in tribus, Iacobus & Iudas in singulis. Actus Apostolorum, & Apocalypsis Ioãnis. Alij autem uetus & nouum Testamentum in septuaginta duos libros distinguũt, ita ut primi legis Moysi libri quinque sint: hoc est, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numerus, Deuteronomiũ. Hos sequuntur historici libri sedecim, Iesu Naue scilicet, et Iudicũ libri singuli, siue Ruth, Regũ etiá libri quatuor, Paralipomenon duo. Tobię quoq; & Hester: atq; singuli Esdræ duo, & duo Machabæorum. Super hos Prophetici, libri sedecim sunt, Esaias, Ieremias, Ezechiel, & Daniel libri singuli: duodecim quoq; Prophetarum libri singuli. & hęc qui dem prophetica sunt. Pòst hæc uersuum octo libri habentur qui diuerso apud Hebræos metro scribuntur: id est Iob liber, & liber Psalmorum, & Prouerbiorum, & Ecclesiastes, & Cantica canticorũ, siue Sapientię, & Ecclesiasticus, Lamentationesq; Ieremię. Sic quoq; complentur libri ueteris Testamenti quadraginta quinq;. Noui aũt Testamenti primũ quatuor Euangelia sunt, Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioãnis. Hos quatuordecim Pauli apostoli sequuntur: quib. subiectę sunt septẽ Canonicę epistolæ, Iacobi, Petri, Ioannis, & Iudæ. Actus quoq; duodecim Apostolorũ: quorum omniũ signaculũ est Apocalypsis Ioannis, quod est reuelatio Iesu Christi, qui omnes libros & tẽpore & ordine. Hi sunt libri Canonici septuaginta duo, & ab hoc Moyses septuaginta elegit presbyteros qui prophetarent. Ob hoc & Iesus Dñs noster septuaginta duos discipulos prædicare mandauit. Et quomodo septuaginta duæ linguæ in hoc mundo erant diffusæ, cõgruè prouidit Spiritus sanctus, ut tot libri essent quot nationes quibus populi & gentes ad percipiendam fidei gratiá ędificarentur. Hęc sunt noua & uetera quę de thesauro Dei proferuntur, & quib. cũcta sacramentorũ mysteria reuelantur. Hi sunt duo Seraphin, qui in confessionẽ sanctæ trinitatis iugiter decãtãt uagios, et dicẽtes hymnũ erumpunt. Hæ literæ sacræ, hi libri integro numero & autoritate. Aliud cum istis nihil est comparandum. Quicquid extra hos fuerit, inter sancta & diuina nullatenus est reciendum. Hæc duo testamenta in multis locis Scripturæ sacræ præfigurata sunt. Nam illi duo molares lapides sunt, quos lex prohibet uidere, atque in loco pignoris tollere, quia neutrum testamentum auferendum est ab altero, quando utraq; necessaria sunt ad panem cœlestem conficiendũ, ut animarum pastum præparent. Item duo Cherubin iuxta arcam posita, significant duo testamẽta, Ecclesiam Dei protegentia. Item Abacuc propheta duo scribit animalia, in quorum medio Deus innotescit. Summa autem utri usque testamenti trifariè distinguitur: id est, in historia, in moribus, in allegoria. libro 5. de Sermonum proprietate, capite primo: & libro tertio, cap. 7. de Institutione clericorum.

De autoribus librorũ ueteris & noui Testamenti Rabanus: ueteris testamẽti, secundũ Hebræorum traditionem, hi scriptores habentur. Primùm Moses scripsit Pentateuchum. Iesu Naue edidit librum suum. Iudiciũ autem, & Ruth, & Samuelis primam partẽ, scripsit Samuel. Sequentia Samuelis usque ad calcem, scripsit Dauid. Malachim totum edidit Ieremias: nam antè sparsus erat per singulorum Regum historias. Iob librum Hebręi Moysen scripsisse putant, alij unum ex prophetis. Psalteriũ uerò scripserunt decem ꝓphetę: id est, Moses, Dauid, Salomõ, Asaph, Ethan, Idithum, Eman, & filij Choræ, id est Asir, Elchana, Ephiasab. Sunt qui & Esdram & Aggæum, & Zachariam scripsisse dicant, Salomon scripsit Prouerbia & Ecclesiasten, & Cantica canticorum. Esaias scripsit librum suum, similiter & Ieremias, cum Lamentationibus suis. Viri synagogæ sapientes, scripserunt Ezechielem, Danielẽ, & Paralpiomenon, & Esther. Esdra scripsit librũ suum. Omnes autem hos libros idem Esdra post incẽsam legem à Chaldæis, dum Iudæi ingressi fuissent in Ierusalem, diuino afflatus spiritu reparauit: cunctaq; Prophetarum uolumina, quæ fuerant à gentibus corrupta, correxit, totumq; testamentum in uiginti duos libros constituit, ut tot libri essent in lege, quot habentur & literæ. Primùm pòst Esdram editionem de Hebræo in Græcum Septuaginta interpretes ediderunt, sub Ptolomæo Aegyptiorum rege, successore Alexandri, qui in legendo studiosus fuit, omniumq; libros gentium congregauit. Iste enim ab Eleazaro, qui erat princeps sacerdotũ, multa dona mittẽs ad tẽplũ, petit, ut senes de duodecim tribub. Israel transmitterentur, qui interpretarentur omnes libros eorum. & ut fidem interpretationis aduerteret, singulis eorum qui fuerunt destinati, singulas cellulas dedit: & assignans omnibus, omnes Scripturas iussit interpretari. Qui cum per septuaginta dies rei negocium adimplessent, omnium simul interpretationes, quas per diuersas cellas segregati nullo ad nullum propinquãte fecerunt, congregauit in unũ. atq; ita omnes libri interpretati per Spiritum sanctum inuẽti sunt, ut non solum intellectu, uerumetiá in sermo-

nibus consonantes inuenirentur. Hæc fuit prima interpretatio uera ac diuina. Hos libros meditari omnium gentium Ecclesiæ primùm cœperunt: eosdemq; de Græco in Latinum interpretantes, primi Ecclesiarum prouisores tradiderunt. Post hęc secundam editionem Aquila, tertiam & quartá Theodotion & Symmachus ediderunt, ambo Iudæi proselyti. Quintam uerò & sextam editionem Origenes reperit, & cum cæteris supradictis, editionibus comparauit. Hi sunt igitur tantum, qui Scripturas sacras de Hebræo in Græcum sermonẽ uerterunt, quiq; etiam & numerantur. Nam Latinorum interpretum, qui de Græco in nostrum eloquium transtulerunt, ut meminit S. Augustinus, infinitus numerus est. De Hebræo autem in Latinum eloquium, tantum modo Hieronymus presbyter sacras Scripturas conuertit, cuius editione generaliter omnes Ecclesiæ usquequaque utuntur, pro eo quòd ueneratior sit in sententijs, & clarior in uerbis. Librum sapientiæ Salomon scripsisse probatur, testimonijs quibus ibi legitur: Tu me, inquit, elegisti regem populo tuo, &c. Hoc opus Hebręi (ut quidam sapientum meminit) inter Canonicas Scripturas recipiebant. Sed postquam comprehendentes Christum interfecerunt, memorãtes in eodem libro tam euidentissima de Christo testimonia, quibus dicitur: Dixerũt inter se impij, cõprehendamus iustũ, quia inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & promittit se scientiã Dei habere, & filium Dei se nominat. Et infrà: Si enim est uerè filius Dei, suscipiet illum, & liberabit illum de manu cõtrariorum. Ac deinde: Vt sciamus reuerentiam illius & probemus patientiã eius, morte turpissima cõdemnemus eum, collatione facta, ne nostri eos pro tam aperto sacrilegio derogarẽt, à propheticis eum uoluminibus reciderũt, legendũq; suis prohibuerũt. Librum aũt Ecclesiasticũ cõposuit Iesus, filius Syrach Hierosolymitanus, nepos Iesu sacerdotis, de quo meminit Zacharias. Qui liber apud Latinos propter eloquij similitudinẽ, Salomonis titulo prænotatur. Præterea Iudith, & Tobiæ siue Machabæorum libros, qui autores scripserint, minimè constat.

Nouum aũt testamẽtum, quatuor libros Euangeliorũ, quatuor Euãgelistæ singulos scripserũt, quorũ solus Matthæus Hebræo scripsisse perhibetur eloquio, cæteri Græco. Eodẽ & Paulus apostolus suas scripsit epistolas, ex quib. nouẽ septẽ Ecclesijs scripsit: reliquas discipulis suis, Timotheo, Tito, & Philemoni. Ad Hebræos autẽ epistola plerisque Latinis eius esse incerta est, propter dissonantiam sermonis. Eandemq; alij Barnabam conscripsisse, alij à Clemente scriptã fuisse suspicãtur. Petrus scripsit duas nomine suo epistolas, quę catholicæ nominãtur, quarum secunda à quibusdam eius esse nõ creditur, propter styli sermonisq; distantiã. Iacobus suam scripsit epistolam, quę & ipsa à nonnullis eius esse negatur, sed sub nomine eius ab alio dictata existimatur. Ioannes epistolas tres edidit, quarum tantum prima à quibusdam eius esse asseritur: reliquæ duę Ioannis cuiusdam presbyteri existimãtur, cuius, iuxta Hieronymum, alterum sepulchrum apud Ephesum demonstratur. Iudas suam edidit epistolam. Actus Apostolorum Lucas composuit, sicut audiuit, uel uidit. Apocalypsin Ioannes Euangelista scripsit, eodem tempore quo ob Euangelij prædicationem in insulam Pathmos traditur relegatus. Hi sunt scriptores sacrorum librorũ, diuina inspiratione loquentes, ad eruditionem nostram præcepta cœlestia in Ecclesia dispensantes. Autor autem earundem scripturarum Spiritus sanctus esse creditur. Ipse enim scripsit, qui per prophetas suos scribenda dictauit, libro secundo de Institutione clericorum, capite 54.

De Euangelystis, inquit Rabanus: Sancti doctores per quatuor Euangelia totum orbem illuminant. Christus per duodecim Apostolos quaternũ Euangeliũ per quatuor orbis partes annuncians, ad æterna taberna cula omnes sibi credẽtes inuitauit, dicens: Venite ad me omnes qui laborãtis. lib. 4. de Sermonum proprietate, cap. 1.

De apocryphis Angelomus inqt: Hi ideo à quibusdam recipiuntur, non propterea ut illos approbent, sed ea quę necessaria sunt ad confirmandum recipiunt. Quod & Paulus apostolus in epistolis suis, nõ solum de Hebræorum libris apocryphis, uerumetiã ex poetarum ac comicorum gentilium, ubi opportunum uidit, exempla protulit. Non ut omnia eorũ cõmenta approbaret: sed opportuna, ubi necessariũ uidit, inseruit. Hinc est quod Iudas apostolus in epist. sua ex ijsdẽ libris exemplũ intulit dicẽs: Prophetauit autem de his septimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce uenit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes. Quod ex prædictis libris sumptum est: sed quia uerum est, non est reijciendum. Non tamen omnia approbanda sunt, sed necessaria accipienda. In 9. & 10, cap. lib. 1. Regum.

De uersione Hieronymi, inquit Remigius: Cum beatus Hieronymus secundum Hebraicam ueritatem ferè omnia scripta septuaginta interpretum correxisset, & nos etiam adhuc, si dubitamus in aliqua litera ad eos recurrimus. In

INCLINATIO DOCTRINAE, COMPLECTENS PECVLIARES ET *incommodas opiniones, ſtipulas & errores doctorum.*

INclinante uera religione, nę ui, ſtipulę, & opiniones prio rum ſeculorum creuerũt, & adauctæ ſunt. Nos in præſen tia aliquot aſsignabimus.

DE ANGELIS.

Idiota inquit, Ex ſuperbenedicto fructu uirginis Mariæ angelicam naturam reparari, humanam renouari, & inferiorem à ſeruitute liberari. Cap. 4. de Maria uirgine.

Opinio eſt, quòd Haymo inquit: Et annunciem iuſticiã tuam uſque ad altiſsima, ſcilicet ut prædicem quaſdam cœleſtes creaturas eſſe redemptas per filium. Legitur enim, quòd quidam angeli (licet non credamus) conſentientes angelis cadentibus peccauerunt. In 70 Pſalmum. Et in 88 Pſalmum inquit, ſanctos angelos eſſe deificatos. Item: Et hoc intuendum, quia cum ſępe in ueteri Teſtamento legimus angelos ab hominibus adoratos, nequaquam legimus eos fuiſſe prohibitos. Poſtquam autẽ Dominus aſſumptum hominem ſuper cœlos leuauit, angelus ab homine adorari timuit, quem ſuper ſe regnare cognouit: & quia non ſe adorare debeat, ei dicit: & oſtendit, quem adorare eum oportet. Libro 6 in Apocalypſin, cap. 19.

Rabanus: Creatura omnis corporea, angeli & omnes cœleſtes uirtutes corporeæ, licet non carne ſubſiſtant. Ex eo autem corporeas eſſe credimus intellectuales naturas, quòd localiter circumſcribuntur: ſicut & anima humana, quæ carne clauditur: & dæmones, qui per ſubſtantiam angelicæ naturæ ſunt. Libro 4 de ſermonum proprietate, cap. 10.

DE HOMINE.

Opinionem de homine Hincmarus habet, quòd futuri ſint angeli. ait enim, Homines ſumus, ſed ſpe angeli ſumus, quibus æquales in reſurrectione futuri ſumus. Quàm diu non habemus perfectionem angeli, non habeamus præſumptionem diaboli. In epiſtola ad Hincmarum Laudunenſem, cap. 49.

Sic & Rabanus inquit, tot homines creari à Deo, quot Angeli ſunt lapſi, ut ita numerus ſuppleatur. In admonitione ad populũ, quam Reginhario epiſcopo miſit.

Ex nihilo nos eſſe creatos, Idiota ſcribit cap. 1, de Innocentia perdita: contra manifeſtum textum Geneſ. 2.

Haymo inquit: Quamdiu anima in corpore eſt, non eſt immundum humanũ corpus, quia habet animam ad imaginem & ſimilitudinem Dei factam. Statim uerò ut anima corpus deſeruerit, efficitur corpus immundũ utpote terrenum, & ex carnis uoluptate concretũ. Hoc dicimus, quantũ ád naturá. Cæterũ ſanctorũ corpora, quorũ mors eſt precioſa, ſancta ſunt ex merito ſanctæ inhabitatricis animæ. In 2 cap. Aggæi.

Rabanus ait: Non ſecundum corpus, ſed ſecundum intellectum mentis, ad imaginẽ Dei creatus eſt homo, quanquam & in ipſo corpore habeat quandam proprietatem, quæ hoc indicet, quòd erecta ſtatura factus eſt, ut hoc ipſo admoneretur, non ſibi terrena eſſe ſectanda, uelut pecora, quorum uoluptas omnis ex terra eſt, unde in aluum cũcta prona atque proſtrata ſunt. lib. 4 in Eccleſiaſticum, capite 5.

DE ANIMA.

Opinionem de anima hanc recitat Rabanus: Ante reſurrectionem Domini, omnes ſanctorum animæ in inferno ſub debito prę uaricationis Adæ tenebantur, donec authoritate Domini per indebitam eius mortem de ſeruili conditione liberarẽtur. Poſt aſcenſionem Domini ad cœlos, omnium ſanctorum animæ cum Chriſto ſunt: & exeuntes de corpore ad Chriſtum uadunt, expectantes reſurrectionẽ corporis ſui, ut ad integrã & perpetuam beatitudinem cum ipſo pariter immutentur, ſicut & peccatorum animę in inferno ſub timore poſitæ expectant reſurrectionem ſui corporis, ut cum ipſo ad pœnam conuertantur æternam. lib. 4 cap. 10 de Sermonum proprietate.

Remigius ait: Eruiſti animam meam ex inferno inferiori, id eſt, à loco tormentorũ, licet non à loco tenebrarum. Legitur enim, quòd omnes ſancti ante reſurrectionem Domini mortui, deſcenderint ad inferos, ubi erant in tenebris, ſed non in pœnis: non in illo loco, unde diues reſpexit Lazarum in ſinu Abrahæ repoſitum. in Pſalmum 85.

DE SANCTIS.

Nimium tribuit Marię Idiota, dicens: Per te (Maria) innocentia reparatur, uita angelica reducitur, Deus homini pacificatur & unitur, diabolus uincitur & conuertitur. qa de te ſcribitur: Ipſa conteret caput tuum. capite 4 contemplationum de Maria uirgine. Item: Dedit tibi uirgini Mariæ tota ſuperſancta Trinitas nomen, quod eſt poſt nomen ſuper benedicti filij tui, ſuper omne nomen, ut in nomine tuo omni genu flectatur, uti manifeſtè patet, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, &c. Et paulo pòſt, Mariam in cœlum aſſumptam eſſe ait:

cap.5. contemplationum de uirgine Maria.

Haymo inquit: Huius margaritæ pulchritudinem beatissima N. cuius hodie festiuã celebramus festiuitatem, multis diuitijs datis comparauit: quando pro eius amore regni potentiam derelinquens, & thorũ regalis matrimonij spernens, ad spontaneã paupertatem se contulit. Et ideo dignum est, ut qui temporalem reginã honore debito ueneramur, hanc Deo acceptam reginã deuotis precibus supplicemus, ut quia nos suo exemplo in nomine Christi congregauit, suis nos meritis & orationib. in præsenti uita iucundos efficiat, & in futuro acceptos reddat. In homilia de uirginibus, super parabolam Christi de margarita, Matth. 13.

Rabanus: Sanctorũ corpora, & præcipuè beatorũ martyrũ reliquias, ac si Christi mẽbra synceriss imè honoranda: & basilicas eorum nominibus appellatas, uelut loca diuino cultui mancipata, affectu pijssimo & deuotione fidelissima adeundas. Si quis cõtra hanc sententiam uenit, non Christianus, sed Eunomianus & Vigilantianus creditur. lib. 4. cap. 10. de Sermonum proprietate.

DE CRVCE DOMINI.

Ionas Aurelianensis episcopus lib. 3. affirmat, crucem Domini in eius honorẽ imaginetam, colendam, uenerandam, atq; adorãdam esse.

DE LIBERO ARBITRIO.

Caput de libero arbitrio totũ ferè obscuratum est. Haymo quoq; uulgarem erroré de libero arbitrio tuetur. Quia, inquit, liberi sumus arbitrij, pro nostra uolũtate aut ad uitia deflectimus, aut ad uirtutes. Super 1. caput Malachię. Et: Liberum arbitriũ ex parte seruatur, dum dicitur: Si uolueritis, & si nolueritis. ut in utramq; partẽ non ex iudicio Dei, sed ex merito singulorũ pœna uel præmium sit. Super Esaiam lib. 1.

Rabanus inquit: Et ut liberũ significaret arbitriũ, dicit se & mala annunciare gẽti, & regno illi uel illi, & rursum bona: nec tamen hoc uenire, quod ipse prædixerit, sed econtrariò fieri, ut & bona malis ueniant, si egerint pœnitentiam, & bonis mala, si post repromissiones fuerint ad peccata cõuersi. In epistola ad Humbertum episcopum. Item. Et hoc fecerunt propria uoluntate, quia in nostro consistit arbitrio bonum uel malum eligere. libro 14. in Hieremiam.

DE IVSTIFICATIONE.

Doctrinam iustificationis impurè tradiderunt huius seculi scriptores, etiamsi interdũ commodiusculas habent sententias.

Idiota tribuit bonis operibus remissionẽ peccatorum. inquit enim: Non est peccatum, quod dilectione tua non remittatur: non culpa, non noxa grauis uel enormis, quæ aduenientè dilectione tua non expellatur: non macula tam fœda, tenax, ac etiam inueterata, quæ non tua dilectione & amore dissoluatur. cap. 17. de Amore diuino. In hoc dicto non facit mentionẽ fidei in Christum. Item, affirmat neminem uenire ad filium, nisi eum Maria suis subsidijs traxerit. cap. 1. contemplationum de uirgine Maria.

Sic & Haymo: Quisquis Deo non credit, non saluatur. Sed ad salutem non sufficit sola fides: necessariũ est etenim cooperari per dilectionem fidei, & conuersari dignè Deo, quia fides sine operibus mortua est. Super 4 caput ad Hebræos. Item: Illud prætermittendum non est, quod per dationem Spiritus sancti omnium peccatorum remissio tribuitur: & ipsa quoque remissio septem modis efficitur, primùm per sacramentum baptismi, secũdùm per Eucharistiæ perceptionem, tertiò per martyrium, quartò per eleemosynam, quintò per pœnitentiam, sextò, per charitatẽ: septimò, quando in nobis peccantibus dimittimus. Super Euangelium in octaua Paschæ. Item: In fide & bonis operibus peruenitur ad Deum. Super 26 Psalmum. Et: Alius per ieiunia, alius per eleemosynas, alius per alias uirtutes festinet ad Dominum. Super 135 Psalmum. Item, Finem uerò uitam æternã: id est, propter consummationem operum uestrorum habebitis uitam æternam, quæ uobis dabitur pro perseuerantia uestra. Super 6 cap. ad Rom.

Rabanus inquit: Necesse est ad impetrandam ueniam pro uniuersis delictis nostris, dum tempus habemus, clementiã illius humillimis precibus ac bonis actib. nobis conciliare studeamus, prę occupemus faciẽ eius in confessione, & in psalmis iubilemus ei. In epistola ad Humbertum episcopum. Et: Idcirco tu si uis saluari, & his ad uitam frui, uelim sic te agas, ut Deum præsentem semper ubiq; intelligas: & sic coram ipso uersari, ut in nullo maiestatis eius oculos offendas. cap. 55. de sacramẽto Eucharistiæ. Item: Necessarium est unicuiq;, ut dum uiuit & prævalet, locum sibi æternæ beatudinis rectè credendo, & benè operando præparet: quia post finem istius uitæ non est tempus operationis, ut recipiat unusquisque prout ante gesit, siue bonum siue malum, lib. 4 in Ecclesiasticum cap. 6. Et: Ad hoc primus homo requisitus fuerat, ut quæ trãsgrediendo commiserat, confitendo deleret. cap. 19. de Modo pœnitentia.

Angelom. prędicator quisq; egregius palàm cunctis insinuat, nõ nisi per fidẽ & opera iusticiæ nos ad superna gaudia uitæ posse peruenire. In 7 caput libri 3 Regum. Item: Qui solã fidem sine operibus bonis & meditatione legis Dei sibi sufficere credunt ad salu-

ad ſalutem, rectè à Propheta arguũtur, quia ſecundum Iacobi Apoſtoli ſentẽtiam, ſicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt. In 13 caput libri 4. Regum.

DE FIDE.

De aliena fide, inquit Hincmarus: Quia nõ ſuperbia uel cõtẽptu, ſed neceſsitate defuerat: & ſicut paruulis, naturali, id eſt alieno peccato obnoxijs, aliorũ, id eſt patrinorum fides pro eis reſpondentium in baptiſmate fit ad ſalutem: ita paruulis quibus baptiſmum denegari dixiſti, parentum uel patrinorum corde credẽtium, & pro paruulis fuis fideli uerbo baptiſma expetentium, ſed non impetrantium, fides & fidelis poſtulatio prodeſſe poterit dono eius, cuius ſpiritu regeneratio fit, qui ubi uult ſpirat, cap. 48 in epiſtola ad Hincmarum Laudunenſem.

Malè definit credere Remigius: Credere in Deum eſt, credẽdo adhęrere in bene cooperando bona operanti Deo: in 77 Pſalmũ.

DE BONIS OPERIBVS.

Operibus ſalutem contra ſacram Scripturam non rarò aſcribunt. ut Idiota: Dilectio propriè conſiſtit in anima, nec eſt ſupra facultatem hominis, ita quod non poſsit eam perficere: nec eſt dilectio longè ab eo, ſcilicet ultra cognitionem eius, ita quod non poſsit eã apprehendere: ſed eſt iuxta hominem, ſcilicet in ore eius & in corde, ut adimpleat eam, & diligat te Domine. Et paulo pòſt: Ex dilectione uita homo uiuit gratiæ, & multiplicat bona opera, ut terram uiuentium poſsideat: & nullo modo nos Deo placere poſſumus, niſi per dilectionem. cap. 22 de Amore diuino. Item: Iſta ueſtis nuptialis (quam interpretatur dilectionem & amorem) ſola diſtinguit filios regni & perditionis: quia qui eam defert regnũ tuum intrabit, ut cõuiua tuus & filius chariſsimus. qui uerò ea carnerit, etiãſi deferat omnes alias ueſtes, id eſt omnes alias uirtutes, expellẽtur à regno tuo. Iſta ueſtis operit multitudinem delictorum. capite 24. de amore diuino. Item: Propter mundi labores & tribulationes fructus æternæ gloriæ ex tuæ prouidentiæ ſola benignitate expectamus. cap. 7 de uera patientia. Et: Patienter ſuſtinendo tribulationes, debitũ pro peccatis ſolui. cap. 13 de Vera patiẽtia. Et iuſtè nos affligi dicit, ut per ipſas tribulationes cõpulſi ab iniquitatibus & peccatis recedamus, & per bona opera ad cœleſtem patriam properemus, & æternæ uitę terminum totis uiribus affectemus. cap. 15 de Vera patientia.

Rabanus ait: Si charitas ueſtra hoc eis prę ſtiterit, & reconciliationẽ plenam exhibuerit, credo omni tẽpore illos uobis exhibere deuotos, & ſic trãſitus ueſter pacificus ad ſacra Apoſtolorũ limina & utilis erit, habebitiſq; ipſos Apoſtolos pro uobis apud Dominum interceſſores, ipſeq; Dominus annuet precibus ueſtris. in epiſtola ad Otgarium.

DE ORATIONE.

Sanctorum etiam inuocationẽ retinuerunt nonnulli: ut Idiota, Mariam inuocandam eſſe uult in prologo Contemplationũ de uirgine Maria. Itẽ: Ad inuocationẽ nominis Marię cœlũ ridere, terram lętari, angelos cõgaudere, dæmones cõtremiſcere, & infernum conturbari. cap. 5 de Maria uirgine.

Rabanus ait: Suppliciter poſco, ut cũ Deo opitulante ad limina Apoſtolorũ uenietis, mei miſeri & ualde peccatoris in ſacris orationibus ueſtris memores eſſe dignemini, quatenus princeps Apoſtolorũ, cui claues regni cœlorũ cõmiſſę ſunt, cũ uotis ueſtris annuerit, & pro uobis apud Dominũ interceſſor fortiſsimus extiterit, tũc etiã mihi ueniam peccatorum meorũ exorare & impetrare dignetur. In epiſtola ad Otgariũ. Item: De ſeruo qui fugerit dominum ſuum interrogabas, ſi ille in ipſa fuga mortuus fuerit, utrum liceret pro eo miſſas cantare, aut pſalmodias. Hoc in diuinis libris non inuenimus prohibitũ. Attamen ſi in ipſa fuga obierit, orandum eſt pro eo, niſi fortè aliquo crimine maiore implicetur, aut in perfidiã deuoluatur, unde fructuoſa pro eo non poſsit eſſe oratio. In epiſtola ad Reginbaldũ chorepiſcopum.

DE POENITENTIA.

Imperfecta eſt definitio Rabani: Quid eſt enim aliud pœnitere, niſi iraſci ſibi, ut horreat quod fecit: & cruciatus à ſe exigat, ne iudex iratus potius affligat. libro 6. in Eccleſiaſticum, cap. 7. Item: Pœnitentia uera eſt, pœnitẽda non admittere, & admiſſa deflere. li. 4. de Sermonum proprietate, cap. 10.

Pœnitentiæ plus iuſto tribuit Rabanus: Certum eſt quòd ille qui iniquitatem facit, & peccatum uitare non curat, gratam oblationem Deo offerre non poteſt, nec ueniam promereri delicti: ſed qui fugit uitia, & digna pœnitentia ac lachrymarum effuſione, delere ſua ſtudet peccata, hic Deo acceptabilia offert munera. Libro 8 in Eccleſiaſticum cap. 3.

Sic tantum ad opera deducit, & non ad fidem, concilium Cabilonenſe: Qui uerò peccata ſua ſacerdotibus, in quorum ſunt paro chijs, confeſsi ſunt, & ab his agendæ pœnitentiæ conſilium acceperunt, ſi orationibus inſiſtendo, eleemoſynas largiendo, uitam emendando, mores componendo, Apoſtolorum limina uel quorumlibet ſanctorum inuiſere deſiderãt, horũ eſt deuotio omnib. collaudanda. Canone 45.

Rabanus

Rabanus in epistola ad Reginbaldũ chor epiſcopum de pœnitentia ſcribit,uerùm nihil de fide dicit:Qui ueraciter,inquit,pœnitet, & per lachrymarũ indicia cordis ſui cõtriſtationẽ manifeſtat, leuiori disciplina tractandus eſt:quòd cor cõtritum & humiliatum Deus non ſpernit. Et in quocunq; die peccator conuerſus pœnitentiam egerit,& fecerit iudicium & iuſticiã,uita uiuet, & non morietur. Nec temporis longinquitas,ſed animi affectus penſandus eſt : quia ſuſcepit Dominus triduanam pœnitentiam Niniuitarum,& Petri negationem amariſsimis fletibus ablutam Dominus indulſit, cũ eum tertia die reſurgens,inter cæteros diſcipulos angelica uocatione ad ſuam præſentiam & reconciliationem uenire iuſsit. Et: Qui peccant,pœnitẽtiæ remedia non refugiant:ſed potius reconciliari & ueniam impetrare apud Deum feſtinent,quatenus hic religioſè conuerſantes , & bonis operibus intendentes, in regno Dei ueram ſalutem, & uitam conſequi mereantur æternam. Ibidem. Et:Multi ſunt pœnitentiæ fructus, per quos ad expiationem criminum peruenitur. Non enim tantum ſimplici illo pœnitentiæ nomine ſalus æterna repromittitur,de qua Apoſtolus Petrus : Pœnitemini, inquit,& conuertimini,ut deleantur peccata ueſtra. & Ioannes Baptiſta,uel ipſe Dominus:Pœnitẽtiã agite,appropinquat enim regnum cœlorum.Sed etiã per charitatis affectum multitudo peccatorum obruitur. charitas enim operit multitudinẽ peccatorum. Similiter ergo per eleemoſynarũ fructũ uulneribus noſtris medicina monſtratur: quia ſicut aqua extinguit ignem,ſic eleemoſyna extinguit peccatum. Item per lachrymarũ profuſionem acquiritur abolitio delictorũ: Lauabo enim per ſingulas noctes lectum meum,lachrymis ſtratum meum rigabo.Denique ſubiungit , oſtendens non inaniter eas fuiſſe profuſas : Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem,quoniam exaudiuit Dominus uocem fletus mei.cap. ultimo,de modo pœnitentiæ.

De confeſsionibus inquit Canon 33 Cabilonenſis concilij : Confeſsio itaque quæ Deo fit,purgat peccata:ea uerò quę ſacerdoti fit,docet qualiter ipſa purgentur peccata. Deus nãq; ſalutis & ſanitatis author & largitor,plerunq; hanc præbet ſuæ potentiæ inuiſibili adminiſtratione.

DE BAPTISMO.

In fide parẽtũ ait Haymo baptizari infantes:Qui crediderit,& baptizatus fuerit, ubi curioſus Lector apponere poteſt:Quid ergo fiet de infantibus, qui neſciunt loqui? Ad quod uerè reſponderi poteſt, Quia ſola fides parentum paruulis proficit in Baptiſmo,ita tamẽ, ut cum ad legitimam ætatem peruenerint,inſtruãtur & doceantur.Super Euangelium in aſcenſione Domini.

Martyrium, ait eſſe baptiſmi uice Rabanus: Hinc quoque martyrium , quod pro Chriſti nomine patiuntur fideles, creditur eſſe purgatio omnium delictorum.ſicut dicit Petrus Apoſtolus : Chriſtus paſſus eſt pro uobis,uobis relinquens exemplum, ut ſequamini ueſtigia eius.Libro 5. de Sermonum proprietate,cap.11.

DE COENA.

Opinio eſt,oportere aquã miſceri uino. Rabanus in Euchariſtia.

Eſſe ſpiritualem carnem, Bertramus docet:Illa caro quæ crucifixa eſt , de uirginis carne facta eſt,oſsibus & neruis compacta, & humanorum membrorum lineamentis diſtincta,rationalis animę ſpiritu uiuificata in propriam uitam, & conguentes ęmotus: At uerò caro ſpiritualis, quæ populum credentem ſpiritualiter paſcit, ſecundum ſpeciem quam gerit exterius frumenti granis, manu artificis conſiſtit, nullis neruis oſsibuſq; compacta,nulla membrorum uarietate diſtincta,nulla rationali ſubſtantia uegetata,nullos proprios potens motus exercere. Quicquid enim in ea uitæ præbet ſubſtantiam,ſpiritualis eſt potentiæ,& inuiſibilis efficientiæ,diuinæq; uirtutis. Atq; aliud longè conſiſtit ſecundũ quod exterius conſpicitur,atq; aliud ſecundum quod in myſterio creditur.Libro de corpore & ſanguine Domini.

Tranſſubſtantiationis habet ſemina Bertramus:utitur enim uocabulis permutationis, commutationis & conuerſionis.ut:Atquia confitentur & corpus & ſanguinem Chriſti eſſe,nec hoc eſſe potuiſſe niſi facta in melius commutatione:neque iſta commutatio corporaliter, ſed ſpiritualiter facta ſit neceſſe eſt,ut iam figuratè facta eſſe dicatur,quoniam ſub uelamento corporei panis,corporeiq; uini ſpirituale corpus Chriſti ſpiritualisque ſanguis exiſtit: non quòd duarum ſint exiſtentiæ rerum inter ſe diuerſarum, corporis uidelicet & ſpiritus , uerùm una eademque res , ſecundum aliud ſpecies panis & uini conſiſtit,ſecundum aliud autem corpus & ſanguis Chriſti. Secundum namque quod utrunque corporaliter cõtingitur,ſpecies ſunt creaturæ corporeę:ſecundum potentiam uerò, quòd ſpiritualiter factæ ſunt,myſteria ſunt corporis & ſanguinis Chriſti. Item: Cum ſanctus Paulus aſſeuerat, eãdem eſcam ſpiritualem manducaſſe, eundem potũ ſpiritualem biſſe patres noſtros:non iſthic ratio , qua fieri potuerit,diſquirenda,ſed fides quid ſactum ſit adhibenda.Ipſe namque qui nunc in Ec-

in Ecclesia omnipotenti uirtute panem & uinũ in sui corporis carnem,& proprij cruoris undam spiritualiter conuertit, ipse tunc quoque Manna de cœlo datum corpus suũ, & aquam de petra profusam proprium sanguinem inuisibiliter operatus est. Et: Sicut Christus paulo antè quàm pateretur, panis substantiam & uini creaturam conuertere potuit in proprium corpus,quod passu rum erat: & in suum sanguinem, qui pòst fundendus extabat. sic etiam in deserto Mãna & aquam de petra in suam carnem & sanguinem conuertere pręualuit, quamuis longè pòst & caro illius in cruce pro nobis pendenda, & sanguis eius in ablutionem nostram fundendus superabat. Bertramus de corpore & sanguine Domini.

De immolatione,inquit Paschasius:Non enim moritur, mors ei ultrà non dominabitur:sed tamen in mysterio quotidie ueraciter immolatur,in ablutionem delictorum comeditur.cap.9. Et:Figura uerò,tum sacerdos quasi aliud exterius gerens,ob recordationem sacrę passionis ad aram,quod semel gestum est, quotidie immolat agnum.cap. 12. Item:Iteratur autem quotidie hæc oblatio,licet Christus semel passus in carne, per unam eandemque mortis passionem semel saluauerit mundum,ex qua morte idem resurgens ad uitam, mors ei ultra non dominabitur: quia profectò sapientia Dei patris necessarium pro multis causis hoc prouidit. Primùm quidem,quia quotidie peccamus, saltem in peccatis,sine quibus mortalis infirmitas uiuere non potest : quia licet omnia peccata donata sunt in baptismo, infirmitas tamen peccati adhuc in carne manet. unde Psalmista,Benedic anima mea Domino,qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis,qui sanat omnes infirmitates tuas. Et ideo quia quotidie labimur, quotidie ꝓ nobis Christus immolatur, & passio Christi in mysterio traditur, ut qui semel moriendo mortem uicerat,quotidie recidiua delictorum per hæc sacramenta corporis & sangui nis peccata relaxet. Vnde oramus:Dimitte nobis debita nostra. Quia si dixerimus quòd peccatum non habeamus,ipsi nos seducimus , & ueritas non est in nobis. Secundò igitur , ut sicut fuit arbor uitæ in Paradiso , ita sancta Dei Ecclesia , quæ paradisus deliciarum in Canticis appellatur,habeat in se mysterium uitæ,quod in eo dem signo figurabatur: ex quo qui edunt, seruantes mandata uitæ, nequaquam possunt mori in æternum. Quod si ueluti Adam inobedientes à diabolo rursus peccato mortis perempti fuerint,sicut ille de paradiso,remouentur à sanctis altaribus, & à ligno uitæ , scilicet à corpore & sanguine Christi, qui est uerum Paradisi lignum,cuius folium non defluet,& omnia quæcunque faciet prosperabuntur.Remouentur autem ne sumant de ligno uitæ , & malè uiuant , ut moriantur: imò ut resipiscant à malis suis,& per pœnitentiam reconciliati Christi per hunc cibum rursus reinserantur uisceribus,& feliciter deinceps uiuant in ęternum. Hoc quippe agũt sacerdotes Christi in ecclesia , & monstrant quod futurũ est in illo ultimo examine,quando separabuntur iusti ab iniustis. Sed hic,sicuti Adam expulso, spes manst redeundi ad uitã per pœnitentiam:ita præcisis à ligno uitæ,patet facultas,si uelint redire ad ueniam. Vbi cum pœnitentia interceserit, certa spes percipitur:quia iam uitæ admixtus, mori non poterit,si reconciliatus maneat in Christo.

Tertiò,ut quicunque dignè hanc uitam sumant renati,unum efficiantur: ut sicut iam per baptismum Christo induũtur,ita Christus in eis per hoc sacramentum corporaliter maneat,ut sint credentes unum in Christo , & Christus in eis maneat , quatenus illud completur quod ipse ad patrem orat: Nõ pro his autem rogo,inquit tantum, sed pro ijs qui crediturí sunt per uerbum eorum in me,ut omnes unum sint , sicut tu pater in me,& ego in te,ut & ipsi unum sint in nobis. Hęc itaque unitas, non sicut hæretici uolunt , sola uoluntate inter Patrem & Filium prædicatur, & sicut laborant ex eo quod ait:Ego & pater unum sumus. Tentant igitur ad unanimitatis illud conferre consensum, ut unitas uoluntatis in his sit, non naturæ , sicut multitudinis credentium in Hierusalem dicitur cor unum & anima una fuisse. Capite 24. de corpore & sanguine Domini.

De canone Paschasius ait : Vnde sacerdos cum hæc incipit immolare , inter cætera : Iube, inquit, hæc perferri per manus Angeli tui in sublime altare tuum,in cõspectu diuinæ maiestatis tuæ. Et cogitas,ô homo,aliunde illud accipere quã de altari,ubi sublimis transpositum consecratur? Sed fortasis ad hæc cæca cogitatio dicit, Et quomodo in cœlũ ante conspectũ diuinæ maiestatis tã subitò offertur,cũ his aut panis,aut caro,licet uideatur in manu sacerdotis , & uisibiliter semper teneatur? hoc quippe est infelix homo, quod sacramentũ uel mysteriũ uocatur.Si.n.totũ uisibile fieret, nullũ in eo mysteriũ uel secretũ esset,nulla fides,nulla uis spiritualis,nulla alia res quã quæ oculis & gustui subiacerer.Nunc aũt lõgè aliter uirtus diuina interius operatur: quia ꝓ fidẽ ambulamus,& nõ per speciẽ. Habet enim fides pęmiũ meritorũ,ut quicquid per fidem tibi sapuerit,hoc interius totum præbeat.

Vnde

Vnde scriptum legimus: Dedisti eis Domine panem de cœlo, habentem omne delectamentum, & omnem saporem suauitatis. Alioquin nisi per fidem & intelligentiã, quid prẽter panem & uinum in eis gustantibus sapit? cap. 19 de corpore & sanguine Domini. Item: Rogamus hanc oblationẽ, inquit, benedictam, per quam benedicamur: adscriptam, per quam nos omnes in cœlo conscribamur: ratam, per quam in uisceribus Christi censeamur. Rationabilẽ, per quam à bestiali sensu exuamur: acceptabilemq; facere dignetur, quatenus & nos per hoc quia in nobis disciplicuimus, acceptabiles in eius unico filio simus. ut nobis (inquit) fiat corpus & sanguis dilectissimi filij tui, Domini nostri Iesu Christi. capite 34. de corpore & sanguine Domini.

De transubstãtiatione Pascasius inquit: Cogita igitur, si quippiam corporeum potest esse sublimius, cum substantia panis & uini in Christi carnem & sanguinem efficaciter interius commutatur, ita ut deinceps post consecrationem iam uera Christi caro & sanguis ueraciter credatur, & non aliud quàm Christus panis de cœlo à credentibus æstimetur. cap. 19 de corpore & sanguine Domini. Et Licet igitur panis in carnem, & uinum conuertatur in sanguinem, uelut si à natura probatur: tamẽ altius considerandа sunt hæc, ubi nõ modò caro aut sanguis Christi in nostram conuertuntur carnem aut sanguinem, uerùm nos à carnalibus eleuant, & spirituales efficiũt. capite 50 de corpore & sanguine Domini.

DE VNCTIONE.

Rabanus: Per unctionẽ sanctificatio spiritus adhibetur, & hoc de pristina disciplina, qua ungi in sacerdotium & in regnum solebant, ex quo & Aaron & Mose unctus est. lib. 5. de Sermonum proprietate, capite 11.

DE CONFESSIONE.

Rabanus: Qui transgreditur mensuram in concupiscẽtijs carnis, & aggrauatur eius delictis, necesse est ut per confessionẽ peccatorum fœditatem euomat, & sic per ieiunium, & castigationem corporis ad statum pristinæ sanitatis redeat. libro 7 in Ecclesiasticum, capite septimo.

DE VOTIS.

Remigius: Necesse est, ut qui uouet, etiã reddat quia uouendo se debitorem fecit. Et melius est non uouere, quàm post uotũ nõ soluere. Audi quid sit uouendum. Quisquis cogitat quid bene uoueat, seipsum uoueat & reddat, hoc debetur, hoc exigitur. Sunt etiam uota quædam hominibus cõmunia, quędam specialia. Cõmunia, ut qui furabatur, iam non furetur: & à cæteris uitijs abstinere, quod profitetur omnis qui baptizatur. Specialia uota sunt, quando aliquis uouet se monachum fieri, uel aliquid aliud. quod dicit: Vouete & reddite Domino Deo uestro. in 75 Psalmum.

DE ECCLESIA.

Nimium tribuit Hincmarus Romanis episcopis. Nam inquit in epistola ad Hincmarum Laudunensem episcopũ: Non debet credi, uel etiam suspicari, ut ipsi errauerint.

DE ANTICHRISTO.

Habent suas opiniones de Antichristo, sicut & superiorũ Centuriarũ aliquot patres.

Haymo inquit: Nascetur Antichristus in Babylone, de tribu Dan, iuxta quod Iacob dicit: Fiat Dan coluber, &c. & cum uenerit Hierosolymam, circumcidet se, dicens Iudęis: Ego sum Christus uobis promissus. Tũc confluent ad eum omnes Iudæi. Super 2 caput epistolæ 2. ad Thessalonicenses. Item: De Dan nasciturus est Antichristus, iuxta illud Iacob.: Fiat Dan coluber in uia. libro 2. Super 7 caput Apocalypseos.

DE TRADIONIBVS.

Haymo: Si uirtus non esset uilibus indui uestibus, nequaquam Dominus Ioánem de uestitus sui asperitate laudasset. Et si peccatum non esset preciosa & superflua induere uestimẽta, nequaquam de pœna purpurati diuitis locuturus præmitteret, quia induebatur purpura & byssо. Super Euangelium Dominicæ 3. Aduentus.

DE CRVCE.

Certum est, quòd omnes hi qui in fide Catholica pro Christo martyrium sustinẽt, etiam si criminalibus impediti sint, omnia tamen in martyrij sanguine diluũtur. Haymo super 115. Psalmum.

DE CONIVGIO.

Haymo inquit: Discant uiduæ secunda & tertia declinare coniugia. Discant etiam post uirorum suorum mortem carnis uitare lasciuiã, quia Anna à uirginitate, postquã amisit uirginitatem, septem annis cum uiro uiuens, octoginta quatuor uidua permansit. Super Euangelium infra 8. Natiuitatis,

DE MAGISTRATV.

Rabanus inquit: Magistratum politicum ab hominibus esse, cum ab ipso Deo habeat originem. Sic enim inquit: Duæ dignitates atque potestates inter homines constitutæ reperiuntur. una ex humana inuentione reperta, hoc est imperialis atque regalis. altera uerò ex diuina authoritate instituta, hoc est sacerdotalis. quarum una hominum corpora parat ad mortem, altera animas nutrit ad uitã. in epistola ad Brunuuardũ abbatẽ.

DE INFERNO.

Opinionẽ habet Haymo: q, ante Christũ nullus in Paradisum deducebatur: sed etiã iusti, quamuis sine pœna, in inferno tenebantur.

bantur.ſuper duodecimum Pſalmum.Item: In Abraham & alijs iuſtis præceſſorib. Chriſti nunquam fuit originale peccatum prorſus deletum, niſi per ſanguinem Chriſti, & hos Chriſtus ab inferis liberauit. ſuper 28 Pſalmum.Et: Abraham & Prophetæ ante aduentum Chriſti in inferno erant,ſed nõ torquebantur. Erat infernus inferior, ubi animæ malorum torquebantur, ſicut econtrario, in domo patris mei manſiones multæ ſunt. Vel iſte mundus dicitur infernus, ad cõparationem cœleſtis habitationis.Ille uero locus quo animæ malorum ad torquendum deſcendunt,inferior infernus dicitur: uel ex inferno inferiori:id eſt, ex profunditate uitiorum animæ omnium fidelium defunctorum, quæcunq; non deſcendunt ad infernum,liberatę ſunt.ſuper 85 Pſalmũ.Et: illos quos inuenit apud inferos Chriſtus, duxit in paradiſum.ſuper 138 Pſal.Item:multos ſanctorum in inferno uinculis originalis peccati detentos eſſe, quos tamen in reſurrectione Chriſti cum eo ſurrexiſſe aſſerit. ſuper nonum caput Zachariæ.

DE PVRGATORIO.

Haymo: Qui uerò leuia peccata attrahũt, purgãtur ab illis,quia à tribulationib.incendũtur in hoc ſeculo, uel poſt mortẽ in igne purgatorij, uel alia afflictiõe,orationibusq; hominum expiantur. Qui uerò plumbũ coa ceruant ſibi,in hoc ſeculo incipiunt cruciari,& ex parte pati,quæ in futurum plenius paſſuri ſunt.ſuper 3 cap.epiſtolæ ad Corint. Et:Ne corripias me in ira tua, ſed in aliqua pœna data poſt mortẽ ante iudiciũ:id eſt, in purgatorio. ſuper 6. Pſal. Et: Fornicarij niſi dignam in hac uita egerint pœnitentiam,in locis purgatorijs peccatum eorũ delebitur. ſuper 6.cap.epiſtolæ 1. ad Corinth. Et: Qui dixerit cõtra ſpiritum, neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro remittetur ei. Oſtẽdit aliqua eſſe peccata quæ in iudicio per ignẽ purgatorium remittuntur. ſuper Euangeliũ feriæ 6.Pentecoſtes.Item:Multi ſunt in igne purgatorio,qui pœnitentiam inchoauerũt:ſed ſurripiente mortis articulo, non ad effectũ perduxerunt, qui Domino largiente in die iudicij ſaluabũtur. Notandum autem,quia non de impijs dicimus,qui in ipſa impietate tranſierũt ab hac luce, ſed de his qui poſt flagitia peracta ad pœnitentiã cõuerſi ſunt. Et hoc à Domino Deo exiuit,ut ita diſponeret actus hominum,& magnificaret iuſticiã ſuam.libro 2.ſuper Eſaiam.

DE VITA AETERNA.

Haymo:Sicut ante turrim Babel una erat lingua Hebręa,ſic,ut quidam putãt Doctores,expleto iudicio ipſa remanebit una.Reuera in multis linguis uarietas eſt:& ubi eſt uarietas, ibi diſſenſio. In ſanctorum regno non erit diſſenſio. Ergo nec linguarum uarietas.ſuper decimumtertium caput epiſtolæ primæ ad Corinthios. Item: Tot homines ſancti aſcenſuri ſunt in cœlum, quot remanſerunt ibi angeli,pereũte diabolo:quoniam in omnibus angelorum ordinibus,ipſi ſancti locum habebunt.libro ſecundo ſuper quintum caput Apocalypſeos. Idem dicit in Homilia Dominicæ quintæ poſt Pentecoſten.

CAPVT V.

DE HAERESIBVS.

NOn recenſentur ab autoribus multę hæreſes in hoc ſeculo graſſantes: idq; potiſsimùm eam ob cauſam factũ eſt,quia magnæ tenebræ, pleriſq; capitibus doctrinę ſanctæ deprauatis, aliàs in Eccleſiã Dñi longè lateq; ingruerunt.Pontifex enim Romanus,primatu ſuo iam conſtabilito, partim ſua potentia territabat, partim uerò ſua ſuperſtitione uniuerſas penè Eccleſias Chriſti miſerabiliter faſcinabat. Duraũt aũt hoc ſeculo bellũ de cultu atque adoratione imaginum, ita ut illi proclamarentur Anathematiſati, ante omnem cognitionẽ & dijudicationẽ, qui quantũuis modeſtè auderent contra adorationẽ & uenerationẽ pictuarum,ſtatuarũ & cruciũ mutire. Conatus eſt quidem Carolus Magnus ſynceriorem doctrinam conſeruare, & fouit doctos uiros,d ũuiueret:uerũ eo extincto, maiores caligines dominiũ latius acceperunt.

Qualibus uerò artibus ſoleant uti hæretici ad decipiẽdos homines,Haymo exponit, dicens: De hæreticis manifeſtus eſt ſenſus, quod Sophiſmatibus ſuis, & arte dialectica oppreſſerint Eccleſiã. Sed cum hoc fecerũt, non mundiciã ueræ fidei,ſed ſordes ſequuntur mendacij.ſuper 5.cap.Eſaiæ.Item. Hæretici prauã intentionẽ tam diu celant,ueris falſa uelãtes,quouſq; ſubiecti libenter eorũ obtemperent uoluntati,& donec corda deceptorũ intumeſcant fermẽto prauæ doctrinæ illorũ. Quæ enim ſpõte fiunt,diu durãt: quæ autem neceſſitate, citò ſoluũtur.idem ſuper 7. cap. Oſeæ.Et: Vir Eccleſiaſticus in malis operibus,uel in ſanctarũ Scripturarũ interpretatione peruerſa,ędificat ſibi urbes munitas,nõ auxilio Dei, ſed artificis mẽdacio,dum Scripturã malè intelligẽs, teſtimonijs diuinis ſuos nititur cõfirmare errores, quos Dominus igne ſui ſpiritus ſuccendet, & ad nihilum deducet. Idem ſuper 8. Oſeę.

De peculiari nota hæreticorũ inquit Haymo:Difficile eſt,ut beatus Hieronymus dicit,hęreticum reperire, qui diligat caſtitatẽ,

licet eam ſoleat ore proferre: quia aliud loquitur laqueis, aliud ſeruiat conſcientia, & implet opere. Vnde & abominabiles exiſtunt, facti immundi, ſicut & ea quæ dilexerunt: Haymo ſuper 9. cap. Oſeæ.

De effectu hæreticorum ſcribit Haymo: Qui doctrinã hæreticorũ ſuſcipiũt, immundi fiunt. Hæreticorũ enim conciliabula non domus Dei ſunt, ſed ſpelunca latronũ appellantur. ſuper 9. cap. Oſeæ. Et: Deteriores omnium hæretici comprobantur, qui in portis fidei humiles Eccleſię deprimere conantur. idem ſuper 5. cap. Amos.

Quare Deus permittat hęreticos exoriri, Haymo docet inquiens: Ad hoc ſinit in Eccleſia eſſe Deus hæreticos, ut uel probent, uel exerceãt. Haymo ſuper 1. Micheæ.

ICONOLATRAE.

COmmunis & uulgaris erat hęreſis Iconolatrarũ, adeò ut pro uera ſententia publicè, ab illis qui catholici perhiberi uolebant, defenderetur. Varij autẽ prætextus, ut fieri ſolet, in malis cauſis quærebantur: & ui atq; potentia excellentes, alios infirmiores recte ſentientes opprimebant. Vnũ tantũ exemplum hic cõmemorari opere preciũ eſt.

¶ Ionas Aurelianenſis, aduerſus Claudiũ natione Hiſpanũ, Taurinenſis Eccleſiæ præſulẽ, qui presbyter fuerat Ludouici Pij, tres libros, ſeu inuectiuas potius quàm refutationes conſcripſit: in quibus ei iſta capita impingit, ueluti hæretica.

1. Imagines & ſtatuas nõ eſſe adorandas, ſed Deum uerum tantũ: nempe Patrem, Filium & Spiritum ſanctũ, eamq; ob cauſam picturas & ſtatuas, manifeſtę idololatrię ſeruientes, abolendas eſſe.

2. Superſtitioſum eſſe, pœnitentiæ gratia Romã proficiſci: cum pœnitentia uera quouis in loco fieri poſsit.

3. Ad reliquias ſanctorum non currendũ eſſe, religionis aut cultus gratia.

Propter iſta axiomata, Ionas in hũc Claudiũ laxis habenis fertur, eumq; ait à diabolo inſtigari, ut iſta doceat: ac pronũciat, eum ab Eccleſia meritò eſſe anathematizatum.

Occaſionem autẽ & rationes Claudij aliquot, ex libro Ionæ licet excerpere. nam integra Claudij ſcripta nõ ſunt memoriæ reſeruata.

Occaſio fuit, quod Claudius inquit, Se factum præſulem in Taurinenſi ciuitate, atq; inueniſſe oẽs baſilicas (contra ordinẽ ueritatis) ſordib. anathematũ, imaginibus nempe, plenas. Ionas lib. 1. Vidit igitur Claudius imagines apertè ſuperſtitioni fœdæ ſeruire, atq; idololatriam publicè graſſari. Ideo & doctrinam de uera unici Dei inuocatione ſibi clarius tradendam, & materiam ſuperſtitionis ſimul tollendam eſſe exiſtimauit.

¶ Rationes quib. utitur Claudius, iſtę ſunt.

1. Quod homines nõ ſimpliciter haberẽt, ſed & colerent atq; adorarent ſtatuas. ſicut inquit: Ideo quòd homines colebãt, ego deſtruere eas ſolus cœpi.

2. Quia diſtinctè dicitur, non faciendam eſſe ſimilitudinem omniũ quę in cœlo ſunt, aut quæ in terra.

3. Eſt ethnica ſuperſtitio. Sicut enim gentes ignaræ ueri Dei, Iouem, Saturnum, aut Mercurium coluerũt: ita etiam nunc Petrus aut Paulus coluntur. Nomen (inquit Claudius) mutatur, error uerò idem ipſe permanet ſemper.

4. Si adorãdi (inquit) fuiſſent Apoſtoli, ui potius quàm mortui adorari debuiſſent.

5. Lapides & ligna carent ſenſu.

6. Si opera manuũ Dei non ſunt adoranda. Ergo multo minus opera manuum hominum adoranda & colenda ſunt.

7. Sancti nolunt ſibi honorem, ſoli Deo cõpetentem (qualis eſt inuocatio) attribui.

8. A creatione hominis. Quid te ad falſas imagines humilias & inclinas? Quid ante inepta ſimulachra, & figmenta terrena captiua, corpus incuruas? Rectũ te Deus fecit, & cum cætera animalia prona, & ad terrã ſtruergẽte depreſſa ſint, tibi ſublimis ſtatus, & ad cœlũ, atq; ad Dñm uultus rectus eſt. Illuc intuere, illuc oculos tuos erige, in ſupernis Deũ quęre: ut carere inferis poſsis ad alta & cœleſtia ſuſpenſum pectus attolle. Quid te in lapſum mortis cũ inſenſata imagine, quã colis, ſternis? Quid in ruinam diaboli peripſa, & cum ipſa cadis? ſublimitatẽ ſerua, quã natus es: perſeuera talis, qualis à Deo factus es. Ionas lib. 1. de cultu imaginum hæc Claudij uerba recitat.

9. Quia crucem ita uenerantur, quaſi ſemper in cruce penderet Chriſtus. Verùm Paulus inquit: Etſi noueramus ſecundũ carnem Chriſtum, ſed iam non nouimus eum.

10. Imaginibus, utpote crucium adoratione & uenerationę, rurſum crucifigi filium Dei, atq; oſtentui haberi.

11. Animæ hominũ à uero Deo abducuntur ad creaturas, quæ ſunt uanitates, teſte Scriptura.

12. Aliud Deus iuſsit, aliud illi faciunt. Ionas lib. 2. Item: Taliter Deũ colere, ab eo recedere eſt.

¶ Obiectionem, quòd dictitabant Idololatræ, ſeſe tantum ob recordationẽ adorare & uenerari crucẽ, hiſce uerbis ſoluit Claudius. Contra quos reſpondendũ eſt: Quia ſi omne lignũ ſchemate crucis factũ uolũt adorare, ꝓ eo qđ Chriſtus in cruce pepẽdit, & alia multa illis cõuenit, quę Chriſtus egit per carnẽ. Vix enim ſex horis in cruce pepẽdit, & tamen nouẽ menſib. lunarib. & ſupe-

unde-

undecim dieb.in utero uirginis fuit: qui simul sunt dies solares 276:id est,nouẽ mẽses & suprà dies sex.Adorẽtur ergo puellæ uirgines,quia uirgo peperit Christũ. Adorẽtur & præsepia:quia mox natus, in præsepio est reclinatus.Adorentur & ueteres panni:quia cõtinuò cum natus esset, pannis ueteribus est inuolutus.Adorentur & naues: quia frequenter in nauib.nauigauit, & de nauicula turbas docuit,& in naui dormiuit:& in dextera nauigij rete mittere iusit,quando prædita illa magna captura facta est piscium. Adorentur asini, quia asellum sedendo ad Hierusalem usq; peruenit. Adorentur agni, quia de illo scriptũ est:Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mũdi. Sed isti peruersorũ dogmatũ cultores, agnos uiuos uolũt uorare, & in pariete pictos adorare. Adorentur & leones,quia de illo scriptũ est: Vicit leo de tribu Iuda,radix Dauid.Adorẽtur & petræ, quia quãdo de cruce est depositus, in saxeo sepulchro est positus.Et de illo dicit Apostolus:Petra aũt erat Christus. Sed Christus petra,agnus leo,tropicè,non ꝓpriè est dictus: per significantiã,nõ per substantiã.Adorentur & spinæ ruborũ, quia exinde spinea corona tẽpore passionis capiti eius imposita est. Adorẽtur & arũdines, quia ab eis colaphis à militib.caput eius cæsum est. Postremò adorẽtur & lanceę: quia unus militũ lãcea latus eius aperuit, unde fluxit sanguinis & aquæ sacramentũ, unde formatur Ecclesia.Ionas libro 1,de cultu imaginum.

¶ De profectione Romã uersus,pœnitentiæ ergo rationes hasce Claudius exponit.

1. Quia pleriq; fiant deteriores, pœnitentiæ causa Romam proficiscentes.

2. Quia pœnitentiæ causa in monasteria se homines concludunt: Ergo peccant qui hoc faciunt,si Romæ tantum uera pœnitentia agi potest.

3. Est scandalum.Si enim, inquit,ita se res habet,ut pœnitentiã agere sit Romã pergere:tum scandalisantur alij, qui putant se alijs quoq; in locis pœnitentiam agere posse.

4. Malè(ait Claudius) intelligi & applicari uerba Matthæi 16.Sed Claudij sermonem audiamus, sic inquit: Scimus enim, quòd nõ intellecta Euãgelica uerba Dñi saluatoris,ubi ait B.Petro apostolo:Tu es Petrus,& super hãc petrã ędificabo Ecclesiã meam,& tibi dabo claues regni cœlorũ. Propter ista iam dicta Dñi uerba, imperitũ hominũ genus,pro acquirenda uita æterna,post posita omni spirituali intelligẽtia, uolunt pergere Romã. Ionas Aurelianensis lib.3.de cultu imaginũ. Item: Quia si proprietatẽ uerborũ Dñi subtiliter cõsideremus, nõ est ei dictũ: Et quodcunq; ligaueris in cœlo, erit ligatũ super terrã: & quodcunq; solueris in cœlo, erit solutũ & in terra.ibid.Itẽ: Ac per hoc scindũ est, quod tãdiu antistib. Ecclesiæ illud ministeriũ cõcessum est, usq; dum ipsi peregrinantur in hoc mortali corpore. Cum uerò debitum mortis exoluerit,alij succedunt loco ipsorũ,qui eadem obtinẽt iudiciariam potestatem.Vt dicitur:Pro patribus tuis nati sunt tibi filij,constitues eos principes super omnem terram.Psal.44.

5.Ratio. Redite cæci ad lumen uerũ,quod illuminat oẽm hominem uenientẽ in hunc mundum:quod lumen in tenebris lucet,& tenebræ eũ non cõprehenderunt. Qui istud lumẽ nõ aspiciẽdo in tenebris estis, & in tebris ambulatis, & nescitis quò eatis, quia tenebræ obcæcauerunt oculos uestros.

6. Quia nisi eandem fidem,iusticiam ueritatem teneat, quam illi tenuerũt,per quam placuerunt Deo, saluus esse non poterit.

7. Augustini testimonia etiam Claudius citauit,quæ non sunt annotata. nam sic inquit: Audite hoc insipientes in populo,& stulti aliquando sapite, qui intercessionem Apostoli Ramam pergendo quæritis, quid cõtra nos dicat sæpe dictus beatus August.

¶ Propositio & conclusio Claudij, diserte in fine lib.3.Ionę exprimitur.Hęc inquit, idcirco dico, ut nemo de merito uel intercessione sanctorum confidat.

De officio quoq; Apostolici inquit:Certè nõ ille dicẽdus est Apostolicus, qui in cathedra sedet Apostoli: sed quia Apostolicũ implet officiũ.Item: De illis enim qui eum locum tenẽt,& nõ implent officiũ,Dominus dicit:Super cathedrã Moysi sederunt scribæ & pharisæi:omnia ergo quęcunq; dixerint uobis,seruate & facite, secundum opera uerò eorum nolite facere.

Ionas uerò Aurelianensis,qui ingenti fastu Claudium refutare conatur,primùm objicit & exaggerat. Claudium ab ecclesiasticis traditionibus discedere.

Deinde,patrum dicta de crucis & statuarum adoratione & ueneratione, imperiosè & operosè accumulat Ionas.

Tertiò, parcissimè ex uerbo Dei probationes aliquas elicere studet,uerùm contra textus sententiam.ut,Mihi absit gloriari nisi in cruce,Galat. 6.Item:Tunc signum uidebitur filij hominis in cœlo. item Pacificans per sanguinem crucis eius.Nam ista dicta loquuntur de merito Christi,& non de ligni adoratione.

Quartò, falsas hypotheses adserit Ionas, dum alium hæreseos nomine persequitur. Nam adseuerat.

1. Imagines & statuas esse adorãdas. Etsi enim discernit inter adorationẽ Dei & statuarũ,tamẽ utramq; adorationẽ adserit. Sic enim inquit Ionas lib. 1. Vnde ob recorda-

tionem salutiferæ passionis Dominicæ, annuatim in sanctissimo die Parasceues, secundum rraditionẽ Ecclesiasticã, crucem Christi adoret: id est, supplicãdo salutat: quę etiã tota diffusa per orbem, in Christi laudem prorumpens gratulabunda canit: Crucem tuam adoramus Domine, & sanctam resurrectionem tuam laudamus & glorificamus. Et iterum: Ecce lignum crucis, in quo salus mundi pependit, uenite adoremus. Et B. Gregorius, de cuius dictis nemo (nisi immemor salutis suę) ambigit, in libro Sacramentorum ita meminit. Deus, qui unigeniti tui Domini nostri Iesu Christi precioso sanguine humanum genus redimere dignatus es, cõcede propitius, ut qui ad adorandam uiuificam crucem aduenium, à peccatorum suorum nexibus liberentur.

2. Sanctos esse mediatores apud Deũ, ita ut propter ipsorum intercessionem saluemur. Sic enim inquit Ionas ipse lib. 1. Salutẽ sanè animæ nostræ à solo Deo dari, fideliter credimus. Sed quia, commeritis nostris præpedientibus, eam ab eo nanciscinon meremur, si suffragijs cœlestium siue spiritualiũ creaturarũ illius nos compotes fore ueraciter confidimus, nequaquã creaturæ (ut scripsisti) sed potius Creatori seruire cõprobamur. At si per sanctorum suffragia salus animarum non acquiritur, ut quid eorũ intercessio missarum celebrationibus & cæteris humilimis supplicationibus, apud diuinam maiestatẽ flagitatur? Salus igitur animę scimus quia non nisi à Deo datur: sed fideliter credimus, quòd per eorum interuentũ nobis immeritis ab eo largiatur. & pro eo q̃ id credimus & speramus, non creaturæ, sed Creatori nostro seruimus. Item lib. 2. Virginem porrò quæ peperit Christum, non adoramus: sed sanctam Dei genetricẽ congruo honore ueneramur, eiusq; intercessionem apud diuinam maiestatẽ humiliter flagitamus, nec immeritò, quippe quoniã per eã autorẽ uitę susciperemeruimus: & pro eo q̃ eadẽ sancta & intemerata uirgo Maria, quæ utiq; Deum & hominẽ nobis edidit, Dominum uidelicet Iesum, à cunctis fidelibus pio colitur amore, & debito ueneratur honore.

3. Romam proficiscendum esse, ut ibi ad Sepulchra Apostolorum agatur pœnitẽtia, & intercessio eorum flagitetur.

4. Sanctis post mortem, integram manere iudicandi potestatem: id est, claues ipsas. Nam de ijs loquitur Ionas libro 3.

Quintò, Claudiũ falsè & supercilioſè exagitat Ionas, eo quòd minus grãmaticè scripserit. Verùm incertum est, an illa errata uerborum scriptor ipse, uel descriptor cõmiserit. De rebus autem ipsis, & nõ de sermone, cuius etiam Apostolus se imperitum esse fatetur, erat disceptatio. Hoc modo, nempe superbia, calumnijs, conuicijs, potentia, sæpe optimæ causæ, & fidelissimi doctores (quia pares illis peritis, garrulis, & brachio seculari armatis, esse nequeunt) opprimuntur.

PSEVDOPROPHETISSA THEODA.

Anno Dñi 848. ut Sigeb. annotat, mulier quædam Sueuica, Theoda nominata, ut Auentinus scribit, se prophetissam esse arroganter profitetur.

Initio autem in agro Constantiensi emergit, ac multos in sui admirationem mirabilibus quibusdam pręstigijs pertrahit. Moguntiæ deinde aliquos ex sacerdotum ordine infatuat, ut priusquam technæ ipsius patefierent, eam pro Sibylla quadam haberent. Plebecula autem stulta, munera insuper ei obtulit: & rogauit, ut precibus suis pro sese intercederet, ne euenirent ea quæ prædixisset.

HYPOTHESES.

1. Visiones cœlestes & collocutiones cum superis iactitabat, ex quibus res arcanas cognosceret.

2. Extremum diem certò definiebat, ut qui eo ipso anno uenturus esset.

Vsa autem est ad fascinãdos homines ambiguis dictis: utq; maiori specie doceret, imagines in templis execrata est. Egnatius lib. 2. Moguntiam uerò regis iussu uenit, & à Salomone Constantiensi episcopo eò deducta est. Rabanus igitur in tẽplo S. Albani, præsentibus alijs episcopis, doctis & peritis uiris, cœpit eã examinare, unde nã eã facultatem prophetandi cõsecuta esset? quibus ne niteretur fundamentis? Tandem cõuicta de fœdis imposturis, & quòd cõtra uerbũ Dei manifestũ uaticinaretur: cõfessa est, se tantũ quęstus gratia ista omnia ementitã esse: atq; sic instructã se fuisse à quodã presbytero, q̃ absq; dubio fuit illius quæstus particeps.

Palo itaq; in publico loco alligata, uerberibus affecta, & infamiæ notã cum exibilatione omnium accepit, ac iussa est deinceps ab eiusmodi deceptionibus abstinere. Sigebertus. Heinricus de Erfordia, Auentinus. Egnatius lib. 2. narrat, eam à filio Michaelis Imperatoris in monasterium detrusam esse.

GODESCALCI ERROR.

BElga fuit Godescalcus iste, ut Auentinus indicat, presbyter professione, erroneas quasdam sententias siue in diœcesi Moguntiaca, siue aliqua uicina regione, adseuerare non dubitauit: idq̃ue circa annum Domini 849. ut Sigebertus annotat.

HYPPOTHESES.

1. Deum patrem plus esse quàm Deum filium, ut Chronicon Isennacense refert. Arianam igitur doctrinam uidetur resuscitasse.

2. Homines quosuis, ineuitabili lege & neces-

necessitate prouidentiæ diuinæ, siue inferis, siue superis destinatos esse. Auentinus libro 4. annalium Boiorum.

3. De libero arbitrio, prædestinatiõe & sanguine Christi, malè eum sensisse, Hirsaugiense Trithemij Chronicon dicit: sed in specie non explicat.

Rabanus ita scribit: Diuulgatum in his partibus constat, quendam sciolum apud uos manere, qui dogmatizet, quòd prædestinatio Dei omnem hominem ita constringat, ut etiam si quis uelit saluus fieri, & hoc fide recta atq; bonis operibus certet, ut ad uitam æternam per Dei gratiam ueniat, frustra & incassum laboret, si non est prædestinatus ad uitã: quasi Deus prædestinatione sua cogat hominẽ interire, qui autor est salutis nostræ, nõ perditionis. Et iã hinc multos in desperationem suimet, hæc secta perduxit, ita ut dicant: Quid mihi necesse est, p salute mea & uita æterna laborare? qa si bonũ fecero, & prædestinatus ad uitã non sum, nihil mihi pdest: si aũt malũ egero, nihil mihi obest: quia prædestinatio Dei me facit ad uitã æternã peruenire. Hæc traditio multis in istis partib. scandalũ est, & prædicatorib. Euãgelij homines inobedientes facit, qa iã desperãtes de semetipsis eos reddidit. Dicitur. n. ipse doctor uester multa testimonia excerpsisse de opusculis beatissimi & doctissimi patris Augustini, quib. nititur suã sentẽtiam affirmare: cũ memoratus pater & doctor Catholicus, contra Pelagianos scribẽs, qui gratiæ Dei cõtrarij prædicatores fuerãt, defensor eiusdẽ gratiæ, non destructor rectæ fidei fuerit. In epist. ad Euerhard. comitem.

Moguntiæ in Synodo, à Rabano congregata, conuincitur: ac prædicat Hirsaugiense Chronicon cuiusdam presbyteri, cui Lupo Seruato nomen est, strenuam operã in Godescalco refutando, & quòd postea etiam opusculum de istis materijs composuerit.

Damnatus autẽ Godescalcus in ea Synodo, nihilominus in suo errore perseuerat, ut testatur Sigebertus: Exterminatur igitur, ac mittitur ad Hincmarum episcopum Remorum, unde oriundus erat, prius præstito iuramento, quòd in Franciam Orientalem seu regnum Ludouici non esset unquam reuersurus. Auentinus.

De isto hæretico sic scribit Hincmarus: Godescalcus Scripturas detruncare solitus est, & ad suum sensum uiolenter inflectere. in epistola ad Hincmarum Laudunensem, cap. 40. Et cap. 47. eiusdẽ epist. refert, Godescalcũ & Guntarium quendam pertinaciter in erroribus mansisse. Verùm de Guntario Sigebertus meminit tantùm, quòd in adulterio deprehensus fuerit.

PAVLICIANI ET ATHINGANI.

MAnichęorum noua secta fuit, ut Zonaras scribit, qui Pauliciani, à Paulo & Iohanne composito nomine, & Athinganiappellati sunt. Zonaras in uita Michaelis.

In oriente autem potissimùm hæc pestis sæuijt, nẽpe in Phrygia & Lycaonia, alijsq; propinquis regionibus. Nicephorus quoq; Imperator eis fuit coniunctus, ut Continuator Pauli Diaconi exponit. Ideo & Constantinopoli eiusmodi impostores fuisse cõstat. Ac narrat Zonaras, in prouincijs Romanorum hoc genus hominum dispersum fuisse.

HYPOTHESES.

Non licitum esse impios excommunicare. Diaconus.

Neq; uerò dubium est, quin plures Manichæorum sententias sint secuti & professi.

Oraculis quibusdam, augurijs & arcanis ceremonijs usi sunt, ut Zonaras in uita Nicephori meminit: immolationes uerò quasdã fecisse, ac responsa dedisse, Diaconi cõtinuator indicat. Itaq; apparet, ipsorum religionẽ fuisse confusam ex Gentilismo, Christianismo & Iudaismo.

Michael uerò imperator, crebris admonitionibus Nicephori patriarchæ & aliorum Ecclesiæ doctorum motus, tandem edictũ contra Paulicianos & Athinganos promulgat: capitali eos afficiendos esse supplicio, ubicũq; sua falsa dogmata spargerẽt. Verùm aulici consiliarij eum zelum Imperatoris infringentes, obtinuerũt, ne executio mãdati adijceretur: eo prętextu, quòd Paulicianis tempus pœnitentiæ esset concedendum, ne crudelitatis iniustæ accusaretur imperator. Tandem uerò Athinganos, nullã de ipsis emendationẽ sperans, in exiliũ profligat; ut Continuator Diaconi commemorat.

ARIANI.

HIlpericus rex in Ariana deliria delapsus, edictum quoque promulgauit: Sanctam trinitatem non in personarum distinctione, sed tantùm Deum esse nominandum.

Conatus autem est blandis uerbis & Saluianum martyrem, in eius doctrinæ approbationem pertrahere. Verùm is, magno zelo eius uoluntati reluctatus est, ut refert Vincentius ex Turpino, cap. 23. lib. 24.

SADDVCAEI.

MIchael Balbus Amoræus, quæ iuuenis imbiberat in patria sua Amorio superioris Phrygiæ urbe, postea creatus imperator quoq; retinuit, atq; usurpauit. Tantum scilicet refert, ad quid iuuentus à teneris adsuefiat. Fuit enim Amorium ueluti hospitiũ, seu lerna quędam erroneorũ hominũ & turpissimarum hæresiũ. Cohabitarunt enim in ea urbe Iudęi quidam, cõfundentes

Ethnicismum, Iudaismũ & Christianismũ in unum quoddam chaos, item Athingani, & alij uarias opiniones adferentes. Hinc Zonaras istum Michaelem, quia ex tali officina prodierat, iamq; autoritate & potentia armatus, interpidè ista falsa dogmata profiteretur, foueret, ac præciperet etiam alijs, uocat παναπεφιαν αιρέσεως.

HYPOTHESES.

1. Nullam esse resurrectionem mortuorũ. Vanam esse doctrinam de bonis æternis.
2. Nullos esse dæmones.
3. Prophetarum scripta esse nullius autoritatis
4. Mosis tantum instituta esse sectanda, excepta pręputij resectione.
5. Scortationem non esse peccatum.
6. Iudam sentiebat adhuc saluandũ esse.
7. Sabbatis iubebat ieiunare.
8. Pascha Iudæorum more obseruandum.

Disputationes oderat & prohibebat eam ob causam, ne eis præstigiæ & impostura dijudicarentur. Tandem uerò hoc portentum, cum regnasset annos octo, menses nouem, phrenitide & intestinorum dolore è rebus humanis sublatum est. Zonaras.

FELICIANI.

DVrauerunt hoc etiá tempore Felicianorum reliquiæ. Nam sic Haymo scribit: Photinus dicit, Christus est homo tantùm, non Deus. Nec ipse intrat per ostium, quia Christus & homo & Deus est. Huic noua hæresis, quę nostris temporibus orta est, consentire uidetur, affirmando & prædicãdo, Christus, sicut quilibet suorum, nuncupatiuus Deus est, & non uerus. super Euangelium feriæ 3. Pentecostes.

DONATISTAE.

APparet tempore Remigij uiguisse hæresim Donatistarũ, idq; ex his uerbis: O hæretice, qui dicis nos esse peccatores & ideo non esse de corpore Christi, nec posse quenquã per nostrum ministeriũ incorporari Christo, dic mihi: Iustus autem, scilicet Christus, qui solus est iustus, iustificans omnes, qd fecit? Quid illi imputatis, quod corpus eius scinditis, & ab eo separatis, cũ nullus iustificetur, nisi per ipsum, siue per ministerium peccatoris sacramẽta fidei accipiat, siue per ministerium iusti hominis? Vos aũt dicitis, nullum posse iustificari, nisi per ministeriũ iusti alicuius. Non'ne corpus Christi separatis ab eo, & potentiam eius uobis usurpatis? Remigius in 10 Psalmum.

CAPVT VI.

DE CEREMONIIS ET RITIBUS Ecclesiæ.

VT alij temporibus, humanę traditiões semper tenaciùs insiderunt mentibus hominũ, quàm illi cultus qui à Deo traditi pręceptiq; sunt: ita etiá hęc ætas, nimium studiosa fuit in ritibus & ceremonijs maiorum suorum, nõ modò custodiendis, sed etiam cumulandis & augendis: idq; eò magis, quia uera doctrina de ceremonijs & reb. adiophoris obscurata, opiniones de cultu & necessitate operũ humanorũ, passim apud doctos quoq; regnarũt.

DE CONGRESSIBVS PVBLICIS.

SAcros congressus interdiu & noctu celebrare solebant, ut in sequentib. dicetur.

Ad eam uerò rem destinata erant templa, oratoria, basilicę, ecclesiæ, capellę (quæ erãt sacella Ecclesijs maiorib. subiecta: ut patet ex epistola Hincmari ad Tornacẽsem ecclesiam) & similes ædes sacræ, quarum aliæ superioribus seculis extructæ, quædam uerò hoc tempore leguntur ædificatę. Aut in honorem Christi. Carolus enim in aquis Saluatoris basilicam ædificauit. Regino lib. 2.

Aut trinitatis. Ludouicus enim imperator in casa aurea præcepit extrui ecclesiã, in honorem sanctæ Trinitatis. Leo Hostiensis lib. 2. cap. 39.

Aut Angelorũ. Sic Basilius Michaelis archiduci multa noua templa Constantinopoli extruxit. Zonaras tomo 3.

Aut Mariæ. Ita Carolus basilicam in honorem Mariæ Aquisgrani fieri curauit. Regino lib. 2. Et Eginhardus in uita eius. Hildesiæ constituta est ecclesia Mariæ, per Altfridum episcopum, anno Domini 872. Chronicon Quedelburgense.

Aut Apostolorũ: ut Colonię ecclesia Petro extructa & consecrata scribitur, à Sigeb.

Aut martyrum masculorũ. Basilica Vuigberti confessoris dedicata est anno Domini 849. Chronicon Quedelburgense.

Aut episcoporũ. Bun & Raban abbates, fundamentum ecclesiæ Vuigberti foderũt. Schaffnaburgensis in Chronico.

Aut fœminarum. Pascalis Cæciliæ uirgini & Valeriano ecclesiam condidit. Sigebertus anno 821.

Alias autem ligneas, alias lapideas ecclesias fuisse, indicãt autores. Nam Fridericus reliquijs Adelberti ligneã ecclesiã extruxit, anno 8. Ludouici secundi Erphordiensis.

Alias maiores, alias minores, quas capellas uocabant ędificasse, constat ex Decretis Nicolai. nam in maiorem ecclesiam passuũ 40 per circuitum: capellam uerò seu minorem ecclesiam 30 habere iusserit: Nicolaus papa tomo 2. Concil.

De donarijs oblatis ecclesijs, sic Diaconus scribit: Michael obtulit preciosissimũ stemma in sancto altari, in uasis aureis, & lapidibus uenustis, & quadrãgulis, uelis antiquitus ex auro & purpura clarè contextis, atq; admirabilibus sanctis imaginib. uariatum.

Paulus

Paulus Diaconus lib.24 rerum Romanarũ. Ad eundem modũ Carolus Imperator, panum ad altare Petri, de ueſtimentis ſuis aureis compoſitum, cum duabus coronis aureis gemmis intertextis, miſit. Annonius li. 5, cap. 27. Idem menſam auream, quæ forma quadrangula deſcriptionem Conſtantinopolis cõtinebat, inter alia donaria Romã ad baſilicam Petri miſit. Eginhard. in uita eius.

Ritus oblationis deſcribitur in Supplicatione populi, Vuormaciæ Carolo Imperatori oblata: Quiſquis noſtrûm ſuas res eccleſię tradit, Domino Deo illas offert atq; dedicat & non alteri: dicendo talia, & agendo, ita facit Scripturã, de ipſis rebus quas donare deſiderat. & ipſam Scripturam corã altari aut ſupra tenet in manu, dicens eiuſdem loci ſacerdotibus atq; cuſtodibus: Offero Deo, atque dedico omnes res quæ in hac chartula tenẽtur inſertæ, pro remiſsione peccatorũ meorũ, ac parentũ & filiorũ, aut pro quibuſcunq; illas libare uoluerit, ad ſeruiẽdum ex his Deo in ſacrificijs, Miſſarumq; ſolennijs orationibus, luminarijs, pauperum ac clericorum alimonijs, & cæteris diuinis cultib. atq; huius eccleſiæ utilitatibus. Si quis aũt eas inde (quod fieri nullatenus credo) abſtulerit, ſub pœna ſacrilegij ex hoc Domino Deo, cui eas offero atq; dedico, diſtrictiſsimas reddat rationes. Cum autem Chriſtus ſolus pro remiſsione peccatorũ noſtrorum ſeſe obtulerit, quanta ſuperſtitio & impietas eſt, hoc tali dono imputare, quod quantumcunq; ſit, prius eſt Dei, utpote creatoris omnium rerum.

RITVS CONSECRATIONIS & *dedicationis.*

CONſecrationes ac dedicationes ab epiſcopis & archiepiſcopis fiebant in nomine Trinitatis. In cœtu hominũ Coloniæ, à tribus metropolitanis epiſcopis, eccleſia Petri dedicatur, anno 871. Sigebertus.

Sed non prius fiebat dedicatio, quàm Eccleſię ſatis eſſet proſpectũ de ſumptib. quib. alendi eſſent miniſtri, & luminaria & alia: ut canon 3 Vuormacienſis Synodi decernit.

Imponi autẽ ſolebant nomina uel Chriſti, uel angelorum, uel martyrum. Baſilius ędi in Regia conditę nomen Michaelis fieri curauit. Zonaras tomo 3.

Et gratis epiſcopus conſecrare debebat, non tanquam ex debito munus aliquod à fundatore Eccleſiæ requireret, cap. 3. Synodi Vuormacienſis.

Etiam altaria conſecrari ſolebant. Canon 24 concilij Aquenſis, tomo 2 Concil. altaria erigit, eisq; oleũ ſuperfundit, ac ſancto chriſmate perũgit, ac de factis dictisq; Iacob melodiam Chriſto canit: & à fidelibus oblationes, uota, & precioſarum diuerſarumq; rerum ad decorem & honorem diuini cultus ſacerdotum, cæterorumq; miniſtrorũ Chriſti uſus, pauperumq; receptionem ac recreationem ſuſcipit donaria.

QVAE CONTENTA IN TEMPLIS.

In illis autem locis ſacris habere ſolebãt imagines & ſtatuas Chriſti: item cruces aureas in eccleſia Saluatoris habuerunt. Caſſinenſis Leo lib. 1. cap. 34. Et Sanctorũ, ut Mariæ, Apoſtolorũ, martyrum, & aliorũ. Conſtant hæc ex uitis Pontificum.

¶ Habuerunt porrò in tẽplis & alia, ut codices ſacros. Tranſmitto uobis unum Miſſale, cum lectionibus & Euãgelijs, unumq; Pſalterium, & librum actus Apoſtolorũ, inquit Rabanus in epiſtola ad Simeonem. & Hatto in epiſtola ad Otkerũ petit ſibi membranã mitti; in quam deſcribat lectionariũ & miſſale Gregorianum.

Pulpita, ad quę cantores adſtabant, & ex ſacris codicibus pſallebant. cap. 76. Aquiſgranenſis Synodi.

Altaria. Leo Hoſtienſis lib. 1. cap. 33. Rabanus lib. 8. comment. in Eccleſiaſt. cap. 14.

Eaq; picturis ornata, aut uelaminibus obducta. Rabanus in epiſtola ad Simeonẽ. Mitto uobis tres ueſtitus, ad tria altaria.

Ac erant iſthic reorum aſyla: ut patet ex epiſtola Rabani ad Humbertum. & cap. 39. Synodi Moguntinenſis: Reum cõfugientẽ ad eccleſiam, nemo abſtrahere audeat, nec inde damnare ad pœnam uel ad mortẽ, ut honor Dei & Sanctorum eius conſeruetur.

Columnas: Eginhardus in uita Caroli.

Cruces: ut conſtat ex epiſtola Rabani ad Humbertũ. Et Sthephanus papa crucẽ magni ponderis & æſtimationis, à Ludouico donatam Ramam ad S. Petrum attulit. Platina. Ionas Aurelianenſis in præfatione lib. 2, de cultu imaginum. Neq; enim noſtro tẽpore uſus irrepſit, figuram crucis in baſilicis Sanctorum ſtatui: ſed mos antiquæ obſeruationis legitimus id inſtituit, ut cunctis ſapientibus & ruſticis, non ſolùm memoria ſpiritalem præformet quandam imagine crucis figuram: ſed etiam corporalis ipſius intuitus, crebram menti præfigat Dominicæ paſsionis uictoriam. Si enim quantitas tanta uenerabilis ligni, in quo Dominus & Saluator noſter pependit, foret, ut ex eo minutatim diuiſo, cuncta Deo dicata templa poſſent imaginem crucis habere, nullatenus ex alijs lignis eiuſdem formam in baſilicis locaremus.

Cancellos: Eginhardus in uita Caroli.

Candelas, lucernas, & candelabra ad imagines collocata, & ſuffimenta. Luminarium in eccleſia Aquiſgrana, meminit Eginhardus in uita Caroli. Et Ludouicus, cum uidiſſet in Fuldenſi eccleſia lucernas

ex adipe porcorum ali, promisit, in Italia se donaturũ isti cœnobio oliuetum: ut patet ex epistola Rabani ad Ludouicũ, & Irmingardem uxorem eius. Creuerat enim tum in hisce rebus superstitio: ideo omnes conferũt oleum & operam.

Thuribula. Leo Hostiensis lib. 1. cap. 34.

Reliquias sanctorum: ut Hilduinus, Sebastiani reliquias, & Gregorij papæ, in Medardi basilicam Suessione collocauit. Sigeber. anno 825. Et sequenti. Arnulphus in templũ Vtinense Maximilianum, Felicitatem, brachium Philippi, & alia sacra recondidit. Auẽtinus lib. 4. Annal.

Horologium. Nam rex Persiæ misit Carolo Magno æneũ horologium, & duo candelabra, quę Aquisgrani in templum Marię reposuit. Chronicon Saxoniæ.

Bibliothecas. Carolus Ecclesiam Iacobi libris ornauit. Vincentius lib. 24. cap. 7. ex Turpino.

¶ Vestes sacerdotales, quas Rabanus hoc ordine describit. primùm eorum indumentum est Ephod Bad, quod interpretatur Superhumerale lineum, quod significat mundiciam bonorum operum. In 1. lib. de Instit. cleric. cap. 14.

Secundum est linea tunica, quæ Græcè ποδήρης poderis, Latinè talaris dicitur, eo quòd ad talos usq; descendat. cap. 16.

Tertium uestimentum est cingulum siue baltheum, quo utuntur, ne tunica ipsa defluat, & gressum impediat, hoc nimirum custodiam mentis significat. Ibidem cap. 17.

Quartum uerò mappula siue mantile, sacerdotis indumentum est, quod uulgò phanonem uocant: quod ob hoc eorũ tunc manibus tenetur, quando Missæ officium agitur, ut paratos ad ministeriũ mensę Domini populus conspiciat. Ibidem cap. 18.

Quintum quoq; est, quod ornarium dicitur: licet hoc quidam stolam uocent. hoc enim genere uestis solummodo eis personis concessum est uti, quibus prædicandi officium est delegatum. Ibid. cap. 19.

Sextum namq; est, quod Dalmatica, à Dalmatia Græciæ prouincia, in qua primũ texta est, nuncupatur. Hæc uestis in modũ crucis est facta, & passionis Dominicæ indiciũ est. Ibidem, cap. 20.

Septimum sacerdotale indumentum est, quod casulam nocant: dicta autem per diminutionem à casa, eo quòd totum hominẽ tegat, quasi minor casa. Hæc supremum omniũ indumẽtorũ est, & cætera omnia per suũ munimen tegit & seruat. Ibid. cap. 21.

Induunt quoq; sacerdotes pedes sandaliis, siue soleis: quod genus calceamenti Euangelica autoritate est cõcessum, ut Marci Euangelium cap. 16. testatur. Ibid. cap. 22.

Super hæc autem omnia, summo pontifici (qui archiepiscopus uocatur) propter Apostolicam uicem, Pallij honor decernitur: quod genus indumenti crucis signaculum purpureo colore exprimit, ut ipso indutus pontifex, à tergo & pectore crucem habeat, suaq; mente piè & dignè de passione redẽptoris cogitet: ac populo, pro quo Dominũ deprecatur, redẽptionis suæ signaculum demonstret. Ibid. cap. 23. Idẽ in epist. ad Simeonẽ inquit: Transmitto uobis duos uestitus sacerdotales, casulas duas, & camisias duas, bina hororia, cum binis mappulis seu cingulis, item corporale & pallium.

Organa Musica. Constantinopoli organa erant ex auro facta, quæ Michael Imperator conflauit. Zonaras tomo 3. Et Carolus Magnus per Georgium, organa more Græcorum fieri curauit. Annonius lib. 4. cap. 113. de Francis.

Suggestus: Leo pontifex ambonẽ in basilica Petri conscendens, purgat sese iureiurãdo, de obiectis criminibus, coram tota ecclesia. Annales Francorum, anno 800.

Distincta erant loca laicorum & clericorum. Nam in presbyterio, seu in choro, ut nos uocare solemus, non licebat laicis esse eo tempore, quo Missarũ solennia celebrabantur, iuxta decretum Leonis quarti, anno 847. Sigebertus.

Pulsus campanarum erat index temporis, quo cõuentus habebatur. Tanto monachus Sueuorũ, tintinabula fudit. Auentinus lib. 4. Anna. Theophilus singulis hebdomadibus eques per forum, cum satellitibus Imperatorijs, in ædem Deiparæ Blacherniam iuit. Zonaras tomo 3. Rabanus in epist. ad Simeonem inquit, Mitto uobis unam glogg, & unum tintinabulum.

QVAE IN CONGRESSV FACTA SINT.

IN cœtu fiebãt cantiones, precationes, lectiones sacræ, conciones: administratio cœna Dominicæ, gratiarum actiones, oblationes seu eleemosynarum collectiones.

¶ DE CANTIONIBVS. Versus illi, Gloria, laus & honor, qui in Gallicanis ecclesijs in die Palmarum cantari solebant, à Theodulpho abbate Floriacensi compositi sunt. Sigebertus anno 843. Et Hubaldus monachus, de multis Sanctis cantus dulci & regulari modulamine composuit, qui passim cœperunt cantari. Sigebertus anno 879. Et Noegerius monachus S. Galli, consequentias composuit, quas Nicolaus pontifex cãtari concessit. Martinus in Chronico. In festo Palmarum solebat in Græca ecclesia cantari carmen, à Theophilo Imperatore Musicis concentibus ornatum: Exite gentes, exite populi. Zonaras tomo tertio, Psalmos quinquaginta in singulis Ecclesijs

sijs omni die Mercurij cãtari, instituit Alstanus Schireburnẽsis episcopus. Vuilhelmus lib.2.cap.7. Maximè cauendum est, ut præcentori in choro canenti, succentores cõcorditer in choro respõdeãt. Remigius in Psal. 87. Quæ per se ad laudem Dei grata sunt, cõiuncta gratiora redduntur. Ideo etiam in Ecclesia ex diuersis psalmis uel laudibus, antiphona uel cantus aliquis coniungitur. Haymo in Psal.107. Mon licebat aliis præter cantores, ad pulpitum ascendere & cantare. capite 76, Aquisgranensis Synodi.

DE PRECATIONIBVS Alstanus pro rege uiuente, & postea pro defuncto, precationes in Ecclesijs fieri iussit. Vuilhelmus lib.2. cap.7. de Anglis.

Collectę, quam Leo Neopolitanus cõtra Saracenos fecit, meminit Ranulphus lib. 5. cap 31. quia Ecclesia non cognoscit determinatè qui sunt saluandi, pro omnibus orat indiscretè. Haymo super Psalmum 109.

¶DE LECTIONIBVS. cap. 86. Synodi Vuormacienſis, & Nicolaus papa: uolumen in quo Græcè & Latinè lectiones erãt, quæ à subdiaconis legi in ecclesijs solebãt, reparasse scribitur in lib. Põtificali. Carolus Magnus Paulum diaconum iussit, ex Scriptis Patrum lectiones unicuiq; festiuitati congruentes seligere, easq; in ecclesia statutis dieb. legi præcepit. Sigeber. anno Dñi 807. Post lectionem episcopus, presbyteri, & alii de clero, solebãt codicẽ Euengelij osculari: ut Ionas Aurelianensis in præfatione lib. 2. de imaginum cultu, indicat.

¶DE CONCIONIBVS. Salutate inuicẽ osculo sancto, Rom.16. Ex hoc loco, alijsq; similibus, mos traditus est Ecclesiæ, ut conuenientes fideles in Ecclesia, ad audiendum uerbum diuinum, missarũq; celebrationem, post orationes, osculo dilectionis suscipiãt, se inuicem. Haymo super cap.16. ad Romanos. Si fortè episcopus non fuerit in domo sua aut infirmus est, aut aliqua causa exigente non ualuerit, nunquam tamen desit dieb. Dominicis, aut festiuitatibus, qui uerbum Dei prędicet, iuxta quod intelligere uulgus potest, cap.25. Moguntinensis Synodi.

¶DE SYNAXI sacra, seu communione postea dicemus.

¶DE OBLATIONIBVS. Synodus Triburiensis, cap.31. Diebus Dominicis, & Sanctorum festis, uigilijs & orationibus insistẽdum, & admissas cuilibet Christiano cum oblationibus est currendum, & tantummodo Deo uacandum. Haymo super cap.4. Hoseę: Ea quæ nunc in templo Domini offerũtur, in usum transeunt sacerdotum. Vnde & in canonibus dicitur ut laici de consecratis non comedant.

Solebant etiam in templis Synodi celebrari. Mogunti in basilica Albani martyris Synodus habita est, in causa Godescalci. Hatto in epistola ad Otgarum.

Et conuentus, & iudicia politica quod canon 22. Arelatensis synodi uetat: placita publica & secularia neq; in atrijs basilicarũ, neq; in ipsis basilicis fiant.

Et iuramenta ꝓstari. nam Romæ in ecclesia senatus & ciues Lothario Imperatori fidelitatem promiserunt. liber Pontificalis in uita Sergij.

RITVS CIRCA BAPTISMVM.

MVnus baptizandi obibãt episcopi & sacerdotes. Nam Hatto archiepiscopus Mogũtinus, Ludouicũ baptizat. Auentinus li.4. Annaliũ. In primordio fidei omnes baptizabant, & non solùm uiri, sed etiã fœminæ, si quando necessitas imminebat. Sed ne tantum mysteriũ uilescеret, aut nõ rectè à simplicioribus impleretur, crescẽte numero fidelium, per uniuersas ciuitates & uillas decretum est à sanctis patribus, ut episcopi tantũ & presbyteri baptizarẽt: & si necessitas fuerit, diacones. Haymo super 1. ad Cor. Et Rabanus in epistola ad Reginbaldũ, probat ex Ambrosio & actis Apostolicis, omnes docuisse & baptizasse, quibuscunq; diebus & temporib. & loco fuisset occasio, nullum etiam ieiuniũ interpositum esse. Postea uerò crescente Ecclesia, conuẽticula cõstituta esse, & rectores, cæteraq; officia in Ecclesijs ordinata, ut nullus de clero auderet, q quidem ordinatus nõ esset, præsumere officiũ, quod sciret nõ sibi creditũ uel cõcessum esse. Vnde nunc neq; diaconi in populo prędicant, neq; cæteri uel laici baptizant, neque quacũq; die credentes tingũtur, niſi ęgroti.

Tempus uerò ordinatum erat Pascha & Pentecoste: sed tamen in necessitate quolibet tempore licebat baptizare. Rabanus lib. 2. cap. 32. & canon 4 Mogunt. Synodi. Et canon 1. Synodi Vuormacienſis. Et Rabanus in epistola ad Hadubrandum archipresbyterũ inquit: De baptismatis perceptione bonũ mihi uidetur, ut nouella gens illa, quę inter paganos cõstituta, sub tuo regimine gubernatur, nõ nimis cõstringatur ad illa duo legitima tempora Paschatis & Pentecostes seruanda.

Cæterũ tã infantes quàm adultos baptizabant. Rabanus lib.1.ca.26. de Cleric. instit. & Hincmarus Remẽsis episcopus, in epist. ad Laudunensem, testimoniis Syricij papæ, Leonis, Gelasij, Gregorii, & cõcilii Africani, aliorũq; ꝓbat infantes etiã esse baptizãdos.

Adultos aũt oportebat prius in fide instrui, atq; ante baptismũ examinabãtur. Rabanus lib.1.ca.27. de Inst. cler. Primũ interrogatur Paganus, si abrenunciet diabolo, & omnib. damnosis eius operibus, atq; fallacibus pompis?

pompis? Angelomus lib.5.ca.4.Regũ: In Baptiſmo abrenũciare ſatanæ, ac fidem Dñi cõfiteri præcipimur. Remigius in 77.Pſal. In baptiſmate mũdo, & omnib. põpis eius abrenũciamus. Haymo ſuper 2.ca.ad Coloſ. Interrogãte ſacerdote, iuxta fontẽ ſtãtes, abrenũciamus diabolo, & omnib. põpis eius, &c.

Et ſymbolum ibi recitabant. nam ſic narrat Rabanus: Exquiritur ex eo, ſi credat in Deum patrem omnipotentẽ, & in filiũ eius unicum Dominum noſtrum, & in Spiritum ſanctũ, unũ Deum in trinitate & unitate: ſi confiteatur unam eſſe Eccleſiam catholicã, & ſi credat remiſsionem peccatorũ, & carnis reſurrectionem, &c. ibidem.

Et certis ceremonijs quaſi exorcizabantur baptizandi, & conſecrabantur. Rabanus ibidẽ: Poſtea exufflatur ab eo ſęua poteſtas, ut per pium ſacerdotis myſteriũ Spiritui S. cedat fugiens ſpiritus malignus: ſignaturque ipſe homo ſignaculo ſanctæ crucis, tam in frõte quàm in corde, ut ipſe apoſtata diabolus in uaſe ſuo priſtino ſuæ interemptionis cognoſcẽs ſignũ, iam ſibi deinceps ſciat eſſe alienũ. & exinde iam dicuntur ſuper eũ orationes, ut fiat catechumenus. Tũc datur ei ſal Benedictũ, ut per ſal typicũ, ſapientię ſale cõditus, fœtore careat iniquitatis: & ne à uermib. peccatorũ ultra putrefiat, ſed magis illæſus ſeruetur ad maiorem gratiã percipiendam. Dehinc iterũ exorcizatur diabolus, ut ſuam nequitiã agnoſcens, & iuſtũ ſuper ſe iudicium Dei timens, diſcedat ab homine, nec iam contendat eum arte ſua ſubuertere, ne baptiſmum cõſequatur: ſed magis honorẽ Deo creatori ſuo exhibens, reddat opus factori ſuo. Poſtea tanguntur ei nares & aures cum ſaliua, & dicitur ei, Effata quod eſt adaperire. Hoc enim ſacramentum hic agitur, ut per ſaliuam typicam ſacerdotis, & tactum, ſapientia & uirtus diuina ſalutem eiuſdem catechumeni operetur: ut aperiantur ei nares, ad percipiendũ odorẽ noticię Dei: ut aperiantur illi & aures, ad audiendum mãdata Dei, ſenſuq; intimo cordis reponendũ. Deinde ſacerdotali benedictione munitur, ut ad ſacrũ baptiſmũ cum fide accepta cuſtodiatur. Vnguetur illius tunc pectus de oleo ſanctificato, cum inuocatione ſanctæ trinitatis, ut nullæ reliquiæ latentis inimici in eo reſideãt, ſed in fide ſanctæ Trinitatis mens eius confortetur. unguetur & inter ſcapulas de eodẽ oleo, ut undiq; muniatur, & ad bona opera faciẽda per Dei gratiã roboretur. Poſthac ergo cõſecretur fons, ut ad ipſum baptiſmũ catechumenus accedat, & ſic in nomine S. Trinitatis trina ſubmerſione baptizetur. Et rectè homo, qui ad imaginẽ S. Trinitatis conditus eſt, & per inuocationẽ S. Trinitatis ad eandẽ renouatur imaginẽ: ut qui tertio gradu peccati, id eſt, cõſenſu cecidit in mortẽ, tertiò eleuatus de fonte, per gratiã reſurgat ad uitã. Poteſt & hęc trina immerſio, triduanã ſepulturã ſignificare. Oportet igitur cũ inuocatione S. Trinitatis, ſub trina merſione baptiſmũ cõficiat & ſecundum unitatem ſubſtantiæ unum baptiſma fiat. Poſtquã aũt baptizatus aſcenderit de fonte, ſtatim ſignatur in cerebro à presbytero, cum ſacro chriſmate: ſequẽte ſimul & oratione, ut regni Chriſti particeps fiat, & à Chriſto Chriſtianus poſsit uocari. Rabanus de Inſtitut. clericor. cap. 26. & 27.

Edebant etiam confeſsionem peccatorũ ſuorum adulti, eisq; iniungebatur pœnitentia aut 40 aut 20 aut 7 dierũ. Haymo ſuper cap. 6. ad Hebræos.

Patrini etiam adhibiti ſunt, quos oportebat eſſe in doctrina Chriſti mediocriter inſtitutos, & à pietate non alienos. Sic Godefridum Carolus Craſſus de ſacro fonte ſuſcepit. Sigebert. anno 884. Et Carolus rex. Hundeũ Normannorũ, anno Dñi 896. Sigebert. Manuel Michaeli Imperatoris filio teſtis baptiſmi fuit. Zonaras tomo 3.

Ac ijs nomina ibi imponebantur. Rollo, inter baptizandum Ruperti nomẽ accepit. Auentinus lib. 4. Annalium.

Vtebantur autem lingua Romana, nõ ſolum in Italia, ſed etiam in alijs locis pontificiæ tyrannidi ſubiectis. Sed tamen etiam a lijs linguis baptizatum eſſe, conſtat ex hiſtoria de Sclauorum conuerſione.

De more porrò Romanorũ, aqua baptiſmi benedici ſeu cõſecrari ſolebat. Rabanus lib. 1. de inſtitutione clericorum, cap. 28. uerùm ea res ſuperſtitioſam impietatem complectitur, quia aqua non peccauit.

Ter immergebantur aquæ baptiſandi, pronunciatis uerbis, In nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Rabanus lib. 1. cap. 28. de Inſtit. cleric. & ſynodus Vuormacienſis ca. 1.

Baptizatum ſtatim presbyter in cerebro, ſeu ſummitate capitis, chriſmate ſignabat: ſequẽte ſimul oratione, ut regni Chriſti particeps fieret, & à Chriſto Chriſtianus uocaretur. Rabanus lib. 1. cap. 28. de Inſtit. cleric.

Tegebatur poſt ſacram unctionẽ caput, myſtico uelamine. Idem cap. 29.

Albis quoq; ueſtib. baptizati induebantur. Rabauns lib. 1. cap. 29. de Clericorum inſtitutione. Poſt baptiſmum traditur chriſtiano ueſtis candida, deſignans innocentiam & puritatem Chriſtianam.

Baptiſmum iterare non licebat. Rabanus de ſacramento Euchariſtiæ, cap. 34.

DE CONFIRMATIONE ET *Chriſmate.*

Epiſcopi de facultatib. eccleſię balſamũ ęmebãt, idq; cõſecrabãt, & presbyteris dabãt ad uſum

ad usum in Ecclesia, ut patet ex Canonibus Conciliorum.

Chrismate autem inungere, episcoporũ tantũ munus erat: Rabanus lib.1.cap.30.de Instit.cleric. Sed tamen apud Aegyptũ presbyteros cõsignare, si præsens non sit episcopus, Rabanus refert in epist. ad Reginbald.

Inũgebãtur aũt tum adulti, tũ pueri post baptismũ. Fit remissio peccatorũ in baptismate, in cõfirmatione uerò cõfortatio ad bene operandũ: ita Haymo super Psal.26. ex cõmuni superstitione docet. Infantes consignari ab episcopis, indicat Hincmarus in epistola ad Tornacensem ecclesiam.

Ceremonię publicę erãt istę. Fiebat impositio manuũ, & cõsignatio frontis per oleũ chrismatis: adhibebantur etiã patrini, ut ad Baptismũ. Rabanus lib.1.ca.30. de institutione clericorũ. Et Haymo super cap.6. ad Ebræos: impositionẽ manuũ appellat confirmationẽ, per quã pleniſsimè creditur accipiendus Spiritus S. qđ post baptismũ ad cõfirmationẽ unitatis in ecclesia à Pontificib. fieri solet. Sed hæc & pleraq; alia sine autoritate sacræ Scripturæ asserũtur superstitiosè. De patrinis ad confirmationẽ adhibitis, Nicolaus papa testatur in epist. ad Radulphũ Bituricẽsem, 30.q.1. de his qui filiastros suos.

CASVS VARII CIRCA BAPTISMVM.

A quodã Iudęo, nescitis utrũ Christiano an Pagano, multos in patria uestra baptizatos asseritis, & qd inde sit agendũ cõsulitis. Hi profectò, si in nomine Trinitatis, uel tantum in nomine Christi (sicut in Actib. apostolorũ legitur) baptizati sunt, unũ quippe idemq; est, ut S. Ambrosius exponit: qa nõ illorũ, sed eius est) rebaptizari non debẽt. Tomo Cõciliorũ. De cõsecratione dist.4. à quodam. Ad consulta Bulgarorum, cap.3.

De baptizandis infantibus nihil esse exigendum, pręcipit Hincmarus episcopo Tornacensi, in epistola ad Ecclesiam eius.

De illo qui presbyterũ se esse finxit, cum nõ esset ordinatus, & baptismi officiũ exercuit, requirendũ est, utrũ ipse baptizãs baptizatus esset: ut utrũ in nomine S. Trinitatis, sub trina mersione baptizauerit. quod si ita erat, non est iterũ baptizandus: sed per impositionem manus episcopalis, & unctionẽ sacri chrismatis, id quod factũ est, cõfirmandum: quia quod semel in sacraméto baptismatis est confectũ, nõ licet iterari. attamẽ ille qui præsumptuosè egit, & non pro necessitate, aliqua canonica disciplina est coherendus. Rabanus in epist. ad Reginbaldum.

Addunt etiam, quòd nulli presbyterorũ liceat infantes eorum, nisi in Paschate, & in Pentecoste, quanquã etiam infirmi sint, baptizare: nisi ipsi parentes in altari, siue in reliquijs Sanctorũ antè iurent, quòd allatus infans diutius nõ possit uiuere, & cum hoc noluerint parẽtes facere, quia inscij sunt de eorũ longæuitate, plurimi iam ex ipsis infantibus, non consecuto Christi baptismate, defuncti sunt. Quod quàm absurdum sit, facilè aduerti potest Rabanus in epistola ad Hadubrandum archiepiscopum.

Casus circa chrisma.

Presbyteri quidam chrisma sub prætextu medicinæ ægrotis solebant dare. id Canone 18. Arelatensis Synodi prohibetur.

RITVS CIRCA CLAVES.

DE CLAVE LIGANTE.

VTebantur claue ligante contra obstinatos, & notoriè impios: ut contra hęreticos & blasphemos, ut patet ex Synodorum actis.

Et contra manifestè facinorosos & cõtumaces, ut Carolus Caluus in epistola ad Adrianum monet. Sic Vualdradam pellicem Lotharij, excõmunicat legatus Nicolai papæ, anno 864. Sigebertus. Ecclesiasticæ & publicæ leges, confessum uel conuictum sine dilatione uel retractatione iudicari præcipiunt. Hincmarus in epistola ad Laudunensem, cap.20. Publico crimine conuicti, publicã pœnitentiã agant. Canon 26. Arelat.

At tales arcebant ab aditu Ecclesiæ, & à cõmunione, licet nondũ essent solenni ritu Ecclesiæ indicati. Photius patriarcha Basiliũ, die festo in magnã ecclesiã ingressum, à cõmuniõe arcet, eo q, homicida esset. Zonaras tomo 3. Et Ignatius Bardã, qui uxorem suã repudiauerat, & cum nuru sua cõsuescebat, sacrã ædẽ ingredi uetuit. Zonaras eodẽ.

Abusi tamen etiã interdũ sunt ea potestate, uel in causis leuioribus: ut patet ex ca.13. Vuormaciensis Synodi.

Vel cõtra innocẽtes. id quod fecit Hincmarus Laudunẽsis, qui in parochijs suis prę cipit sacerdotib. ne quis missam cãtaret, aut cõmunionẽ præciperet: qđ Hincmarus Remẽsis in suo scripto ad ipsũ prius impbat.

Et ad exigendum debita. Rabanus in epistola ad Hadubrandũ archipresbyterum: Aiunt, quòd ab eis modò per sacramenta decimæ eorum exigantur: & nemini eorum lĩceat ecclesias intrare, & missas audire atque communicare, nisi prius sacramentum det, quod omnium rerum suarum decimam ritè oblatam habeat.

Præcedebãt aũt, præsertim in delictis nõ omnib. notis, admonitiones de pœnitentia: quibus frustra factis, sequebatur excõmunicatio: ut patet ex epistola Hincmari ad Tornacenses. Et Carolus Magnus in priuilegio quodã inquit: Sacerdotalis tamen debet esse prouisio, ut uindictã admonitio manifesta pręcedat, & res usurpatas iniustè q abstulit, adhibita æquitatè restituat. Quod si neglexerit,

xerit,& necesitas compulerit, postea præ-
donem sacerdotalis dictatio maturata per-
cellat.Hincmarus Remensis ca.28. epistolæ
ad Laudunensem,ostendit ex scriptis patrũ
in notorijs & manifestis delictis non opus
esse iudiciario processu.Nicolaus tamẽ pon
tifex,cum excommunicasset Vualdradã cõ-
cubinam Lotharij,scripsit eidem epistolam
in qua eum monet,ut ab ea abstineat, ni ue
lit & ipse Ecclesiæ indicari,& ut ethnicus &
publicanus haberi.Regino lib.2.

In excommunicatione autem ratio habe
batur delictorum,ac pro eorum diuersitate
ferebantur etiam diuersæ sententiæ,ut Ra-
banus indicat in epistola ad Otgarium.Ca-
nonicæ enim excõmunicationis, ni fallor,
quinquepartita diuisio est.hoc est, inter au-
dientes,inter catechumenos, inter eos qui
sola oratione fidelibus cõmunicant,inter e-
os qui oblationes offerunt,& inter eos qui
ab altaris communione tantummodo su-
spenduntur,quarum disciplinarum coarta-
tio pro differentia culparum delinquentib.
impendenda est.

In actu autem solenni,intererant episco-
pi,sacerdotes & clerici, & tota ecclesia.Ex-
communicat quidem episcopus, ut os Ec-
clesiæ:cui consentit Ecclesia tota,dicens,A-
men.Haymo super Psal.150.

Extat apud Reginon.lib.2.forma excom-
municationis,qua usus est Nicolaus aduer
sus Vualdradam,quam adscribimus. Decre
ueramus quidem circa Vualdradã mœchã,
& pertinaciter in impœnitentia permanen-
tem,uindictæ modum minus districtæ tem
perare:& iuxta quod merebatur,nõ ita pro
scelere sententiam in eam iustæ punitionis
proferre, nisi obstinato animo in mœchiæ
uolutabro perenniter permanere proposuis
set.Igitur quia monita nostra & crebras ex-
hortationes cõtempsit,quia culpã suã nec-
dum cognouit,nec cõfessa est:nec missa no-
bis legatione,qui causam ipsius exequendã
suscepimus,ueniam postulauit : postremò
cum recto itinere nos illi fuerat adeũdum,
& beati Petri apostoli suffragia inquirẽda,re
trò est cõuersa post fathanã:nec nõ & Thiet
bergæ reginæ dolos struere,cœpta interitus
meditatione,nõ cessat:cum egregio Aposto
lo dicimus,quòd contra eam, contraq; eius
similes,sæpius replicandũ est, quia secundũ
duritiam suam,& cor impœnitens,thesauri
zat sibi iram in die iræ. Idcirco nos eam de
factis suis excommunicauimus, donec Ec
clesiæ Christi,nobisque præcipuè qui eius
principaliter curam gerimus, quiq; causam
ipsius exequi ac inuestigare cœpimus satis-
fecerit:donec etiam sinistrã omnẽ suspicio-
nem,cõsilium nostrũ,suscipiẽs,adimat: ac à
precioſi corporis & sanguinis Domini per-
ceptione,atq; ab omnimodo consortio san-
ctæ Ecclesiæ,sancti Spiritus beatorumq; a-
postolorum Petri & Pauli iudicio,& nostræ
mediocritatis autoritate fecimus prorsus
cum uniuersis complicibus & cõmunicato
rib. fautoribusq; suis prorsus extorrẽ.Hanc
sententiã 4.non.Februarij à nobis promul-
gatam meminimus,eamq; scripto uobis de
stinauimus:& ne labor uester inanis consti
tuatur,spiritalis nobiscũ uestra fraternitas,
aduersus iam dictã mœchã,& cõmunicato-
res eius,arma sustollat:& in parochia sua ex
communicatam hanc,fautoresq; suos, una
uoce unusquisq; denũcier,donec nostro spe
ciali iudicio dignę se pœnitentię submittat.

Cum excõmunicatis porrò nõ licebat fa-
miliariter cõuersari,neq; Aue eis dicere, ne
que cibum cum ipsis capere, multo minus
in rebus sacris participare.Canon 72 Conci
lij Aquensis,tomo 2 Conciliorum.

DE CLAVE SOLVENTE.

¶ Excommunicati,aut notoriè scelerati,
si pœnitentiam agebant,recipiebantur. Ca-
non 25.Cabillonensis Synodi:Si quis publi
cè peccat,publica multetur pœnitẽtia, & se
cundũ ordinẽ Canonum pro merito suo ex
communicetur,aut reconcilietur.

Publicè etiam absoluebantur illi, qui nõ
rectè erant excommunicati. Sic Ludouicus
Imperator in Metensi ciuitate,cum in Syno
do probasset suam innocentiam, à septẽ ar-
chiepiscopis in missæ celebratione absolui-
tur,recitatis septẽ orationibus de eius recõ-
ciliatione.Annonius lib.5.ca.16.de Francis.

Recipiendi,cogebãtur sua sacerdoti enu
merare,& cõfiteri peccata. Sic Monachus
quidã pœnitẽtiam agens,coactus est publi-
cè sua facinora confiteri.Paulus Diac.lib.24
rerum Romanarum.Idem constat ex Raba-
ni de Sermon.propriet.lib.4.cap.10. Acea
res tandem adeò necessaria est habita, ut
damnari eum putarent, qui non confiteree-
tur:ut patet ex Haymone super Psalmum 31.
Et canon 32. Cabillonensis Synodi inquit:
Solerti indagatione debent inquiri ipsa pec
cata,ut ex utrisq; plena sit cõfessio, scilicet
ut & ea confiteantur quæ per corpus gesta
sunt,& ea quibus in sola cogitatione delin-
quitur.Instruẽdus est itaq; peccatorũ suorũ
cõfessor,ut de octo principalib. uitijs, sine
quib.in hac uita difficile uiuitur,cõfessionẽ
faciat:quia aut cogitatione, aut (quod est
grauius)opere eorum instinctu peccauit.

Solebant etiam ad cœnam sacram acces-
suri,prius confiteri apud Francos.unde Tur
pinus inquit:Eodem die Rolandus euchari
stiam acceperat & fecerat confessionem de
lictorum suorum,antequam ad bellum iret:
quia istẽ mos erat semper pugnaturis inter
nos,ut prius confiterentur & cõmunicaren
tur

tur. Vincentius lib. 24. cap. 19. Rabanus lib. 4. capite 10. de Sermonis proprietate.

Confesis sacerdotes imponebãt satisfactiones, ut meminit Rabanus satisfactionis lib. 2. cap. 30. de Instit. clericor. Et in lib. 1. de Nuptijs coniugatorũ, cap. 15. & lib. 5. cap. 15. de Serm. propr. Idem de Modo pœnitentię, cap. 1. Quicquid meminerit se homo nequiter egisse, per confessionẽ sacerdoti patefaciat, & pro hoc ipse pœnitentiã cõdignã gerat. Et synodus Turonensis can. 22, Episcopis & presbyteris diligenti cautela pertractandũ est, qualiter hominib. sua sibi delicta cõfitentibus, tempus abstinendi adscribãt, & iuxta modũ peccati obstinẽtia iudicetur.

Romæ, pœnitentes ferrea uincula gestabant. Ranulphus lib. 5. cap. 30.

Canones de satisfactiõe, passim repetuntur: quorũ peccata in publico sunt, in publico debet esse pœnitentia, per tempora, quę episcopi arbitrio pœnitentibus secundũ differentiã peccatorũ decernũtur: eorumq; reconciliatio in publico esse debet ab episcopo siue à presbyteris, iussu tamen episcoporũ: sicut canones Aphricani concilij testantur, ubi ita scriptũ est: Cuiuscunq; aũt pœnitentis publicũ & uulgatissimũ crimẽ est, quod uniuersam Ecclesiam cõmouerit, ante absidam manus ei imponatur. Quorũ ergo peccata occulta sunt, & spontanea confessione soli tantummodò presbytero siue episcopo ab eis fuerint reuelata, horũ occulta debet esse penitentia, secundum iudiciũ presbyteri siue episcopi, cui confessi sunt: ne infirmi in Ecclesia scandalizẽtur, uidentes eorũ pœnas, quorum penitùs ignorãt causas. Rabanus lib. 2. cap. 30. de institutiõe clericorũ. Idem in libro de Modo pœnitẽtiæ, & de nuptijs consanguineorũ, plures canones recitat. Et cap. 36. Vuormacienſis sinodi: Si uiriuidam in coniugium duxerit, quæ ex priore marito filiam habuit, & cum eadem filia postmodum concubuerit, coniugium modis omnibus dissoluatur: & uir ille penitẽtiæ subiaceat sanctionibus, ita ut per triennij tẽpus à sacro corpore Domini nostri Iesu Christi suspendatur, & sanguine: carnem non manducet, abstineat à uino: & singulis diebus ieiuniũ celebrare festinet, exceptis festis diebus atq; Dominicis. Orationib. omni insistere solicitudine, integriterq; perficere, summopere studeat. Extant etiam apud Gratianum, & in tomo 2. Cõciliorum, canones Nicolai de pœnitentia. Ei Maguntina Synodus, cap 16. Qui sacerdotem morti uoluntariè tradiderit, carnẽ nõ comedat, nec uinũ bibere præsumat, omnibus diebus uitę suæ. Ieiunet autem usq; ad uesperã, exceptis diebus festis atq; Dominicis. Arma nõ sumat: & ubicunq; ire maluerit, nullo uehiculo deducatur, sed proprijs pedibus profiscatur. Ecclesiam per quinquennij tẽpus non ingrediatur: sed cum sacrarum orationum officia, aut Missarũ solennia celebrantur, ante fores basilicæ perseueret, orans ac deprecans Dominũ, ut tanto crimine ablua tur. Post expletum uerò quinquennij tempus, ingrediatur Ecclesiam, non tamẽ communicet: sed inter audiẽtes tantũmodo stet uel dum facultas conceditur sedeat. Dum autẽ duodecimi anni cursus fuerit finitus, cõmunicãdi ei tribuatur medela. Maneat tamen in reliquis obseruationib. tres dies per hebdomadã, ut ad perfectionis purificatus mereatur uenire culmẽ. Idem in cap. 4. Triburiensi repetitur. Similis est canon 30 Synodi Vuormaciẽsis, de pœnitẽtia parricidæ aut fratricidæ. Et in Synodo in uilla Theodonis celebrata, plures canones de satisfactione statuuntur, ut patet ex actis.

Ritus receptionis & absolutionis Carolus Caluus, in epistola sua aduersus Rauennatem clerum, his uerbis indicat: Sacrę antiquorum patrum regulæ decreuerunt, ut cuiuscunq; pœnitentis publicum & uulgatissimũ crimen est, quod uniuersam Ecclesiam commouerit, ante absidam ei manus imponatur: & huiusmodi pœnitentes, tempore quo pœnitentiam petũt, impositionẽ manuum & cilicium ac cinerem super capita à sacerdote, sicut ubiq; constitutum est, consequantur.

VARII CASVS CIRCA CLAVES.

1. De eo qui non schismatis contentione, sed simplicitatis errore baptismum iteraue rat, Rabanus in epistola ad Humbertũ scribit, quòd nullo modo ab ordinis & gradus sui honore deijci debeat, eo quòd nec Apollo, qui non nisi Iohannis baptisma sciebat, ab Apostolis de officio prędicationis sit remotus.

2 Rabanus disciplina & ieiunio corripiẽdos illos censet, qui de iecinore rabidi canis, medicamenti loco dederant illi qui ab eodem morsus fuerat: in epistola ad Reginbaldum.

3. Idem, in eum qui cum cane fœmina & uacca coierat, repetit ueterẽ satifactionis canonem in epistola eadem.

4. Quidam in partibus Thuringiæ, germani sui uxorem, ipsa nesciente, noctu oppressit. Ea de re Rabanus iudicat: Quòd si mulier queat probare se delusam, & inuitã tale peccatum patrasse, debeat pœnitẽtia legitimè peracta, ad mariti sui thorum redire: mœchum uerò iure matrimonij priuat, & perpetuę subijcit pœnitentię. in epistola ad Reginharium coepiscopum.

5. Hincmarus in epistola ad Laudunensem, cap 48. Sicut tu absolui non potes si

contraria ore prædices,& contraria uno eodemq; tempore manu subscribas:sic ipsa omnium uestra collectio absolui non potest, si contraria dicat, & contraria faciat:id est,si communicet sacerdoti,à cuius prædicatione & subscriptione dissentit.

RITVS CIRCA COENAM.

AB episcopis,sacerdotibus & presbyteris cœna Domini administrabatur.Lothario regi cœnam Domini ipse Pontifex cõmunicat.Regino lib.2.

In templis uerò,super altaribus aut mensis ad eam rem accõmodis id fiebat. Sic Pontifex Lotharium inuitat ad mensam Christi. Regino lib.2.& Bertramus in lib.de corpore & sanguine,ostendit,corpus Domini & sanguinem super altare seu mensam poni,& inde populo distribui,

In uasis uerò metallicis & consecratis cœnam dispensabant:ut Rabanus lib. 1. cap.33. de clericorum institutione testatur.

¶ Communicabant autem uel quotidie: ut Bertramus indicat in præfatione ad Carolum,& Rabanus lib. 4. cap.10,de Sermonis proprietate.

Vel singulis diebus Dominicis : quod in Francorum ecclesijs factum , indicat canon 21 concilij Aquisgrani : Sub Ludouico tanè communicatio corporis Domini omni die Dominico debuit celebrari : ideoq; necesse est, quantum ratio permittit , ut moderna corrigatur consuetudo , ne fortè qui longè est à sacramentis quibus est redemptus,longè sit à salute quam fuerant consecuturus.Et Rabanus de Sermonis propriet. lib.4.ca.10. Quotidie Eucharistæ cõmunionem percipere,nec uitupero,nec laudo: omnibus tamen Dominicis diebus communicandum hortor,si tamen mens in effectu peccandi non sit.Eadem repetit lib,1.cap.31.de Clericorum institutione

Vel in festis solennibus : Sacramenta corporis & sanguinis Christi celebrãtur ob memoriam Dominice passionis , nõ solum per omnes Paschæ solennitates singulis annis, uerùm singulis in anno diebus . Bertramus in lib.de Corpore & sanguine.

Vel ad minimum ter in anno,iuxta canonem 50 Synodi Turonensis : Vt ter laici homines in anno,si non frequentius, communicent , nisi fortè quis maioribus quibus libet criminibus impediatur.

¶ Vtebantur pane azymo , & uino aqua misto,ut Rabanus indicat ibidem.Et panem azymum Dominum in prima cœnę institutione usurpasse,Rabanus autumat lib. 1. cap. 31.de instit.cleric. Et Bertramus lib. de Corpore & sang. Præter panem & uinum cum aqua mixtum,aliud offerri nõ debet.cap.4. Synodi Vuormacienſis. Et solum uinũ aut solam aquam offerre , Synodi Triburiensis caput 19.uetat.

In consecratione non tantum uerbis institutionis , sed etiã alijs cantionib.& precationib.usi sunt , ut Rabanus indicat lib. 1.cap. 32.de Cleric. institut. In initio mos iste cantandi non erat,qui nunc in Ecclesia ante sacrificium celebratur : sed tantum epistolæ Pauli recitabantur,& S.Euangelium.Cęlestinus autem 45. episcopus post Petrũ Romanæ ecclesię,traditur primus statuisse,ut Psalmi 150 ante sacrificiũ psallerentur, antiphonatim ex omnibus.Fertur etiã & longè antè Telesphorus papa constituisse, id est,nonus post Petrũ,ut ante sacrificium hymnus Gloria in excelsis Deo , diceretur. quod tamẽ nõ semper agitur,sed in diebus tantũ Dominicis,& in sanctorum festiuitatib.qđ Symmachus papa 56. post Petrũ , ita fieri mandauit.

Panem consecratum & calicem subleuabant,ut cõspici à populo possent. Rabanus lib.1.cap.34.de Institutione clericorum.

Administri erant induti uestibus, ad eum usum factis.Synodus Aquisgrana sub Ludouico,cap.7.

Neq; mutilatã, sed integram cœnam tam laicis quàm clericis distribuebant.Nam Romanus põtifex accipit in manus corpus & sanguinem Domini, & Lothario tradit.Regino lib. 2. Et Rabanus omnes baptizatos corpore & sanguine Dominico confirmare iubet,lib.1.cap.29.de Clericorum institutione. In Ecclesia fideles quotidie comedunt corpus Christi , & sanguinem eius bibunt: Haymo lib.1.cap 2.Apocal. Et in canone 36 Vuormacienſi,incæstuosus arcetur à corpore & sanguine Christi.

Post communicationem sacerdotis uoce dicitur:Pignus æternæ uitæ capientes,humiliter imploramus,ut quod imagine contingimus sacramenti , manifesta participatione sumamus. Bertramus lib. de Corpore & sang.Domini.Item : Perficiant in nobis Domine quæsumus,tua sacramenta,quod continent:ut quæ nunc specie gerimus , rerum ueritate capiamus.

Nondũ baptizatos, uel etiã adhuc excommunicatos,uel manifestè flagitiosos, uel nõdum plenè institutos de capitibus doctrinæ cœlestis,uel qui nondum satisfecerant disciplinæ Ecclesiasticæ, arcebãt in cõmunione. Sic Photius Basilij parricidã Michaelis,ad cœnã noluit admittere.Zonaras tom.3. Quę mortalia crimina post baptismũ cõmissa premunt,hortor prius publica pœnitentia satisfacere:& ita sacerdotis iudicio reconciliatũ, cõmunioni sociari.Rabanus de Serm. prop. lib.4.ca.10.Qua fronte præsumit ille, sine distincta & diuturna pœnitẽtia, ad percipiendum corpus & sanguinẽ Christi sacro altari appro-

appropinquare, qui non timuit illud in iniuriam Dei humano sanguine per homicidium fœdare? Rabanus in epistola ad Humbertum. Indignè ad altare Domini properare permittitur, qui res ecclesiasticas aut audet rapere, aut iniustè possidere. Carolus Magnus in priuilegio.

Ieiuni utebantur cœna. Rabanus lib. de Eucharistia, cap. 48. Sic per Apostolos placuit Spiritui sancto, ut in honore tanti mysterij primitùs corpus Christi & sanguis sobriè acciperetur, quàm cæteri cibi. Et ideo per omnem Ecclesiam Christi mos iste satis decenter ac prouidè inoleuit. Neq; obseruãdum, sicut Apocryphorum monumẽta decernũt, donec digerantur in corpore, ne cõmunis cibus accipiatur: sed satis inuigilandum, ut antea quisq; semper paret, & post acceptam gratiam nullus indignum se reddat. Spiritualiter enim hæc accipienda, non carnaliter, idem Haymo super Euãgelia Dominicalia asserit.

DE MISSA.

COenam Domini in theatricum spectaculum transformatam, Romani pontifices etiam hoc seculo retinuerunt, & subinde nouis ritibus auxerunt: & de tempore, loco, modo & fine, Canones fecerunt.

Formam Missæ, qualis hoc tempore omnes penè Occidentis Ecclesiæ, ad imitationem Romanę obseruarunt, Rabanus describit lib. 1. cap. 33.

Primùm in celebratione Missæ, ad introitum sacerdotis ad altare, antiphona cantatur à clero. Dicitur aũt antiphona, eo quòd ex duobus choris alternatim psallebatur.

Pòst introitum Letaniæ aguntur à clero, ut generalis oratio pręueniat specialẽ sacerdotis. Subsequitur oratio sacerdotis: & pacifica primùm salutatione populũ salutãs, pacis responsum ab illo accipit. Deinde lector legit lectionem canonicã, & cantor dicit responsorium: quod inde dictum est, quòd alio desinente, alter respondeat. Inter respõsoria & antiphonas hoc interest, quòd in respõsorijs unus dicat uersum, in antiphonis aũt alternẽt uersibus chori. Responsoriũ quidam Graduale uocant. Post illud cãtatur Alleluia, & Amẽ. Hinc diaconus recitat Euãgeliũ, & offeruntur à populo oblationes, & cantatur offertoriũ à clero: quod ex ipsa causa uocabulũ sumpsit, quasi offerentiũ canticũ. immittiturq; super altare corporale palliũ, qđ significat linteũ quo corpus Saluatoris involuebatur: qđ ex lino puro textũ esse debet, & nõ ex serico, uel purpura, neq; ex panno tincto.

Ponuntur quoq; tũc uasa sancta (quod calix est, & patena) super altare: postea cantatur Missa à sacerdote. qui postquã loquitur ad populũ de eleuatione cordis ad Deũ, exhortaturq; eos ad gratias agendas Dño, laudib. os implet: rogatq;, ut ipse omnipotẽs Deus pater, cui deseruiunt cœlestes potestates, sua gratia illorum uocibus iubeat humanas associare cõfessiões. Quã deprecationẽ mox subsequitur laus ex angelicis & humanis carnibus confecta: Sanctus, sanctus, sanctus Dñs Deus Sabaoth: pleni sunt cœli & terra gloria tua, &c. Dehinc iam consecratio corporis & sanguinis Dñi fit, & deprecatio ualida ad Deũ, interq; et Dominica oratio decantatur. Postquã enim ad cõmunicandũ & ad percipiẽdũ corpus peruentũ fuerit, pacis osculũ sibi inuicem tradũt, cãtantes: Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. ut pacifici Sacramentũ percipiẽtes, in filiorũ Dei nũero (remissis delictis omnib.) mereãtur copulari. Post cõmunionẽ ergo, et post eiusdem nominis canticũ, data benedictione à sacerdote, ad plebẽ diaconus prædicat, Missæ officium esse peractum, dans licẽtiam abeundi.

Susceptis oblationibus, reuertitur sacerdos ad altare, & lauat manus suas, & extergit: de oblata facit duas cruces iuxta calicẽ, & eleuat, & panem in uinũ mittit, inquiens: Fiat cõmixtio corporis & sanguinis Dñi accipiẽtibus nobis, ad salutẽ mentis & corporis, in uitam æternã. Tunc populus facit pacem. Facta pace, sacerdos rumpit oblatã ex latere dextro: & una particula relicta super altari, reliquas oblationes ponit in patenã, tenente eam diacono. lib. eodem, cap. 34.

Ad formam Missæ etiam alludit Haymo, super 2. cap. prioris ad Timotheũ: Obsecro igitur primò omniũ fieri obsecrationes, &c. Tradit Paulus omni ecclesię formã, quõ deberẽt Missarũ solennia celebrare, & pro omnibus hominib. orare. quã formã uel exemplũ omnis Ecclesia modò retinet. Nam obsecrationes sunt, quicquid præcedit in Missarum solennijs, usq; ad illũ locum, ubi incipit sacerdos cõsecrare mysteria corporis & sanguinis Domini, inquiẽs: Te igitur clemẽtissime pater petimus. Orationes sunt, quas fundit sacerdos in cõsecrationẽ Eucharistię usq; ad fractionem corporis Domini: uidelicet quando particulam quandã sacerdos in calicem ponit. Postulationes sunt, benedictiones episcopales, quas dicit episcopus super populũ, inuocans nomen Dei super illũ.

Sed tamen non ubiq; eadẽ obseruata est missificandi ratio. nam Carolus iunior in epistola ad clerũ Rauennatẽ, cap. 7 testatur, hoc suo tẽpore aliã rationẽ missæ celebrandæ Hierosolymis, aliã Constãtinopoli, aliã Romę, aliã Mediolani, aliã in Hispãia Toleti obseruari, ac disertè indicat, sub abauo suo Pipino Gallicanas Ecclesias aliter quàm Romanam

manã uel Mediolanẽſem diuina celebraſſe officia.

Leo quartus decreuit, ne quis ex laicis in presbyterio ſtet, aut ſedeat, aut ingrediatur dum ſacra Miſſarum ſolennia celebrentur. Sigebertus anno Domini 847.

Epiſcopo, cui à Pontifice pallium erat cõceſſũ, licebat in Miſſa eo uti: ut patet ex Decretis Nicolai papæ, tomo 2 Conciliorum.

Miſſas uiuis & mortuis prodeſſe. Raban. lib. 8. comment. in eccleſiaſt. ca. 14. Gregorij autoritate aſſerit, & Canon 39. Cabillonenſis, in Miſsis pro defunctorum ſpiritib. Dominum deprecari iubet.

Et Etheluuulfus rex Anglię, pro ſe & ſuis ducibus, ſiue uiuẽtibus, Miſſas celebrari inſtituit. Vuilhelmus 2. cap. 7. de Anglis.

Cœperunt etiam Miſſas pro bellatoribus facere, ut patet ex decreto Caroli: epiſcopi, qui apud eccleſias ſuas remanẽt, pro nobis & cuncto exercitu noſtro Miſſas, lætanias, oblationes & eleemoſynas faciant.

Nouũ eſt, quod Leo quartus hoc ſeculo Miſsis, aqua benedicta, circuitione & precibus, Leopolin urbem recens extructã luſtrauit, & conſecrauit, ut eſſet propugnaculum cõtra Saraçenos. lib. Pontifical. in uita eius.

VARII CASVS CIRCA COENAM.

1. Morem ſeſe purgãdi de criminibus, per celebrationem Miſſæ, ac cœnę uſurpationẽ, Pontificij hoc ſeculo inuenerunt. Nam finitis ceremonijs Miſſæ, ſummus pontifex Lotharium regem inuitat ad menſam Chriſti: acceptoq; in manus corpore et ſanguine Domini, ita eum alloquitur: Si innoxiũ te recognoſcis, à prohibito atq; interdicto tibi à Nicolao adulterij ſcelere, & hoc fixa mente ſtatutum habes, ut nunquã diebus uitæ tuæ, Vualdrad ępellicis tuæ, dudum à te repudiatæ, miſcearis nefario concubitu, fiducialiter accede: & ſacramentũ ſalutis æternę, tibi ad remiſsionem peccatorũ profuturũ, percipe. Si aũt tua cõſcientia te accuſat, & letali uulnere ſauciatũ proclamat, aut iterũ redire mẽte diſponis in mœchiæ uolutabro, nequaquã ſumere præſumas: ne fortè ad iudiciũ & cõdemnationẽ tibi adueniat, quod fidelib. ad remediũ præparauit diuina prouidẽtia. Sed illæ Placentię in itinere moritur, & oẽs eius proceres eod. anno interierũt. Sigeb. añ. 870.

Ad imitationẽ iſtius facti, Synodus Vuormaciẽſis ca. 15. ſic inquit: Sępe cõtingit, ut in monaſterijs furta perpetrentur: & qui hæc cõmittant, ignorẽtur. Idcirco ſtatuimus, ut quando ipſi fratres de talib. ſe expurgare debeant, Miſſa ab abbate celebretur, uel ab aliquo cui ipſe abbas præceperit, præſentibus fratribus: & ſic in ultima Miſſæ celebratiõe, pro expurgatione ſua corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti percipiant, quatenus ita inde innocentes ſe eſſe oſtendant. Eadem Synodus cap. 10. epiſcopos aut presbyteros de cędę, aut adulterio, aut furto, aut alio maleficio accuſatos, iubet ſeſe purgare Miſſæ celebratione. & communione.

2. Michael Imperator Conſtantinopolis, filius Theodoræ, nefarios adoleſcentes alebat, à quibus ad mala omnia inflãmabatur. Ii pontificũ ſibi habitũ ſumebãt, & incruentam uictimã ſe immolare ſimulabãt: ipſo etiam Michaele in eo cœtu uerſante, ludũ minimè ludicrum, ſed horrendũ potius, ludentes, & aceto ac ſynapi in uaſis aureis & gemmatis temperato, eam potionem ſodalibus & colluſoribus ſuis impertiebãt. Hęc impia conſuetudo, in octaua generali Synodo Cõſtantinopolitana damnatur, & abrogatur: ut in capite de Synodis indicamus.

3. Quoſdam puram aquã, propter ſobrietatis imaginem, in cœna uſurpaſſe, Rabanus indicat, lib. 4. cap 10. de Sermon. propriet.

4. Plecgilis presbyter quotidie precioſa munera offerens, polcebat ſibi præmonſtrari, quæ foret ſpecies latitans ſub forma panis & uini, non quia de corpore Chriſti dubius eſſet: ſed quia uel ſic Chriſtum cernere uellet, quẽ nemo mortaliũ iam ſuper aſtra leuatum in terris cõſpicere poteſt. Venerat ergo dies, ut idẽ celebrans piè ſolennia Miſſarum, more ſolito procũberet genibus: Te precor, inquit, Omnipotens, pande mihi exiguo in hoc myſterio naturã corporis Chriſti, ut mihi liceat eum proſpicere preſentem corpore uiſu, & formam pueri, quem olim ſinus matris tulit uagientem, nunc manib. contrectare. Qui dum talia precaretur, angelus de cœlo aduenięs affatur: Surge, inquit, properè, ſi Chriſtum uidere placet, adeſt præſens corporeo ueſtitus amictu, quem ſacra puerpera geſsit. Tum uenerabilis presbyter pauidus, ab imo uultum erigẽs, uidit ſuper aram patris filium puerum, quem Simeon infantẽ portare ſuis ulnis promeruerat. Cui angelus inquit: Quia Chriſtum uidere placuit, quem prius ſub ſpecie panis uerbis myſticis ſacrare ſolebas, nũc oculis inſpice, manibus attrecta. Tum ſacerdos cœleſti munere fretus, quod dictu mirũ eſt, ulnis trementibus puerũ accipit, & pectus propriũ Chriſti pectori iũxit. Deinde profuſus in amplexũ, dat oſcula Deo, & ſuis labijs preſsit pia labia Chriſti. Quibus ita exactis, præclara filij Dei membra reſtituit in uertice altaris, & repleuit cœleſti pabulo Chriſti mẽſam. Tũc rurſus homo proſtratus, deprecatus eſt Deũ ut dignaretur ipſe iterũ uerti in priſtinã ſpeciem. Qui expleta oratione ſurgens è terra, inuenit corpus Chriſti in formam remeaſſe priorẽ uti deprecatus fuerat. Rabanus de Sacramento Euchariſtiæ, cap. 39. Eodem planè mo-

nè modo & ijſdē uerbis narrat hoc factū Paſcaſius, in libro de corp. & ſang. Dñi, cap. 4. 5. Nonnulli in farina modiorum corpus Domini accipiūt, & in amphora uinum ſanguinis myſteriū. Agelomus in cap. 1. lib. Reg.

CASVS CIRCA MISSAM.

De ſeruo qui fugerit Dominum ſuum, interrogatus, ſi ille in ipſa fuga mortuus fuerit, utrum liceat pro eo miſſas cantare, aut pſalmodias? hoc in diuinis libris non inuenimus prohibitū. & poſtea dicit, pro eo orandum eſſe, niſi maioribus criminibus implicatus fuiſſe probetur. Rabanus in epiſtola ad Reginbaldum.

Quidā presbyteri, poſt cœnæ cōſecrationem & cōmunionem, ſolebant pueris, aut aliis quibuſuis adſtātibus, corpus Domini tribuere. id uerò canon 19 Turonēſis uetat.

RITVS CIRCA ORATIONES.

CErtis horis tum priuatas tum publicas preces fecerunt. Sic cū Michael imperator Odis matutinis intereſſet, & unà hymnos cantaret: à ſicarijs interfectus eſt. Zonaras tomo 3.

Horas canonicas obſeruarunt: ut ſunt 1. 3. 6. 9. preces matutinæ, ueſpertinæ, completorium, uigiliæ nocturnę. Rabanus lib. 2 de Inſtit. cleric. myſticè exponit. Idem, cum oratione opera inchoare, & ad menſam accedere, & inde recedere, iubet. lib. 2. cap. 10. de Inſtitut. cleric. Item, priuatas & peculiares preces tradit, cap. 11.

Et in locis ad eam rem deſtinatis ea peregerunt: nimirum in Eccleſijs magnis & paruis, ut ſuprà dictum eſt.

Interdum etiam ad ſtatuas, aut ad ſepulchra oraſſe leguntur. Nottingus Vercellenſis epiſcopus, ad ſepulchrum Aurelij noctu orat. Chron. Hirſaug.

Et ad crucem Chriſti. nam in die Paraſceues, Eccleſia crucem Chriſti adorat: id eſt, ſupplicando ſolutat, & canit: Crucem tuam adoramus Domine. Item: Ecce lignū crucis, in quo ſalus pependit, uenite adoremus. & legit collectam Gregorij: Deus, qui unigeniti tui Dñi noſtri Ieſu Chriſti precioſo ſangui ne, humanū genus redimere dignatus es, cō cede propitius, ut qui ad orandā uiuificantē crucē aduenium, à peccatorū ſuorū nexib. liberentur. Ionas Aurelianenſis lib. 1. de cultu imaginum.

Ad loca etiā remota ex ſuperſtitione profecti ſunt precatum. Sic Garolus orationis gratia ad Turonos profectus eſt, ubi Martinus colebatur. Annales Francorū. Et Egila monachus Brumienſis, Romā orationis gratia abijt: cui Thioto abbas Fuldenſis, ad Nicolaū Pontificē literas dedit. Plura teſtimonia infrà, de Peregrinatione ad loca ſancta, aſsignabimus.

Fit etiam mentio geſtuū, & geniculationis. nam Canon 37 Turonenſis Synodi ſanxit, ut Eccleſia fixis in terram genibus oret omni tempore, exceptis diebus Dominicis, & illis ſolennitatibus, quibus & uniuerſalis Eccleſia, ob recordationem Dominicæ reſurrectionis, ſolet ſtando orare,

Eleuationis manuū Remigius meminit in Pſal. 62. Leuamus manus, ut ſi opera ab oratione diſcrepant, fiant orationi cōſona.

Corporis in terram proſtrati, meminerūt monachi in epiſtola ad regem Francorum.

Formulæ quædam orationum in capite de Doctrina adſcribuntur.

Exomologeſeos, id eſt, confeſsionis peccatorum, & petitionis ueniæ à Deo, meminit Rabanus, & à Litanijs diſcernit, lib. 2. ca. 14 & 16. de Inſtitut. clericor.

Et litaniarum. Populus cum ſummo ſacerdote litanias celebrat Conſtantinopoli, ſub Michaele, cum eſſet bellum cum Bulgaris. Paulus Diac. lib. 24 rerum Roman. Leo inſtituit, ut tribus diebus ante aſcenſionem Domini litanię celebrarentur. Luitprandus in uita eius. De litanijs etiam meminit Raban. lib. 2. cap. 15. de Inſtit. cleric. Quòd dies Litaniarū nunc non poſt aſcenſionē, ſed ante aſcenſionis Domini diē, à nobis agūtur, hæc res in cauſa eſt. Nam cum exigentibus peccatis, Galliarum populi luporum rabie acriter interimerentur, nec huius flagelli ali quod remedium inueniri poſſet, cōgregati dicuntur Galliarum epiſcopi apud Viennā, præcipuam Galliæ urbem, atq; in cōmune ſtatuerunt, ut in triduano ieiunio, Domini miſericordiam implorent, antiquorū patrū ueſtigia ſequentes. Cumq; ad eorum preces oculus diuinæ miſericordiæ reſpiciens, flagelli huius peſtē miſericorditer abſtuliſſet, hi dies in conſuetudinē annuæ celebritatis uenerunt, ut per Galliarū prouincias, ante Aſcenſionis Domini diem, celebrarentur. Agamus ergo & nos hos dies pro modulo noſtrę paruitatis, cum ſumma reuerentia & ueneratione, cū abſtinētia carnis, & humilitate cordis. Haymo ſuper Euang. Dominic.

Et proceſsionum. Leo Hoſtienſis lib. 1. cap. 34. in Chron. Caſin.

CASVS CIRCA ORATIONES.

Litanias celebrantes, precioſis ueſtib. ſeſe ornabāt, & equis inſidebāt epiſcopi Germani. Sed eum morē abrogat canon 33 Moguntinæ Synodi: ac iubet diſcalceatos, cinere & cilicio indutos, litanias peragere.

RITVS CIRCA VOCATIONEM ET *ordinationem miniſtrorum eccleſiæ.*

IVs eligendi & uocandi epiſcopos, ſacerdotes, & alios miniſtros, erat penes totā Eccleſiā, hoc eſt, penes clericos & laicos. Sic omnis clerus & populus Colonienſis, Vuilibertum

bertũ elegit episcopũ. Regin. lib. 2. Et Hincmarus in epist. ad Hadebertũ Syluanectensem episcopũ præcipit, ut clericos, & monasteriorũ & rusticanarũ parochiarũ presbyteros & laicos, nobiles & ciues, ad electionẽ episcopi, in Beluacensi ecclesia conuocent: quia ab omnibus debeat eligi, cui ab omnibus debeat obediri. Vt episcopi per electionem cleri & populi constituantur, Carolus in priuilegio suo cõcessit. Et in Synodo Romana, ca. 1. sancitur, ut electio Romani pontificis in potestate Cardinalium episcoporũ sit: ita ut si quis Apostolicæ sedi, sine præmissa cõcordi & canonica electione eorũ, ac deinde sequentiũ ordinũ religiosorũ, clericorum & laicorũ consensu inthronizatur, non papa Apostolicus, sed Apostaticꝰ habeatur.

Facta electione, testimoniũ ab omnibus subscriptũ, ad archiepiscopũ ferebatur: qui ea de re cum rege consilium communicabat, ante ordinationẽ, ut patet ex Agenda, & epistolis Hincmari.

In episcoporũ tamẽ metropolitanorũ & archiepiscoporũ electione & uocatione, uicinorũ episcoporũ & magistratus requirebatur cõsensus. Luitpertus episcopus ad clerum & populũ Colonienſem inquit: Si electionẽ nobis à rege cõcessam despicitis, in arbitrio & potestate regis est, quem nobis uelit dare episcopum. Regino lib. 2.

Et Hatto in epistola ad Leonem papam dicit, Rabanum Fuldensem abbatem cum magno fauore principum gentis Francorũ, & cõsentanea cleri & populi electione, Magũtinensis ecclesiæ archiepiscopum esse ordinatũ. Rembertus Hamburgensis episcopus ferulam pastoralem, hoc est, inuestituram feudalem, à Ludouico rege Germanorum, sed pallium à papa Nicolao suscepit. Cranzius in Metropoli lib. 2. cap. 2.

Romani autẽ pontifices, sibi in electione & ordinatione confirmanda supremam potestatẽ uendicabant. Sic Nicolaus regi Francorum præcipit, ne quem episcopũ in Treuirensi urbe & Colonia Agrippina eligi patiatur, antequam ad sedem Apostolicam ea de re scripserit. tomo 2. Conciliorum.

Per ordinem graduum Ecclesiasticorum promoueri solebãt. Rabanus lib. 1. cap. 13. de Institut. clericor. Canones & decreta Zosymi papæ decernunt, ut clericus, qui ad sacrũ ordinem accedit, inter lectores siue exorcistas. 5 annos exoluat: exinde acolythus uel subdiaconus 4 annis fiat. Ad benedictionem quoq; diaconatus, non minoris ætatis quàm 25 annorum accedat. in quo ordine 5 annis expletis, si inculpabiliter ministrauerit, ad presbyteratus honorem promoueri poterit: non tamen ante 30 annos ætatis, licet ualde dignus sit: quia & Dominus noster non ante 30 annum prædicare exorsus est. De quo gradu, si eum auctior ad bonos mores uita perduxerit, summum pontificatum accipere poterit: hac tamen lege seruata, ut neq; bigamus pœnitens, nec neophytus ad hos gradus possit admitti.

Electi primùm examinabantur. Presbyteri non ordinentur, priusquã examinentur: Vuormacienſis Synodi cap. 56. Hincmarus in epistola ad Hadebertũ: Eundem electum, ad nos adducere tecũ examinandũ procura.

Etiã chirographo suo profitebantur suo ordinatori metropolitano, de fide sua: & promittebant ei obedientiam & reuerentiam, & canonum obseruationem: ut patet ex epistola Adelberti Morinẽsis episcopi ad Hincmarum Remensem. Reuerendissimo patri Hincmaro Remorum archiepiscopo. Quia fundamentum bonorum operum, per quod ad cœleste regnum gratia Domini peruenitur, fidem, quæ per dilectionem operatur, esse non dubium est: non ab re censuit ueneranda Ecclesiæ catholicæ consuetudo, ut ab eis qui ad prædicationis promouentur officiũ, fidei integritas & confessio requiratur. Quia sicut magister egregius & doctor gentiũ, Paulus declarat: Corde creditur ad iustitiã, ore aũt confessio fit ad salutem. Et ideo mox gratia superna, per sacrosanctũ ministeriũ uestrum Morinensis Ecclesiæ futurus episcopus, profiteor unã fidem esse: eamq; operante gratia superni largitoris me tenere, prędicare atq; defendere, quã à Deo inspiratã, & ab Apostolis traditã, atq; à successoribus eorũ custoditã habemus. Confiteor unum baptisma, in remissione peccatorũ: unã Apostolicã & uniuersalem Ecclesiam, in qua solа possunt relaxari peccata, in nomine patris & filij & spiritus S. tam per catholicum baptismũ, quàm et per dignos pœnitẽtię fructus, & Apostolicæ autoritatis largitã sibi à Domino potestatẽ. Extra hanc autem Ecclesiam catholicã, neminem saluari posse confiteor. Sex deniq; sanctas & generales de fide Synodos, quas sancta & Apostolica Ecclesia recipit, me recipere & uenerari profiteor: uidelicet Nicenam trecentorũ decem & octo patrum, sub Syluestro papa, & Constantino Imperatore, cõtra Arrium & eius sectatores, celebratam: Constantinopolitanam, centũ quinquaginta patrũ, contra Macedoniũ & Eudoxiũ, temporib. Damasi papæ & Gratiani principis, actã: Ephesinã, ducẽtorũ patrũ, cõtra Nestoriũ, sub Theodosio Magno principe, & papa Cœlestino, cui per suos uicarios prędedit idem beatus papa Cœlestinus, & sanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus episcopus: Chalcedonẽsem, sexcentorũ triginta patrũ, cui prędedit p uicarios suos sanctus Leo papa, temporibus Martiani principis,

pis, cõtra Eutychen nefandiſsimũ præſulẽ monachorum, celebratam: item Conſtantinopolitanam, temporibus Vigilij papę, ſub Iuſtiniano principe, contra Theodorum & omnes hæreticos: item Conſtantinopolitanam, 150 patrum, ſub Agathone papa, Conſtantini & Heraclij ac Tiberij principũ temporibus, pro adunatione facienda ſanctarũ Dei eccleſiarum, de duabus naturis & operationibus, in una perſona Dei & hominis filij, Domini noſtri Ieſu Chriſti. Eos aũt, qui cunq; ab ijſdem ſanctis patribus in memoratis Synodis, uel poſtea, ſimiliter per Spiritũ S. ſentientibus diuerſis uicibus, literis diuinitùs inſpiratis, damnati leguntur, eandem uenerandam patrum autoritatem ſequens, condemno. Sed & epiſtolam beatæ recordationis Leonis, Apoſtolicæ ſedis antiſtitis, ad Flauianum Conſtantinopolitanũ epiſcopum datam, & oẽs eius epiſtolas de fidei firmitate perſcriptas, per omnia & in omnib. inuiolabiliter cuſtodire, & me liberè ſemper prædicare profiteor. In quibus inter cætera (ſicut & in ſermone beati Athanaſij, quẽ in Eccleſia catholica uenerãdo uſu frequentare cõſueuit, qui ita incipit: Quicunq; uult ſaluus eſſe, ante omnia opus eſt ut teneat catholicã fidem) poſt documentũ, quo docemur, quõ trinitas perſonarũ in unitate diuinitatis, & unitas Deitatis in trinitate perſonarum, ueneranda ſit, euidentiſsimè cõtinetur, unã ex eadem S. trinitate perſonã. Dñm & ſaluatorẽ noſtrũ Ieſum Chriſtũ, Dei hominiſq; filiũ, ex duab. & in duab. naturis, hoc eſt, diuina & humana, in una perſona conſtentibus, & in ſua proprietate differentiaq; manentibus, eſſe credendũ & prædicandũ: qui ſecũdũ Apoſtolicũ ſymbolũ, de ſemper uirgine Maria, quæ & ueraciter Dei eſt genitrix, ſecundũ carnẽ natus, paſſus, mortuus, reſurrexit, & in cœlos aſcendit, ſedet quoq; ad dextrã Dei patris omnipotẽtis, inde uenturus iudicare uiuos & mortuos. Ad cuius aduentũ omnes homines reſurgent cũ corporib. ſuis, & reddent de factis proprijs rationẽ: & recipiet unuſquiſq; prout geſsit, & in factis ſuis perſeuerauerit, ab eodem iuſto iudice, & ſine fine regnante, cum ibunt impij in ignẽ æternũ, iuſti aũt in uitã æternam. Anathematizo quoq; oẽs hæreſes ac ſchiſmata, quæ catholica & Apoſtolica eccleſia anathematizat: & quicquid ſanæ fidei intelligentiæ contradicit, reſpuo & anathematizo: & quicquid catholica & Apoſtolica eccleſia recipit & tenet, me adiuuante Domino recipere & ſequi: & à ſacris canonib. atque à regularib. decretis Apoſtolicæ ſedis, de Eccleſiaſticis ordinib. & diſciplinis, canonum promulgatis, ſeu à Synodalibus conſtitutionibus, quas catholica Eccleſia ad autoritatẽ recipit, me per contemptũ pertinaciter nõ deuiaturũ profiteor. Priuilegio etiã metropolis Remorũ eccleſiæ, ac eius præſulis, ſecũdũ ſacros ſanctorũ conciliorũ canones, & decreta ſedis Apoſtolicæ, ex ſacris canonib. & legib. promulgata, pro ſcire & poſſe, abſq; dolo & ſimulatione, uel indebita & pertinaci cõtradictione, me obiturũ profiteor. Sed & obſeruationes ac regularia mandata, ſacrorũq; conciliorũ placita, quæ poſt ordinationẽ epiſcopalẽ in literis canonicis, ſecundũ morem eccleſiaſticũ proprijs ſubſcriptionibus roboratis collecta, & mihi tradenda corã omnib. prædixiſtis, me ſeruaturum profiteor, & omnibus ſuprà ſcriptis cũ cordis & oris profeſsione ſubſcribo.

Poſtea aduocantur in baſilicam presbyteri à dextris eius, & diaconi à ſiniſtris: ipſe uerò inclinato capite in medio eorum incedit, uſquedum ueniat ad altare. tũc exuitur caſula, & induit eum pontifex planeta, & legit breuẽ hunc modũ continentem: Ciues, inquit, noſtri elegerũt ſibi illum paſtorẽ. Oremus itaq; Deũ pro hoc uiro, ut Deus omnipotẽs infundat in eum gratiã ſpiritus ſui, ut dignus habeatur ad cathedrã epiſcopat' regendam. Et reſpondetur à ſchola: Chriſte audi nos. & cantatur litania. Agenda.

¶ Deinde ordinabãtur uel ab epiſcopo metropolitano: ut patet ex epiſtola Hincmari ad Carolum.

Vel ab archiepiſcopo: Ita Luitpertus archiepiſcopus Moguntinus Vuilibertũ conſecrat. Reg. lib. 2.

Vel à pontifice Romano: ut Leo tertius papa ordinauit per diuerſa loca epiſcopos centũ & uigintiſex. Onuphrius in uita eius.

In pręſentia uicinorũ epiſcoporũ, ut Hincmarus in epiſt. ad Tornacenſem eccleſiã inquit: Fratrẽ iam & coepiſcopũ noſtrũ uobis ordinantes, pręſentia uel conſenſu ac literis coepiſcoporũ totius nobis cõmiſſę prouinciæ, ſecundũ ſacros canones ſacerdotẽ, paſtorem quoq; ac rectorem.

Gratis: Suis etiam cõminiſtris gratis conferat ordinationem. Hincmarus in epiſtola ad Tornacenſem eccleſiam.

Ad ſacram menſam, ubi ordinandus confeſsionem ſuæ fidei edebat, & Canones ſacros ſibi propoſitos ſe amplecti affirmabat. Hincmarus in epiſtola ad Laudunenſem epiſcopum.

Iuſiurãdum quoq; præſtitit: Ab eis, quos ordinauerit indebitum, & contra ſacras regulas, ſibi ſacramentum fieri non compellat. Hincmarus in epiſtola ad Tornacenſem eccleſiam.

Poſtea eis impoſitæ ſunt manus. Angelomus in 7 caput, libri 3. Regum Hincmarus in epiſtola ad Hadebertum inquit: Tua

dilectio solerti cura in hac electione inuigilet, præsertim cum nobiscum tibi necesse erit, ei qui ordinandus est, manus imponere.

Traditus baculus & annulus: Sacerdoti, dum cõsecratur, datur baculus, ut eius indicio subditã plebem uel regat, uel corrigat, uel infirmitates infirmorum sustineat. Et annulus, propter signum pontificalis honoris, uel signaculum secretorũ. Canon 9. Aquisgranensis.

Romani pontifices à tribus ordinabantur, ut in seculo superiori: & proprtia sua nomina, quæ in baptismo acceperant, abnegare hoc seculo cœperunt. nam Os porci cum ordinaretur, Sergij nomen sortitus est. Quæres legis uim accepit, adeò ut postea omnes Papæ sua nomina mutarent. Ranulphus lib. 5. cap. 31. tres rationes eius rei affert. Quia Christus Apostolorum nomina mutarit, & quòd ea res typum gerat uitę in perfectioré statum commutandę, & ne turpi appellatione pontificia dignitas deformetur. Idem uerò etiam similiæ pontificiæ imitati sunt. nam Ansgarius & Ibo Gaudebertum consecrantes, Simonem uocauerunt, eumq; in Sueoniam miserunt. Crancius lib. 1. in Metropoli, cap. 32.

Romani põtifices in prima Missa solebãt eos qui excõmunicati fuerant, ad communionem admittere. Sic Adrianus secundus Thetgandum, Zachariam, Anastasiũ, à suis antecessoribus excommunicatos, absoluit, & ad cœnam admisit. Liber Pontificalis.

RITVS ORDINANDI DIACONOS.

Diaconi, sicut episcopi, ante ordinationé probandi sunt. Canon 7. Aquisgranensis Synodi, sub Ludouico.

IDEM SVBDIACONOS.

Subdiaconi initiò castitatem pollicebantur: deinde patenã & calicem de manu episcopi, & ab archidiacono scyphum aquæ cũ aqua, mantili & manutergio suscipiebant, sed absq; impositione manus. Rabanus lib. 1. de Institutione clericorum, ca. 8. Canon 6. concilij Aquisgranensis sub Ludouico.

RITVS ORDINANDI EXORCISTAS.

Exorcistæ cum ordinantur, accipiant de manu episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente eis episcopo: Accipite & cõmendate memorię, & habete potestatem imponẽdi manus super energumenos siue catechumenos, ut imperetis immũdis spiritibus, & abijciatis. Eadem canon 4. concilij Aquisgranensis sub Ludouico habet, tomo 2. Conciliorum.

RITVS ORDINANDI LECTORES.

Lectores dum ordinãtur, primùm de eorũ conuersatione episcopus uerba facit ad populũ. Deinde tradit eis corã plebe codicẽ apicũ diuinorũ, ad Dei uerbũ annunciandũ. Canon 3 cõcilij Aquisgr. tomo 2 Conciliorũ.

CASVS CIRCA ORDINATIONEM.

1. Carolomannus, filius Caroli regis Francorum, à parente contra suam uoluntatem clericorũ ordini adscriptus, cum diaconus designatus esset, abiecit id uitæ genus: & sociis sibi adiunctis, conatus est regnum inuadere. Sigebertus anno 872. Regino lib. 2.

2. Carolus Colonienſibus Hilduinũ episcopum dederat: atq; is, cum cleri & populi assensu, presbyter erat ordinatus. Sed Ludouicus re cognita, Luitpertũ Moguntinũ episcopum ablegat, qui iubet populum & clerum, alium ex suo ordine eligere, ac Vuilibertum electum inuitum consecrat, & in sedem pontificalem collocat. Regino lib. 2.

3. In canonibus dicitur: Si tales (qui sunt extra Ecclesiam, ut hæretici) iterũ Ecclesiæ coniungi per rectam fidem uoluerint, accipiant manus episcoporum impositionem, quatenus sic possint recipere Spiritũ S. quẽ perdiderunt. Haymo lib. 2. super 4. Apoc.

4. Dictũ est interea de quibusdã fratrib. & eos quos ordinaturi sunt, iurare cogitant, & digni sint, & cõtra canones nõ sint facturi: & obedientes sint episcopo qui eos ordinat, & Ecclesiæ in qua ordinantur. Quod iuramentũ quia periculosum est, oẽs unà inhibẽdum statuimus. Canon 13 concilij Cabillon.

5. Seruos oportebat prius mãumitti, quàm ordinarentur: iuxta canonem 29. Turiensis Synodi, & Ludouici decretũ in Synodo Aquisgrana. Annonius li. 5. cap. 10, de Frãcis.

6. Si non poterant in clero aliquem inuenire idoneum ad episcopi officium, ex uicinis diœcesib. licebat aliquẽ eligere: ut patet ex epist. Hincmari ad Beluacẽsem ecclesiã.

7. Si electus à plebe et populo erat insigniter ineptus, tum archiepiscopus cũ suis collegis aliũ illis præficiebat: ut patet ex eadem epistola.

8. Non licebat bigamum, neq; qui uiduã duxisset uxorem, neq; illiteratum, neq; corporis aliqua parte mutilatum aut uitiatum, neq; ex publica pœnitẽtia uel curia, aut cuilibet cõditioni obnoxium, neq; in alterius potestate cõstitutũ, neq; à probata fide alienum, ordinare episcopum aut presbyterũ Hincmarus in epistola ad ecclesiam Tornacensem. Neq; enim qui aliquãdo mentis furore correptus, aut à dæmone obsessus, aut de ambitione aut Simonia conuictus esset. Rabanus lib. 4. cap. 10. de Sermon. propriet.

EXORCIZATIO.

NEq; in ecclesia, neq; in domibus, licebat ijs exorcizare, qui non erant ab episcopo ordinati: iuxta caput 79 Synodi Aquisgranensis, sub Ludouico Pio.

Demonium quod in pago Camonti, non procul à Bingio, suis præstigijs incolas afflige-

gebat.

gebat, ſacerdotes & presbyteri Maguntini litanijs & aqua benedicta (Auentinus ſalem luſtricum addit) tandem abegerunt, Anno Domini 858, Sigebert. Auent. lib.4. Annal.

Et Luidbertus, cum filius Ludouici ſecundi, à cacodęmone uexaretur, Miſſam celebrat, obſeſſo uociferante, Væ uæ: demonio autẽ non cedente, ille ad ſacra loca martyrum per epiſcopos ducitur. Annonius lib. 5. cap. 30. de Francis.

RITVS CIRCA IEIVNIA.

CErtis & ſtatutis tẽporibus ieiunia obſeruabant: ut in Quadrageſima. nam quadrageſimale ieiunium Nouiomagi celebraſſe Carolus Magnus ſcribitur, in annalibus Francorũ anno 806. Ieiunij feriæ quartæ & ſextæ, meminit Rabanus lib. 2. cap. 18 de Inſtitut. clericor. Et quadrageſimę. ca. 20. Et ieiunij Pentecoſtes, cap. 21. Item ieiunij ante natiuitatem Domini, quod fit in 9 & 10 menſe, cap. 22. Ieiunij quatuor Sabbatorũ, in quibus duodecim lectiones fiunt, & ordinationes, cap. 24. Et ieiuniorum priuatorum, ca. 25. Et ieiunij biduani & triduani, cap. 26.

De ieiuniorum temporibus, extat canon 34. Maguntinus: Conſtituimus, ut quatuor tempora anni ab omnibus cum ieiunio obſeruentur: id eſt, menſe, Martio hebdomada prima. Et feria quarta & ſexta, & ſabbato, ueniant omnes ad Eccleſiam hora nona, cum litanijs, ad Miſſarum ſolennia. Similiter in menſe Iunio hebdomada ſecunda, feria 4 & 6 & ſabbato ieiunetur, uſq; ad horam nonam, & à carne ab omnibus abſtineatur. Similiter in mẽſe Septembri hebdomada tertia. & in menſe Decembri, hebdomada quæ fuerit plena ante Vigiliã natalis Domini, ſicut eſt in Romana eccleſia traditũ. In publicis calamitatib. indicebantur ieiunia, ꝓpter orationes, ut patet ex canone 47 Turonẽſi.

Nouum eſt, & ſuperſtitioſum, quòd ieiunia loco ſatisfactionis indicebant pœnitentibus. Rabanus li. 13 in Hieremyam: Conueniens ordo, ut indictione pœnitentiæ prędicetur ieiunium parſimoniæ: ut qui per luxũ non cauendo uitia, in peccatum inciderãt, per abſtinentiam & afflictionẽ corporis eadem peccata abluere contendant.

Nec tamen licebat die Dominico ieiunare, iuxta canonẽ 68 Aquiſgrani repetitũ: Siquis propter continentiam, quæ putatur, aut cõtumaciam, in die Dominico ieiunat, anathema ſit.

RITVS CIRCA CIBOS.

TEmpore Quadrageſimę quidam ex ſuperſtitiõe carnib. abſtinebãt. Sic Bernhardus in uita Caroli narrat, epiſcopũ, q ob ualetudinẽ recuperandã comederat carnẽ, in deſperationem incidiſſe: unde ægrè ſit liberatus, cõſilijs & cõſolationib. ſacerdotũ.

Canon uerò 63 concilij Aquiſgranenſis, ex concilio Ancyrano citatus, damnat clericos planè carnes abhorrentes, eosq; ab ordine ceſſare iubet.

Carnes tempore Quadrageſimæ comedentes, damnat Rabanus, eisq; pœnitentiã præſcribit in epiſt. ad Reginbaldum.

DE FESTIS.

FEriabantur die Dominico. Rabãus lib. 2. cap. 42. de clericorum inſtitutione, & Synodus Mogũtina can. 37. inquit: Omnes dies Dominicos, cũ omni ueneratione decreuimus obſeruari, & à ſeruili onere abſtinere, & ut mercat' in eis minimè ſit, nec placitum, ubi aliquis ad mortem, aut ad pœnã iudicetur.

Et diebus ſolennibus: ut ſunt natalis Domini, quem Ludouicus Pius anno 828. Aquiſgrani celebrauit. annales Francorum. Rabanus lib. 2. cap. 33. de Clericor. inſtitut.

Epiphaniæ. Rabanus lib. 2. cap. 32. de Inſtitutione clericorum.

Purificationis. Rabanus lib. 2. cap. 33. de Cleric. inſtit. Annon. lib. 5. cap. 16.

Septuageſimæ, & Sexageſimæ, & Quinquageſimæ. Rabanus lib. eodem, cap. 34.

Dominicæ palmarum meminit Sigebertus, & Zonaras tomo 3. in uita Theophili. Rabanus lib. 3. de Inſtit. cleric. cap. 35.

Gœnæ Domini eſt feria quinta ultimæ hebdomadis Quadrageſimæ, qua Dominus cœnam inſtituit. Rabanus lib. eodem, cap. 36.

Paraſceue eſt ſexta Sabbati, qua Chriſtus in cruce mortuus eſt. Rabanus lib. eodem cap. 37.

Sabbatum ſanctum eſt, quo Chriſtus in ſepulchro requieuit. Rabanus. lib. 2. cap. 38. de Cleric. inſtit.

Paſchæ. Carolus Magnus Aquiſgrani Paſcha ad ſanctum Richarium celebrauit, anno 800. Annales Francorum. Rabanus lib. 2. de Cleric. inſtit. cap. 39. Paſcha & Reſurrectionem Domini per ſingulos annos celebrari, Bertramus indicat, in libro de Corpore & ſanguine Domini.

Aſcenſionis meminit Luitprandus, in uita Leonis: & Rabanus lib. eod. cap. 4.

Pentecoſtes meminit Raban. ibid. ca. 41.

Aſſumptionis Mariæ, & octauæ eius celebrationem, Leo quartus inſtituit, anno Domini 847. Sigebertus.

Natalem Ioannis apud Hiporediã, celebrauit Carol. añ. Dñi 801. Annal. Francorum.

Martini & Andreæ feſtos dies Ludouicus egit Aquiſgrani. Annales Francorum.

Bonifacij feſtũ, nõis Iunij celebrat Theoto abbas Fuldenſis: quo die ad ſe inuitat Adalgarium abbatem ſancti Viti, & Anſgariũ. in epiſtola ſua ad eoſdem.

Omnium

Omnium sanctorum festum in Gallia & Germania à Ludouico imperatur celebrari Calendis Nouembris:anno Domini 835. Sigebertus.cum hactenus per annos 220 tertio idus Maij fuisset obseruatum. Martinus in uita Gregorij 4.

Postremò,de festis extat Canon 36 in cõcilio Moguntino,in hunc modũ:Festos dies in anno celebrare sancimus : hoc est , diem Dominicam Paschę cum omni honore & sobrietate uenerari: similiter feriam secundã, tertiam,& quartam.A feria quinta ante missam,licentia sit arandi,uel seminandi,& hortum & uineam excolendi,& sepem circumcludendi,ab alio uerò opere cessare decreuimus:post Missam aũt ab opere uacare.diem Ascẽsionis Domini pleniter celebrare, item Pentecosten similiter,ut in Pascha.In natali Apostolorum Petri & Pauli diem unum,natiuitatem S.Ioannis Baptistæ, assumptionẽ S.Mariæ,dedicationem S.Michaelis, natiuitatem S.Remigij,S.Martini,S.Andreæ.In natali Domini dies quatuor,octauas Domini, Ephiphaniã Domini,purificationẽ S.Marię. Et illas festiuitates Martyrum uel confessorum obseruare decreuimus , quorũ in unaquaq; parochia sancta corpora requiescũt: Similiter etiam dedicationem templi.

RITVS CIRCA NVPTIAS

SPonsalia nuptias præcedebãt ,ut cõstat ex Paulo Diacono rerũ Rom.lib.24.Lotharius Vualdradam præmissis dotib.corã testibus,secundũ legem & ritũ quo nuptiæ celebrari solẽt,accepit uxorẽ.31.q. 2. Zundiboldi,filius Arnulphi,cum patris consensu Odam Ottonis filiã petit uxorẽ. Reg.lib.2.

Noui coniuges in ecclesia à sacerdote cõiungebãtur ritu solenni. Ita Nicolaus papa, 30.q.5.ad consulta Bulgarorum inquit:Nostrates tam mares quàm fœminæ,non ligaturam auream uel argenteam, aut ex quolibet metallo compositam,quando nuptialia fœdera contrahunt in capitibus deferũt:sed post spõsalia,quæ futurarum sunt nuptiarũ promissio,fœdera quoq; consensu eorũ qui hæc contrahunt,& horũ quorũ in potestate sunt,celebrant. Et postquam arris sponsam sibi sponsus per digitum, fidei annulo insignitam desponderit, dotemq; utiq; placitã sponsus eius,scripto pactum hoc continente,coram inuitatis ab utraq; parte tradiderit,aut mox,aut apto tempore, ne uidelicet ante tempus lege diffinitum, tale quid facere præsumãt,ambo ad nuptialia fœdera perducuntur.Et primùm in ecclesiam Dñi cum oblationibus,quas offerre debent Deo,per sacerdotis manum statuuntur,sicq; demum benedictionẽ & uelamen cœleste suscipiũt.

Et sequebantur cõuiuia nuptialia,& ludi ac spectacula:ut patet ex cap.83 Synodi Aquisgranensis,sub Ludouico Pio:Non oportet sacerdotes,aut clericos, quibuscũq; spectaculis in scenis aut in nuptijs interesse:sed antequã thymelici ingrediantur, exurgere eos cõuenit,& inde discedere. Carolus Caluus Bosoni nuptias fecit magno apparatu, & ludorum splendore.Regino lib.2.

Scolastici carmen solebant cantare in nuptijs,in laudem sponsi & sponsę. Remigius in Psalm,44.

CASVS CIRCA NVPTIAS.

1. Carolus Crassus, cum uidisset suam uxorem familiariter cum Luituualdo Vercellensi episcopo colludere,eam repudiauit:& quo honestius id fieret,in concione dixit,se nunquam cum ea coijsse,ac illa gloriata est, se uirginem adhuc esse , & in monasterium secessit.Sigebertus anno Domini 889.

2. Nicephorus Theophaniam alteri uiro desponsatam separauit, & filio suo Staurotio coniugem dedit.Paulus diac. lib.24.rerum Romanar.

3. Nisi accedat consensus de matrimonio, coitum ipsum non facere connubium legitimum , Nicolaus papa in 27.q. 2. sufficiat, &c.definit.

4. Maritum & uxorem de communi consensu copulam connubij exuere , & aduitã priuatam ab religionem redire posse, Nicolaus papa ad Tebergam Lotharij coniugem rescripsit.27.q.2.scripsit nobis , &c. Sed hæc cũ ordinatione diuina pugnant. Nam quos Deus coniunxit,neq; homo aliusq,neq;ipsi coniuges dissoluere possunt.

5. Vbi non est consensus utriusq;, ibi non est coniugium:ergo qui pueris dant puellas in cunabulis,& econuerso,nihil faciunt, nisi uterque puerorum,postquam uenerint, ad annos discretionis,consentiat.20.q.21.capite primo.

6. Quicquid mulier contra te cogitauerit, uel si te accusauerit, non est (excepta causa fornicationis) reijcienda, uel odio prorsus habenda.32.q.5. quicqd. Ad cõsulta Bulgar.

Hi qui matrimoniũ sani cõtraxerunt,& uni ex duob.dementia aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatẽ & causam,coniugia taliũ solui nõ possunt: Similiter sciendum est de his qui ab aduersarijs excæcantur,aut membris truncãtur,aut à barbaris execti fuerint.31.q.8.hi qui. Carolo Moguntinensi archiepiscopo.

Inter hæc sanctitas uestra addere studuit, ut si cuius uxor adulterium perpetrauerit, utrũ marito illius liceat secundũ mundanã legem,eam interficere:sed sancta Dei Ecclesia,mundanis nunquam constringitur legibus.Gladium non habet , nisi spiritualem: quo non occidit, sed uiuificat.33. q.2. interhæc.Aluino archiepiscopo Ianuensi.

Nec

Nec uxorem ducere, nec conuiuia facere in quadrageſimali tempore, cõuenire poſſe ullo modo arbitror. 33. q. 4: Nec uxorẽ. Ad Conſulta Bulgarorum, tomo 2. conciliorũ.

7. Noſſe deſideras, utrum mulier, quę uiri filium ex alia fœmina genitũ, de ſacro fonte leuauerit, poſtmodũ poſsit cum eodem uiro copulari? Quos ideo coniungi poſſe decernimus, quia ſecundum Canones ſacros. niſi amborum conſenſu, nullius religionis obtentu debet cõiunx dimittere coniugẽ. Pertinet autem ad ingens uxoris exitium, quæ habens odio uirum. uel infirmitatem eius nõ conſiderans, quaſi cauſa pietatis operatur impietatem, maximè cum Apoſtolus præcipiat: Nolite (inquiés) fraudare inuicem, niſi ex conſenſu ad tempus, ut uacetis orationi. 30. q. 1. Noſſe Salonitano epiſc.

De his qui filiaſtros ſuos ad confirmationem coram epiſcopis tenẽt: id eſt, qui filios uxoris ſuæ de priori uiro, dum chriſmantur ab epiſcopis, ſuper ſe ſuſtinent, ſi in ſcientia (ſicuti aſſeris) fiat, licet ſit peccatũ, non tamẽ uſq; ad ſeparationem coniugij puniendum eſt. Lugeant tamen, & digna pœnitẽtia hoc diluentes, Domino dicant: Delicta ignorantiæ noſtræ ne memineris. Ibi, De his. Radulpho Bituricenſi archiepiſcopo.

Ita diligere debet homo eum qui ſuſcepit ipſum de ſacro fonte, ſicut patrem. Item: Eſt inter fratres & filios ſpirituales gratuita & ſancta communio, quæ dicenda non eſt conſanguinitas, ſed habenda ſpiritualis proximitas. Vnde inter eos arbitror non poſſe fieri quodlibet legale coniugiũ: quando quidẽ nec inter eos qui natura. & eos qui adoptione filij ſunt, uenerandæ Romanæ leges matrimonia contrahi permittunt. Item: Si inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio iungit: quãto potius à carna li oportet inter ſe contubernio ceſſare illos: quos per cœleſtẽ ſacramentum regeneratio ſancti Spiritus iungit? Longè ergo cõgruentius, filius patris mei, uel frater meus appellatur, is quẽ diuina gratia potius quàm humana uoluntas, ut filius patris mei uel frater meus eſſet, elegit, prudentius q; ab alterna corporis cõmixtione ſecernitur. 30. q. 5. cap. 1. Ad conſulta Bulgarorum.

Sciſcitatur à nobis ſanctitas ueſtra, ſi aliquis homo duas commatres habere ualeat, unam poſt alterã. In quo meminiſſe debet, ſcriptum eſſe, Erunt duo in carne una. Itaq; cum cõſtet, quia uir & mulier una caro per connubium efficiuntur: teſtat nimirũ uerũ compatrem conſtitui illi mulieri, cuius matrimonio aſſumpta uxor, commater eſſe uidebatur. 30. q. 4. cap. 1. Salomoni Conſtantienſi epiſcopo.

Si quis cum matre fornicatus fuerit ſpirituali, anathematis (ut ſcitis) percutitur ictibus. Similiter & illum percutere promulgamus, qui cum ea quam de ſacro fonte baptiſmatis ſuſceperit: aut cum illa quam ante epiſcopum tenuerit, cum ſacro chriſmate fuerit uncta, fornicationis perpetrauerit ſcelus. legitimam tamen ſi habuerit, non dimittitat: uxorem, 33. q. 2, Si quis.

De conſanguinitate ſua uxorem nullus ducat, uſq; poſt generationẽ ſeptimam, uel quouſque parentela cognoſci poterit, Laicus uerò uxorem ſimul & cõcubinam habẽs, non communicet Eccleſiæ. 35. q. 3, De cõſanguinitat. Suffragraneis Eccleſiæ Almalſicanæ: tomo 2. concil.

8. Rabanus ſcribit in epiſtola ad Reginharium, quoſdam modicæ fidei, uel potius inimicos ueræ fidei: illud quod Chriſtus adulteram abſoluit, de codicibus ſuis auferre: quod illo exemplo metuant mulieribus ſuis peccandi impunitatem dari.

9. In nuptijs Chriſtianorum ſaltationes piè fieri, negat Rabanus: eas q; planè prohibet, in lib. de Nupt. conſang, cap, 26.

RITVS VISITANDI *ægrotos.*

MVnus uiſitandi ægrotos, epiſcopis, presbyteris & diaconis erat commune, ut in capite de Politia indicatur.

Edebant autem ægroti ſuas cõfeſsiones, Ludouicus quotidie confeſsionis ſuæ munus, ſacrificiumq; ſpiritus contribulati, & cordis humiliati offerebat. Annonius lib. 5. cap. 19, de Francis.

Et communicabant. Carolus Magnus paulò ante mortem uſus eſt cœna Domini. Eginhardus in uita eius. Ludouici ægrotantis cibus erat ſolummodo per quadraginta dies Dominicum corpus. Annonius lib. 5. cap. 19. de Francis. Qui ſigno crucis ſunt muniti, atq; ſacramento corporis & ſanguinis eius, in die mortis illi uenient cum Chriſto in gloria ad iudicium. Haymo in cap. 4. primæ ad Theſſ. Idiota cap. 20. de Maria uirgine, petit à Deo, ut ſibi cõcedat in hora mortis deuotam Euchariſtæ perceptionem.

Benedicebantur etiam ægroti ab epiſcopis. Ludouicus Drogonem accerſiuit, & ab eo benedici petijt. Annonius lib. 5. cap. 19. de Francis.

De ægrotantium unctione per oleum, à Pontifice benedictum, Haymo ſuper Euangelia nugatur, quod ab Apoſtolis ea conſuetudo ſit Eccleſiæ tradita.

RITVS SEPVLTVRAE.

Defunctos plangebant. Sic Carolum magnum planxit populos Aquiſgrani. Eginhardus in uita eius.

Et cadauera lauabãt, atq; aromatibus condiebant. Ita Caroli corpus more ſolenni lotum, &

tum,& curatũ est.Eginhardus in uita eius.

Ad funus episcopi,presbyteri,aut diaconi.Pontifex Romanus uenire decreto Benedicti tertij cogebatur.Platina.

Feretris ad sepulchra ferebant.Ita Caroli Calui cadauer feretris portatum esse,indicat Regino lib.2.

Ac fiebant cantilenæ lugubres.Tempus autem uariat:alij enim eodem die, quo defũgebantur, humati sunt:ut de Carolo Magno scribit Eginhardus.

Locus sepulturæ erant cœmiteria:eaque tum intra,tum extra urbes. Aut templa. Sic Lotharius in basilica Saluatoris sepultus est.Adon ętate 6.Regino li.2.Et Carolus Aquisgrani in basilica Saluatoris et Marię.Regino lib.eod.Et Ludouicus in basilica Arnolphi,in urbe Metensi requiescit.Regino eod.Aut monasteria,Irenes cadauer in monasterio sepelitur,ab ipsa extructo.Paul.Diac.lib.24.Rerũ Rom.Ludouicus in monosterio Nazarij apud Lorashain cõditur.Regin.lib.2.

Epitaphia etiam habuerunt.Sic arcus super tumultum Caroli Magni deauratus,& cum imagine ac titulo extructus,cuius hęc uerba fuerũt:Sub hoc conditorio situm est corpus Caroli Magni,atq; orthodoxi Imperatoris,qui regnum Francorũ nobiliter ampliauit,& per annos 47 feliciter tenuit.decessit septuagenarius,anno Domini 814,indictione sexta,quinto Calendis Februarij. Eginhardus in uita eius.

Memorias mortuorum,anniuersaria die, cantionib.& orationib. repetebant.Ita Michael & Procopia Tarasij memoriã celebrabant,& sepulchrũ eius 95 libris argenti obducunt.Paul.Diac.lib,24.rerum Rom.

Offerri etiam aliquid solebat ab amicis, parentibus, hæredibus, ecclesijs ubi sepulti erant sui mortui id quod accipere quidẽ, sed non exigere licebat:ut testatur Hincmarus in epistola ad Tornacensem ecclesiam.

Pro animab.mortuorũ Põtificij orabãt.Vuilhelmus lib.2.cap.7.de Anglis. Et monachos suis precibus Lotharij Imperatoris animã liberasse à cacodęmonũ raptu, nugãtur Ranulphus lib.5.cap.31.& alij.Et Benedictus iussit,ad funus sacerdotũ omnes clericos conuenire, tum honorandi corporis defuncti,tum cõmendandæ animæ gratia. Platina.Carolũ Magnum pro animabus interfectorũ in Hispania,apud Arelatẽ distribuisse eleemosynas,duodecim millia unciarũ argenti, & toditẽ talenta auri, nugatur Vincentius lib.24 cap.21 ex Turpino.

CASVS CIRCA DEFVNCTORUM *sepulchra.*

1. Leo Imperator Michaelem Chrysopoli sepultum effodit,& cum magno comitatu et honore regio in sanctorum Apostolorum ædem,arca marmorea reponit, fratribus eius Alexandro & Stephano patriarha præsentibus.Zonaras tomo 3.

2. Aluredus rex Anglorum,in episcopali ecclesia Vnintonensi sepelitur.sed pro deliramento canonicorum, dicentiũ regios manes resumpto cadauere noctib. per domos oberrare,filius eius Eduardus ossa genitoris tulit,& in nouo monasterio posuit. Ranulphus lib.6.cap.3.in Polychronico.

3. Sepulturas uendi,& laicos in ecclesias sepeliri,uetat Synodus Triburiensis cap.15. & sequentibus,tomo 2 Cõciliorum. Hincmarus addit rationem,cur non sint uendenda loca sepulturę.quia sit terra concessa putredini,& non deceat de alieno luctu facere compendium : in epistola ad ecclesiam Tornacensem.

DE RELIQVIIS SANCTORVM.

ETHnica superstitio sanctos mortuos, eorũq; ossa colligẽdi,effodiendi,transferendi,& religiosè colendi,ab Antichristo in templo Dei sedẽte,in ecclesias introducta,etiã hoc seculo in usu passim fuit. Nam de collectione & eleuatione,hæc in historicis occurrunt testimonia. In Francia, apud cœnobiũ Clunense,sanctus Amandus,anno à morte eius circiter 152,eleuatur à Lanthario.Sigebertus anno 812. Vrsinarius confessor Lobiẽsis eleuatur anno 823. Sigebertus. Corpus Martini leuatũ est de tumulo suo,tempore Lotharij,post annos 406 mortis eius.Martinus in Lathario.Hamburgenses circa tẽpora Caroli Calui,corpus Vuerburgę uirginis,diu ibidem conditum,ad cestriam,tanquam ad locũ tutiorẽ transtulerunt. Ranulphus lib.6.cap.2.

Atq; adeò de translatione extãt plurima exempla.Nã legati Caroli,ab Aarone Ammira reuersi,corpora Cypriani Carthaginẽsis,et Sperati Scillitanorũ martyris et caput Panthaleonis,secũ in Franciã adferũt,anno Dñi 802.Sigebertus,Eginhardus in uita Caroli.Vincentius.Corpora Seueri Rauẽnatis episcopi,& uxoris eius Vincẽtię, & filiæ ipsius Innocentiæ,ab Otgario episcopo Mogũtiã trãslata sunt,anno Dñi 824. Sigebert. Et Vualchãdus Leodiẽsis episcopis,corpus Hucberti à Leodio ad Andagiũ monasteriũ trãsfert.ãno eod.Sigebert. Hilduinus Sebastiani reliquias Roma acceptas in basilicã Medardi collocauit.Sigebert.anno 825.Corpora Marcellini et Petri de Roma in Frãciã, & Gregorij ad urbem Suessionis translata sunt.Ibidem Radulpus Calixti papę corpus in Franciam transtulit: Sigebert. anno 884.Cum Liborius trãsferretur, Turonenses ciues cum reliquijs Martini ei obuiam uenerunt. Martinus in Chronico.

De

De uenerationе & adoratione. Nicolai reliquię in arca in Myrrea cultæ sunt: ut apparet ex Sigeberto, anno 807. & Vincentij libro 24.cap. 10. In Lipara insula Bartholomæi ossa colebantur. Sigebertus anno 831. Helena in Franciam, à Theogiso monacho, in Remensem diœcesim Roma translata, magna Francorum uenerationе colitur, anno, 849. Sigebertus. Corpus Marci à mercatoribus Venetias ex Alexandria deportatũ, in maxima uenerationе fuit, extructo egregio tẽplo in celebriore loco urbis. Platina. Nottingus Aureliũ his uerbis scribitur inuocasse, in Chronico Hirsaugiensi: Aureli decus meum, unicũque post Deum animę præsidium meæ, tibi expando desiderium famuli tui, quòd Deo coniunctus, procul dubio nescire non potes: rogo te per diuinum amorem, qui te mihi uenerabilem, ecclesiæ celebrem, ægris medicum, unumque cum Deo sanctum & immortalem effecit, ne me diutius in hoc ambiguo fluctuare permittas: sed exaudi me famulum tibi prostratum, & doce me, ut sciam quid agere debeam secundum Dei tuamque uoluntatem. Vualbertus à Leone pontifice reliquias Alexandrini martyris accepit, & in Vuildeshusense collegium adduxit, religioseq; ueneratus est. Cranzius in Saxonia libro 2.cap.27.

DE PEREGRINATIONE AD *loca sacra.*

QVia euanuit doctrina de uero Dei cultu, & de inuocatione eius, quòd Deus ubiuis locorũ in spiritu & fide rectè possit inuocari: & falsa persuasio mentes hominum subijt, quasi alius locus alio sacratior sit ad inuocationem, & quasi in alio atque alio loco sancti mortui magis sint præsentes & propitij. Ideo ex alio in alium oberrátum est locum, modò ad huius, modò ad illius sancti, seu potius cacodæmonis implorandam opem. Sic Carolus Magnus Turonos ad sanctum Martinum orationis gratia profectus scribitur in Annalibus Francorũ, anno 800.

Solebant etiam obsessos ad loca sacra ducere, & à sanctis mortuis petere liberationẽ. Annonius lib. 5. cap. 30. de Francis.

Abdiæ sepulchrum usq; hodie cum mausoleo Elisæi, & Ioannis baptistę, in Sebaste, quæ olim Samaria dicebatur, in magna uenerationе habetur. Haymo in Abdiam.

Nunc ad tumulum piscatoris flectuntur genua Imperatoris. Idem super cap. 5. ad Romanos. De monumento Domini ferunt, qui nostra ætate Hierosolymis in Britanniã uenere, quod domus fuerit rotunda. Idem super Euangelia.

Cœperunt hoc seculo obsessos ad loca sacra & reliquias sanctorum ducere, opinantes, à sanctis expelli dæmones, ut paulo antè de Ludouici filio diximus. Vnde Rabanus in admonitionе ad populum, Reginhario episcopo missa, inquit: Rugiunt dæmones, iuxta reliquias & sepulchra sanctorum illius.

DE MONACHATV, *eiusq; ueritibus.*

HAc etiam ætate monasteriorum, tum uirorum tum uirginum, auctus est numerus: nam hæc ædificata commemorantur. Andagium cœnobium in Ardana construxit Vuachandus, anno Domini 809. Sigebertus. Cigniacense & Cluniacense cœnobium, Berno comes Burgũdiæ extruxit, anno Domini 895. Sigebertus. Irene in insula principis monasterium ædificauit, & Bardanes in insula prima. Paulus Diacõ. lib. 24. rerum Rom. Suuarzachense cœnobium Megingandus comes, in honorem Christi, Mariæ, Sebastiani & Felicitatis extruxit. Vrspergensis in Chron. Hatto Frisingensis episcopus monasterium Vueichenstephanum fundauit, anno 830. Bruschius. Cœnobij Corbiensis in Saxonia, & Salingstadiensis, meminit Henricus Erphordiensis, & Chronicon Hirsaugiẽse, anno Domini 822. Chronicon Quedelburgense, & Cranzius dicit: collegium monachorum ex Corbeia in Francia, ad flumen Smumæ, translatum esse à Ludouico in Saxoniam, ad Visurgim: lib. 1. cap. 19. in Metropoli. Hirsaugiense cœnobium Erlafridus, à Notingo filio, episcopo Vercellensi, persuasus in honorem reliquiarum Aurelij condidit, anno Domini 830. Trithemius in Chronic. Hirsaugiensi.

Aldelingiense monasterium Alfredus cõstruxit. Ranulphus lib. 5. cap. 29.

Et uirginum, seu mulierum. Vuormaciæ enim cœnobium uirginum, anno Domini 840. institutum est. Bruschius de monasterijs. Dominarum monasterium in sinistra Limagi situm, uulgò *Frawenmünster*, Canonissarum, ex illustribus Principum, Comitum & Baronum familijs natarum, anno Domini 833. fundatũ est, sub Ludouico Germanorum rege. Bruschius. Monasterium Vualpurgis Aychstadij, Adogerus episcopus anno Domini 870. extruxit. Bruschius Gandersheimense cœptum est ædificari anno Domini 842, à Leodolfo duce Saxonum, Bruschius. Ermundense cœnobium Thidericus sub episcopo Traiectẽsi Edilbaldo construxit, & nonnis tradidit, anno octauo Ludouici secundi. Henricus Erphordiensis. Steftonense cœnobium sanctimonialibus repleuit Alfredus. Ranulphus lib.

2.cap.16.Monasterium nobilium puellarum in Heruorda,Ludouicus ædificauit.Erphordiensis in uita eius.

Erant etiam cœnobia seu collegia canonicorum,quorum meminit Canon 8.Arelatensis synodi,& Canon 24.Synodi Turonẽsis,tomo 2.Conciliorum.

Et Canonissarum monialium . Lindauiense cœnobium canonissarum nobilium, ab omni uoto immunium, nullaque prorsus ueste monastica indutarum,nec ullo iureiurando ab honestis nuptijs exemptarũ, cœpit anno Domini 810. Bruschius.Richardis Caroli Crasi uxor , à marito repudiata ob familiaritatem cum episcopo Vercellensi, Andelouiense cœnobium pro duodecim Canonissis & totidem Canonicis,liberaliter dotauit,anno Domini 880.Bruschius de Monasterijs.

¶Monasteria recens extructa consecrari. Sic Albani monasterium dedicatum anno Domini 806.scribit Marianus Scotus. Gandersheymense cœnobium consecratum est ab Alfrido Hildesiorum episcopo,anno Domini 852. Bruschius. Hirsaugiense cœnobium ab Ottgario Moguntino,sub honore Petri & Aurelij,in præsentia multorum principum, episcoporum & abbatum , quos ex Nemetensi Synodo euocauerat comes Erlafridus , consecratur anno Domini 838. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi.

Et authoritate pontificia confirmari solebant. Sic Otgarius donationem cœnobio Hirsaugiensi factam per Erlafridũ, uice Gręgorij 4.confirmauit. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi Cœnobium uirginum Brũtheshusij,à Lupoldo Saxonum duce extructum,Nicolaus papa confirmauit. Chronicon Saxoniæ.

Vel etiam imperatorum & regum.Ludouicus enim primus Hirsaugiẽse cœnobium sua quoque authoritate & priuilegio ornauit. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi. Et Rabanus in epistola ad Otgarium probat,monasterij sui bona esse imperatoris. Casinensis cœnobij priuilegia Ludouicus anno Domini 866.sicut sui maiores, confirmauit.Chronicon Casinense lib.1.cap.38.

In quibusdam locis uirginum & monachorum cœnobia non ita procul aberant à se inuicem. In Andelouiensi canonissæ & canonici duodeni simul habitasse uidentur. Bruschius de Monasterijs.

Quædam cœnobia, præsertim Canonica,certos reditus habebant,unde fratres uictitabant. Erlafridus monachis Hirsaugiensibus prospexit de rebus ad uictum necessarijs. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi. Canon 8.concilij Arelatensis, uetat plures in monasterijs canonicos recipi, q̃ possint ali. Fuldense cœnobium, præter alia bona,etiam publica telonia habuit : ut apparet ex epistola abbatis Fuldensis,ad Iudith Imperatoris coniugem. & Ludouicus in Synodo Aquisgrana curauit componi librum,de Canonicorum disciplina & stipendijs,eumq; per ciuitates & monasteria Canonici ordinis misit, & conscripta stipendia ministrari iussit, ut tam uiri quàm sanctimoniales sub isto ordine uenientes,nullis præpediti necessitatibus,Domino seruirent. Antoninus lib.quinto,cap.10. Hilduinus abbas Parisiensis ordinauit,ut suis monachis quottannis darentur de puro tritico modij mille quadringenti & quadraginta, & in susceptionem hospitum mille sexcenti & uiginti , de uino modiorum duo millia, de legumine modiorum centum octoginta,de caseo pennæ centum sexaginta,de pinguedine aut modij 20. aut porci quinquaginta.ibidem.

Erant autem monasteria quasi Scholæ, in quibus artes dicendi & Philosophia tradebantur. Arx Altendorffensium principum,in domum Dei conuersa , pietatis & literarum gymnasium esse cœpit circiter annum Domini 800. Bruschius de monasterio Vinearum. Rabanus in Fuldensi cœnobio,non solùm sacras literas docuit monachos, sed etiam artes.Trithemius de Hirsaugiẽsi cœnobio.Idem postea inquit: His temporibus erat consuetudo monachorum Benedictinorum , ut scholæ monachorum in singulis penè cœnobijs haberentur , quibus non seculares homines , sed monachi moribus & eruditione præficiebantur ornatissimi:qui non solum in diuinis Scripturis docti essent , uerumetiam in Mathematica, Astronomia,Arithmetica,Geometria,Musica,Rhetorica,Poesi,& in cæteris omnibus secularis literaturæ scientijs eruditissimi haberentur.Ex his multi non solùm in Romana lingua docti erant , sed etiã in Hebraica, Græca & Arabica peritissimi : quod ex eorum opusculis facilè dinoscitur. In Sangallensi cœnobio schola fuit , in qua principũ & nobilium liberi instituebantur. Bruschius de monasterijs.

Et Theologia tradebatur: nam Bernhardus,filius Ludouici Imperatoris, in Fuldensi cœnobio,in adolescentia sacras literas didicit , usq; ad iuuenilem ætatem: sed postea ad patrem in aulam remissus est, ut patet ex epistola Fuldensium ad Imperatorem. Et Richardus primus in cœnobio Aurelij,ut Meginfredus testis est, monachis diuinas Scripturas,& seculares literas more Fuldensium legere cœpit. Trithemius de Hirsaugiensi cœnobio.

Ex monachis quidam ad Ecclesiæ guber

nationem

nationem eligebantur. Viguit hoc tempore in monasterio Fuldensi religio sub Rabano abbate, eratq; Fuldensium monachorũ celebris fama in orbe terrarum, & apud reges, principes ac Imperatores magni fiebãt, non tantum propter hyprocrisin, sed etiam propter scientiam sacrarum literarum, qua alijs excellebãt. Vnde multi ex eis in diuersis Ecclesijs ad apicem pontificatus sunt assumpti. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi. Clerus Rauennas in epistola ad Carolum indicat, ex monachis quosdam Canonico ordine ad episcopalem dignitatem consecrari.

Monasterijs præerant abbates, sub quib. erant præpositi, decani, presbyteri, diaconi & monachi: ut patet ex canonibus eorum, quos paulo pòst adscribemus. Fuldensi cœnobio præfuit Rabanus Maurus. Sigebertus. Collegijs Canonicorum præerant prælati, præpositi, decani, & similes: ut patet ex cap. 139 & 143. Concilij Aquisgrani sub Ludouico Pio.

Quidam etiam abbates non tantum unius, sed plurium monasteriorum erant inspectores. Sic Hilduinus abbas Dionysij, inter plurima quę ei Augustali benignitate commissa fuerant monasteria, habebat procurationem nobilis cœnobij, in prospectu urbis Suessorum. Simili modo post decessum Irmonis, regebat locum S. Vincentij leuitæ & martyris in suburbano urbis Parrhisiacę. Annonius lib. 4. cap. 113. de Francis. Carolomannus regis Caroli filius, abbas plurimorum monasteriorum reputatus est. Idem libro 5. cap. 24.

Interdum episcopi etiam abbatum fungebantur munere, ut in Capite de Politia dicemus.

In alijs plures, in alijs pauciores degebãt monachi. In Fuldensi hoc tempore 270. fuisse uiros religiosos, & in sacris literis probè institutos ab Rabano, Trithemius in Chronico Hirsaugiẽsi scribit. In Thebaide, tempore Rabani, sub uno abbate quinquies mille monachos fuisse, Hedio annotat li. 7. parte 3. cap. 15.

¶ Abbates aut à monachis creabantur: sic Hirsaugiense cœnobium accepit à pontifice & Ludouico primo potestatem, liberè ex seipsis, aut ex alio eiusdem ordinis monasterio, abbatem eligendi. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi.

Aut à Pontificibus designabantur, ut patet ex uitis eorum.

Aut à regibus & Imperatoribus eligebãtur, & constituebantur. Luidbertus primus abbas Hirsaugiensis, à Ludouico confirmatur. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi. Alfredus Ioannem abbatem in Adelingia constituit. Vuilhelmus libro secundo, capite sexto, de Anglis.

¶ Munus abbatum erat, regulam seu normam monasticã custodire. Canon 24. Turonensis Synodi: Abbates prouideant, ut monachi horas canonicas custodiant. Ibidem abbates iubentur regulam Benedicti diligẽtius custodire.

Et suis prospicere de rebus necessarijs, iuxta canonem 24. Turonensis synodi: Abbates monasteriorum solicitè suis prouideant Canonicis, ut habeant claustra & dormitoria, simulq; reficiantur.

Et delinquentes castigare, probare recipiendos & initiandos, ut postea in statutis eorum dicetur. Et Leo papa iussit tales abbates constitui, qui suum officium possint rectè exequi, & ea quæ fratrum negligentia acciderent, agnoscere & emendare. Luitprãdus. In Thebaide, ij qui cupiebant recipi in cœnobium, cogebantur ad minimum decem dies præ foribus iacere, & dorsum suum transeuntibus præbere calcandum, Hedio parte 3. lib. 7. cap. 15.

Eosq; attondere. Sic Regino dicit, se Hugonem sua manu totundisse. lib. 2. Sed tamẽ, ne tonsura fieret sine legitima ætate, & spontanea uoluntate, & cum licẽtia domini sui, Canon 23. Moguntinæ synodi cauit.

Et cum impositione manus caput eorũ operire: ut Carolus Caluus indicat in epistola ad clerum Rauennatem. Ac cogebantur illi qui recipiebantur, obediẽtiam secũdum regulam promittere, eiq; subscribere. Carolus in epistola eadem.

Cõmentarios in sacra Biblia scribere. Sic Rabanus abbas, tractatus in librum Sapientiæ & Ecclesiastici, ad Otgarium archiepiscopum dedit. Sigebertus in Chronico.

Præceptores & magistros monachis præficere: ut Hado monachorum Augiæ magister fuit. Auẽtinus li. 4. Annaliũ Boiorum.

Et Rabanus adhuc monachus publicam in cœnobio Fuldẽsi scholam habuit, ut Trithemius de Hirsaugiensi cœnobio annotat. Ruthardus & Richbaldus in cœnobio Aurelij monachorum præceptores fuerũt. Idem.

Librorũ curam gerere. Theoto abbas Fuldẽsis, à Nicolao petit Damasum de põtificibus, cum continuatione in epist. ad eundẽ.

Fungebantur interdum legationib. tum abbates, tum monachi. nam Theotonẽ abbatem, Ludouicus imperator ad Nicolaum pontificem ablegauit: ut patet ex epist. eius.

Commune ferè omnibus abbatibus & monachis est, miris artificijs argento & bonis emũgere opulentiores, precando & emendicando. Ludouicus Fuldensibus promiserat oliuetum quoddam in Italia. id ut accipiant, iam ad Imperatorem, modò

ad Irmingardem Lotharij uxorem, modò ad Baturicum archicapellanum, modò ad alios ea de re scribunt. Telonea à Normannis ipsis erãt erepta: quæ ut restituantur, Iudith Ludouici coniugem soliciant per epistolã.

Interdum etiam bellis & conflictibus intererant. Sic Ebulo abbas Dionysij, castrum quoddam in aquitania expugnans, ictu lapidis perijt. Regino lib. 2. Et Hugo & Gaufridus abbates, cum Nortmãnis confligentes, aliquot ex eis interfecerunt. Annonius lib. 5. cap. 23. de Francis.

¶ De abbatissarũ officijs, testatur Canon 52. Synodi Cabillonensis: Talem debet se abbatissa exhibere subditis in habitu, in ueste, in omni conuictu, ut eis ad cœlestia regna pergentibus ducatum præbeat. Canon 58. Cabillonẽsis. Abbatissa habeat studium aut in ædificando ea quæ ad sanctimonialium necessitaté pertinẽt, aut in restaurando.

Erant prẽterea pleraq; monasteria episcopis subiecta, à quibus etiam uisitari & corrigi solebant, si quid minus rectè ageretur.

Sic statutum est: abbatissæ absq; sui episcopi licentia foràs monasterium egredien di non habeant potestatem, nisi cum ad Imperatorem proficisci uoluerint. Canon 30. Turonensis, tomo 2. Conciliorum. Et Canon 22. Cabillonensis, prẽcipit episcopis, ut monachos à Benedicti regula discedentes, in ordinem redigant.

Licebat tamẽ abbatibus, ab episcopo ad principem & concilium prouocare: ut appa ret ex Rabani epistola ad Otgarium, de cau sa Saxonis fugitiui monachi.

Opera monachorũ sẽpè episcopi usi sunt. Ita, episcopus Hierosolymorũ duos monachos ad Carolum misit, cum reliquijs. Regino lib. 2. & Reginarius & Aistulphus, episcopi, à Rabano petierunt sibi homilias cõscribi, ut patet ex epistolis eius.

Nec licebat abbatibus, sine principum & regũ assensu, peregrẽ abire. Quare Theoto abbas Fuldensis scribit, se Romam oratio nis gratia uenturũ, Deo uolente, & principe ac rege pmittente: in Epistola ad Benedictũ.

Aut de bonis cœnobij aliquid perdere. Rabanus in epistola ad Otgarium: præterea sunt, ut nostis, possessiones istius mona sterij, & ecclesię ad eã pertinentes, proprietas Dominicalis, quæ Domino Imperatori ex paterna successione hæreditario iure p uenit: ideò timemus inde aliquid perdere.

¶ Erant etiam monasteria quasi carceres & exiliorum loca, in quæ facinorosi, aut seditiosi, aut magistratu deiecti, uel dignitate sua exuti, concludi solebant. Sic Irene ab Imperio deposita, in monasteriũ relegatur à Nicephoro. Paulus Diac. lib. 23. rerũ Rom. Et Bardanes, libro 24. Et Stauratius, Michaele Imperatore designato, comã totondit, & monachicis indutus est uestimentis. Paulus Diac. lib. eodẽ. Michael cum Procopia & liberis capillos detondit, & monasticas uestes induit, cũ cognouisset sibi abrogatum esse imperium, & Leonẽ designatum: libro eodem. Icosa, cum regno excidisset, monasterium de suo nomine condidit, in quo sibi & Deo uixit, eruditione literarũ non neglecta. unde & scripta eius reperiuntur, in quibus neq; doctrinam, neq; gratiam desideres. Zonaras tomo 3. Theodora cũ filiabus suis, è regia in monasterium detruditur. Zonaras tomo 3. Snaringus monachus Fuldensis, ab Otgario in Synodo excommunicatus, iussus est includi in carcerem monasterij, donec archiepiscopus eum dimitti censeret. Rabanus in epistola ad Otgarium.

Ebbo etiã à Ludouico depositus, in Fuldense cœnobium est abditus: ut patet exepistola abbatis ad Drogonem.

¶ Statuta multa & uaria erant, quorum passim fit mẽtio. Hæc Aquisgrani anno Dñi 816. à monachis & abbatib. sunt proposita.

1. Vt si quis negligenter sonitum fecerit, uel aliud quid excesserit in refectorio, mox à Priore ueniam petat.

2. Vt nullus plebeius aut clericus secularis, in monasterio recipiatur ad habitandũ, nisi uoluerit fieri monachus.

3. Vt nemini liceat sermonem iuramenti, aut affirmationis proferre, nisi sicut sancti patres soliti fuerunt loqui: id est, Crede mihi frater, aut, Viuit Dominus, seu, Nouit Dominus.

4. Vt abbatibus liceat cellas habere, in quibus monachi sint, aut canonici: & abbas præuideat, ne minus de monachis ibi habitare permittat.

5. Vt schola in monasterio non habeatur, nisi eorum qui oblati sunt.

6. Vt in præcipuis solennitatibus reficiãtur: id est, In natali Domini, in octauis Domini, in Epiphania, in Pascha quoq;: & Ascensione Domini, in Pentecoste, & in Sanctorum festiuitatibus: id est, sancti Stephani, beati Ioannes Euãgelistę, & in natali Innocentum, in Purificatione, in Assumptiõe seu Natiuitate sanctę Mariæ. Similiter in beatorũ Apostolorũ festis, in sancti Ioannis baptistæ, in sancti Laurẽtij, in sancti Martini, seu natali cuiuslibet sancti, cuius honor in qualicunque parochia specialiter celebratur.

7. Vt in Parasceue non aliud nisi panis & aqua sumatur.

8. Vt benedictio post completorium à sacerdote dicatur: & deinde aqua benedicta, antequam intrent in dormitoriũ, super capita illorum à Priore inspergatur.

9. Vt de

9. Vt de omnibus eleemosyna datis, tam Ecclesiæ quàm fratribus, decimæ pauperibus dentur.
10. Vt opus balnearum in arbitrio Prioris consistat.
11. Vt in octauis Paschæ radantur.
12. Vt prætermissis partitionibus Psalterij, Psalmi speciales pro eleemosynarijs & defunctis canentur.
13. Vt in hebdomata Pentecostes non flectantur genua: & non ieiunetur, nisi tãtum si statuti dies fuerint ieiunij quatuor tẽporum, ieiunetur, ut in uigilia sanctæ Mariæ, annunciatione, assumptione, natiuitate. Ieiunatur similiter in natali omnium Apostolorum, seu sancti Ioannis baptistæ de martyrio, seu in natali cuiuslibet sancti, in cuius honorem dedicatus est locus, ubi militant monachi.
14. Vt laici in refectorium, causa manducandi uel bibendi, non ducantur.
15. Vt quoties necessitas exposcit, uestimenta, calciamenta, & omnia necessaria fratribus dentur.
16. Vt monachus professione facta, tribus diebus cucullа ueletur capite.
17. Vt puerum pater aut mater, altari tempore oblationis offerant, & petitionem pro eo coram laicis testib. faciant: quam & tempore intelligibili ipse puer confirmet.
18. Vt qui præponuntur, Nonni uocẽtur: hoc est, paterna reuerentia.
19. Vt senior decanus reliquis decanis, præponatur, & abbate uel præposito præsente locum proprium teneat.
20. Vt præpositus, decani, cellarius, portarius, de eorum ministerio, nisi causa utilitatis aut necessitatis, non remoueantur.
21. Vt infantes oblati, carnem nisi causa infirmitatis, non manducent.
22. Vt mensura cucullæ duobus consistat cubitis.
23. Vt dormitorium iuxta oratorium cõstituatur, ubi superuenientes monachi dormiant.
24. Vt Canonici abbates secũ monachos in itinere, nisi ad generale placitum, non ducant.
25. Vt monachi cappas diffutas, præter uilosas, non habeant.
26. Vt duo tantum signa, ad tertiam sextam, nonam q; pulsentur.
27. Vt abbas, præpositus uel deconus, quãuis presbyter non sit, lectorib. benedictionem tribuat.
28. Vt docti fratres eligantur, qui cum hospitibus loquantur.
29. Vt de furto incerto, excommunicatio à sanguine & corpore Christi fiat, quousque culpabilis confiteatur.
30. Vt si frater aduersus fratrem, pro qualibet culpa, testimonium protulerit, fratri perfectiori credatur.
31. Vt Psalmus inuitatorius, & Gloria, pro defunctis non cantetur.
32. Vt baculi à monachis pro necessitate aut infirmitate ferantur.
33. Vt ad capitulum primitùs martyrologium legatur, & dicatur uersus: deinde regula aut homilia quælibet legatur.
34. Vt quando fratres ieiunant, post sextam dormiãt: hoc est, æstiuo tempore, post hæc celebrent missam.
35. Vt data à Priore saponis & unctuæ mensura, & reliqua quæ ibi sunt necessaria ad suos, habeant lectum propter causam infirmitatis.
36. Vt lectio ad capitulum tradatur similiter ad collectionẽ, si tempus fuerit opportunum.
37. Vt qui noxa tenetur, die Dominica remissius habeat, & ueniam non petat.
38. Vt pro abbate defuncto, anniuersarium fiat officium.
39. Vt ad Missam, Sanctus sanctus dicant stantes: post hæc, Pater noster, & alias orationes, genua flectentes, quãdo tempus opportunius est, dicant.
40. Vt uolatilia in natiuitate Domini, & Pascha, tantum octo diebus, si fuerit unde, aut qui uoluerint, comedant.

¶ Et postea eodem anno hęc: Vt abbates suam regulam discutientes, pleniter legant & intelligant: Dominoq; opitulante, efficaciter cum monachis suis implere studeant.
2. Vt monachi omnes, qui possunt, memoriter regulam discant.
3. Vt officium diuinum, iuxta quod in regula sancti Benedicti continetur, celebrent.
4. Vt in ieiunio quatuor temporum nullus cib. sumatur alius, nisi ille, sicut in quadragesima constitutũ est à sanctis patribus, similiter in capite ienunij.
5. Vt in coquina, in pistrino, & in cæteris artium officinis, proprijs manibus operentur.
6. Vt nullo unquam tempore post uigilias, causa dormiendi, nisi contigerit eos ante horam constitutam surgere, ad lectos redeant suos.
7. Vt nõ in Quadragesima, nisi in sabbato sancto Paschæ, in alio enim tempore semel, per quindecim dies radantur.
8. Vt poma & lactucas, nisi quando alius sumitur cibus, non comedant.
9. Vt certũ phlebotomiæ tẽpus nõ obseruent: sed unicuiq; secundum quod necessitas exposcit, cõcedatur, & specialis in cibo.
10. Vt quando ieiunant monachi, officium mortuorum celebretur, priusquã lectio

ante completorium legatur. Deinde eant in refectorium, bibant, & post hæc legant collectionem.

11. Vt cum à quocunque Priore suo increpatus quis eorum fuerit, Mea culpa, primò dicat. Deinde prosternens se illius pedibus cum cappa, si habuerit, ueniam petat: & tunc iubente Priore surgat: & unde interrogatus fuerit, rationem humiliter reddat.

12. Vt soli uidelicet, & sine alio fratre, in uia non dirigantur.

13. Vt sibi compatres, commatresq; non faciant: & nullam unquam, quamlibet mulierem osculentur.

14. Vt nudi pro qualibet culpa, coram fratrum obtutibus non flagellentur: sed uerecundia semper sit cooperta.

15. Vt si necessitas fuerit eos occupari in frugibus colligendis, constitutum legendi meridie & pausandi tempus prætermittatur, & operantes non murmurent.

16. Vt quarta & sexta feria ieiunantes, ante nonam, aut post nonam, si necessitas fuerit, iuxta Prioris arbitrium, leuia exerceantur opera.

17. Vt in Quadragesima libris de bibliotheca, secundum Prioris dispositionem acceptis, alij (nisi sicut Prior decreuerit expedire) non accipiant.

18. Vt eis uestimenta nec multum uilia, nec multum preciosa, sed mediocria dẽtur.

19. Vt si infra positæ mensuræ decreuerit Abbas, causa necessitatis, quippiam augeri, illius maneat potestate. Alioquin hoc omni, no prouideat, ut camisias duas, tunica una, & cuculla una, & in itinere cappa una, & pedules quatuor, pellicium usque ad talos unum, fasciolos duos.

20. Vt in Quadragesima sibi, sicut in alio tempore, uicissim pedes lauent, & antiphonas huic officio congruentes decantent. In cœna uerò Domini, pedes fratrum post mandatum abbas lauet, & osculetur: in refectorio, manu propria poculum eis porrigat.

21. Vt in hebdomada Paschæ, in claustro non loquantur, sed lectio diuina ab omnibus teneatur: similiter in hebdomada Pentecostes, & in omnibus diebus Dominicis, seu in natali Domini, & in omnibus sancto-rum festis præcipuis.

22. Vt mandatũ, si tempus cœnæ est, tam fratrum quàm etiam peregrinorum, post cœnam fiat.

23. Vt ea, quam monachi sui habent, mensura sint abbates contenti, in manducando, in bibendo, in dormiendo, in uestiendo, in operando, quando in alijs non fuerint utilitatibus occupati.

24. Vt uillas frequenter, & nisi necessitas coegerit, abbates non circumeant: neque sis illas monachis custodiendas committãt: & si eos ire ad eas, necessitas fuerit, expleto necessitatis negotio, ad sua mox monasteria redeant.

25. Vt abbas, uel quispiam fratrum, ad portam monasterij cum hospitibus non reficiatur. In refectorio autem, omnem eis humanitatem manducandi exhibeat: ipse tamen cibi potusq; mensura contentus sit, quam reliqui fratres accipiũt. Si uerò propter hospitem uoluerit ad solitam mensuram fratribus, sibiq; aliquid augere, in sua maneat potestate.

26. Vt in domo infirmorum non manducent sine licentia Prioris, neq; bibant.

27. Vt seruitores non ad unã mensam, sed in proprijs locis post refectionem fratrum, reficiantur: quibus eadem lectio, quæ fratribus recitata est, recitetur.

82. Vt lectoribus nihil, nisi quod regula iubet, detur. (tur.

29. Vt Halleluia in Septuagesima dimitta-

30. Vt præpositus intra & extra monasterium, post abbatem, maiorem reliquis abbati subditis habeat potestatem.

31. Vt monachis, nisi monachus sit, non constituatur præpositus.

32. Vt seniorum, monasteriũ circumeuntium, quidam cum fratribus inobediẽtiam exeunt, quidã in monasterio propter custodiam remaneant.

33. Vt nouitio non facilis monasterij tribuatur ingressus: & ut in cella hospitum, probationis causa, hospitibus seruiat. Res uerò, si quas habet, parentibus suis aut monasterio committat. Expleto probationis suæ anno secundo, quod regula præcipit, inde faciat. Ipse uerò nec tondeatur, nec uestimenta pristina immutet, priusquam obedientiam promittat: id est, secundum regulam sancti Benedicti professionem in Ecclesia faciat.

34. Vt quando fratres post sextam dormiunt, quis eorum uoluerit legere in Ecclesia, aut in lectis suis legat.

35. Vt in Quadragesima usq; ad nonã orentur fratres, deinde missa celebrata, & uesperi congruo tempore reficiantur.

¶ Condita etiam sunt decreta, de monachorũ disciplina in Turonensi, Cabillonensi, Moguntina & alijs Synodis, q̃ in cap. de Synodis, eius rei studiosus lector inquirat.

Monachorum studium esse, nemini molestiam exhibere, neminem concutere, neminem calumniam facere, neminem detestari: sed erga omnes misericordiam & beneuolentiam exercere, & ea alijs præstare quæ sibi fieri uelint: monachi Fuldenses in epistola ad Ludouicum indicant.

Anno

Anno Domini 854 monachis Lindisfarnensibus concessum est bibere uinum, aut cereuisiam: cum hactenus lac, aut solam aquam bibissent.

Piscibus uesci monachis licere, Haymo super Psal. 80 indicat.

Sine abbatis uenia nō licebat monachis foras monasteriū ire. Quare Rabanus in epistola ad Brunuuardū abbatem scribit: Cōcede presbyteris tuis, ut ueniāt ad episcopum suum, & petant ab eo ueniam propter excessus suos, quibus contra eius uoluntatem, & contra sacros Canones egerunt.

Non ualebant cōtractus ab abbate & monachis facti, de rerum emptione aut cōmutatione, sine regū assensu. Quare monachi Fuldenses petunt, ut Carolus commutationem, quam fecerāt cum quadam matrona, confirmaret. Idem in Epistola ad Ludouicum fatentur, se esse sub eius iurisdictiōe.

Processionē monachorū Casinēsiū, quā obseruabant tertia feria post Pascha, describit Leo lib. 1. cap. 34. de Casinēsi cœnobio.

De tonsura monachorum, extat canon 23 Synodi Moguntinæ.

Singuli distributas operas habebant, ac quidam ex ijs artificia manuaria calluerūt. Sic Tāto monachus, tintinnabula fudit. Auentinus lib. 4. Lazarus monachus pictor fuit: Zonaras tomo 3.

Quidā codices & missalia sacra describebant, ut patet ex epistola Iattonis ad Otkeri um archiepiscopū, & Ludouicū. Idē monachos ac uirgines sacras iussit libros omniū professionum transcribere. Auentinus lib. 4 Annalium.

Quidā etiā Nigromantiæ dediti fuerunt. Talis celebratur Theodorus Santabarenus monachus, à Zonara, tomo 3.

¶ Leges & statuta monialium. Nec clericus, nec monachus iuuenis, ad puellarū congregationem habeant accessum, nisi aut paterna aut germana necessitudo probetur admittere. Canon 7 Arelatensis Synodi.

Iuniores uiduas, antequam probatę sint, citò uelare prohibet Canon 27 Synodi Arelatensis: tomo 2 Conciliorum.

Et uirgines ante 25 annum ætatis uelari, nisi in casu necessitatis, ibidē interdicitur.

Abbatissa, cum uiris clericis siue laicis, horis incompetentibus non loquatur: sed quicquid cum masculis de rebus necessarijs peragere debet, à prima hora usq; ad uespertinā peragat: & hoc nō cum singulis, sed coram pluribus. Canon 55 Cabillonensis.

Abbatissa, quæ in ciuitate monasteriū habet, nequaquam de monasterio egrediatur, nisi per licentiam episcopi sui, aut qui eius uicem obtinet. Canon 57 Cabillonensis.

Sanctimoniales habeāt studium in legendo & in cantando, in Psalmorum celebratione siue oratione: & omnes, excepta quā infirmitas tenet, in dormitorio dormiant, & omnibus diebus ad collationem ueniāt. Canon 59 Cabillonensis. In sequenti Canone prohibentur in cellis suis edere aut bibere cum masculis. Et in 62 Can. iubentur sese in monasterio cōtinere, & nusquā pedē efferre, nisi ab abbatissa aliquò fortè mittātur.

Sanctimoniales in monasterio cōstitutę, horas Canonicas, matutinam uidelicet, primam, tertiam, sextam, nonam, uespertinam, completorium, pariter celebrent. Canon 59 Cabillonensis.

Sanctimoniales fornicantes, post tertiam uerberationē in carcerem mittebātur: ibiq; cum pane & aqua per annum pœnitentiam agebant iuxta Bonifacij decretum in Synodo factum, anno Domini 742. Rabanus in epistola ad Hubertum.

Castitas monachorū & monacharū. Hūbertus episcopus in Epistola ad Rabanum queritur fornicationis ludibrio non solùm laicas, sed etiā Ecclesiasticas diffamari personas: & maximè in illis locis, ubi sanctimonialiū fœminarū casta debuit esse conuersatio. tam spurca. n. ibidem in aliquibus locis fieri narrātur libidinis inquinamenta, ut incæsti crimen pro nihilo ducatur. & cū tanta infamia in ore uulgi inde circūquaq; dissemineturnulla pro hoc talibus personis nascitur erubescentia, ac ordinis reuerētia: sed sub prætextu ac uelamine cōsanguinitatis, quasi sub specie pietatis, celāt sordes impietatis. In huiusmodi Rabanus grauem uindictæ seueritatē, si tam nefandæ rei ueritas cognoscatur, uult exerceri. Vbi uerò scelus latet propter suspicionē nullā uult fieri uindictam. Probat id Scripturę testimonijs de nō uindicando: item exemplo Dei, qui non statim post clamorem puniuit Sodomitas.

Vestitus eorū erāt cuculla, casula, cappa, uel scapulare, uel melotus, uel amphimallus: cingebantur funibus aut cingulis. Et singulæ nationes suū peculiarem habebāt habitum monachi: sed nō utebātur fœmoralibus, ut Carolus Caluus in epistola ad clerū Rauēnatem indicat: ubi tamen non contra regulam esse asserit, si abbatis cōsensu quis fœmoralibus utatur.

In Rauennatensi ecclesia, monachi ad regimē Ecclesiasticū uocati, & episcopi facti, sacerdotali habitu utebantur. Sed in alijs ecclesijs monachi etiā in episcopatu suas monasticas uestes retinebāt, ut patet ex epistola cleri Rauennatis ad Carolum, & ex responsione Caroli.

Monialib. Brūteshusij Nicolaus papa albis uestib. cōcessit uti. Chronicon Saxoniæ.

¶ Superstitiones monasticę multæ sunt,

ut sunt cultus reliquiarum, quas hoc seculo etiam in monasteria transferre cœperunt: ac plereque translationes reliquiarum per monachos hoc seculo leguntur factæ. Sic Valétini & Genesij cadauera in Augiam translata scribuntur à Sigeberto, anno Domini 828. Reliquiæ Hermetis martyris, à Lothario in Gallias missæ, ad Indam monasterium repositę sunt, anno Domini 851. Sigebertus. Corpus Mauri in Burgundiam, ad Fossacense cœnobium transfertur, ut tutum sit à Normannis: anno Domini 869. Sigebertus. In Gandesheimensi cœnobio Anastasius & Innocētius martyres culti sunt. Chronicon Quedelburgense. Vincentij corpus monachus Andaldus à Valentia Hispaniæ ciuitate, ad Benedicti cœnobium deportauit, anno Domini 855. Annonius lib. 5. cap. 20. de Francis. Monachi Fuldenses in epistola sua ad Ludouicum imperatorem, qua pro Bernhardo filio eius intercedunt, apertè nugantur, ipsum Bonifacij spiritum, cum adiunctis sibi spiritibus omnium sanctorū martyrum, & Confessorum Kiliani, Albani, Nazarii, Ferrucii, Vuicberti, Antonii, Eonii, Emmerani, atq; cunctorum qui per latitudinem regni Ludouici diuersa loca suis sacris ossibus ornant, idem ab Imperatore postulare, ut scilicet filium suum in gratiam recipiat.

Adoratio Imaginū. Monachi ad Manuelem inquiunt: Si cultui sacrarum imaginum suffrageris, & imperatricem ad eundem cohorteris, non multò post & corporis uires recuperabis, & animi salutem adipisceris. Zonaras tomo 3.

Fiducia operum suorum, & nimia commendatio suarum precum. Sic monachi Fuldenses, in epistolis suis ad Ludouicum Imperatorem & alios reges Francorum, prolixè iactitāt suas, quas pro ipsis faciāt, preces.

Missificatio superstitiosa, & Baalismus. Nam etiā in uirginum cœnobijs presbyteri & diaconi missas celebrarunt: ut patet ex actis Synodi Arelatensis, tomo 2 Conciliorū. Monachi Fuldenses pro rege Francorum, qui in Bulgariam susceperat expeditionem, & patre & exercitu eius, in quadragesima mille missas, & totidem psalteria se murmurasse iactitant, in epistola ad eundem. Quasi uerò Deus Baaliticis & pharisaicis prolixis delectetur orationibus: Matth. 6.

Peregrinatio ad loca sancta, & maximè ad urbem Romam: ut patet ex epistolis Hattonis ad Leonē, & Theotonis ad Benedictū.

Sæpe pro sceleratis interceſſerunt monachi & abbates, tanquam insignes scelerum patroni. Sic Theoto in epistola ad Nicolaū pontificem rogat, ut Albinum nepotem suum, qui Caroli regis filium uulnerauerat, tueatur. Ac monachi Fuldenses pro eodem intercedūt ad Ludouicum. Item in alia epistola pro Bernhardo filio Ludouici orant, ut in gratiam recipiatur. Et abbas Fuldensis in epistola ad Marquardum Prumiensem petit, ut pro Ebbone restituendo, ad Carolum Imperatoris filium intercedat.

Abbates diuersorum monasteriorū, inter sese inuicem coniuncti erant consensu regulæ, mutuis precibus & officijs. Nā Theoto Fuldensis, Adelgariū abbatem Viti, ad se ad festum Bonifacij inuitat, seq; eius precibus commendat, in epistola ad eundē. Rabanus in epistola quadam, abbatē officio suo deiectū, cōsolatur multis Scripturæ testimonijs.

CASVS CIRCA MONASTERIA.

1. Rex Bulgarorum habitum monasticum depositi, cū uideret filium suū idololatriā gentiliū instaurare: atq; arreptis armis filiū capit, & iuniori regnū tradit, atq; ad monasteriū redit, anno 865. Sigebertus, Reg. lib. 2.

2. Leo quartus sanxit, ut sicut sponte monasterium ingressis nō liceat egredi, ita nec præter suam uoluntatem intrusi retineantur: quia quod quis non petat, id haud ullo modo obseruet. Luitprandus.

3. Filiis aut filiabus à parentibus in ætate puerili in monasteria traditis, prorsus negāt licere egredi, & nuptias contrahere: ne uotū à parentibus factum, irritū reddatur. in Canone 22 & 23 Synodi Vuormaciēsis. Hoc quid aliud est, quàm approbare crudelitatē parentum, qui suos natos Moloch impiè sacrificabant?

4. Godescalcus, qui inuitus & coactus uotum monasticū fecerat, in Synodo Mogūtina absolutus est. Hatto in epist. ad Orgariū.

5. Cœperunt quidā reges, comites & præfecti, monasteria, prædia & aliās res cœnobiorum occupare, & uice abbatis sub se monachos habere & regere, ac reditus illos possidere. Sed Carolus Magnus id planè dānat & uetat, in concessione priuilegiorum.

DE EREMITIS.

PLura sunt genera monachorum. Cœnobitæ, quos nos in communi uiuentes possumus appellare. Anachoritæ sunt, qui propter cœnobialem uitam deserta petunt, & soli habitant per deserta: & hi etiam Eremitę uocantur. Rabanus 4 lib. cap. 6. de Proprietate sermonis.

Nicolai Eremitæ meminit Paulus Diaconus libro 24 rerum Roman. Meginradus Augiensis monachus, non procul à Tiguro cellā struxit, anno Domini 860, ibiq; ieiuniis & orationibus Antichristo seruiit, cōtra Christi edictum Matth. 24. Si dixerint, Ecce in cella, ecce in eremo Christus est, nolite exire. Bruschius, Sigebertus.

Eremi-

Eremitæ soli erant, sed non habitabant in saltu: uerùm in amœnitate uirtutũ. Haymo super cap. 7 Micheæ.

MORES CHIRSTIANORVM.

OCcurrũt in historia huius seculi, tum uirtutum, tum uitiorum exempla: quorum aliqua annotabimus.

EXEMPLA VIRTVTVM.

Primæ Tabulæ.

Patientia in cruce. Irene à Nicephoro, seruo suo, Imperiali dignitate deiecta, inquit: Ego quidem Deo acceptũ refero, quòd me orphanam & indignam ad Imperii clauum collocauit. Quòd uerò me iam deijci permittit, meis peccatis adscribo: in cunctis autem ac malis omnibus, sit nomen Domini benedictum. Paulus Diacon. lib. 23 rerum Rom. Et Carolus Crassus patienter tulit suorum omnium defectionem, & Arnulphi successionem. Regino lib. 2.

Studium religionis. Religionis diuinæ plurima Carolo fuit cura: psallẽdi, legẽdiq; officia in Ecclesia discreuit: Ipse se choris psallentium immiscuit: coram se, ubicunq; esset, diuinum peragi religiosè curauit officium ac ministerium: sermones patrum, homelias sanctorum, nec minus Martyrologia, diligenter inquiri atq; conscribi iussit. Cranzius in Saxonia lib. 2. cap. 9. Aluredus rex Anglorum Psalmos & orationes in unũ libellum compegit, quem manualem appellans, secum iugiter tulit. Scholam Oxoniæ aperuit, Psalterium transferre cœpit. Ranulphus lib. 6. cap. 1.

Humilitas. Rabanus in epistolis ad Simonem magnum sacerdotem inquit: In seruitio meis si aliquid gratũ uobis inueneritis, ad Dei laudẽ referatis. Cæterùm si quæ uituperãda perspexeritis, nostræ imperitiæ atq; fragilitati deputetis. Eadem uerba repetit in epistola ad Eberhardũ comitem.

Iusiurãdum. Ludouicus in summo periculo constitutus, Adalgiso iurauerat, quòd nunquã fines Beneuẽtanorum esset ingressurus, neq; ulturus iniuriã ab ipso illatam. Sed à põtifice absolutus ab ista obligatione, ipse quidem non uenit eò, sed regnum suũ cum exercitu ad exercendum uindictam in hostem misit. Regino lib. 2.

II. TABVLAE.

Φιλοστοργίαι, Studium & cura parentum, in auocãdis filiis à superstitionibus. Cũ Theophilus Imperator cognouisset Theoctistã, filiabus suis ad se uenientibus, proponere imagines Sanctorum, easq; munusculis pellicere ad earum exosculationem & adorationẽ, non permisit illas amplius ad auiã superstitiosam uenire. Zonaras to. 3 in uita eius.

Fortitudo in bello. Nicephorum Imperatorem in acie iamiam capiendum, uiri quidam fortissimi liberant. Paulus Diacon. lib. 24 rerum Rom.

Insigne exemplum fortitudinis in Furfando duce Britonum, Regino lib. 2 proponit. Is enim cum mille uiris, Pasquitani exercitum, qui erat ad tria millia uirorum, aggreditur, & uictoriam obtinet, plerisq; omnib. cæsis. Et postea in lecto decumbens, se se in aciem produci iussit, suæq; iterum autor fuit uictoriæ.

Mansuetudo. Ludouicus in conuentu ad uillam Theodonis, ijs qui cum Bernhardo nepote suo contra se conspirauerant, non modò uitam donauit, sed etiam possessiones iudicio legis in fiscũ redactas restituit: & Hardum & Bernhardum ab exilio reuocatos, in Corbeiense cœnobium remisit, ac de sua nimia asperitate publicam confessionem fecit, & pœnitentiam egit. Annonius lib. 4. cap. 108, de Francis.

Studium discendi. Carolus inter cœnandum aut aliquod acroama, aut lectorem audiebat. Legebantur ei historiæ, & antiquorum regũ gesta. Delectabatur & libris Augustini, præcipuè ijs quos de ciuitate Dei inscripsit. Eginhardus in uita Caroli. Agarenorũ principem theoremata erudita & philosophica studiosè audijsse, & Geometricis methodis deditũ fuisse, Zonaras to. 3 prodidit.

Diligentia in annotandis rebus memoria dignis. Carolus cum se de nocte in lecto reponeret, solitus erat ad caput suum pennã & incaustum cum pergameno reponere, ut si in stratu aliquod utile futuro tempore faciendum cogitatui occurreret, signare posset, ne è memoria laberetur. Habebat etiam circa lectum suum parietem cera litum, & stylum, ut si quid ei in tenebris occurrisset, consignaret. Eginhardus in uita Caroli & Henricus Erphordiensis.

Liberalitas. Michael Imperator & Procopia Augusta erga sacerdotes, senatores, monachos & pauperes se exhibuerũt beneficos. Paulus Diacon. lib. 24 rerũ Rom. Idem Christiãis ex Aegypto & Syria ob Saracenorum crudelitatẽ ad se cõfugientibus, hospitia & aliquot auri talenta præbuit. lib. eodẽ. Adelfredus cunctos reditus in æquas duas partes diuisit: primã hæredib. suis reliquit: alterã partem pauperibus suæ regionis, partim monasterijs, partim scholasticis, partim transmarinis Ecclesijs æqualiter distribuit. Vuilhelmus lib. 2, cap. 16, de Anglis.

Defensio subditorũ & miserorum. Cum Crunnus Bulgarorũ rex à Michaele postularet, ut aut fugitiuos & profugos restitueret, aut bellũ expectaret: Imperator potius bellũ uoluit sustinere, quàm miseros & calamitosos Christianos tyranno reddere. Paulus Diacon. lib. 24 rerum Rom.

Iusticia. Ludouicum nemo muneribus corrumpere potuit, neq; quisquã ab eo Ecclesiasticam aut politicam dignitatẽ assecutus est pecunia. Regino lib. 2. Theophilus iusticię cultor erat, & grauẽ sese ac in exorabilẽ delinquentibus præbebat: rerum uenaliũ curam habebat, & quanti quæq; uenderẽtur, curiosè per forũ transiens indagabat. Quòd si qua magno uenirent, præfecto de ijs interrogato, uel magistratũ abrogabat, si peccasset. uel obiurgato eo, quid agendum esset præscribebat. Zonaras tomo 3.

Conseruatio ordinum & dignitatum. Appulit aliquando ad Regiæ portũ nauis oneraria, pondere sarcinarum grauis, eoq; usq; ad extremũ uinculum demersa. Imperator supernè prospectans, nauemq; admiratus, per pedissequũ, cuius ea sit, percontatur? Vt Augustæ esse cognouit, recens à mercatura reductam, quam ab Imperatrice missi in Syriæ partibus fecissent: Si quid sarcinarum in naui haberent, id statim efferre iussit, & nihil quod ad Augustã pertineret, attingere. Quo facto, pulsis inde nautis, Græco igni iniecto, nauim cum ipsis sarcinis cremauit, Imperatricem maledictis insectatus. Nam cum me Deus (inquit) Imperatorem designarit, tu me nauclerum facere contendis. Scito autem mercaturam priuatis hominibus esse attributã, ut ea tolerandæ uitæ occasionẽ habeãt. Quod si nos præter Imperij opes, etiã mercaturæ emolumẽta intercepe rimus, unde nã fortunę tenuioris homines uictum comparabunt? Zonaras tomo 3.

Vsus bonorum. Alfredus rex Anglorum, cunctos suos reditus in æquas duas partes diuidebat, rursusq; primam in tres: quorũ primam ministris suis curialibus: secũdam operatoribus, quos iugiter in nouarum ædiũ extructionibus, mirabili & ignoto Anglis modo habebat, tertiã aduenis. Secunda pars redituũ ita diuidebatur, ut prima portio pauperib. regionis suæ, secũda monasterijs, tertia scholasticis, quarta transmarinis Ecclesijs daretur. Vuilhelmus Malmesburiensis lib. 2, cap. 16. de gestis Anglorum.

EXEMPLA VITIORVM.

CONTRA I. TABVLAM.

Idololatria. Nicephorus immolationibus, oraculis & incantationib. Manichæorum deditus fuit. Paulus li. 24 rerum Rom. Romani, Galli, Germani passim reliquias coluerunt, & sanctos tanquã deos suos uenerati sunt: ut suprà diximus.

Inuocatio deorũ alienorum. De te Maria canimus: Maria mater gratiæ, mater misericordię, tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe. Idiota cap. 6. de Maria uirgine.

Fiducia auxilij sanctorum. Leo à Bulgaris obsessus, consolatur populũ, quòd Deus inopinatè per intercessionem intemeratæ Dei genetricis & sanctorum, esset opẽ laturus. Paulus Diacon. lib. 24 rerum Rom.

Artes magicæ. Canon 42 Turonensis: & monachum Theodorum Santabarenũ præstigiatorem fuisse, Zonaras to. 3 indicat.

Obstinatia. Nicephorus clamores pauperum audiẽs, dixit ad Theodosium: Si Deus obdurãs, obdurauit cor meũ, ut Pharaonis, quid boni erit his qui sub manu mea sunt à Nicephoro? & postea: Quis ibit, & decipiet Achab? quia siue Deus, siue aduersarius, trahit me nolentẽ. Paulus Diac. lib. 24 rerũ Ro.

Periuria. Nicephorũ multis periurijs inũgnẽ, demõstrat Paulus Diac. lib. 24 rerũ Ro.

Contẽptus ministerij, & persecutio. Rabanus in epistola ad Hadubrandum archipresbyterum: Audiebam populum tuæ curæ subiectum, contra te murmurare, & de ægritudine tua gratulari. & laici presbyteros absq; episcopi iudicio ex Ecclesiis eiicie bant, & alios pro suo arbitrio surrogabant, quod uetat Canon 4 Synodi Arelatensis. Et Carolus rex ad Nicolaũ scripsit, maiorẽ partẽ suorũ episcoporũ dies & noctes cum aliis fidelibus contra piratas uigilare. 23. quæst. 8.

CONTRA II. TABVLAM

Decalogi.

¶ Magistratus negligentia in administrãda iusticia. Humbertus episcopus Rabano questus est, superbos multiplicia passim ob feritatem animi commitere parricidia, qui nec seculari uindicta, nec Ecclesiastica coherceantur disciplina: ut patet ex epistola Rabani ad Humbertum. Carolus Galliæ rex stolidus, ac quotidie magis desipiens, seditiosos animos turbulentius in se iurare coegit. Simoneta lib. 5. cap. 22.

Disciplinæ neglectus. At nunc, quo magis est studium in uarietate præbenda ciborum & poculorum, & in cultu uestium atque domorum habenda: eo minor est diligentia in obseruantia bonarum disciplinarum, & maior iniquitas in transgressione diuinorum mandatorũ. Rabanus lib. 7. Comment. in Ecclesiast. cap. 3.

Ἀτοξία. Carolus rex Francorum, Carolomannũ filium, qui abiecto habitu sacerdotali, quem inuictus & coactus induerat, regnare moliebatur, cæpit, & oculis priuauit. Sigebertus anno Domini 872. Regino lib. 2.

Ingratitudo, Nicephorus seruus Irenes, omnium beneficiorum dominę immemor, eam imperio priuat, & in exiliũ mittit. Paulus Diacon. libro 24 rerum Rom. Carolus Crassus à principib. Francorum, post multa præclara facinora, remouetur ab Imperio: & à suis desertus, ab Arnolpho successore uictum humiliter petit. Regino lib. 2.

Temeritas. Carolus iuuenis, experiri cupiens

piens Albuini audaciã,& celebrem fortitudinẽ,alium ſeſe ſimulat. & ex uenatione redeunti occurrit,armis & equo inſtructus, illumq; conatur capere,& abducere. Sed ille euaginato gladio caput eius ferit,& in terram deiecto uulnera infligit, atq; armis & equo ſpoliat,ignarus regis filiũ eſſe: qui paulo pòſt obijt. Albuinus uerò, fuga periculũ mortis euaſit.Regino lib.2.

Monomachia.Monomachiã,inquit Nicolaus Pontifex,in lege nõ aſſumimus,quã præceptam fuiſſe non reperimus: quia licet inijſſe quoſdam legimus,ſicut ſanctum Dauid contra Goliath ſacra prodidit hiſtoria: nuſquam tamen ut pro lege teneatur,alicubi diuina ſanxit autoritas, cũ hæc & huius ſectatores Deum ſolũ tentare uideantur.24. Quæſt.4.Et Antoninus titulo 16.cap.1.§.9.

Cædes.Multi ex Chriſtianis,q iuſſu Nicephori in Sclauiniam ferebantur, ſuis bonis multati,ſuſpẽdio ſibi uitã abruperunt.Paulus Diac.lib.24.rerũ Rom. Per cõmeſſationẽ,ebrietatẽ,& turpia uerba ac ioca in cõuiuijs celebrata,ſępe rixę oriũtur,atq; homicidia perpetrantur,exceptis his quę latrones & maligni homines,quotidie in inſidijs ob cupiditatẽ agere ſolẽt.Rabanus in epiſt. ad Humbertũ. Quidã in Hũberti parochia in eccleſiam irruperat,& ſicariũ,qui fratrẽ eius occiderat,unà cum cognatis ſuis eò cõfugientibus,iuxta altare interfecit: & capſas cũ reliquijs Sanctorũ,& cruces huc illucq; diſperſit. Rabanus in epiſtola ad Hũbertum. Baſilius Michaelem patrem ſuum adoptiuum interfecit.Zonaras tomo 3.

Seditiones.Cõtra Nicephorum aliquoties ſeditiones excitatæ ſcribuntur in uita eius,à Paulo Diacon.lib.24 rerum Rom. Etiam contra Michaelem turbas mouent, & Conſtantini filios ad imperium reſtituere conantur.Paulus lib.eodem. Hucbertus abbas,frater Thietbergæ, contra Lotharium ſeditionem mouet,& tandem à comite Cõrado interficitur.Regino lib.2.

Crudelitas. Nicephorus irrationabilia quoq; animantia,& infantes,& omnẽ ætatem miſerabiliter occidi iuſsit, & cadauera interfectorũ ſpoliata abiecit inſepulta.Paulus Diacon.lib.24.rerum Rom.

Libidines.Stauratius alterius ſpõſam duxit, & duas alias uirgines,quas ex cœtu plurimarũ delegerat,in die nuptiarũ ſtuprauit, Paulus Diacon. libro 24 rerum Roman. in uita Nicephori.Patrẽ & filium, uel duos fratres,uel auunculũ & nepotẽ, cũ eadẽ uxore conſuetudinẽ habuiſſe,patet ex epiſtola Rabani ad Reginbaldum.Lotharius Thietbergã reginã repudiat,& cũ Vualdrada cõcubina ſua nuptias celebrat,& neptem Gunthelij ſtuprat,& cum ludibrio ad auunculũ remittit.Regino lib.2.anno Domini 864.

Inceſtus.Quidã fratris ſui uxorẽ dormientem cõpreſsit,in Thuringia: ut Rabanus indicat in epiſtola ad Reginharium. Bardas Cæſar uxorẽ ſuam repudiauit, & cum nuru ſua conſuetudinem habuit.Zonaras to.3.

Coitus cũ cane & uacca exẽpla recitat Rabanus in epiſt.ad Reginbaldi quæſtiones.

Diuortium Ludouicus Balbus abſq; conſenſu parentis duxit Anſgardin uxorem, ex qua cum duos filios ſuſcepiſſet, à patre ſuo coactus eſt illius conſuetudinem abiurare, & aliam coniugem ducere.Regino lib.2.

Furta.Quidam fratres Chriſtianos furabãtur,& paganis uendebant.Rabanus in epiſtola ad Reginbaldum.

Iniuſtæ exactiones. Nicephorus Imperator iniuſtis exactionib. ob auariciã ſuam ualde deditus fuit.Cerularius quidam erat in foro,ex laboribus ſuis locuples, & nihil egens.quo accerſito,omniũ uorax Imperator ait: Pone manum tuam in uertice meo, & iura quantum ſit tibi aurum.Qui parum, tanquam indignus,recuſans, coactus eſt ab eo facere hoc.Et centum ſe libras habere dixit.Quas eadem hora auferri præcepit, dicens: Tu quid opus habes ſolicitari? prande mecum,& tolle libras decem,& his uade cõtentus. Paulus Diacon. libro 24 rerum Rom.Zonaras tomo 3.

Sacrilegia.Nonas & decimas, quas quĩ res Eccleſiaſticas tenent,ſoluere rectoribus Eccleſiarum ordinati ſunt, ad luminaria & ſtipendia clericorum multis in locis abſtractas eſſe uidimus. Synodus Turonenſis, Canon.46.

Obtrectationes.Nicephorus omnes Imperatores,ſuos anteceſſores,improuidos accuſabat:& aſſerebat,neminem poſſe imperatorẽ circumuenire,ſi uoluerit ſtrenuè principatum tenere.Paulus Diacon.libro 24 rerum Rom.

Mendacia Nicephorus Irenæ ampla promittit,ſi omnes Imperij theſauros ſibi tradat:ſed poſtea contrarium præſtat,acceptis bonis.Paulus Diacon.lib.23 rerum Roman. Idem Bardani patricio, quem exercitus ſui Imperatorem proclamauerant,ſcripto promiſit ſecuritatem,quòd patriarchæ & omnium patriciorum ſubſcriptione erat firmatũ. Sed tamen poſtea fidem fefellit: & ſicarios ſubornauit,qui eum interficerent, & ad eccleſiam confugerent.Paulus Diacon.lib.24. rerum Rom. Conſtantinopoli quidam portam ſepulchri Conſtantini ſubitò aperiunt, & quendam inde ſuper equum eleuant, & clamorem edunt,ſurrexiſſe Conſtantinum, ac ad Bulgaros debellandos tẽdere. ſed præfectus ex aliquibus comprehenſis,fraudem agnouit.libro eodem.

Simula-

Simulationes. Bardanem interfectum Nicephorus septē diebus luget, & insicarios inquiri iubet, cum tamen esset eius necis autor Paulus Diacon. lib. 24 rerum Rom. Adalgisus simulat se amicum Ludouici: & postea data occasione, cum de illius cōsilio dimisisset copias suas, arcem in qua erat, obsidet, & flammis illū cogit iurare, quòd nunquam uelit Beneuētanorum fines ingredi. Regino lib. 2.

Falsi testes. Contra Thietbergam Lotharij coniugem, in Synodo Metensi falsi testes dixerunt, quòd audierint eam confitentem, se cum fratre suo rem habuisse. Regino libro 2.

Perfidiæ. Nicephorus pactum de pace cū Saracenis uiolat, & sibi ac suis magnas clades accersit. Paulus Diacon. libro 24 rerum Roman. Ludouicus rex contra iusiurandum, regnum fratris sui occupat: persuasus à seditiosis quibusdam principibus, qui Carolo infensi erant, ob quosdam supplicio affectos. Sed postea illi ipsi à Ludouico deficiunt ad Carolum, eoq; restituto illum exfinibus suis propulsant. Regino lib. 2.

RITVS CIRCA IVSIVRANDVM.

IVramenta ad reliquias sanctorum fieri solebant. Sic Irene Nicephoro iurat ad preciosa & uiuifica ligna. Paulus Diaconus lib. 23 rerum Rom. Leo papa ferens Euangelium in basilica Petri, ambonem conscendit inuocatoq; Sanctæ Trinitatis nomine, de obiectis criminibus iureiurando sese purgat. Annales Francorū, anno Domini 800. Sed tamen Rabanus in epistola ad Reginbaldum, iuramenta ad altare uel Sanctorum reliquias facta damnat, ut uerbo Dei cōtraria. Solitos etiam esse Francos, iureiurando aliquid confirmantes, stipulas dextris manib. tenere, easque eijcere coram Deo & angelis eius, patet ex supplicatione populi ad Carolum. Engiltruda Nicolao pontifici iurat per Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, & per quatuor Euangelia Christi Dei, quæ ore osculabatur, & manibus suis tenebat, quòd uelit Romam uenire. Regino lib. 2.

RITVS DEMONSTRANDI *innocentiam.*

APud Francos hoc tempore in more erat, ut innocentiam suam testaturi, ferrum candens manibus gestarent, aut in aquam calidam manus suas immitterent. Quod si non lædebantur, testimonium erat innocentiæ. Sin uerò lædebantur, signum erat quòd rei essent. Solebat autem ferrum candens sic consecrari: Deus iudex iustus, qui autor es pacis, & iudicas æquitatem, te suppliciter rogamus, ut hoc ferrum ordinatum ad iustam examinationem cuiuslibet dubietatis faciēdam, benedicere & sanctificare digneris: ita ut si innocēs (de prænomi nata causa, unde purgatio quærēda est) hoc ignitum in manus acceperit, illæsus appareat: & si culpabilis atq; reus, iust. sima sit ad hoc uirtus tua, in eo cū uirtute declarandum, quatenus iusticię non dominetur iniquitas, subdatur falsitas æquitati, per Dominum nostrum, &c. Auentinus lib. 4. Annalium. Aqua uerò calida his uerbis: Deus iudex iustus, fortis & patiens, qui es autor & amator iusticiæ, qui iudicas æquitatem: iudica Domine quod iustum est quia recta tua iudicia sunt. Qui respicis super terram, & facis eam tremere. Tu Domine omnipotens, qui per aduentum filij tui Domini nostri Iesu Christi mūdum saluasti, & per eius passionem genus humanum redemisti: tu hanc aquam per ignem feruentem sanctifica, qui tres pueros, id est, Sidrach, Misach, Abdenago, iussione regis Babylonis missos in caminum ignis, seruasti: tu clementissime præsta, ut si quis innocens in hanc aquā feruentem manum mittat, sicut tres pueros suprà dictos de camino ignis eripuisti, & Susannam de falso crimine liberasti, ita Domine manum illius saluam & illæsam perducas. At si quis culpabilis, uel incrassante diabolo cor induratum, præsumpserit manum mittere: tua iustissima pietas hoc declarare dignetur, ut in eius corpore tua uirtute manifestetur, & anima illius per pœnitentiam saluetur. Ibidem.

RITVS INAVGVRANDI *Imperatores.*

IMperatores Constantinopolitanos à senatu & ordinibus electos plerúq; esse, testantur historiæ. Sic Michael scribitur electus. Paulus Diacon lib. 24 rerum Rom. Et Leo à prætoribus cum patriarchę consensu Imperator constituitur. lib. eodem.

Archiepiscopi & Patriarchæ solebant ab ijs quos suspectos habebāt de pietate, ante inaugurationem, scriptam promissionem exigere. Sic Tarasius à Michaele chirographum accepit, de recta fide: & quod à Christianorum sanguine manus abstinere, & sacris hominibus & monachis & omnibus Ecclesiasticis uiris patronus esse ueller. Paulus Diac. lib. 24 rerum Rom.

Coronabantur autem in ambone Ecclesiæ: & post coronationem munera archiepiscopo, clero, senatui & populo dabant: ut scribit de Michaele Paulus lib. eodem. Ac tandem ad regiam ibant, ut Leo fecisse scribitur lib. eodem. Ad hunc modum Carolus Magnus scribitur inauguratus: Ipse, cū die sacratissima Natalis Domini, ad missarum solennia basilicam beati Petri apostoli fuisset ingressus, & coram altari, ubi ad orationem se inclinauerat, assisteret, Leo papa coronam

coronam capiti eius imposuit, cuncto Romanorum populo acclamante: Karolo Augusto à Deo coronato. Magno & Pacifico Imperatori Romanorum, uita & uictoria.

Post quas laudes à Pontifice, more antiquorum principum, adoratus est: ac deinde omisso Patricij nomine, Imperator & Augustus appellatus. Annales Francorum, anno Domini 801. Statuæ eius ad aram Petri collocatæ, prætereuntes capite adaperto genua submittebãt. Auentinus lib. 4. Annaliũ. Ludouicus à Stephano papa in missa coronatur, eiq; munera offert, & conuiuijs honorat. Annonius lib. 4. capite 102.

Et imperatrices. Procopia coronata, multis donis senatum cumulat: & mulieribus militum Thematicorum, qui fuerãt in Bulgaria perempti, quinque talenta auri dedit. Paulus Diac. lib. 2. 4. rerum Rom.

Vestitus Græcorum Imperatorum. Carolus post adeptum Imperium, cõsuetudines Francorum uilipendens, Græcas glorias & insolitos habitus affectabat, & talari Dalmatica indutus, & desuper baltheo accinctus, pẽdẽte usq; ad pedes: capite uerò inuoluto uelamine serico, & diademate superimposito, procedebat. Sigebertus, anno Dñi 876.

CAPVT VII.

DE POLITIA ET GVBERNATIONE *Ecclesiæ.*

SI doctores huius ætatis, cum superioris seculi uiris conferantur, longissimo interuallo ab illis distare cognoscentur. Nam neque Haymo, neque Rabanus, neq; Angelomus, neque ullus alius, uel cum Beda, uel cum Albino comparari ullo modo queat.

Pleriq; autẽ omnes ex monasterijs prodierunt, ubi non tam praxim seu uerum usum pascendi oues Christi certo Dei uerbo, quàm ociosam theoriam, de ceremoniarum pompis, & theatricis ostentationibus didicerunt. Nam Rabanus ex Fuldẽsi cœnobio ad Moguntinam ecclesiam uenit, Hatto in epistola ad Leonẽ. Et Theodulphus abbas Floriacẽsis, factus est episcopus Ambianensis. Ranulphus libro 5. cap. 30. Hatto abbas Augiensis, Moguntinus episcopus cõsecratur: Regino lib. 2. Salomon abbas sancti Galli, Constantiensis ordinatur episcopus. Regino libro eodẽ. De plurimis alijs, in Capite de Vitis episcoporum dicetur.

Ac oportuit eosdẽ cum canonicis diurna & nocturna officia peragere, simulq; cũ monachis Benedicti eadẽ præstare, ut patet ex epistola Caroli iunioris ad clerũ Rauẽnatẽ. atq; ita in episcopatu monachos & sacerdotes egerũt. Quibus quidẽ nugis & patergis districti, quid potuerunt Ecclesijs prodesse?

Antichristi charactere insigniti, à matrimonio abstinuerũt libidinib. alioquin pollutissimi. Nam etiam diaconis nuptias prohibitas esse, quia scriptũ sit, Mũdamini qui fertis uasa Domini (elegans scilicet Scriptura detorsio) Rabanus scribit libro 1. cap. 8. de institutiõe clericorũ. Et Synodus Vuormacensis cap. 9. inquit: Episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, abstineant à coniugib. & non generent filios. Quòd si hoc decretũ uiolauerint, ab honore clericatus pellãtur. Et cap. 68. eiusdẽ synodi, Lectores cogit aut uxores ducere, aut continentiam profiteri. Et synodus Moguntina sub Arnulpho cap. 19 inquit: Presbyter si uxorẽ acceperit, uel fornicatus fuerit, ab ordine deponatur.

Pauciss imi tamen inter eos, mariti reperiuntur. Capuani enim Landenolfum coniugatum, & Neophytum sibi elegerunt episcopum: atq; à Ioanne papa impetrárunt, ut eum ordinaret: quod & fecit, licet reluctantib. multis uicinis episcopis & abbatibus, Leo Hostiensis lib. 1. cap. 43. Et Adrianus secundus pontifex, filius Talari episcopi fuisse scribitur à continuatore Damasi.

Ac ex præfectis & policitis gubernatoribus, alicubi episcopi & presbyteri ordinati sunt. Haymo lib. 6. super 18. ca. Apocalypsis. Duces & principes, uenales faciunt animas suas, ut acquirãt comitatus & episcopatus, cæteras q; dignitates huius seculi.

Cœperũt etiam Imperatorum & Regum filij, in clericorum & sacerdotũ legi numerum, ut postea Ecclesijs præficerẽtur. Sic Carolus filium suum Carolomannũ, etiã inuitum, diaconũ ordinari curauit: Regino li. 2. Et Basilius filium suũ natu minimum, in numerum cleri Ecclesiæ retulit, ut postea eum patriarchã crearet: Zonaras tomo 3. Et Drogo frater Ludouici Imperatoris, sub canonica uita degens, Rector ecclesiæ Metensis cõstituitur, clero eiusdem urbis consentiente & eligente: Annonius lib. 4. ca. 110. de Francis. Et Ignatius, Michaelis Rangabis filius, à Theodora imperatrice Constantinopolis designatur episcopus: Zonaras tomo 3.

Non pauci insuper ob munera & alias rationes, cũ minus idonei essent, ad clauũ Ecclesiæ adhibiti sunt. Synodus Arelatẽsis cap. 5. Propter cupiditatẽ plerunq; à laicis talib. presbyteri ecclesiæ dãtur, qui ad peragendũ sacerdotale officiũ sunt indigni. Thietgãdũ Treuirensem episcopũ, uirũ simplicẽ, & in diuinis Scripturis nõ adeò eruditũ, neq; in canonicis sanctionib. exercitatũ fuisse, Regino lib. 2. scribit. Rodulphũ Herbipolẽsem episcopum, nobilem quidem, sed stultissimum esse, Regino affirmat libro eodem.

DE GRADIBVS PERSONARVM.

MEntio fit eorundem graduum, quorum in superioribus sæculis facta est. Carolus in epistola ad clerum Reuennatem: Habent proprium officium in Ecclesiastico ministerio ostiarij, habent lectores, habent exorcistæ, habent suum acoluthi, habent officium suum subdiaconi, sic & diaconi, nec non & presbyteri: & habent distinctionem in uestibus Ecclesiasticis. Rabanus lib. 1. cap. 4. de Institutione clericorum: Gradus Ecclesiastici octo sunt, quorum nomina hæc sunt, Hostiarius, Psalmista siue Lector, exorcista, acoluthus, subdiaconus, diaconus, presbyter atque episcopus. Eadem uerba repetit lib. 4. cap. 5. de proprietate sermonis. Extant etiam in Synodo Aquisgrana, sub Ludouico.

Capellanus aliàs Diaconum notat, aliàs eum qui in aulis negocia, Ecclesiastica præsertim, ad principes referebat. Sic Drogo episcopus Metensis, summus capellanus Imperatoris Ludouici appellatur ab abbate Fuldensi, in epistola ad eundem. Et Hilduinus archicapellanus dicitur in epistola Rabani ad Otgarium.

Sacerdotes alij maioris, alij minoris ordinis dicuntur, ut patet ex Haymone super 8. cap. Cantici Canticorum. Sacerdotes minoris ordinis baptizando, & diuinis mysterijs initiando, homines in Ecclesiã introducũt.

Ordo episcoporum tripartitus est, id est, in patriarchis, archiepiscopis, qui & metropolitani sunt, & in episcopis. Rabanus lib. 1. cap. 5. de institutione clericorum. Et hincmarus inquit in epistola ad Laudunensem, cap. 12. Etsi ordo generalis est omnibus sacerdotibus, non tamen communis est dignitas omnibus.

DISTINCTIO COETVS *Ecclesiastici.*

Rabanus libro 1. cap. 2. de institutione clericorum: Tres sunt ordines in ecclesia, conuersantium, id est, laicorum, monachorũ & clericorum. Et Haymo super 4. Cant. Canticorum: Primum locum in ecclesia post Apostolos, martyres obtinuerũt, qui ipsam passionẽ Domini patiendo imitari studuerunt.

Catechumenos duplices facit Rabanus lib. 1. cap. 26. de clericorum institutione. Alij enim simpliciter Catechumeni dicũtur, ac erãt ij qui audiebãt & discebãt doctrinam fidei: alij uerò competentes, qui iam post doctrinam fidei, & post continentiam uitæ, ad gratiam Christi percipiendam festinabant, seq; baptizari petebant. Haymo super 1. ad Ephes. Catechumeni sunt fideles, quia credunt in uerum Deum: sed quia nondũ sunt baptizati, non sunt sancti.

DE OFFICIIS GRADVVM *singulorum.*

FAtetur Rabanus, officium docendi & baptizandi in primitiua Ecclesia, omnibus Christianis, in omnibus locis, omnibusq; temporibus, data occasione fuisse cõmune, sed postea multitudine fideliũ crescẽte, factũ esse, constitutis cõuẽticulis & rectoribus, ac cæteris ecclesiæ officijs ordinatis, ut nullus de clero auderet, q ordinatus non esset, præsumere officium, quod sciret sibi nõ creditum, uel cõcessum esse: atq; ita alio modo & prouidentia Ecclesiam gubernari cœpisse, ne si omnes eadẽ possent, uulgaris res, & uilissima uideretur. In epistola ad Reginbaldum. Quare hoc tempore: Episcoporum munus erat, docere, ut patet ex Canone 25. Moguntinæ Synodi: Et Haymo super quintum cap. Amos: Præsulis ecclesiarum est, intra sanctã Ecclesiã, quæ est porta regni cœlorum, uera discretione boni ac mali, populũ docere, Idẽ sup 2. ad Timoth. 2. A' secularibus negocijs debent custodire episcopi, qui, ut Canones habẽt, prędicationi semper debent insistere, & orationi.

Ordinare presbyteros. Episcopus ordinationes presbyterorũ, diaconorũ, & sacrosancti baptismatis sacramentum, secundũ traditionem Ecclesiasticam studeat agere. Hincmarus in epistola ad Tornacenses. Idem in epistola ad Hincmarum Laudunensem inquit: Iuxta sacros canones solus episcopus potest presbyteros ordinare: sed non confessos, neq; conuictos de crimine, solus non potest ab officio remouere.

Altaria & Ecclesias dedicare. cap. 3. Synodi Vuormacienſis.

Baptizare. Rabanus lib. 1. cap. 5. de institutione clericorum.

Chrisma conficere, & eo consignare infantes ac adultos. Rabanus libro 1. cap. 6. de clericorum instit. Chrisma conficere nullus præter episcopum præsumat. cap 2. Synodi Vuormacienſis.

Missas cantare. Hincmarus in epistola ad Laudunensem, cap. 6.

Velare moniales. Alfridus Hildesiorũ episcopus primas duas abbatissas Gãdersheimenses uelauit. Bruschius de monasterijs.

Chorepiscopi, uicarij episcoporum (sic dicti sunt) quòd essent exchoro sacerdotũ, ordinabantur à solis episcopis, propter parochiarum curã, qui in agris & uillis consistunt, ne eis solatium cõfirmationis deesset. Non aũt licebat eis aliquid amplius in ecclesia ordinare aut constituere, quàm cõcessum erat à legitimis eorũ episcopis, qui sedem & regimen integrum in Ecclesia obtinebant. Rabanus lib. 1. cap. 5. de institutione clericorũ. Chorepiscopos fuisse tantũ uicarios, seu rustica

sticanos pastores. Hincmarus indicat in epistola ad Laudunensem cap.16.

Presbyterorum erat: Dispensare mysteria cœlestia fidelibus, baptismum tradere, corpus & sanguinem Christi distribuere, & Verbum Dei prædicare. Rabanus lib.1.cap. 5.de instit.clericorum. Sed non licebat eis chrismate frontem signare, nec paracletum spiritum dare, nec ordinare clericos: quod episcopis, propter unitatem & concordiam reseruabatur. Libro eodem, cap.6.

Apud Aegyptũ presbyteros, absente episcopo, consignare. Rabanus in epistola ad Reginbaldum.

Diaconorum erat, legere Euangelium, & episcopo missam celebranti ministrare. Regino libro 2. Item Ecclesiam præconis more admonere, ut orent, uel genua flectãt, uel psallant, uel lectiones audiant, uel aures ad Dominum habeant. Item sacramenta dispensare. Canon 7. synodi Aquisgranæ sub Ludouico. Sed non licebat eis prædicare in populo. Rabanus in epistola ad Reginbaldum. Baptizabant tamen corã episcopis & presbyteris, & calicem sacerdoti tradebant, & oblationes ad altaria ferebant, & albis uestibus ad altare assistebant. Rabanus libro 1. cap.7.de clericorum institutione.

Subdiaconi, oblationes in templo Dei à fidelibus accipiebant, & diaconis afferebant. Rabanus lib 1.cap.8.de clericorũ institutione. Sed non licebat eis benedicere, aut benedicta distribuere. cap.78. Aquisgran. synodi. Diaconissarũ meminit can.37. synodi Vuormacien sis, & uetat quenquã ante quadragesimum annum ordinari.

Acoluthorũ seu ceroferariorũ erat, cereos portare ad Euãgelij lectionẽ, & oblationẽ sacrificiorũ. Raban. li.1.c. 9. de instit. clericorũ.

Exorcistarũ munus erat, super catechumenos, uel eos qui habent spiritũ immundum, nomen Domini Iesu inuocare, & dæmones adiurare, ut egrediãtur ab obsessis. Rabanus lib.1. cap. 10. de instit. clericorum.

Lectorũ erat, clara uoce, distinctè & apertè, sacras lectiones in templo legere. Rabanus lib.1.cap.11.de instit. clericorum.

Cantorũ erat, uoce & arte Psalmos cantare, ad demulcendos auditorũ animos. Rabanus lib.1. cap.11. de clericorum institutione.

Ostiarij erant æditui, qui clauẽ templi tenebant, & omnia intus ex utraque parte custodiebãt, & inter bonos & malos discrimẽ faciebant, fideles intromittentes, & infideles ab aditu arcentes. Rabanus lib.1. cap.12. de clericorum institutione.

DE RATIONE GVBERNATIONIS.

SIngulis Ecclesijs, iuxta Canones, unus tantùm præerat episcopus, qui cũ presbyteris, diaconis, & alijs collegis onus gubernationis sustinebat. Adon Viẽnensis ęta te sexta: Canonica authoritas est, in una ciuitate duos episcopos non esse, nec uiuere posse: nec uiuentẽ episcopũ, successionem sibi licet eligere. Sed tamen Ioannes papa, Capuę duos episcopos simul esse, ad cõpescendum dissidiũ permisit. Chronicon Casinense lib.1.cap.43.

Sed presbyterorum, diaconorum, & aliorum clericorum, pro Ecclesiarum amplitudine, & hominum deuota superstitione, & profusione, uariabat numerus. Sed tamẽ ultra septem diaconos, etiã in maxima ciuitate esse, interdicit canon 76. Aquisgran.

Opera aũt istorũ hæc ferè annotãtur: ouiculas suas, de capitib. sacræ doctrinæ erudire. Canõ 25. Mogũt. Nunquã desit dieb. Dominicis aut festiuitatib. qui uerbũ Dei prædicet, iuxta quod uulgus intelligere potest.

Porrò præcepta quædam, inter docendũ obseruanda, tradit Rabanus lib.3. de institutione clericorum: qualia sunt, ut sapiẽter dicamus, & facili sermonis genere ad uulgus uramur, ad auditorum captum omnia accõmodantes. Cap. 28. 30. & sequentibus. Haymo super 1. Cant. canticorũ: Doctores sancti & cibum nobis ministrant, & secreta Scripturarum nobis manifestant. Et Synodus Arelatensis Canone 10. inquit: Prouidimus pro ædificatione omnium Ecclesiarum, & pro utilitate populi, ut non solùm in ciuitatibus, sed etiam in omnibus parochijs, ut presbyteri ad populum uerbum faciant, & ut bene uiuere studeant, & populo sibi commisso prędicare non negligãt. Et Turonensis synodi Canon 17. Vt quilibet episcopus habeat homilias, cõtinentes necessarias admonitiones, quibus subiecti eruditantur id est, de fide catholica, prout capere possint: de perpetua retributione bonorum, & ęterna damnatione malorum. Canõ 9. Aquisgranensis, sub Ludouico Pio: Sermo episcopi debet esse purus, simplex & apertus, plenus grauitate & honestate, plenus suauitate & gloria, tractans de mysterio legis, de doctrina fidei, de uirtute continentiæ, de disciplina iusticiæ, unũquemq; diuersa admonens exhortatione, iuxta professionis morumq; qualitatem, uidelicet ut prænoscat, quid, quando, cui, uel quomodo proferat.

Falsa dogmata, eorũq; assertores refutare. Rabanus lib. 3. cap. 28. de instit. clericorum: Debet diuinarũ Scripturarũ tractator & doctor, defensor rectæ fidei, ac debellator erroris, & bona docere, & mala dedocere. Vnde Haymo super Psal. 73. inquit, sancti episcopi & alij boni pastores, sunt termini & defensores Ecclesiæ, contra diabolum & ministros eius. Angelomus in 14. cap. lib. 1.

Regum:Nemo ex catholicis, aduersus hæreticos prior contentionis arma cõmoueat, nisi ab ipsis prius ad certamen prouocatus fuerit. Quia non per catholicos, sed potius per hæreticos, contentionis belli in ecclesia exordium sumunt.

Vitia & peccata grauiter & liberè arguere, & singulos ad pœnitentiam uocare. Tarasius Stauratium monet, ut Deum placaret, & bona à patre suo iniustè abrepta restitueret. Paulus Diaconus lib. 24. rerũ Rom. Sed quia per comessationem, ebrietatem, turpia uerba & ioca in conuiuijs celebrata, sæpè rixæ oriuntur, atq; homicidia perpetrantur, &c. necessarium mihi uidetur, ut sedula prædicatione, ab his uitijs abstinere plebes admoneantur. Rabanus in epistola ad Humbertum: Cum tuba Dei clangere debent episcopi, ne tacentes damnentur, & simul cum eis pereant, Carolus in concessione priuilegiorum. Haymo super 2. Malachiæ: Qui sacerdos est, & non corripit delinquentes, perdit officium sacerdotis. Canõ 36. Synodi Aquisgr. sub Ludouico Pio: Sacerdotes curã debent habere de his qui pereunt, ut eorum redargutione aut corrigãtur à peccatis, aut si incorrigibiles existunt, ab ecclesia separentur.

A' prauis cõsuetudinib. auditores auocare. Synodi Arelatensis canõ 16. prohibet ne dieb. Dominicis mercatus instituantur, aut iudicia publica aut opera ruralia fiant.

Vnumquẽq; de suo officio cõmonefacere. Rabanus Eberhardũ comitem monet de suo officio aduersus hæresim Godescalci, in epistola: Si quis iuxta te manẽs, impudẽter ea docet, quę rectæ fidei sunt cõtraria, prohibeas eũ, ut cesset ab hac secta. Hincmarus in epist. clerũ & plebẽ Beluacensem monet, ut in electione episcopi canones obseruẽt. Rabanus in 7. cõment. in Ecclesiast. cap. 11. sacerdotes, rectores & magistros Ecclesiæ, & prælatos monet de suis officijs, erga plebẽ & Ecclesiam. Et canon 1. Turonensis Synodi monet omnes, ut Imperatori obediãt, & fidem promissam seruẽt, & pro eo preces faciant. Fridericus Traiectensis episcopus, Ludouicum Pium iubet renunciare matrimonio incesto, quod cum Iudith contraxisset. Ranulphus lib. 5. cap. 29.

Hęreticos & facinorosos, censura Ecclesiæ cohercere & excommunicare. Adelbertus Morinensis episcopus, in epistola sua ad Hincmarum inquit: Anathematizo quoq; oẽs hæreses & schismata, quæ catholica & apostolica ecclesia anathemątizat: & quidquid sanæ fidei intelligẽtiæ contradicit, respuo & anathematizo. Et cap. 38 Aquisgranensis Synodi sub Ludouico Pio: Manifesta peccata nõ sunt occulta correctione purgã da. Palàm enim sunt arguẽdi, qui palàm nocent, ut dum aperta obiurgatione sanantur, hi qui eos imitando deliquerant, corrigantur. Ignatius patriarcha Cõstantinopoleos, Bardam Cęsarem ob incæstũ sacrã ædem ingredi uetuit. Zonaras tomo tertio.

Et rursus pœnitentiam agentes recipere & cõsolari. Rabanus in epistola ad Humbetum: Sed ante omnia, diligens consideratio debet esse apud præsulem, in pœnitẽtis studio, & affectu orationum atq; ieiuniorũ: & sic moderatio exhibẽda disciplinarum, pro ut conuersorum animi inspiciuntur esse deuoti. pariter etiam habendus est senilis ætatis intuitus, & periculorum quorumq; aut ęgritudinũ necessitates, in quib. si quis ita grauiter urgeretur, ut dum adhuc pœnitet, de salute ipsius desperetur, oportet ei per sacerdotalẽ sollicitudinem cõmunionis gratia subueniri, sicut in decretis Leonis Papæ scriptum est. Contra superbos uerò & contumaces, debet esse constantia in sacerdotibus Christi. Hincmarus in epistola ad Tornacensem Ecclesiam, pœnitentes iubet recõciliari Ecclesię, absq; muneribus. Haymo super 8. cap. Zachariæ: Quicunq; pro suis peccatis eijciuntur de Ecclesia, & captiuãtur à diabolo, traditi satanæ in interitum carnis, si egerint pœnitentiam, reuertantur in pristinum statum, & uidebunt pacem.

Confessiones audire, ut patet ex capite de ceremonijs, de claue soluente.

Sacramenta administrare. Canon 4. Synodi Arelatensis, & 19 Turonensis.

Examinare & ordinare ministros Ecclesiæ. Luitprandus in uita Leonis 4.

Et presbyteros Ecclesijs pręficere, cap. 51. Vuormacienſis synodi: Vnaquæq; Ecclesia suum presbyterum habeat, ubi id fieri facultas, prouidente episcopo, permiserit.

Coniuges initiare sacra benedictione & copulatione. Nicolaus pontifex 30. q. 5. Nostrates.

Orare pro Ecclesijs & regib. nã in Synodo Arelatẽsi patres decernũt, ut pro Carolo rege & liberis eius omnes episcopi, presbyteri, abbates & monachi, Psalmos, Missas & (di. Litanias celebrent.

Et pro infirmis ca. 72 Vuormaciẽsis Syno

Temporũ rationẽ, festorũ & ieiuniorũ ru

di populo edicere, ut patet ex actis Ticinen

sis synodi, ubi inquiũt: Per singulas parochi

as eas festiuitates populus obseruare stude

at, quas proprius episcopus eorum uenera-

ri prędicauerit, ita ut neque illas negligant,

quas sacerdotes colere monuerint: neq; ina

ni superstitiõe eas celebrare prę sumãt, quę

nequaquã sunt obseruãdæ. Et Bertholdum

Monasterienſem episcopũ, ieiuniũ indixisse

suis, ad plagam illam quæ grassabatur in po

pulo

pulo mitigandam. Cranzius in Metropoli libro 2.cap.18.refert.

Superstitiones taxare. Canon 42.Turonensis:Admoneãt sacerdotes fideles populos,ut nouerint magicas artes, incantationesq; quibus libet infirmitatib.hominũ nihil posse remedij cõferre,non animalib.languẽtibus claudicãdibúsue, uel etiã moribũ dis quicquã mederi, nõ ligaturas ossiũ,uel herbarũ cuiquã mortaliũ adhibitas ꝓdesse: sed hæc esse laqueos & insidias antiqui hostis,quib.ille perfidus genus humanũ decipere nititur.Claudius Taurinẽsis,adorationem imaginũ grauiter oppugnauit,ut patet ex epistola eius ad Theodomirũ abbatem.

Seditiones cõpescere.Synodi Arelatensis Canon 12.ut pax ab omnibus indisrupta teneatur,inter episcopos & comites,inter clericos & monachos & omnem populum.Helisachar presbyter & abbas cum alijs legatis,ad sedandos motus Hispanicæ marchæ mittitur.Annonius lib.4.cap.114.

Ceremonias instituere,aut mutare.Hincmarus in epistola ad Laudunensem, cap.20. inquit:Quædam decreta catholicorum pro tẽpore, & ratione, atq; necessitate prolata, sed postea abrogata uel immutata fuerunt.

Cantionũ & hymnorũ rationẽ,uel per se, uel per alios prescribere, easque in publico congressu obseruare, ut dictum est in capite de Ceremonijs.

Monasteria & scholas Ecclesiasticas, inspectione & correctiõe regere, ut patet ex actis Synodi Turonẽsis, Cabilonẽsis, & Mogũtinæ,ex Canone sexto Arelatẽsis.Et in ca.135. Aquisgr.synodi,sub Ludouico Pio:Soletter rectores Ecclesiarum uigilare oportet, ut pueri & adolescentes, qui in congregatione sibi cõmissa nutriuntur uel eruditũtur,ita iugibus ecclesiasticis disciplinis corrigãtur, ut eorũ lasciua ætas, & ad peccãdum ualde procliuis nullũ possit reperire locũ, quo in peccati facinus proruat. Leo quartus iussit iuxta Ecclesias, claustra seu scholas cõstrui, in quibus clerici Ecclesiasticis imbuãtur disciplinis.Luitprandus in uita eius.

Nouum est,quod hoc seculo cœperũt episcopi, ex auaricia etiã abbatias administrare.Sic Adelbertus Frisingẽsis episcopus,abbas etiã Campidonẽsis factus est, ut indicat Bruschius in Chronologia eius cœnobij.

Pauperũ curã habere, peregrini & paupe res sint cõuiuæ episcoporũ cum quibus nõ solum corporali,sed & spirituali reficiantur alimento.Canon 6. Turonensis synodi.Episcopi & abbates,pauperes & indigentes ad mensam habeant, & lectio diuina ibi personet,& non turpia ioca.Canon 17.Remensis.

Aegrotos uisitare.Nam Ludouicum ęgrotantem Iethi Treuerensis episcopus,Otgarius Moguntinus & Drogo Metensis uisitãt. Annonius lib. 5. cap.19.de Francis.Benedictum tertium ægrotos inuisisse, pauperes aluisse,& calamitosos consolatum esse,Platina scribit.

Imagines ne colantur, è medio tollere,id quod Claudius Taurinensis fecit:ut in uita eius exponitur.

Scriptis Ecclesiæ & posteritati prodesse, ut patet ex uitis doctorum, quas capite decimo describimus. Vuigorniẽsis episcopus iussu regis Aluredi,Gregorij dialogus Saxonicos fecit.Ranulphus libro 6.cap.1.

Bono exemplo præire gregi. Quicũq; doctores,atq; insipientiũ eruditores sunt ordinandi, decem præcepta legis per omnia & ipsi obseruare,& auditorib. suis debent obseruanda monstrare:sed & prędmia in cœlos futura,quæ denario solẽt figurari,& ipsi sperare,& auditorib.suis sperãda debẽt semper intimare.Angelomus in 5.cap.3.Regum.Talem se Domino cooperante in cunctis exhibeat,ut sacrũ ministeriũ nõ uituperet.Nam cuius uita despicitur,restat,ut & prędicatio cõtemnatur:& cum pastor per abrupta graditur,solet fieri,ut grex ad præcipitiũ sequatur.Hincmarus in epist.ad Tornacẽsem ecclesiam. Presbyteri & Diaconi in omnibus bonorum operũ exhibitionibus, sui episcopi uestigia sectentur, & in bonorũ morum probitate, quæ episcopis sunt obseruanda, eadem & sibi obseruanda esse cognoscant.

De causis matrimonialibus tractare Rabanus in epistola ad Humbertũ indicat, in quota generatione connubia sint concedẽda,& postea ad Bonosum abbatem de eadẽ re scribit, ac eos refutat, qui Gregorij Papæ responsionem,ad quæstiones Augustini taxauerant.Synodus Arelatensis cap.11.incæstos separat,& nuptiarum iure priuat.

Castra, sacrificandi & comprecãdi gratia sequi.Carolus in decreto suo inquit: Volumus,ut nullus episcopus armaturam portare,uel pugnare in exercitu ꝑsumat: sed propter benedictionem & prædicationẽ populiq; reconciliationem, & cum illis electi sacerdotes pergãt,qui bene sciãt populis pœnitentias dare, Missas celebrare,de infirmis curam habere,sacratiq; olei cum sacris precibus unctionem impẽdere:& hoc maximè prędidere,ne sine uiatico quis de seculo recedat,hi uerò nec arma ferant,nec ad pugnã pergant,nec effusores sanguinũ uel agitatores fiant:sed tantùm sanctorum pignora,& sacra misteria ferant, & orationibus pro uiribus insistant.

PECCATA GVBERNATORVM *Ecclesiæ.*

OCcurrunt etiam quædam, quæ præter ac contra sui muneris rationem,

Ecclesiarum ministri egerunt.

Nam alioqui officium docendi neglexerunt. Hincmarus in epistola ad Tornacensem ecclesiam: Exigit episcopus, quod suo debetur corpori: sed nõ impendit, quod subiecto debetur cordi. Cap. 36. Aquisgranensis synodi, sub Ludouico pio: Sacerdotes pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccatores non arguant.

Aut plus diligentiæ in cantionibus & hymnis, quàm cõcionib. sacris posuerũt: ut facilè colligi potest ex Capite de Ceremonijs.

Et Patrum sermones & homilias, sine applicatione & iudicio, ut psittacus, recitarũt: ut patet ex Canõe 14 & 15. Remẽsis synodi.

Superstitiones defenderunt. sic Theodomirus abbas, & Ionas Aurelianensis, imaginum cultum, peregrinationemq; Romam uersus pœnitentiæ causa tuentur: ut patet ex epistola Claudij Taurinẽsis episcopi. Et Nicephorus patriarcha Constantinopolis, petijt ab Imperatore, ut imagines reponeret in suum locum, ubi possent coli. Zonaras tomo tertio.

Aut superstitiones auxerunt. Sic Patriarcha & alij sacerdotes, opinionẽ de orationibus pro mortuis eo cõfirmarũt, quòd finxerunt se exauditos esse, cum pro Theophilo orassent, qui imaginũ cultũ improbauerat: & Deum illi id peccatum ignouisse. Zonaras tomo tertio. Hincmarus in epistola ad Laudunensem cap. 16. fingit, Petrum in Romana, Antiochena & Alexandrina Ecclesia, & Remigium in Remensi, adhuc præsidere, tantum mutatis personis: quæ res illis diuinitatem falsò attribuit.

Aut uisiones & somnia uana, uel sua, uel aliorum, ad confirmandas superstitiones euulgarunt in publicũ. Sic Leo quartus, iuxta suum somnium, locum monstrauit ædificandæ Leopoleos, in qua Centumcellenses propugnaculum contra Saracenos statuerent. Liber Pontificalis.

Aut Ecclesiæ disciplinam planè neglexerũt, & canes muti ac magistri adulationum facti sunt. Rabanus in epistola ad Humbertum: Nam quod sine dolore & gemitu dicere non possum, uigor ecclesiasticę disciplinæ, in aliquãtis locis, his temporibus ita mollescit, ut parricidiũ cõmittere plurimi non uereantur, adulteria & incæstus impunè fiant, periuria quæque, furta & homicidia pro nihilo ducantur, nemo tales corripit, nemo excõmunicat, nemo extra Ecclesiæ societatem fieri anathematizando compellit: sed boni maliq;, iusti & impij, indifferenter Ecclesiam intrant, mixtim in conuinio discumbũt, ubi epulis atq; ebrietati, lusibusq; atq; inanibus iocis æqualiter deseruiunt. Et Canon 26. Aquisgranensis synodi sub Ludouico Pio monet, nihil prodesse sacerdoti si bene uiuat, & tamen malè uiuentes non arguat.

Aut ex humanis traditionib. laqueos cõscientijs fecerunt. Sic Haymo auricularẽ cõfessionẽ omnino necessariã facit, inquiens: Licet Deus dimittat peccata, ex quo homo in uolũtate pœnitet: tamẽ cõfitendũ est ministris Ecclesię, quia nisi confiterẽtur, ex sua inobedientia dãnarentur. Quod ostensum est in Lazaro, qui postquã resuscitatus fuit, indiguit solui. In Psal. 31. Et Canõ 69. A quisgran. synodi Ecclesiastica ieiunia dissoluentes anathemate ferit: sicut & præcedens ieiunantem die Dominico planè damnat. Et Rabanus in epist. ad Reginbaldũ, eos peccare dicit, qui ante Pascha carnem mãducent, aut nuptias & natalicia celebrent, & non ieiunent, per totam quadragesimam.

Aut pœnitentibus imperarũt satisfactiones: ut patet ex canonibus ea de re scriptis, quorũ aliquos in Capite de Ceremonijs adscripsimus. Et Rabanus in epistola ad Reginharium iubet, ut ipse tempus pœnitentiæ iuxta modum compunctionis suæ statuat atq; deuotionis penset atq; temperet. Et Canon 22. Turonensis.

Aut rebaptizarunt: ut patet ex capite de Ceremonijs, de casibus circa baptismum.

Aut fulmine excommunicationis, cõtra hostes pugnarunt. Sic Hincmarus Laudunensis episcopus, suos consacerdotes propter priuatas iniurias excõmunicauit: ut patet ex epistola Hincmari Remensis, ad Laudunenses pastores.

Aut in leuibus causis eo abusi sunt. Vnde cap. 13. Synodus Vuormaciẽsis uetat, ne episcopi pro leuibus & paruis causis quemquã excommunicent.

Aut eo percusserunt innocentes, uel contra traditiones humanas agentes: ut in Capite de Ceremonijs diximus.

Aut templorum & monasteriorum ædificatiõi, seu reparatiõi, seu cõsecrationi plus operę nauarũt, quam alijs magis necessarijs & utilib. officijs. Vuacãdus Leodicẽsis episcopus, Andagiũ cœnobium extruxit, anno Dñi 809. Sigebertus. Notingus Vercellensis episcopus author fuit Hirsaugiensis cœnobij quod Otgarus & plures alij cõsecrarũt. Trithemius in Chronico Hirsaugiẽsi. Carolus Magnus pontificib. & patribus mandauit, ut Ecclesias collapsas instauraret. Eginhardus in uita eius.

Aut resignato suo officio, in monasteria se abdiderũt: sicut fecisse Leidradũ Lugdunensem, scribit Adon Viennẽsis ætate sexta.

Aut reliquias sanctorũ, pręconijs suis & ueneratione superstitiosa coluerunt. Reliquijs

quijs Viti à Parisijs ad Corbeiam Saxoniæ translatis, Franci testati sunt, ab eo tempore gloriam suam in Saxoniam emigrasse. Sigebertus, anno 835. Andeoli ossa ipsius reuelatione reperta esse, nugati sunt sacerdotes. Adon Vien. ætate 6. Cyrillus Slauorum apostolus Clementis reliquias ex Gersona Romam tulit. Martinus in Nicolao.

Aut monachorum & heremitarum opera ficticia, quasi summus Dei cultus essent, cõmendarunt: Apostoli tantum quatuor capitula ijs qui credebant imposuerunt, uidelicet ut abstinerent se ab immolato, sanguine suffocato & fornicatione. Deinde uerò cum multitudo Ecclesiæ creuisset, ad hoc usque peruentum est, ut omnia relinquerent pro Christo, & ad culmẽ perfectionis tẽderent, habita paupertib. tribuerẽt, fratres, sorores, patres & matres, uxores q; relinquerent. Ab hinc etiã exordiũ sumpsit monachorum religio. Haymo lib. 1 super 2 cap. Apocalypsis.

Aut alios suos collegas aut presbyteros in subiectis Ecclesijs expilarunt, ut patet ex epistola Hincmari ad Tornacensem ecclesiam: Per parochiam prædicãdo pergens episcopus, nõ debet superfluas pẽsiones in pigmẽtis, & alijs quibusq; à presbyteris, quæ non habent, requirere: & alia quæ fortè in domo sua non accipit, noluptati potius seruiens quàm necessitati, exigere: & suis parcens opibus, de superfluè acceptis & uendi tis ditescere. Nec ideò debet prædicare, ut sumptus accipiat: sed ideo sumptus accipere, ut sufficiat prædicare.

Aut simoniam exercuerũt. Nam quidam pro ordinatione, chrismate & reconciliatione pœnitentium, munera acceperunt: ut patet ex epistola Hincmari ad Tornacensem Ecclesiam. Ac Sergium pontificem episcopatus uendidisse precio, Luitprandus in uita eius scribit.

Nouum est, quòd hoc seculo cœperũt iusiurandum exigere de decimis ritè oblatis: & de infantum morbis, quòd non possint uiuere, donec solenne tẽpus adueniat, quo baptismus celebrari solebat: ut patet ex epistola Rabani ad Hadubrandum.

Aut matrimonia sub prætextu uoti pietatis & castitatis dissoluerunt. Sic Nicolaus Lotharium & Thietbergam separat. Regino libro secundo.

Vel ob ficticiam Ecclesiasticam seu spiritualem cognationem: ut patet ex canonib. de cognitione spirituali, qui sæpe in Synodis repetuntur.

Vel alias ob causas. Sic alij episcopi Iudith à Ludonico Pio segregarunt, alij postea eandem ipsi restituerunt. Regino libro secũdo, & Sigebertus.

Aut ciuilibus negocijs, à suo officio alienis, sese implicuerunt. Sic episcopi Ludouicum Pium ab imperio remouerunt, & ad agendam pœnitentiam incluserũt, anno 833. Sigebertus. Vnde Hincmarus in epistola ad Ecclesiam & episcopum Tornacensem uetat, ne turpi negocio, aut inhonesto lucro uictum quærãt, neq; secularia negocia sub cura sua suscipiant, Deiq; ministeriũ parui pendentes, per seculariũ domos discurrant: neque propter auariciam gratiæ, aut honoris, uel pecuniæ, patrimoniorum solicitudines, aut alienorum testamentorum defensiones assumant, aut fideiusionibus inseruiãt. Et Rabanus in epistola ad Hemmonem: Proh dolor, multi inueniuntur huius temporis uiri inter Ecclesiasticos, qui relicto prædicandi officio, & spirituali conuersatione, eò se magnos æstimãt, si terrenis negocijs præponantur, & disceptationibus secularium sæpe interfint, ita ut in eorum cõuentibus quasi arbitri præsideant, & eorum conflictuum iudices fiant. Canon 11 Cabilonensis uetat, ne episcopus forum & publica iudicia frequentet. Et 12. ne presbyteri, diaconi aut monachi fiant uillici. Et Leo 4. uetat, sacerdotes in secularibus negocijs esse testes, aut instrumentorum scriptores. Luitprandus in uita eius.

Aut canes & accipitres ob uenationem aluerunt: quod Carolus Magnus prohibet in suo decreto, & Canon 8 Turonensis Synodi: Sacerdotibus non expedit, secularib. & turpibus quibuslibet interesse locis. Venationes quoque ferarum, uel auium: minimè sectentur. Et Canon 9. Cabilonensis: Sacerdotes debent canum, accipitrum, falconum, & cæterarum huiusmodi rerum curã paruipendere.

Aut more principum, cum equitatu & peditatu ac armis incesserunt, & prælijs interfuerunt. Sic Gualo Metẽsium episcopus, contra Normannos prælians, cæsus est. Sigebertus anno Domini 883. Et Arno Vuirciburgensis episcopus, cũ Popone rege Thuringorum, contra Slauos in pugnam ueniens occiditur. Regino libro secundo. Et Carolus in decreto prohibet, ne episcopi arma ferant, aut in acie pugnent, atq; ita in una hora sacra tractent, & postea Christianos, quibus debebãt administrare, aut paganos, quos debeãt cõuertere, proprijs manibus enecent. Hincmarus Remensis Laudunensem episcopum accusat, quòd non Ecclesiastico, sed seculari comitatu, in aliam prouinciam abierit. in epistola ad ipsum, cap. 7. Et Rudolphus episcopus Vuirziburgensis, funestum bellum gesit cum filijs Heinrici ducis. Regino libro 2.

Aut cum seditiosis senserunt. Multi episcopi & monachi cõtra Nicephorũ cum Ar-

sabiro patricio fuerunt. Paulus Diaconus lib.24.rerum Roman. Anshelmus Mediolanensis,& Volfoldus Cremonensis, cum Bernhardo contra Ludouicum fecerũt. Annonius lib.4.cap.105.

Aut tyrannidem aduersus suos consacerdotes exercuerunt,in propria causa, ut fecit Laudunensis episcopus, qui ob iniuriam quandam interdixit sacerdotibus suis omni officio Ecclesiastico.Et Frontinus,Hattonem presbyterum partem decimarum promissam petentẽ, flagellauit, & iurare coegit,quòd nũquam ea de re ad Imperatorem queri uelit, ut patet ex Hattonis epistola ad Ludouicum.

Aut pro mortuis orarunt. Sic patriarcha, & alij sacerdotes rogati à Theodora, pro marito eius orarunt, ut ipsi mortuo Deus ignosceret,quòd imaginum cultum improbasset.Zonaras tomo tertio. Et Rabanus in epistola ad Reginbaldum,pro seruo fugitiuo,in fuga mortuo, iubet orari, & missas cantari.

Aut munitiones fecerunt, ut patet ex uitis Pontificum.

Aut nimis familiariter cũ mulieribus, quas filias suas appellabant, conuersabantur,quod Nicolaus Papa prohibuit, tomo secundo Conciliorum in decretis suis.

Aut poculis & ebrietati studerunt. Canon 10 Cabilonensis: Sacerdotes sobrietatẽ teneant,& hanc habendam fidelibus prædicent.Quia non potest liberè prædicare, qui se mero usq; ad alienationem mentis ingurgitat.Idem repetit canon 18 Remensis.

DE DONIS.

QVidam tum doctores,tum monachi, tum etiam laici, à donis miraculorũ celebrantur,sed pleriq; præstigijs dæmonũ usi uidentur. Nam Zonaras tomo 3 narrat, Theodorum Santabarenũ monachũ,quem uulgò ob miracula uenerati sint, fuisse præstigiatorem necromanticum.

Quidam à præsagio & prædictione rerũ futurarũ celebres fuerũt. Monachus quidã patronæ,cum Agarenis signa collaturo,uictoriam prædixit. Zonaras tomo tertio. Monachus quidam in Philomelio Bardani prædixit,quod nisi abijciat studium acquirendi imperium, amissurus sit oculos suos. Zonaras eodem.

DE SYNODIS PRIVATIS.

IN synodis priuatis, solebat tractari, tum de uocatione ministrorum,ut patet ex capite de Ceremonijs.

Tum de depositione.Sic Romæ,cũ Guntharius & Thetgaudus episcopi Gallię acta suæ Synodi præposuissent, Nicolaus Pontifex cõuocata Synodo,eos examinauit,& de 60 tibus decimas soluerent annuatim. Lu-

posuit,atq; excõmunicauit.Regino lib.2.Sigebertus anno 863. Episcopus præsentibus senioribus,Ecclesiæ suæ diligenter ueritatem perscrutari modis omnibus studeat, & tunc si qualitas rei posuerit,canonica districtio culpa feriat delinquentis,secundum ordinem à sacris regulis propositum.Hincmarus in epistola ad Tornacenses.

Aut de litibus Ecclesiasticorum.Hincmarus in epistola ad Tornacensem Ecclesiam: Quapropter sic beatus docet Gregorius, si quid de quocunq; clerico,ad aures suas peruenerit,quod eum iustè possit offendere,facilè non credat,nec ad uindictam illum recc̃dat incognita,attẽdens quod scriptum est,Causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam.

Aut de modo & forma pœnitentię, ut patet ex canonibus pœnitentialibus.

Aut de scriptione epistolarum. Sic clerus Rauennas à Carolo reprehensus,quòd monachi sacerdotes designati, exuãt habitum suum, per literas illi communi nomine respondet.

DE BONIS ECCLESIASTICIS.

BOna ecclesiastica acqsita & aucta sunt, partim largitiõe Imperatorũ, principũ & aliorum nummatorum. Arnulphus Vtinensem ecclesiam,Italicis prædijs locupletauit,ut testatur diploma eius. Auentinus libro 4 Annalium. Carolus quidquid in re mancipi habebat,in tres patres diuisit, & duas in uiginti,& unã subdiuisit:& Metropolitanis episcopis, qui totidem sibi subessent, distribuit, ut Metropolis ecclesia terram assignatæ sibi partis haberet, & duas, inter suffragãtes episcopos diuideret.Eginhardus,Regino lib.2.Adon Viennensis, Sigebertus & Annonius libro 5,cap.10 de Frãcis.Eteluuulphus decimã partẽ rerum suarum Deo obtulit.Ranulphus lib.5,cap.30.

Partim contributione & oblatione. Homines enim ægroti & superstitiosi Antisiodorum ad Martini reliquias cursitãtes,multa contulerunt bona,de quibus inter Martini & Germani sacrificos, certamen ortum est. Vuilhelmus libro 2, capite 14 & 15 de Anglis. Rabanus in Epistola ad Otgarium queritur,eius presbyteros prohibuisse, ne suis Ecclesijs aliquid offerretur. Decimas & primitias, singulos de suis laboribus offerre iubet.Canon 9 Arelatensis. Et Canõ 19 Cabilonensis, familias ibi decimas suas dare, ubi infantes eorum baptizantur, & per totum annum Missas audiunt, constituit. Carolus Magnus Saxones donauit libertate à tributis,modò Christo & sacerdo-

poldus

poldus Babenbergenſis,& Chronicon Quedelburgenſe,anno Domini 803.

Partim ex legatis & teſtamẽtis. Sic Bernhardus comes ſuã hæreditatem in duas partes diſtribuit,& alterã monachis Fuldenſibus,alterã Eccleſię cuidam legauit,ut patet ex epiſtolis Fuldẽſiũ.Etheluuolppus in teſtamento ſuo legauit trecentas marcas,Romanæ Eccleſiæ quotãnis ſoluẽdas.Vuilhelmus lib.2,cap.2.Ranulphus lib.5,cap.30.

Inter bona Eccleſiarum, hęc ferè apud authores numerantur. Theſauri: Chronicon Caſinenſe lib.1,cap.34.Vaſa aurea & argentea:Paulus Diaconus lib.24 rerũ Rom. Manſus:Vnicuiq; Eccleſiæ unus mãſus integer, abſq; ſeruitio atribuatur. Cap.50, Synodi Vuormac.Decimæ:ut patet ex epiſtola Rabani ad Otgarium.Liberi homines: ut patet ex epiſtola Hincmari,ad eccleſiam Tornacenſem.Tributa & uectigalia,arces,ut cõſtat ex epiſcopatuũ cõſtitutione. eccleſiæ: Ludouicus enim dedit eccleſiæ Corbinienſi & Hereuordenſi,quaſdam decimales eccleſias,cum ipſis decimis,in parochia Oſnaburgenſi,cõſentiente epiſcopo & omni clero.Luitprandus Diaconus.

Bonorum uerò Eccleſiaſticorum cuſtos & patronus erat epiſcopus, ut patet ex decretis Caroli,in quibus cauet , ne quis ſine conſenſu epiſcopi bona Eccleſiæ occuper. Et Carolus Caluus in epiſtola ad clerũ Rauennatem: Epiſcopi & rectores monaſteriorum,ac rerum ſeu facultatum Eccleſiaſticarum diſpenſatores,eas nõ ut proprias,ſed ut uota fidelium,precia peccatorum, ſtipendia ſeruorum Dei & pauperum,debent fideli deuotione tractare, ſicut & canones ſacri pręcipiuut.Et ſynodus Turonenſis inquit: Epiſcopi maximã curam & ſollicitudinem circa pauperes habeant,& res Eccleſiaſticas eccleſijs collatas cauta circumſpectione diſpẽſent,quaſi Dei miniſtri,& nõ quaſi turpis lucri ſectatores.Et Canon 8.Moguntinę Synodi,epiſcopis poteſtatem tradit,res Eccleſiaſticas regendi & diſpenſandi.

Diſpẽſatores uerò erant Oeconomi, qui ab epiſcopo conſtitui ſolebant. Hincmarus in epiſtola ad Tornacenſem eccleſiam, præcipit epiſcopo eius,ut ipſe pro conſtituẽdis miniſterialibus Eccleſiaſticis præmiũ non accipiat:ſed archipresbyteros & archidiaconos eligat,facultatum Eccleſiaſticarum diſpenſatores,qui in fide ſint ſynceri,& in moribus probati.

Vſus eorum erat,epiſcopis & alijs Eccleſiæ miniſtris ſtipendia ſoluere. Epiſcopus non ideo prædicit, ut ſumptus accipiat: ſed ideo ſumptus accipiat, ut prędicare ſufficiat.Hincmarus in epiſt.ad Tornacenſes,ca.7. Synodi Vuormacienſis:De reditu Eccleſię, & oblationibus fidelium,quatuor fiant portiones,quarum unã ſibi retineat epiſcopus, alteram clericis pro officiorum ſuorum ſedulitate diſtribuat,tertiã pauperibus & peregrinis,quartã Eccleſiaſticis fabricis. Etiã ægroti & infirmi epiſcopi,de bonis Eccleſię alebantur.Nicolaus papa tomo 2 Concil.

Eccleſias ędificare,aut inſtaurare.Canon 25.Arelatẽſis:Vt ſi quis beneficium derebus Eccleſiæ habet,ad tecta eiuſdem Eccleſię reſtaurãda,uel ad ipſas Eccleſias ędificandas, omnino adiuuet.

Candelas & luminaria nutrire. Sic ad luminaria Petri & Pauli, ducentenas marcas Etheluulphus rex Angliæ legauit. Vuilhelmus lib.2 cap.2.

Pauperibus,uiduis & orphanis ſubuenire.Haymo ſuper 4 Oſeæ:Illi qui eleemoſynas aliorũ comedunt,niſi dignè pro ijs orauerint,Iudæis ſimiles ſunt: qui uerò dignè pro eis orant operibus manuum ſuarum uiuunt.

Captiuos redimere.nã Rembertus Hamburgenſis epiſcopus ſacra uaſa uendidit, & Chriſtanos captiuos à Danis & Vuandalis redemit:ſanctius arbitratus, precioſas Chriſto animas in libertatem ſtatuere,quàm aurum intra ſacrarium congerere.Cranzius in Metropoli libro 2, cap.10.

Sumptus bellicos iuuare.Nicephorus cõſus ab eccleſijs & monaſterijs exegir, ad expeditionem contra Bulgaros.Paulus Diaconus libro 24 rerum Rom.

Non licebat bona Eccleſiæ ad hæredes transferre,nec poſt regradationem urſurpare.Ca.35.Aquiſgr.ſub Ludouico Pio docet, ſacerdotes nihil propriũ habere,& Eccleſiæ facultates tãquam communes ſuſcipere.Canõ 2 Romanæ ſynodi: Vt moriẽte Romano põtifice,uel cuiuſcunq; ciuitatis,nullus prę ſumat facultates eorũ inuadere,ſed ſucceſſoribus eorum reſeruentur integræ.

DE BIBLIOTHECIS.

IN multis locis bibliothecas Eccleſia habuit.Hamburgẽſis bibliothecæ per Anſgarium inſtructæ, quæ tempore Ludouici & Lotharij conflagrauit, meminit Cranzius in Metropoli lib.1,cap.33. Bibliothecam Campidonenſem exuſtam eſſe, ſcribit Bruſchius de monaſterijs.Fuldenſis bibliothecæ à Rabano congeſtæ idẽ meminit, & Sangallenſis.Fuit etiam Aquiſgrani bibliotheca,quam Carolus moriens iuſsit uendi, & pecuniam pauperibus diſtribui. Trithemius de Viris illuſtribus.

In ijs uerò libros ſacros habebãt, & Patrũ acta ſynodorum,& martyrum uitas. Nam in Fuldenſi bibliotheca,uitam Bonifacij, & epiſtolas Pontificũ, de priuilegio Fuldẽſis

cœnobij

cœnobij seruari. Hatto ad Leonem scribit.

Cura bibliothecarũ, idoneis de clero hominibus committebatur, qui Bibliothecarij uocantur. Liber pontificalis.

Sacerdotib. & monachis, ac monialibus, Carolus & Ludouicus mandarunt, ut in libris tum sacris, tum prophanis describẽdis occuparentur.

Libros scribebant in membranas uitulinas: & patet ex epistola abbatis Fuldensis, ad Franconem episcopum.

DE SCHOLIS.

INter scholas celebrantur hoc tẽpore Oxonienſis, quam Alfredus de cõsilio Neoti abbatis aperuit, cum eo tempore nullus in toto regno eius Grammaticæ doctor existeret Ranulphus lib. 6. cap. 1. Constantinopoli scholas instaurauit Bardas: Zonaras tomo 3, in Michaele. Scholæ Bononiensis, Papiensis & Parisiensis, à Carolo institutæ, anno Domini 801, meminit Platina, & Chronicon Isennacense.

Monasteria etiam scholas fuisse, suprà diximus.

Præerant autem iuuentuti discentiũ, magistri & præceptores, qui publicis stipẽdijs alebantur. Nam Bardus Cõstantinopoli, disciplinæ scholas constituit, & doctores designauit, singulisq; publica stipẽdia decreuit, & omnibus magnum & cõmunem doctorem præfecit Leonem philosophum. Zonaras tomo tertio.

¶ In scholis tradi solebãt artes, ut Grãmatica, Dialectica & Rhetorica. Ranulphus li. 6. cap. 1. Et Rabanus li. 3 ca. 18, & sequẽtib. omnino uult, ut clerici artes liberales discant.

Philosophia. Rabanus lib. 3. cap. 26. clericos & sacerdotes iubet, etiam philosophorum libros cognoscere.

Mathemata. Rabanus lib. 3 cap. 21. de institutione clericorũ: Zonaras tomo tertio.

Et Theologia. Canon 3 Cabilonensis. Præcepit Carolus, ut scholas constituant, in quibus & literaria sobertia, disciplinæ & sacræ Scripturę documenta discantur: & tales ibi erudiãtur, quibus meritò dicatur, Vos estis sal terræ.

Cura etiam aliqua scholarũ ad episcopos & presbyteros pertinebat, maximè uerò illarũ in quibus clerici instituebantur: quales iuxta Ecclesias ædificari iusit Leo quartus. Luitprandus in uita eius.

In aulis principum, liberi pædagogos suos habuerunt. Michaelis Imperatoris pædagogi meminit Zonaras tomo tertio.

DE CONSOCIATIONE ECCLESIARUM IN UNA PROUINCIA.

IN prouincijs ecclesiæ cæteræ ad prouincialem episcopũ, in generali administratione respiciebant.

Ac oportebat episcopos singulos, suo Metropolitano esse subiectos, & obedientiam præstare, iuxta concilia & decreta Apostolicæ sedis, & canones, ut patet ex professione Morinensis episcopi ad Hincmarum. Vt ne quia metropolitano totius prouinciæ curã commissam nouit, per sacros canones, ad eã dem metropolin suam, sicuti ad matrem, humiliter sedulò atq; obedienter recurrat, & non amplius quàm sibi per sacras regulas est concessum, indebitè usurper.

Metropoleon autem harum fit mẽtio in historia huius seculi. In Asia: Synadæ. Paulus Diaconus libro 24 rerum Rom. Cizycum & Nicea. Paulus libro eodem, in uita Michaelis.

In Europa. Parisium. Eberhardus Parisiensis metropolita fuit. Regino libro secundo.

Qui in superioribus seculis Metropolitani dicti sunt, plerunq; hoc seculo episcopi prouinciales & suffraganei uocantur. Nam archiepiscopi ferè eos in suam potestatem redegerunt, eisq; suam uicem in uisitatione Ecclesiarum & cõmuni administratione delegabant, ut patet ex Arelatensi synodo, tomo 2 Cõcil. Et Aquileiẽsis archiepiscopus, antistites in Istria suffraganeos suos fecit. Sabellicus libro nono Enneadis 8. Et Adalgarius Hamburgensis pridem archiepiscopus, coactus est heri suffraganeus Colonienſis. Cranzius in Saxonia libro 2, cap. 32.

Cogebãtur iuxta canones, & librũ pastoralem Gregorij, suã gubernationẽ instituere: ut patet ex canone 3 Turonẽsis synodi.

Officia autem prouincialium episcoporũ erant, curare ut uera doctrina in Ecclesijs sibi subditis doceretur ex autẽticis, & nõ ex apocryphis libris. Synodus Turonensis capite secundo. Vt omnes episcopi studioſè operã diuinę dẽt lectioni, sanctum Euãgelium, & epistolas beati Pauli apostoli, non solùm crebrò lectitent, sed etiam studeant memorię commendare. Et Can. 1 Cabilonensis, Vt episcopi assidui sint in lectione, & scrutẽtur mysteria uerborum Dei, quibus in Ecclesia doctrinæ fugore splendeant, & uerborũ Dei alimentis animas sibi subditas satiare non cessent. Et Canon 14 Remensis sancit, ut episcopi lectioni diuinæ incumbant: id est, canonicis libris & opusculis patrum, & uerbum Dei omnibus prędicent. Et Can. 15. Vt episcopi sermones & homilias patrum uernacula lingua prædicent.

Et sacramenta rectè administrarentur. Nam Canon 4 Arelatensis, præcipit episcopis, ut presbyteros, quos ordinent, diligenter instituant, ne per ignorantiã in ipsis etiã diuinis sacramentis errent. Et Can. 18 Turonensis: Episcoporum sit magna sollicitudo, presbyteris suis tradere baptismi sacramentum

mentum, & quid in eodem renunciãdum, quid'ue credendum sit.

Abolere ethnicas superstitiones. Sic Canon 52 Turonensis præcipit, ut sacerdotes moneant homines, de magicarum artiũ & incantationum præstigijs.

Iuuare excommunicationem. Canon 72 concilij Aquisgrani: Si quis à proprio episcopo communione priuatus est, non ante suscipiatur ab alijs, quàm suo reconciliatur episcopo, aut certè ad synodum, quæ congregatur, accurrens, pro se satisfaciat. Et Rabanus in epistola ad Otgarium: Cum præsul alicui subiecto correptionem impendere debet, primùm oportet eum considerare, utrum ille cui correptionem impendere uult ad se pertineat, aut ad fratrem & coepiscopum eius, si autem ad se uidebit, & ad suam parochiam illum pertinere, iam discernat, utrum regularis sit, & abbatem habeat, ad quem pertineat cura ipsa & custodia: aut canonicus, siue etiam laicus. Deinde ipsum factum perpendere oportet, utrũ tale sit, quod uniuersam Christi Ecclesiam commoueat, atque fidei catholicæ plurimum noceat, aut aliquibus obsit, eorumque libito soliti aliquod incommodum ingerat, sicque secundum modum culpę excõmunicationis siue disciplinæ, temperet mẽsuram.

Nec licebat quenquam in alterius parochia constitutum excommunicare, nisi crimen confessum & conuictum esset, ut patet ex tertio capite epistolę Hincmati ad Laudunensem episcopum.

Episcopos & presbyteros in sua prouincia ordinare, ut patet ex epistola Hincmati ad Ecclesiam Tornacẽsem, in catalogo testium Illyrici: Ordinationes uerò presbyterorum, Diaconorum, & sacrosancti baptismatis sacramentum, secũdum traditionem Ecclesiasticam studeat peragere.

Aut ab alijs ordinatos examinare tum de doctrina, tum de administratione sacramentorum, & presbyteris commendare Ecclesias. unde Canon 42 Cabilonensis uetat, ne quis presbytero Ecclesiam committat, sine consensu episcopi sui.

Testimonia presbyteris aliò migrantib. dare, ut patet ex Canone 41 Cabilonensi: Presbyter proprio loco dimisso, ad alium migrans, nequaquam recipiatur, nisi suæ migrationis causam dixerit, & se innocenter uixisse in parochia, in qua ordinatus est, sub testibus probauerit, in quibus sunt nomina episcopi & ciuitatum plumbo impressa. Quibus cognitis & talibus inuentis quibus fides adhiberi possit, recipiatur. Idem statuit Leo 4 apud Luitprandum, in uita eius.

Consignare infantes. Hincmarus in epistola ad ecclesiam Tornacensem: Interdicimus illi episcopo uestro, ut sacerdotes per suam parochiam constitutos, quoties ad consignandum infantes egressus fuerit, ultra modum grauare minimè debeat, nec summam collationis, quas sui prædecessores, qui hoc bene, misericorditer ac rationabiliter, atque sacris constitutionibus conuenienter contenti fuerunt, excedat. Vnde Ticinensis Synodus inquit: Ne episcopi, quando pro confirmando populum, parochias circumeunt, archipresbyteros suos grauent, ut huiusmodi dispensa contenti sint: panes centum, fristingas quatuor, uini sestaria quinquaginta, pullos septem, oua quinquaginta, agnum unum, porcellum unum, annonam ad caballos modios sex, fœnum, mel, oleum, ceram, quod sufficit.

Curare, ut in ecclesijs omnia rectè fiant. Hincmarus in epist. ad Tornacenses: Nihil per contemptum episcopus contumaciter faciat, uel fieri in parochia sua permittat, quantum ex ipso fuerit, quod sit Euangelicæ ueritati, & Apostolicæ traditioni, atque sacris regulis inimicum. Si autem factum contigerit, arguendo, obsecrando, increpando, secundum quod cuique uiderit expedire, iuxta traditionem maiorum, quantum potuerit, emendare procuret. Pastoralem siquidem regulam beati Gregorij, mente, ore ac manu, quantum sibi Dominus scire ac posse contulerit, in cunctis sequi procuret.

Cognoscere & componere controuersias, & lites inter suos episcopos ortas, cum consilio comprouincialium, ut patet ex Synodorum actis.

Iura Ecclesiarũ conseruare. Sic Hincmarus Tornacensi episcopo præcipit, ut de capellis antiquitùs subiectis Ecclesijs, æqualẽ collocationem exigat. Quia secundum canones, non liceat episcopis, parochiam antiquitùs constitutam, inconsultè confundere aut diuidere.

Priuilegia recẽs à regib. extorta de reb. ecclesiasticis promulgare. Sic episcopi formulã priuilegij, ab Etheluuolpho Anglorum rege cõcessi, de immunitate Ecclesiarũ, p oẽs Ecclesias trãsmiserũt in suis Parochijs. Vuilhelmus libro 2. cap. 7 de Anglis.

Cauere, ne bona Ecclesiastica abalienentur. Hincmarus in epist. ad Tornacẽsem ecclesiã uetat, ne episcopus liberos homines, quos Ecclesiæ quædam habeant, sibi adscribat. Et postea: Ministerium itaque ornatum, uel patrimonium, atque reditus, & facultates Ecclesiæ, studeat cõseruare, amplificare, augere & dispensare.

Celebra-

Celebrare ſynodos prouinciales, & ad eas deferre negocia grauiora. Sic Rabanus ſuadet Humberto, ut in generali concilio accuſet parricidam illum, qui in templo ad altare interfecerat homines innocentes. Et Laudunenſis epiſcopus, cum ſuis ſacerdotibus in Synodo diſputauit de ſuis quibuſdã iniurijs: ut patet ex Hincmari epiſtola ad Laudunenſes.

Ad ſynodos archiepiſcoporum, aut uniuerſales ire, aut pro ſe alios ablegare, ac in ijs pro ſe & ſuis acta cõfirmare & ſubſcribere. Hincmarus Remenſis in epiſtola ad Laudunenſem epiſcopum, cap. 6: Ego locum debeo, & poſſum eligere, ubicunque mihi uiſum fuerit, in tota mea prouincia, ad ſynodum conuocãdam, &c. quò ſi te uocauero, debes concurrere, &c. uel per comminiſtrũ tuum te excuſare, & cauſas euidentes abſentiæ demonſtrare, &c. Nec licebat ex Synodis diſcedere, ante eius diſſolutionem. Cap. 16 Vuormat.

Monaſteria conſecrare & tueri. Leo iuſſit epiſcopos monaſterijs in ſua diœceſi proſpicere de neceſſarijs, ne egeant. Luitprãdus in uita eius.

Et diſciplinam Eccleſiaſticam ac monaſticam conſeruare. Hincmarus in Epiſtola ad Tornacenſes: Epiſcopus ueſter monaſterijs in parochia ſua ſitis, canonicam prouidentiam gerat: & quantum ex ipſo fuerit, debita priuilegia, & antiquam & regularẽ conſuetudinem ſeruet. Et ſynodus Arelatẽſis capite ſexto præcipit, ut epiſcopi canonicos & monachos iuxta regulam uiuere iubeant.

Magiſtratus iuſſu legationib. fungi. Metropolites Synadarum & Petrus Egumenus Gylei, & Gregorius Oeconomus, miſsi à Nicephoro ad Aaronem Saracenorum ducem, agunt cum eo de pace. Paulus Diaconus lib. 24 rerum Rom. Et Carolus Ieſſe Ambianenſem epiſcopum, & Heligandum comitem, Conſtãtinopolim miſit ad Irenem, ut de pace agerent. Annonius lib. 4. cap. 89.

Tractare conſilia cum gubernatoribus, de pace. Sic cum Michaele Nicenus & Cizycenus metroplitani, & patriarcha Conſtantinopoleos de pace cum Crunno facienda, conſilium capiunt. Paulus Diaconus lib. 24. rerum Rom.

Porrò ſi epiſcopi non ritè fungebantur ſuo munere, & alios ſacerdotes iniuſtè conabantur opprimere, licebat ab eis ad archiepiſcopum, aut ad ſynodum generalem appellare, ut patet ex epiſtola Hincmari ad Laudunenſes: Si frater & coepiſcopus noſter Hincmarus, quocunque tempore, cuicunque & quibuſcunque ueſtrũm, quia eius illicitam præceptionem non ſeruaſtis, contra regulas in aliquo feceric, ſecundum ſacros canones, ad metropolim ueſtrã, uel ad prouinciale concilium, qui læſos ſe exiſtimauerint, feſtinẽt recurrere: ut quod peream illis, quod Dominus longè faciat, fuerit irrogatum, Synodi experti examen, debitam & neceſſariam emendationem ſuſcipiant.

DE CONSOCIATIONE ECCLEſiarum, *in pluribus Prouincijs.*

IN pleriſq; prouincijs, epiſcopi cum ſuis Eccleſijs ab uno aliquo archiepiſcopo, qui & Metropolitanus dici cœpit, gubernari ſolebant.

Sedes uerò archiepiſcopales, ſeu metropoles, hæ celebrantur: Hieroſolyma, cuius patriarchę meminit Annonius libro 4. cap. 88 de Francis. Antiochia, Alexandria. Rabanus lib. 1. cap. 5. de inſtitutione clericorum. Cæſarea Capadociæ: liber pontificalis, in uita Adriani. Theſſalonicenſis archiepiſcopi meminit Paulus Diaconus, libro 24 rerum Rom. Roma, Hincmarus in epiſt. ad Laudunenſem cap. 16. Sigebertus in Chronico.

Rauenna. Platina in uita Nicolai primi. Et liber pontificalis, Gregorium archiepiſcopum Rauẽnatem appellat in uita Sergij. Sigebertus 810 anno.

Mediolanum, eius archiepiſcopus Angilbertus cum Drogone, contra dominatum Pontificis Eugenii pugnauit. Liber pontificalis.

Forum Iulii, ſeu Aquileia. Sigebertus.

Gradum. nam patriarcham eius Fortunatum, Ludouicus Romam miſit. Annonius lib. 4, cap. 3, de Francis.

Colonia. Sigebertus.

Moguntum. Rabanus enim, Moguntiacenſis archiepiſcopus uocatur ab Hattone, in epiſtola ad Leonem papam.

Iuuauia, Salzburg, Treueris, Senones, Veſontium, Lugdunum, Viẽna, Rothomagus, Remis, Arelas, Tharenteſia, Ebrodunũ, Burdegala, Turonis, Bituriges. Sigebertus, anno Domini 810. ſub Carolo Magno, & Eginhardus in uita eius.

¶ Tituli archiepiſcoporũ ſunt: Summus ſacerdos, & Patriarcha. Paulus Diaconus libro 24. Summus pontifex. Regino lib. 2. Patriarcha, archiepiſcopus & metropolitanus: Rabanus libro 1, cap. 5 de inſtit. clericorum. Hincmarus etiam in epiſtola ad Laudunenſem, cap. 17. Metropolitanum, archiepiſcopũ & primatem pro eodem accipit: item patriarchas & primates eoſdem eſſe aſſerit, ibidẽ Pontifex. Sic enim Regino lib. 2, Guntherũ Colonienſem uocat.

Metropolitani, primates ſingularum prouinciarũ erant, qui ex cõſuetudine antiqua & apo-

& Apostolica traditione, secundum canones Nicænos, & conuocare Synodos, ordinare episcopos, et ordinari à prouincialibus coepiscopis, sine cuiusquam alterius primatis interrogatione possunt, & disponere regulariter quęq; per prouincias suas queunt. illi autem archiepiscopi, uel metropolitani, qui hæc sine consultu primatis non possunt exequi, archiepiscopi tantum, & metropolitani habentur. Hincmarus in epistola ad Laudunensem, cap. 17.

Archiepiscopi illi habebant suos suffraganeos, qui in uisitatione ecclesiarum, & communi administratione, uicem eorum obibant, ut patet ex Arelatensi synodo.

Archiepiscopi etiam, in aulis imperatorum Francorum quædam officia sustinebãt. unde Capellani & Archicapellani uocabantur. Sic Regino lib. 2. dicit, Guntherum urbis Colonien sis fuisse pontificem, & in aula archicapellanum. eundem Auentinus lib. 4. archimysten regium uocat.

Eligebantur autem communi omnium suffragio. Hincmarus Remensis in epistola ad Laudunensem cap. 17. Archiepiscopi, uel metropolitani primates prouinciarum, multotiens in sacris canonibus inueniuntur, illi uidelicet, qui in loco defunctorum archiepiscoporum, uel metropolitanorum, ab episcopis uniuscuiusq; prouinciæ, sine interrogatione alterius primatis, prævalent ordinari: & ex antiquæ consuetudinis lege, sedè apostolica pallij solent genio insigniri, & in loco decentium episcoporum, sine consultu & licentia primatis alterius, in sua prouincia possunt episcopos ordinare. Agabardus coepiscopus Lugdunensis ecclesiæ, cum Leidradus in monasteriũ abijsset, consensu imperij & uniuersę Synodi episcoporum substitutus est. Adon Vien. ætate sexta.

Et ordinabantur uel à pontifice Romano, uel ab alijs uicinis archiepiscopis & metropolitanis. Bertulfus à Carolo & principibus eligitur, ac ab Aduentio Metensi episcopo ordinatur Treuerensis episcopus. Regino libro 2. Et Vuillibertus, à clero & populo electus, Colonien sis consecratur archiepiscopus, à Luitperto Moguntino episcopo, iussu Ludouici. Regino libro 2.

Et alij plures, alij pauciores, sub sua diœcesi Ecclesias habebant. Remensis Ecclesia undecim ciuitates sub se habuit: ut testatur Hincmarus in epistola ad Laudunensem, capite 16. Colonien si archiepiscopo Tungrensis, Traiectensis, Mimigardeuordensis, Mindensis, Osnaburgensis & Bremensis, Diœcesani episcopi fuerunt subiecti. Formosus papa in epistola apud Cranzium in metropoli. lib. 2. cap. 20.

Officia eorum erant: Sustinere curam totius prouinciæ, iuxta sacros canones. Hincmarus in epistola ad Tornacenses.

Tueri consensum in pura & syncera doctrina, & administratione Sacramentorum. Nam in Arelatensi synodo archiepiscopis præcipitur, ut per suffraganeos suos admoneant & doceant presbyteros, ac uniuersum populum, de mysterio sanctæ fidei, & de sacramento Baptismatis.

Magistratus commonefacere, ut defendant sacerdotes contra hæreticos & paganos. Rabanus in epistola ad Eberhardum comitem scribit: Si quis iuxta te manens, impudenter ea docet, quæ rectæ fidei sunt contraria, prohibeas eum, ut cesset ab hac secta, dicasq; ei: Vide frater, ne hæc licentia tua in prædicando, offendiculum fiat infirmis, & tuo dogmate perdas eum, pro quo Christus mortuus est, quòd sanguis eius exquiretur de manu tua. Confido enim, te uir uenerande, bene esse Christianum, nec aliquid te habere uelle in tua communione, quod Euangelio Christi aduersetur: sed magis hoc, quod placeat Deo, & ad salutem pertinet animarum.

Cognoscere causas suarum Ecclesiarum. Cum Laudunẽsis episcopus, in Synodo sua sacerdotes à sese dissidentes, iussisset abstinere ab officijs sacerdotum: illi ad Hincmarum archiepiscopum Remorum accusant suum episcopum: ut patet ex scriptis Hincmari ad Laudunensem.

Cauere abusum clauium. Cum Laudunensis episcopus sacerdotes suos iniustè excommunicasset, Hincmarus Remorum episcopus eum redarguit, quòd contra patrum & conciliorum canones egisset, ac iubet eos soluere: quod si non faciat, ipse autoritate metropolitana, illos pronunciat à uinculo eius liberos: ut patet ex epistolis eius ad Laudunenses.

Inspectores erant morum, & minus rectè sese gerentes obiurgabant & corrigebant. Hincmarus Remorum episcopus, in epistola ad Tornacenses: Pro nostri officij debito, ex scrinio sanctæ metropolis Ecclesię Remorum, episcopo uestro studebimus dare documentum, qualiter se cooperante Domino, morum probitate, & doctrinæ studio debeat gerere.

Visitare Ecclesias, & emendare iuxta canones ea, quæ perperam fiebant, & ordinare episcopos metropolitanos, & alios. Nam defuncto alicuius Ecclesiæ pastores, ad metropolitanum seu archiepiscopum eiusdem diœceseos, legati quidam missi sunt, qui id ipsum indicarent, & alium secũdum sacras regulas ordinari expeterent: metropolitanus postea petitionem illam cleri ac plebis, regi transmisit: petens illis liberam & regu-

larem electionem permitti, quatenus secundum sacras regulas, illuc canonico uisitatore directo, ab omnibus ecclesiæ ipsius alumnis ualeret eligi, cui ab omnibus deberet obediri. Rex postea metropolitano per literas, quem mitti uellet, rescripsit. Huic postea metropolitanus, ex more literas canonicas misit, ut officio uisitatoris fungens, in eadem ecclesia electionem canonicam faceret: quam ipse postea per literas, cum decreto canonico singulorum manibus roborato ad metropolitanum misit, & ille ad regem. Metropolitanus postea uotis concordibus cleri ac plebis, in electione regulari, & regis consensu cognitis, literas metropolitanæ autoritatis super electionem certæ personæ, ad suæ diœceseos coepiscopos misit, certum diem ac locum eis designans, quando & quo ad ordinationem ipsius electi, aut ipsi conueniant, aut literas sui consensus, per presbyterum aut diaconum, uice sua transmittant. Constant hæc ex epistola Hincmari Remorum archiepiscopi, ad Carolum regem, pro ecclesia Syluenectensi pastore uiduata. Luitpertus Moguntinus iussu Ludouici Coloniæ consecrat Vuilibertum, à populo & clero electum. Regino libro 2.

Aut ab officio deponere, si qui minus rectè suum munus administrassent, sed tamen re prius in iudicio tractata. Hincmarus in epistola ad Tornacenses: Episcopus sine regulari iudicio, ministros ecclesiæ non priuet suo officio: sed prius præsentibus Ecclesiæ senioribus, diligenter ueritatem inquirat. Synodus Triburiensis capite decimo: Nullus episcopus deponatur, nisi à duodecim episcopis, presbyter à sex, diaconus à tribus.

Mandare episcopis sub se constitutis, ut adsint electioni episcoporum. Sic Hincmarus Hadeberto Syluanectensi episcopo præcipit, ut ad Beluacensem Ecclesiam sese conferat, & à populo & clero episcopum eligi curet, sibiq; ea de re testimonium scriptum afferat. Idem iniungit Hadenulpho Laudunensi episcopo expediendum, in Ecclesia Cameracensi.

Celebrare Synodos in sua diœcesi. Hincmarus Remorum archiepiscopus, in epistola ad Laudunensem capite 6 inquit: Ego te ad Synodum debeo conuocare, tu non potes me ad Synodum regulariter prouocare, &c. Ego locum debeo, & possum eligere, ubicunque mihi uisum fuerit in tota mea prouincia: tuum non est, locum ad Synodum conuocandam, uel ad ordinationem celebrandam eligere, & me quò tu decreueris euocare.

Cum consensu & autoritate Imperatorum indicere, & proficisci ad Synodos uniuersales, aut per literas & legatos suam excusationem uel sententiam exponere: ut patet ex actis Synodorum.

Decreta Synodorum suis promulgare. Sic Ludouicus Saltzburgensi episcopo mandat, ut ecclesijs & monasterijs, sub sua diœcesi constitutis, decreta Aquisgrani constituta proponat, & obseruare iubeat, ac contradicentes indicet. in epistola ad ipsum.

Curare bibliothecas. Ansgarius Hamburgi bibliothecam instruxit, quam Dani incenderunt. Crantzius lib 1. cap 33, in Metropoli, & in Saxonia lib. 2. cap. 28.

In conuentu iuridico, unà cum prætore ius dicere. Nam Carolus Magnus sanxit, ut in primaria cuiusque regionis urbe, quam metropolim dicunt, Pontifex & Prætor ter quotannis, Aprili, Octobri, Ianuario, ius dicerent, responsa redderent, & primùm pauperes, uiduas, pupillas, dato his prudentissimo patrono, diligentissimè audirent, inimicos reconciliarent. Vetuit insuper Magnus, ne illi lites in diem differrent, neue calumnijs locum facerent. Opulentos quidem ac locupletes, pontifices, præfectos, si qui in concordiam redire nollet, ad se, haud aliò delegarent. Sumptuarium decretum huiusce modi iuri dicendo intentis promulgauit: Quotidie pontifici quadraginta panes, gallinastras tres, porcellum unum, aqua quindecim, de potu modios tres, de auena caballis modios tres. Prætori panes triginta, modios duos, cætera tantundem statuit. Auentinus lib. 4. annalium Boiorum.

Exigere census ac decimas ecclesijs & monasterijs debitas. Synodus Arelatensis cap 9. decimas & primitias unumquemq; de suis laboribus Deo offerre iubet. Idem repetit Canon 38. Moguntinæ Synodi.

Vnà cum alijs sacerdotibus & primatibus regni, eligere reges & principes. Morbus tuo Lothario, Carolus Metim uenit, & ab Aduentio episcopo & alijs principibus benignè exceptus, Rex constituitur. Regino libro 2. Boso ab Aureliano metropolitano & alijs episcopis rex Burgundiæ inauguratur, Regino lib. eodem.

Inaugurare imperatores & reges. Tarasius Nicephorum & filium eius Stauratium, Imperatorem consecrat in ambone maioris Ecclesiæ. Paulus Diaconus lib. 23. & 24. rerum Romanarum. Et sequentes Imperatores omnes Constantinopolitani à suis patriarchis inaugurati legunturapud Zonaram tomo 3. Hincmarus Remorum archiepiscopus, Ludouicum filium Caroli Calui regem Francorum coronat. Annonius lib. 5. cap. 36.

Iussu regum ciuilia negocia tractare. Amalarius

larius Treuerensis & Petrus abbas, Cõstantinopolim à Carolo missi agũt de pace cum Michaele. Annonius lib. 4. cap. 99.

Disciplinam monasticam custodire. Rabanus in epistola ad Otgarium: Recipe eos pœnitentes, uiamq; ueritatis insinua, atq; sanis sermonibus prouoca eos ad humilitatem, ut recordẽtur quid promiserint, & cui uoti sui debitores sint: doceq; illos, ut sint sani in fide, ac bonis operibus sedulò intenti. Si quid autem de Ecclesiasticis atq; saecularibus negocijs agere tẽtent, hoc cum uestro consensu & præcepto faciant, quòd aliter hoc fieri non decet, cum sacri canones hoc præcipiant, ut monachi per unamquamq; prouinciam, subiecti sint episcopo ciuitatis, & neque ciuilibus, neque Ecclesiasticis negocijs se implicẽt, nisi fortè præcipiatur eis ab episcopo ciuitatis, propter opus necessarium: sed in locis quibus renunciauerunt seculo, sedulò manentes, ieiunijs & orationibus operam dent. Veruntamen oportet episcopum, secundum eosdem canones, condignam prouidentiam monasteriorum gerere, quomodo subsistere ualeant, & non deficiant. Sigehardus abbas Fuldensis, Luitpertum Mogũtinum archiepiscopum inuitat, ut fratres suos quosdam consecraret, quosdam increpationibus emendaret: ut patet ex epistola eius. Rabanus in epistola ad quendam episcopum, petit, ut sibi liceat monasteriola nonnarum, in eius parochia ad se pertinentia mutare, & nõnas quæ uidebantur non bene uiuere, iuxta regulam, in alia loca transferre, secundum Imperatoris edictum.

In causis matrimonialibus indicare quid fieri debeat, ut patet ex Hincmari epistola cap. 43 ad Laudunensem. Et Canon 53 Mogunt. præcipit, ut episcopi incæstuosos inuestigent: & si nolint agere pœnitentiã, de Ecclesia expellant. Et Guntherus ac Thetgandus archiepiscopi, in Synodo Metensi, Thietbergam ut incæstuosam damnant, & marito potestatem faciunt aliam ducendi. Regino libro 2.

Reliquias sanctorum curare, & prædicare. Episcopus Hierosolymorum, per duos monachos, quorum alter de monte Oliueti, alter ex Bethlehem fuit, Carolo Romam misit claues sepulchri Domini, ac loci Caluariæ, & claues ciuitatis cum uexillo, aucupans pro ijs maxima dona, quæ etiam accepit. Regino libro 2. & Annales Francorum.

Inter archiepiscopum seu metropolitanũ, & prouincialem episcopum, has differentias recitat Hincmarus Remensis, in epistola ad Laudunensem cap. 6 Archiepiscopus potest deponere prouincialem, sed non ab eodem deponi. 2 Archiepiscopus potest ad Synodum uocare prouincialem episcopum, non econtrà. 3. Prouincialis potest accusari ad archiepiscopũ, sed archiepiscopus non ad prouincialem. 4. Archiepiscopi erat, eligere locum ad Synodum & ordinationem, prouinciali non licebat. 5. Sine prouincialis assensu poterat aliquis fieri episcopus, sed non sine approbatione archiepiscopi. 6. Archiepiscopi & non prouincialis erat, orta dissensione inter eligentes episcopũ, constituere alium quem uelit. 7. Prouincialis cogebatur decreto archiepiscopi subscribere, sed non econtrà. 8. A iudicio prouincialis ad archiepiscopum appellatur, sed non econtrà. 9. Prouincialis non habet potestatem, de bonis ecclesiæ uendendi aliquid, sine archiepiscopi consensu: sed non econtrà. 10 Archiepiscopus causas etiam in prouincialis ecclesijs ortas componit, sed non econtrà. 11. Archiepiscopo licebat ex uicinis prouincijs accersere iudices, sed prouinciali id non licebat. 12. In causis obscuris & ambiguis, non penes prouincialem, sed penes archiepiscopũ erat, definire & pronunciare. 13. In causis dubijs, prouincialis debebat solum archiepiscopum consulere: ille uerò alios, uel sedem Apostolicam consulebat: nec licebat prouinciali prius consulere pontificem, quàm cum archiepiscopo contulisset. 14. Prouinciali non sine licentia archiepiscopi licebat peregrinari, sed non econtrà.

Postremò & hoc certum est, Archiepiscopos occidentis propemodum mancipia & quæstores Romanorum Pontificum fuisse, eiusq; decreta exequi oportuisse.

DE CONSOCIATIONE ET MVtuis officinis archiepiscoporum.

ARchiepiscoporum societas & coniunctio consistebat in conseruatione consensus, in doctrina pacis, concordiæ, ac disciplinæ ecclesiasticæ, & alijs officijs ad ecclesię communem administrationem pertinentibus. Vnde sunt illæ appellationes, quibus se inuicem ornant: ut sunt,

Coepiscopus. Sic Rabanus Moguntinus Reginbaldum uocat coepiscopum, in sua ad ipsum epistola.

Seruus seruorum. Rabanus se seruũ Christi & seruorum eius appellat, in epistola ad Hattonem Fuldensem abbatem.

Symbolum istius societatis erant literæ synodicæ. Nicephorus patriarcha synodicas literas ad Leonem Pontificem Romanum misit, quod prius ab Imperatore facere prohibitus erat. Paulus Diaconus lib. 24. rerum Roman.

Officia uerò, quibus se inuicem iuuerunt, hæc ferè colliguntur ex historijs.

In difficilioribus quæstionibus, sententias conferebant. Sic Rabanus Moguntinus archiepiscopus, Humberto communicat suam sententiam, de pœnitentia eorum qui cædes perpetrant: in epistola ad eundem. Eadem propemodum ad Reginbaldum, coepiscopum suum, scribit. Consuluit Reginbaldus etiam Rabanum, quid faciendum sit illi, qui hominem Christianum furatus, uendiderat paganis: ut patet ex epistolis eius. Reginbaldus chorepiscopus Rabano aliquot quæstiones proposuit, ad quas ille in epistola ad eundem respondet.

Et negligentes increpabãt, aut ab eorum cõmunione recedebant. Sic archiepiscopus Thessalonicensis, unà cum monachis, à cõmunione Tarasij recessit, eo quòd Constantinum & Theodaten coronari permisisset, Paulus Diaconus lib. 24. rerum Rom.

Ministros Ecclesiæ alij alijs commendabant. Ita Rabanus Leoni papæ commendat monachos Fuldenses, & Gundramum fratris sui filium: ac petit, ut eis pateat aditus ad pedes illius, quo benedictionis gratiam percipiant.

Nec licebat alterius episcopi clericum ordinare, sine assensu sui episcopi, capite 55. Aquisgran. sub Ludouico Pio.

Consilia conferebant. Guntherus Colonienſis & Thietgaudus Treuerenſis archiepiscopi, conferunt consilia de Thietberga Lotharij uxore à marito separanda, & de potestate regi conferenda, ut aliam ducat uxorem. Regino lib. 2.

In Synodis uniuersalibus, unus ex illis præsidebat, ac communi consilio de doctrina & disciplina Ecclesiastica tractabant, & acta promulgabant: ut patet ex capite de Synodis.

Sese inuicem consolabantur. Rabanus Hadubrandum consulans hortatur, ne propter improbos uocationem suam deserat. Si dixeris mihi, inquit, hic &, hic illic & illic mutantur hominum mores, & disciplinæ uigor cadit: hoc à me recipias responsum, quòd nusquã omnes boni nisi in cœlo, nusquam omnes mali nisi in inferno. Nec Petrus propter Iudam perdidit principatum, nec Stephanus propter Nicolai errorem deuiauit à ueritate.

In dedicandis ecclesijs & cœnobijs, mutuas operas tradebant. Sic ad dedicationem ecclesiæ Petri, apud Coloniam Agrippinam, conuenerunt Luitpertus Moguntinus, Bertulfus Treuerensis, Vuillibertus Colonienſis. Sigebertus anno 871. Admonasterij Hirsaugiensis dedicationem, Otgarius Moguntinus, Ebbo Hildesheimensis, Vuellericus Bremensis, Hildeboldus Colonienſis, Thiagrius Halberstadiensis, & plures alij fuerunt. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi.

Alius pro alio orauit. Rabanus in epistola ad Leonem testatur, se cum suis fratribus & conseruis, pro eius incolumitate quotidie Deum precari.

Hanc necessitudinem & coniunctionem, dissensiones in doctrina & ceremonijs dissoluerũt: ut patet ex capite de Schismaticis.

DE ROMANI PONTIFICIS *principatu & tyrannide, seu de operibus Antichristi, in regimine Ecclesiastico.*

ROmanus pontifex, ut ipsissimus Antichristus, in templo Dei seu Ecclesia sedens, seq; pro Deo ostentans, pro suo principatu & tyrannide, hæc inter alia perpetrauit facinora.

Elatio supra Ecclesiam.

Cum Deus subinde aliquos excitaret qui eius principatum seu tyrannidem iuxta uerbum Dei infestarent, haud postremam iudicauit curam sibi incumbere, ut eum primatum probè sibi communiret. Quare non cessauit, decreta ea de re, in Synodis, tum uetera repetere, tum de nouo alia condere. Nicolaus põtifex Canone primo inquit: Omnes, siue patriarchæ cuiuslibet apicem, siue metropolis primatus, aut episcopatuũ cathedras, uel ecclesiarum cuiuscunque ordinis dignitatem, instituit Romana ecclesia. Illam uerò solus ipse fundauit, & supra petram fidei mox nascentis erexit, qui beato Petro æternę uitæ clauigero, terreni simul & cœlestis imperij iura commisit. Dist. 22. cap. 1. Mediolanensibus.

Aut sua professione inculcare non desistit. Nam Nicolaus tomo secundo Conciliorum inquit: Per principalem beatorum apostolorum Petri & Pauli dextram, & potestatem & ius habemus, non solùm in monachos, uerumetiam in quoslibet clericos, de quacunque diœcesi, cum necesse fuerit, ad nos conuocare, atque Ecclesiasticis exigentibus opportunitatibus inuitare. 1. quæstion. prima. Et 9. quęstion. tertia, per principalem Michaeli Imperatori. Idem in epistola ad Michaelem, Romanam Ecclesiam magistram omnium aliarum iactitat: & priuilegia eius, ob quæ omnium Ecclesiarum cogatur habere solicitudinem, asserit, non à Synodis, sed ab ipso Christo per beatum Petrum concessa esse, & permansura intergra, contra omnem uim aduersariorum. Ad eam rem utitur argumento planè ioculari & ridiculo quia Christus Petro in linteami ne ostenderit omnis generis animalia: Act. 10. Ergo

10. Ergo oportere Romanam Ecclesiam omnes alias Ecclesias cõtinere. O scopas dissolutas.

Ac subiectionem adeò necessarium ab omnibus postulauit, ut apertè negaret quenquam saluari posse, qui non Romanæ sedi sese submitteret: ut colligitur ex epistola Guntharij & Thetgandi; apud Auentinum libro quarto annalium, ubi asserunt, Ecclesiam Dei esse maiorem urbe Babylonia, quæ diuinitatem usurpet, cœlo se æquet: & æternam fore, & nunquam errasse, nec errare posse, glorietur.

Immunitas ab omnium iudicio.

Potestatem de sese iudicandi, omnibus eripuit, & prorsus ἄνομος ille, à Paulo secundo ad Thessalonicenses secundo descriptus, esse uoluit. Nicolaus tomo secundo conciliorum: Patet profectò sedis Apostolicę (cuius autoritate maius non est) iudicium, à nemine fore retractandum, neq; cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Nec de eius iudicio canones unquam præceperunt iudicari: sententiamque illius constituerunt non oportere dissolui, cuius potius sequenda decreta mandauerunt. 6. quæstion. 3. Patet. Michaeli Imperatori. Et postea: Nemini est de sedis Apostolicæ iudicio iudicare, aut illius sententiam retractare permissum, uidelicet propter Romanæ Ecclesiæ primatum, Christi munere in beato Petro apostolo diuinitus collatum. 17. quæstion. quarta. Nemini. Omnibus episcopis. Et rursus: A' seculari potestate nec solui prorsus, nec ligari pontificem posse, quem constat à pio principe Constantino Deum appellatum, cum nec posse Deum ab hominibus iudicari, manifestum est. distin. 96. cap. Satis Michaeli Imperatori.

Potestatem approbandi aut reprobandi dogmata, mandata, interdicta, sanctiones uel decreta pro catholica fide, uel Ecclesiastica disciplina, item libros autorum sibi soli arrogabat: ut patet ex Nicolai decretis tomo 2 Conciliorum.

Libros contra ambitionem Romanæ Ecclesiæ scriptos cõbusit. Sic Adrianus Photij uolumen, à Synodo subscriptum, contra Romanæ Ecclesiæ principatum, Romæ in Synodo damnauit, & igni tradidit: ut patet ex uita eius in Libro pontificali.

Inuentor & cultor deorum alienorum.

Apparitionum, uisionum, somniorum & illusionum diaboli, ad confirmandas superstitiones extra uerbum Dei, approbatorem, præconem & dictatorem agebat Romanus præsul, eiusq; mancipia. Sic Paschalis finxit, se Cecilia reuelante, corpus eius inuenisse aureis uelatum indumentis, sanguine ipsius adhuc infusis. Sigebertus anno 821. Et Leo iussu Caroli Magni, de sanguine Christi Mantuæ reperto inquisiuit. Regino lib. 2. Annales Francorum.

Coluit deos alienos, nimirum sanctos mortuos, argento & auro, & translatione & ostensione: Paschalis, Ceciliæ, Valeriani, Tiburtij, Maximi & Vrbani papæ, in Ecclesiam à se eis ædificatã transposuit, anno Domini 821. Sigebertus.

Canonizatione. Adrianus secundus, per Odogerum episcopum Aichostadensem, Vualpurgin abbatissam Heidenheimensem de tumulo leuauit, & Diuarum numero adscripsit. Bruschius de monasterijs. Et Guntherius & Thetgandus in epistola ad Nicolaum, objiciunt ei, quòd potestatem Diuos consecrandi, sibi ueluti latro rapiat. Et Cranzius in Metropoli libro primo, cap. 25. ostendit, olim eos inter Diuos haberi cæpisse, quando miracula fecissent post mortem: sed Romanam sedem, eam potestatem sibi arripuisse: ac statuisse, neminem debere inter sanctos haberi, qui non prius ab ea talis approbatus esset.

Festorum institutione. Sic Gregorius tertius monuit, Ludouicum Pium, ut festum omnium sanctorum Calendis Nouembris obseruari ediceret. Sigebertus anno 835. Et Leo quartus octauam assumptionis Mariæ celebrari Romæ primus instituit, anno Domini. 847. Sigebertus & Luitprandus.

Et adoratione. Nicolaus in epistola ad Michaelẽ indicat ex omnibus nationibus multa millia hominum quotidie Romam concursare, & beatum Petrum uenerari.

Ac ijs accepta retulit omnia, quæ prosperè euenerunt. Sic Leo in epistola ad Carolum gloriatur, sanctorum intercessione & Caroli prouidentia omnia in Italia esse tranquilla.

Tyrannicus dominatus in Ecclesiasticos.

Suo principatui resistentes, muneribus ac beneficijs expugnabat, & sibi deuinciebat, aut ui è medio tolli curabat. Sic Theodorus primicerius, & Leo nomenclator & gener eius, in patriarchio Lateranensi excæcantur & decollantur, eo quòd Lotharij Imperatoris partes defendissent. Paschalis põtifex de cœde accusatus, sese purgat quidẽ: sed tamen sicarios, quia de familia eius erant, defendit, & mortuos reos maiestatis condemnat, & iure cæsos pronunciat. Annonius lib: 4. cap. 110. de Francis.

Archiepiscopis leges dictabat, & quid faciendũ esset præscribebat, Adrianus Hincmaro Remensi archiepiscopo mandat, ut

Carolum iubeat à Lotharij hæreditate abſtinere: & id facere recuſantem, excommunicet, niſi ipſe à ſe uelit anathemate feriri: ut patet ex epiſt. Hincmari ad Adrianũ.

Et ſi quid præter uoluntatem ſuam egiſſent, reprehendebat. Paſchalis Rabanum Moguntinum archiepiſcopum malè excepit: & monachos Anaſtaſij, ab eodem Romam miſſos, cum literis in carcerem conie cit: ut ipſe teſtatur in epiſtola ad Hattonem Fuldenſem abbatem.

Ac in ijs excommunicandis & deponendis præceps erat. Sic Nicolaus Guntharium & Thetgaudum archiepiſcopos, Romæ neque auditos, neque legitimè conuictos, excommunicat, anno Domini 863. Sigebertus, Regino libro ſecundo. Idem pontifex Ioãnem Rauennatem archiepiſcopum, propter obiecta crimina Romamuenire recuſantem, dignitate ſua priuauit. Platina in uita eius. Ioannes pontifex Formoſum Portuenſem epiſcopum omni dignitate priuauit. Simoneta libro 5, cap. 17.

Archiepiſcopos ordinandi & confirmandi, ſibi ſoli poteſtatem arrogabat. Nicolaus ad regem Francorum ſcribit: Relatum eſt nobis, quòd quicunq; ad epiſcopatum in regno tuo prouehendus eſt, non niſi fauentem tibi promittas eligi. Idcirco apoſtolica autoritate, ſub diuini iudicij obteſtatione iniungimus tibi, ut in Treuerenſi urbe & Agrippina Colonia, nullum eligi patiaris, antequam relatum ſuper hoc noſtro Apoſtolatui fiat. Diſtinct. 63. Porrò Lotharío regi.

Eccleſias ſuis mancipijs archiepiſcopis ſubijciebat. Sic Eugenius Hunnus, Auares & Morauos, Vrolfo Laureacenſi epiſcopo ſubeſſe iuſsit, eumq; illis archiepiſcopum ordinauit, & ſuam uicẽ erga illos ipſi commiſit: ut patet ex epiſtola Eugenij ad Rathfredum Fauianenſem epiſcopum.

Sedes epiſcopales & archiepiſcopales, p ſuo lubitu uel inſtituebat, uel confirmabat, uel in alia loca transferebat, aut aliter atque aliter partiebatur. Nam epiſcopi Bauarię in epiſtola ad Ioannẽ nonum querũtur, per legatos pontificis cõtra canones epiſcopatũ Batauenſem in quinq; partes diremptum eſſe. Cum Capuani Landulfum epiſcopum ſuum expuliſſent, & Landenolfum elegiſſent, & Iohannes papa in eius ordinationem conſenſiſſet, ac poſtea diſsidium eam ob rem ortum eſſet, epiſcopatum inter utrumque mandauit æqua ſorte diſtribui: & alterum nouæ, alterum ueteris Capuæ iuſsit eſſe epiſcopum. Chronicon Caſinenſe lib. 1. cap. 43.

Archiepiſcopos & epiſcopos, quos ordinabat, iureiurando ad obedientiam & reuerentiam præſtandam obligabat.

Aut duas ſedes epiſcopales in unam coniungebat. Sic Ludouicus accepto apoſtolicæ ſedis mandato, Bremenſem & Hamburgenſem Eccleſiam uniuit, & utramque Anſgario regendam tradidit. Helmoldus libro 1. capite 5. de Sclauis. Literæ Nicolai ea de re extant in Metropoli Cranzij, libro 1. cap. 38.

Præ ſe ferebat, quaſi alijs archiepiſcopis poteſtatem ſoluendi & ligandi peccata conferret, autoritate Petri: ut patet ex epiſtola Guntheri & Thetgaudi, apud Auentinum libro quarto Annalium: & ex epiſtola Paſchalis pro Ebbone ſcripta ad Aquilonares Eccleſias.

A ſe excommunicatos, ab alijs uolebat etiam pro excommunicatis haberi. Sic Nicolaus Engiltrudæ uxoris Boſonis, ob deſertum maritum excommunicationem, renouat in Synodo Gallicana. Et poſtea cum eadem mulier in Franciam redijſſet, Arſenius legatus pontificius, ad omnes archiepiſcopos, epiſcopos, & omnes Eccleſias Galliæ, Germaniæ & Neuſtriæ ſcripſit, eosque obteſtatus eſt per autoritatem Dei, Apoſtolorum, & Pontificis Romani, ne quis eam in ſuam parochiam reciperet: ſed omnes eam excommunicatam, & ab omnium Chriſtianorum communione ſeiunctam & anathematizatam prædicarent. Regino libro ſecundo. Idem Nicolaus formulam excommunicationis Vualdradę cauſas & modum continẽtem, ad omnes epiſcopos per Germaniã & Gallias miſit, eosq; hortatus eſt ut ipſam pro anathematizata habeant. In Orientis Eccleſias eandem excommunicationis formam miſit per legatos ſuos, ut teſtatur in epiſt. ad Lotharium. Regino lib.

Ad gentes uel nondum conuerſas, uel nondum pontificio iugo ſubditas, mittebat epiſcopos & legatos, eisq; præcipiebat, ut illas ſuo charactere imbutas, ſibi ſubijceret. Sic Paſchalis papa, cum cognouiſſet Aquilonares gentes, nimirũ Danos & Sueones, ad fidem Chriſti conuerti, Ebboni Remenſi epiſcopo & Halitgario, uicem ſuam delegauit, eisq; poteſtatem tradidit in illis locis colligendi Eccleſias: ac præcepit, ut ſi quid dubij illis incidat, ad ſanctam catholicam & Romanam Eccleſiam ſemper recurrant, & ex eius puriſsimo fonte hauriant latices, unde & à cordibus mortaliũ diuina interueniẽte gratia noxios emũdare poſsint errores: ut patet ex epiſtola Paſchalis. Cũ Bulgari abiectis idolis ad fidem Chriſti trangiſſent, pontifex opera Ludouici Germanorum regis, ſuos legatos ad eam gentem miſit, ut pontificijs characteribus illas Eccleſias notarent. Regino lib. 2.

Ac quasi Dictator & Imperator, omnibus edicebat, ut suos legatos susciperent, & honorificè tractarent. Nam Paschalis in epistola pro Ebbone & Halitgario scripta, ad omnes episcopos, principes & duces, comites, & cunctos Christianos, sic inquit: Omnes exhortantes unanimiter commonemus, ob amorem omnipotentis Dei & Domini nostri Iesu Christi, atq; Apostolorum eius uenerationem, ut in omnibus necessitatibus legationis huius, totis uiribus eis solatiari certetis.

Per suos legatos expiscabatur, quæ esset eruditio & sapientia eorum episcoporum, quos conabatur opprimere, ut tanto audacius & tutius posset sua consilia instituere. Sic Nicolaus suos legatos in Galliam misit: qui cum renunciassent, se nullum sapientem episcopum in toto regno Lotharij inuenisse, qui in Canonicis esset instructus disciplinis, tanto confidentius in eos postea grassatus est. Regino libro 2.

In pallio consecrando, eoque alios episcopos irretiendo, mira astutia & uafricie utebatur. Cum Ansgarius à Ludouico Pio esset designatus Hamburgensis archiepiscopus, Leo quartus ei pallium misit, & sua uice legatum in omnia regna Aquilonis usque ad ultimum terræ constituit. Cranzius in Metropoli libro primo, capite uigesimo. Idem postea fecit Nicolaus capite trigesimo octauo, sed cum hac conditione: Si à fide & decretis sanctæ catholicæ & Apostolicæ Romanæ ecclesiæ in nullo penitùs deuiaueris. Quòd si à fide, uel institutis, uel sanctionibus tanto sublimitatis honore, sedis Apostolicæ, declinare studioseque præsumpseris, his nostris tibi collatis careas beneficijs. Porrò te pallio uti, non nisi more sedis concedimus, Apostolicæ scilicet: ut successores tui per semetipsos, uel per legatos suos & scriptam fidem nobiscum tenere, ac sanctas sex Synodos recipere, atque decreta omnium Romanæ sedis præsulum, & epistolas quæ sibi delatæ fuerint, uenerabiliter obseruare, atque perficere omnibus diebus suis, scripto & iuramẽto profiteatur. Remberto Hamburgensi episcopo pallium pastorale Nicolaus papa contulit. Cranzius in Metropoli libro 2, cap. 2.

Idem in reliquijs sanctorum, & alijs rebus donandis & communicandis egit. Eugenius Sebastiani corpus Hilduino abbati Dionysij dono misit, anno 825. Sigebertus, & annales Francorum. Et Nicolaus Euse-bij & Potentiani martyris corpora Gallicanis donauit, anno Domini 865. Sigebertus. Ioannes nonus Ansegiso Senonensi dedit caput Gregorij, & brachium Leonis papæ, ut in ecclesiam suam reponeret. Ranulphus lib. 5. cap. 33. Martinus papa regi Aluredo magnam partem sanctæ crucis misit. Idem libro 6, cap. 3

Appellandi potestatem ad sedem Romanam omnibus uolebat esse liberam: & grauiter in eos inuehebatur, qui id impedire auderent. Sic Adrianus ualde stomachatur in epistola ad Hincmarũ Remensem, quòd Laudunensem episcopũ ad se appellantem impedierit.

Ad se accusatos euocabat Romam ad dicendam causam: & iureiurando adstringebat, ne manerent. Sic Arsenius Vualdradam iubet Romam ire, ut de se rationem reddat: & Engiltrudam iureiurando obliget, ut & ipsa eò ueniat. Regino libro 2.

A' Romana sede ad alios appellari licere, planè negat Nicolaus in epistola ad Lotharium: Cum non sit Apostolicæ sedis authoritate usquam maior authoritas, nescimus si alicui liceat, de eius iudicio iudicare, uel eius retractare sententiam. Regino libro secundo.

Ac sæpe tantum ad unius partis delationes edicta scribebat iusticiæ contraria. Sic cum Laudunẽsis episcopus quendam Nortmannum accusasset de bonis Ecclesiæ ereptis, Adrianus statim ad Hincmarum Remorum episcopum decretum mittit de eo excommunicando. Sed Hincmarus respondet, rem longè aliter sese habere: ac pontificem monet, ut in posterum in suis scriptis interponat conditionem, Si ita est, ut nobis innotuit in epistola Hincmari ad Adrianum. Sic contra Lotharium & Vualdradam egit, ut ipse Imperator, queritur in epistola ad Hadrianum. Regino libro secundo.

Ecclesias à suo iugo liberas, leui occasione oblata opprimebat, & sibi subdebat. Nicolaus Ioannem Rauennatem archiepiscopum his conditionibus in gratiam recipit, ut quottannis Romam se proficisci polliceatur, ne electos etiam canonicè in Flaminea episcopos consecrandi facultatem sibi usurpet, nisi à sede Apostolica literis eam impetrasset: ne episcopos eosdem Romam, quoties uelint, ire prohibeat: ne ullam exactionem contra Canones, aut ullum morem seu consuetudinem inducat, ne quicquam de bonis Ecclesiæ decernat, inconsulta sede Apostolica. Platina in uita eius.

Ab archiepiscopis sibi subiectis & à se ordinatis, aurum & argentum exigebat. Nam Sergium, & fratrem eius Brutũ, episcopatus publicè uẽdidisse, scribit Luitprãdus in uita eius. Et Theodomarus Iuuauiẽsis episcopus, in epistola ad Ioannem nonum,

promittit se pecuniam, quam iuri pontificio debeat, missurum.

A scholis etiam tributa postulauit. Nam Marcus papa, scholas Saxonum, prece Aluredi regis, ab omnium tributo relaxauit. Ranulphus lib. 6. cap. 3. in polychronico.

Potestatem synodos conuocandi, sibi adeò attribuebat, ut damnaret eas quæ sine suo consensu & præsentia essent celebratæ. Hincmarus capite uigesimo, ad Laudunensem: Non absq; sedis apostolicæ autoritate, metropolitani episcopi & primates prouinciarum synodos conuocamus. Et Nicolaus in epistola ad Michaelem, Synodos absq; pontificis Romani autoritate ualere negat. Idem acta Synodi Metensis de Thiet bergæ diuortio damnat, & episcopos qui ei interfuerant anathematizat. Regino lib. 2.

A Synodis excludebat omnes, quos sibi non fauere sciebat. Nam Adrianus tertius, cum legatos suos Constantinopolim misisset ad synodum celebrandam, libellum eis tradidit, in quo de principatu Romanæ Ecclesiæ, & de imaginum cultu, & alijs Antichristi capitibus scriptum erat: ac iussit, ne quem ex Græcis ad synodum admitteret, nisi prius ei libello subscripsisset. Liber pontificalis in uita eius.

Decreta synodorum pro suo lubitu mutabat. De translationibus episcoporum aliter antiqui censuerunt pontifices, aliter autem concilia episcopalia: & ex his sequentes Romanæ sedis pontifices, quæ tenenda decreuerunt. Hincmarus cap. 20. in epistola ad Laudunensem.

Suas ceremonias alijs Ecclesijs obtrudebat. Gregorius pontifex suum festum, quod Calendis Nouemb. in honorem omnium sanctorũ celebrabat, per Ludouicum Pium & episcopos eius Anglicanis & Germanis Ecclesijs obtrusit, anno 835. Sigebertus. Leo tribus diebus ante ascensionem Domini letanias celebrari iussit. Luitprandus in uita eius.

Aut ab alijs institutas, se approbare simulabat: ut eo pacto sibi ius præscriberet, ne cui quidquam liceret instituere, sine suo consensu. Nicolaus pontifex, sequentias Noegerij monachi cantari concesit. Martinus in uita eius.

Potestatem confirmandi literas testimoniales, quæ solebant illis dari qui in alia loca uocabantur, sibi arrogauit, ut ita paulatim omnes doctos uiros sibi subijceret. Nam Leo 4. præcepit, ut dimissoriæ literæ ab episcopis scriptæ, uniuersalis pontificis uel imperiali uel metropolitani bulla corroborentur. Luitprandus in uita eius.

Monachorum ordinem euehebat sublimius, ut essent expeditiores ad regni sui ampliationem. Paschalis Græcorum monachorum congregationem Romæ in ecclesia Praxedis fieri iussit. Ranulphus libro quinto, cap. 29.

Eisq; suos quosdam ritus præscribebat. Sic Nicolaus pontifex, nonnis in cœnobio Bunteshusio concessit, ut albis uestibus uterentur. Chronicon Saxoniæ, anno 842.

Reges & principes in clericorum aut monachorum ordinem redigebat, uel dispensatione sua se concedere fingebat, ut ad regnum redirent, si nimirum se adstrinxissent ad summã erga illum liberalitatẽ. Sic Ethelwuolphum ab Helmẽstano ordinatum subdiaconum, Leo papa permisit regem designari. Ranulphus lib. 5. cap. 30.

Monasteria opulentiora sibi uolebat esse subiecta. Sic Zacharias, & postea Benedictus, Fuldense cœnobium sibi solis uolebãt esse subiectum: ut patet ex epistola Theotonis ad Benedictum papam, & Hattonis ad Leonem.

Decreta impia condebat: ut sunt, prohibitio nuptiarum. Nuptias quadragesimali tempore fieri Nicolaus papa prohibet 35. quæst. 4. Nec uxorem. Idem clericis nuptias uetat, tomo 2 Conciliorum.

Aut permisio & dispensatio contra ius Dei. Nam cũ Iudith uxor Ludouici ob incæstuosum connubium in monasterium abdita esset, de consilio archiepiscoporum papa eam liberauit, & marito restituit. Ranulphus lib. 5. cap. 29.

Aut approbatio diuortiorum contra Dei institutionem. Sic Nicolaus papa matrimonium Tietbergæ & Lotharij dissoluit. 27. quæstion. 2. Scripsit nobis Tietberga regina, se regia dignitate & maritali copula uelle exui, & sola uita priuata esse contentam desiderare. Cui nos scripsimus, non aliter hoc fieri posse, nisi eandem uitam coniunx eius Lotharius elegerit. Nam licet sit scriptum, Quos Deus coniunxit, homo non seperet: Deus tamen, & non homo separat, quando diuini amoris intuitu, ex consensu utriusque coniugis, matrimonia dissoluuntur. Aliter autem fieri mutuam separationẽ uestram prohibemus. 27. quæst. 2. scripsit Carolo regi Francorum.

De uoto monastico Nicolaus statuit, ne quis, qui se Deo semel deuouerit, & regulã sanctorum patrum susceperit, à proposito permittatur recedere Luitprandus.

Missificatio: ut in capite de Ceremonijs diximus.

Decretũ de uenerãdis & adorãdis imaginibus. Nã Adrianus papa per legatos suos, in octaua Cõstantinopolitana, uenerationẽ & adorationem imaginum confirmare studuit. Annonius lib. 5. cap. 28. de Francis.

Et

Et alia decreta friuola: ut quòd Leo quartus prohibet, ne laici in presbyterium ingrediantur: & quod præcipit, ut presbyteri omnium oblationes suscipiant: quasi uerò ea res opus habuisset mãdato, cum aliàs essent rapacissimi. Luitprandus in uita eius.

Decreta Iua, sub pœna anathematis obseruari uolebat. Nicolaus: Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones uel decreta, pro catholica fide uel ecclesiastica disciplina, pro correctione imminentium uel futurorum malorum, à sedis Apostolicæ præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit. 35. quest. 2. Si quis uniuersali synodo præsidens.

Extruendis, instaurãdis & ornandis templis operam dabat. Leo quintus ecclesias, à paganis in urbe Roma dirutas, reparauit. Ranulphus lib. 5. cap. 31.

Elatio super magistratum contemptus & oppressio eiusdem.

Regibus & Imperatoribus dominari conatus est. Tu cum sis seruus seruorum, dominus dominantium esse contendis. Item: Libidine dominandi in præceps abis. Guntharius & Thetgaudus in epistola ad Nicolaum pontificẽ. Et de eodem Nicolao, Regino lib. 2. scribit: Regibus & tyrannis imperauit, eisq́; ac si dominus orbis terrarum esset, autoritate præfuit.

Imperatorum iudicem, & quasi dictatorem seu prætorem, imò carnificem agebat. Nam ad sese inuitabat eos, qui querelas contra eos habebant: & iudicium postea, altera parte non audita, exercebat. Sic fratres Thietbergæ, ad Nicolaum pontificem accusant Lotharium, quòd sorore sua repudiata, aliam duxisset. Ille autem suos legatos mittit in Galliam, ut ea de re inquirant: & postulat à rege, ut episcopos, qui sibi in Synodo eam licentiam dedissent, Romam ablegaret ad examen. qui cum eò uenissent, excommunicantur. & alij legati ad Lotharium destinantur, qui ei impedirent, ut aut Thietbergam recipiat, & Vualdradam dimittat, aut sciat se excommunicatum esse. Postea Lothario cupienti à Papæ præiudicio rem deducere ad forensem actionem, Pontifex nullo modo id uult concedere, inquiens: Cum nos ex utraque parte, tam à Lothario quàm à Thietberga, fuerimus prouocati iudices, nosq́; amborum controuersiam executi simus, ad nullos alios conuenit super hoc negocio iudices conuolare: cum secundum sacros canones, à iudicibus, quos communis consensus elegerit, non liceat prouocare: & ubi concessa est prouocatio, non nisi ubi maior est autoritas, liceat prouocare. Itaque cum non sit Apostolicæ sedis autoritate, quęam borum negocium executa est, usquá maior autoritas, nescimus si alicui liceat de eius iudicio iudicare, uel eius retractare sententiam. Et quamuis Lotharius literis & uerbis per legatos aliquoties petijsset, ut se & accusatores suos iuxta diuinas & humanas leges coràm audiret: tamen id obtinere non potuit, sicut ipse Lotharius queritur in epistola sua ad Adrianum, apud Reginonem libro secundo.

Miris artibus conati sunt, Imperatores priuare suo iure, quod habebant in confirmando pontifice. Nam Paschalis sese inscio Imperatore ordinari permisit: quod cum Ludouicum molestè ferre cognouisset, muneribus eum & excusatione placauit. Postea tempore Lotharij idem in Sergio ordinando conati sunt: sed Franci sese acriter opposuerunt, ut patet ex libro Pontificali. Mortuo Sergio iterum Leonem ordinant, non expectato principis assensu, ut Luitprandus diaconus indicat. Nicolaus etiam aliquid tentauit in ea re, ut Platina narrat, & Simoneta. Sed Adrianus tertius audentius id fecisse ab ijsdem scribitur. Is enim, cum Carolus ex italia recessisset, & bello Normannico occupatus esset, ad Senatum & populum retulit, anno Domini 895. ne in creando pontifice Imperatoris autoritas expectaretur. Platina, Simoneta libro. 5. cap. 15.

Et in conuocandis & celebrandis Synodis. Nam Nicolaus in epistola ad Michaelem, negat Imperatori aut principi licere, clericorum Synodo interesse, nisi de fide agatur.

Ecclesiasticos uiros à dicenda causa, in ciuili foro & iudicio liberabat. Nicolaus papa: De presbyteris uobis, qui laici estis, nec iudicandũ est, nec de uita eorum quidquam inuestigandum: sed episcoporum iudicio, quidquid id sit, reseruandum est. tomo 2 Conciliorum.

Et alios reos, ad iudicium Ecclesiæ prouocantes. Sic Nicolaus in epistola ad Carolum scribit, Thietbergam Lotharij reginam non posse in politico iudicio examinari: quia Ecclesiæ refugium quærentem & Ecclesiasticum iudicium expetentem, non deceat seculari iudicio submitti. Regino libro 2.

Imperatores & reges leui occasione excommunicabat. Adrianus pontifex Carolum Caluum, nisi pareat suis monitis, & discedat ab hæreditate Lotharij, præcipit excommunicari ab Hincmaro: in epistola ad eundem.

Et legatos eorum non omnia ad suũ nutum

tum agentes, asperè duriterq; tractabat. Sic Leo Caroli legatos adeò superbè excepit, ut nullos ex illis amplius uoluerit Romam ire: mortuos conuitijs proscidit, & uiuentibus omnem gratiam suam intercluſit: ut patet ex epistola Leonis ad Carolum, in qua negare ista conatur.

Diſsidia inter reges, sibi profutura, excitabat. Sic Ioannes octauus, orta inter fratres de imperio seditione, Carolum Romam profectum unxit. Simoneta libro quinto, capite 13.

Filios Imperatorum aduersus parentes suos armabat, & inflammabat. Gregorius Papa in Galliam ueniens, contra Ludouicum Imperatorem filios eius incitabat. Sigebertus anno 832. Annonius libro 5. cap. 14. de Francis. Nicolaus etiam in epistola ad Carolum, ualde conatur eum excitare aduersus Lotharium, ob Thietbergam dimissam. Regino lib. 2.

Regna huius mundi, & gloria eius.

Potestatem Imperij transferendi sibi sumpsit. Leo enim Carolum Magnum, Francorum regem, creat Imperatorem solenni ritu, anno Domini 801. Regino libro secundo, & Annales Francorum: Paulus Diaconus libro 23. rerum Romanarum: Sigebertus: Annonius libro quarto cap. 88. Et Nicolaus in canone 1. tomo secundo Concil. asserit, Christum Petro & successoribus eius, simul terreni & cœlestis imperij iura commisisse. Crantzius in Metropoli libro primo, capite 14. asserit, Leonem tertium, cum Carolum imperatorem designauit, id primùm cœpisse facere, quod antea nunquam fecisset. atq; inde authoritatem & dignitatem ecclesiæ Romanæ creuisse adeò, ut imperatores confirmare & consecrare penes ipsam fuerit.

Et Imperatores inaugurandi potestatem, postea semper penes se esse uoluit. Sic Stephanus Ludouicum coronat. Annonius libro 4. cap. 102. de Francis. Et Paschalis Lotharium Romam inuitato, regni coronam, & Imperatoris & Augusti nomen contulit: Annonius libro 4. capite 110, de Francis. Et Adrianus papa Ludouicum alterum coronauit, ac cum eo ad palatium Lateranense equitauit: Annonius libro 5. capite 28. Et Eugenius non uoluit permittere, ut Romani ciues sacramentum præstarent Ludouico, filio Lotharij, sed soli patri. Sic enim inquit, Si uultis: Domino Lothario, magno imperatori, hoc sacramentum ut faciant, solo modo consentio atque permitto. Nam Ludouico filio eius ut hoc peragatur, nec ego, nec omnis nobilitas Romanorum consentit. Liber pontificalis in uita Sergij.

Atq; imperij dignitatem precio uendere cœpit. Nam Carolus Caluus Romam perrexit, & Imperatoris nomen à Ioanne & Romanis, multis amplissimis muneribus redemit. Regino lib. 2. anno Domini 885. & Annonius lib. 5. cap. 31. de Francis.

Equitabat in bene saginatis equis. Nicolaum equo insidentem, Ludouicus Imperator in castra duxit. Simoneta lib. 5. cap. 11.

Bella gerebat, ut patet ex Vitis pontificum: maximè uerò ex Leonis quarti.

Munitiones faciebat. Gregorius contra incursiones Saracenorum, nouam urbem propè Romam ædificare instituit. Sigebertus anno Domini 830. Et Leo quartus turrim in Vaticano extruxit, & urbis Romæ mœnia, & portas uetustate collapsas restituit, & quindecim propugnacula urbi à fundamento adiecit: Vaticanum muro cinxit, atq; in urbis formam redegit, & Leoninam de suo nomine dixit. Liber Pontificalis.

Easque solenni ritu inaugurabat: quod quidem nouum aucupium, Leo quartus reperit primus, hoc seculo: qui Leopolim ad duodecimum lapidem à Centumcellis circuiuit, & tribus orationibus consecrauit: & celebrata missa, aquam benedictam per muros sparsit, populoq; eleemosynas distribuit. Liber Pontificalis, & Luitprandus Diaconus.

A' iurisiurandi obligatione eos quibus fauebat, liberos pronunciabat. Sic Martinus papa Formosum, qui Romam, aut ad episcopatum Portuensem redire planè abiurauerat, absoluit à iureiurando, & patriæ ac episcopatui restituit. Simoneta libro 5. cap. 17. Et Ioannes papa Ludouicum Imperatorem, qui ab Adalgiso per insidias circumuentus, ad euadendum periculum mortis iurauerat, se nunquam Beneuentanorum fines ingressurum, nec iniuriam istam ulturũ, absoluit: negans sacramentum esse, quod contra reipublicæ salutem, licet maximis execrationibus sit factum. Regino lib. 2.

Pedes suos osculantibus benedicebat. Rabanus in epistola sua ad Leonem, petit, ut monachis Fuldensibus ad pedes suos faciat aditum, ut benedictionis gratiam percipere queant. Hatto etiam in epistola ad eundem petit, ut suos monachos pia benedictione consoletur, propterea quòd ad sacrum Bonifacij corpus famulentur.

Meretrix Babylonica.

Turpem & libidinosam uitam egit, ut re ipsa probaret se esse meretricem Babylonicam, matrem omnis fornicationis, spiritualis & externæ. Nam Ioannes octauus fuit scortum, & imprægnata peperit cum ad sacra peragenda in ecclesiam Lateranen-

sem

lem solenni pompa cõtenderet. Ranulphus lib. 5. cap. 32. in Polychronico. Auentinus fabellam esse putat, à Theodora nobili scorto ortam, quæ dominata Romanis, Ioannem nonum amatorem suum, Bononiensibus, & postea Rauennatibus, & tertiò Romanis imposuerit, & summum sacerdotem creârit. Sed rem ueram esse, pontificij etiam testantur scriptores.

A QVIBVS, ET QVOMODO *Pontificius dominatus sit adiutus, & corroboratus.*

POntificiam tyrannidẽ plurimum promouerunt, primùm episcopi & monachi, qui sese illi ultrò subiecerunt, iureiurando ad decretorum eius obseruationem sese astringentes. Sic episcopi Gallicani cum ordinabantur, chirographo suo se adstringebant, quòd non uellent, à sacris canonibus & regularibus decretis Apostolicæ Ecclesiæ deuiare: sed omnia probare & recipere, quæ ab eadem essent recepta & constituta: ut patet ex professione Alberti Morinensis episcopi ad Hincmarum. Oportere omnes nosse, quid Romana ecclesia custodiat, à qua principium sacræ institutionis alios accepisse dubium non sit. Hincmarus in epistola ad Ecclesiam Tornacensem, ex Innocentij decreto repetit.

Aut ab iniusta eius censura & depositione, tandem post longam concertationem, se absolui suppliciter petentes. Sic Thetgandus & Guntherus, licet strenuè contra principatum & tyrannnidem Nicolai pugnarint, tamen fracti tandem minis eius, & aliorum prauis consilijs, Romam aliquoties adierunt, seq; absolui & restitui petierunt. Sed Pontifex ista eorum humilitate factus insolentior, noluit eos in gratiam recipere. Vnde infirmitate correpti, fortè propinato ueneno, in Italia obierunt. Regino libro secundo.

Aut assentatoriè de eius principatu docentes & scribentes. Theoto in epistola ad Nicolaum nimis laudat sedem Romanam, quod Saluator factis ei præstiterit, quæ uerbis promiserit, nempe, quòd eã ab omni hęresi immunẽ, sparsis hæreticorũ seminibus per totũ orbem, seruauerit: quòd rectores atque pastores dederit, fidei uirtute armatos, qui temporibus opportunis murum ex aduerso opponerent. Deinde Nicolaum papam laudat, quòd cura infatigabili, proposito populo uigilet, ne quid contra antiquam & orthodoxam fidem nouitatis emergat, aut in plebe fidelium schismata & hæreses ac scandala conualescant. Scribit in eandem sententiam principum uota, ac præsulum singularum Germaniæ Ecclesiarum pia corda concurrere, proinde multùm pontificem gaudere debere. Et Hincmarus Remorum episcopus, in epistola ad Laudunensem capite 16. asserit per errorem, ex Euangelica & Apostolica autoritate, maiorem traditione, atque antiqua consuetudine esse decretum, ut omnes episcopi pro Romano pontifice, speciali uicario Petri, Dominum exorent, eiq; obediant. Idem capite 21. inquit: Salua autoritate Apostolicæ sedis, quæ suo principatu Domini ore percepto, & Ecclesiæ profutura constituit, & constituta seruando confirmat. Idem in epistola ad Adrianum dicit, se semper, quantum sciuerit & potuerit, priuilegium sedis Apostolicæ extulisse.

Et nimis splendidis titulis afficientes. Sic Rabanus Leonem papam, nominat dominum præstantissimum atq; sanctissimum, & ab omnibus sanctæ Ecclesiæ filijs uenerandum, & colendum patrem, summum pontificem, sanctum patrem & pastorem. Hatto abbas Fuldensis, Leonem in epistola sua uocat dominum beatum, & Apostolicæ dignitatis infula decoratum. Et Hincmarus Remensis, in epist. ad Adrianum, papam sanctissimum & reuerendissimum patrem patriæ, & primæ sedis Apostolicę, ac uniuersalis Ecclesiæ papam appellat.

Aut in hamos eius spontè sese conijcientes. Sic plurimi episcopi Orientis, ut ad Synodũ Constantinopoli admitterentur, subscripserunt libello Adriani tertij, seq; in potestatem eius redigi patiebantur. quod postea quidam cum lachrymis retractare conati sunt: ut patet ex actis Synodi illius, in libro Pontificali.

Aut ceremonias illius suscipientes. Sic Synodus Moguntina, canone 4 decernit, ut in omnibus parochijs, secundum Romanum ordinem, sacramenta baptismatis celebrentur.

Et alios ad subiectionem & obedientiam illius inuitantes Synodus Triburiensis cap. 30. In memoriam B. Petri apostoli, honoremus sanctam Romanam & Apostolicam sedem, ut quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra Ecclesiasticæ rationis. Quare seruanda est cum mansuetudine humilitas, ut licet uix ferendum ab illa sancta sede imponatur iugum, conferamus, & pia deuotione toleremus.

Aut pecuniam eis offerentes, pro subiectionis iudicio. Riculphus Colonienſis episcopus, splendidum munus Leoni transmisit, pro Cæsarij reliquijs: ut patet ex epistola Leonis ad eundem. Otgarius etiam Gregorio pontifici munera egregia misit, ut apparet ex Gregorij epistolis ad Otgarium.

Deinde

Deinde Synodi uniuerſales, quæ principem locum & ſummam poteſtatem ei, ſeu legatis ipſius permiſerat, ut patet ex actis octauæ generalis Conſtantinopoli celebratæ, ad quam nemo eſt admiſſus, niſi prius ſubſcriptiene ſua teſtatus eſſet, ſe Romani pontificis mancipium eſſe uelle. Ac Nicolaus in epiſtola ad Michaelem, inde conatur principatum Romanę Eccleſiæ demonſtrare. Tomo 2. Concil.

Et particulares, quæ nihil decernere uolebãt, ſine cõditione de ſaluo iudicio, & priuilegio Romani pontificis. Sic quęſtionem de Spiritus ſancti proceſsione, non auſa fuit Synodus Aquiſgrana ſoluere, neque quidquam aliud definire de rebus, ad Eccleſię diſciplinam pertinentibus, inconſulto pontifice. Annonius lib. 4. cap. 95 de Francis.

Tertiò reges & principes, more pſitacorum uoces illas prędcriptas reſonãtes, quòd pontifex ſit caput Eccleſiarum Dei, & omnium ſacerdotum in toto mundo, ut appareret ex epiſtolis eorum ad pontifices.

Aut ab eo imperij poteſtatem accipientes, ſicut fecerũt pleriq; omnes Francorum imperatores, & reges hoc ſeculo. Carolus Craſſus contra Ioannis papæ uoluntatem, auxilio quorundam Romanorũ nobilium, adeptus eſt imperium. Sigebertus anno Domini 878. Sed tamen poſt annos quatuor, à pontifice inaugurari ſe paſſus eſt.

Aut ſuam poteſtatem, quam habebant in confirmanda electione Pontificis, & aliorum epiſcoporum, ultrò abijcientes ſeu negligentes. Ludouicum Nicolao conceſsiſſe, ut decretum faceret, ne princeps ſecularis aut Imperator intereſſet Synodo clericorum, Platina ſcribit. Et Simoneta lib. 5. cap. 12. refert Ludouicum ſcripſſe: Peregrinus in aliena republica, quis cæteris præferendus ſit ignorat, idcirco electionem ſolis ciuibus concedimus. Idem narrat, Carolum Imperatorem, Adriano Pontifici poteſtatem conceſsiſſe, ut quos uellet epiſcopos proponeret. At Ludouicum Paſchali retribuiſſe arbitrium, epiſcopos eligendi, lib. 5. cap. 4. Sed hæc falſa eſſe, hiſtoria ipſa refutat, ut Sleidanus bene monet libro 3. de Monarchijs.

Aut priuilegia eius commenticia renouantes & confirmantes. Paſchalis Imperatori munera miſit, & pactum, quod maioribus ſuis factum erat, ſecũ etiam fieri & confirmari rogauit, anno Domini 817. Annales Francorum, quod etiam fecit, illiq; tranſmiſit. Leo Hoſtienſis lib. 1. cap. 18. Hic pactum conſtitutionis & confirmationis fecit beato Petro apoſtolo, eiusq; uicario Domino Paſchali, parentes ſuos Pipinum & Carolum imitatus, manusq; ſuæ ac filiorum ſubſcriptione corroborans, decem epiſcopos, & octo abbates, & comites quindecim, bibliothecarium, manſionarium, & oſtiarium uestrum ſubſcribere fecit: & per legatũ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Theodorum nomenclatorem, domino Paſchali papæ tranſmiſit.

Aut nimis abiectè & humiliter ſeſe ergà illud idolum exhibentes. Ludouicus Nicolao pontifici obuiam ad mille paſſus procedens, ex equo deſcendit, & frenum equi pontificis tenens, duxit eum pedes in caſtra ſua. Simoneta libro 5. capite 11. de Pontificibus.

Aut armis potentiam eius munientes, & opibus locupletantes. Carolus Magnus tot regni ſui tempore, nihil duxit antiquius, quàm ut urbs Roma, ſua opera ſuoq; labore, ueteri polleret autoritate. Et eccleſia ſancti Petri, non ſolùm per illum tuta & defenſa, ſed etiam ſuis opibus, præ omnibus eccleſijs eſſet ornata ac ditata. Eginhardus in uita eius.

Aut eius arbitrio res politicas etiam ſubijcientes. Sic Carolus teſtamentum de partitione regni in filios ſuos, Leoni pontifici confirmandum miſit. Annonius lib. 4. cap. 92. Hinc pontifices occaſionem ſumpſerũt, ſuas manus in regnum Francorum immittendi. Lotharius ob Thietbergam repudiatam accuſatus, ad Nicolaum pontificem, in eius iudicium ſeu arbitrium ex parte conſenſit. Vnde ille poſtea noluit cõcedere, ut ſe ad aliud iudicium res trãsferretur: inquiens, contra ſacros canones eſſe, à iudicibus quos communis cõſenſus elegerit, aliò prouocare. Regino lib. 2.

Aut ab eo reſtitutionem petẽtes, ſi quando erant pulſi. Sic Eardulfus rex Nortumbrorum, regno & patria pulſus, Romã adijt, & per legatos Pontificis & Caroli Magni, in patriam reductus eſt. Annonius libro 5. cap. 94. de Francis: & Regino libro 2. anno Domini 808.

Aut ad eius ſententiam, epiſcopos ſuos remittentes. Sic Baſilius Photium & Ignatium Conſtantinopoli de patriarchatu litigantes, Romam miſit, ut coram pontifice ſuam cauſam agerent. Liber pontificalis in uita Adriani.

Aut benedictionem & gratiam eius, nimis magno æſtimantes. Sic Lotharius Adriani benedictionem adeò expetit, ut propter eam Romam eat. Regino libro 2.

Aut ab alijs iuſtè oppugnatum defendentes. Bernhardus rex Italiæ, Italos & Romanos, collectis copijs Leonis, prædia diripientes compeſcit. Annonius lib. 4. cap. 101.

Aut libros, contra eius ambitionem ſcriptos, ei mittentes. Sic Baſilius Photij uoluimen contra Nicolaum, & Romanæ Eccle-

ſiæ

siæ ambitionem scriptum, ad Adrianum misit, & sententiam de eo petijt. Liber Pontificalis in uita Adriani.

Aut è regnis suis, uectigalia & tributa assignãtes. Ita Etteluuolphus, seu Adulphus, ut alij scribũt, Romam profectus, tributum beato Petro obtulit corã Leone quarto, scilicet argenteum nummum de singulis domibus. Vuilhelmus li. 2. cap. 2. de Anglis. Radulphus uerò lib. 5. cap. 30 narrat, eum cum Romã uenisset, & suos Anglos publicè pœnitentes uidisset ferro uinctos ad templum stare, accessisset Pontificem, ac illã suæ gentis ignominiam, redemisse cõstitutione illa, ut de singulis domibus regni sui annuatim denariũ acciperet, ac insuper quotánis trecentas marcas: centũ ad luminaria Petri, & totidem ad Pauli, & centum papæ mississe: atq; ita impetrasse, ne Angli pœnitentes, extra patriam suam unquam uincula gestarẽt. Albanus rex Britonum, à Normannis afflictus, uotum uouit, cum assensu subditorum suorum, quòd si Deus sibi uictoriam largiretur, uelit decimam partem omnium bonorum suorum, Deo & sancto Petro Romam mittere. Regino lib. 2.

QVI SESE OPPOSVERINT DOMINATVI *Romani antichristi.*

DEus hoc seculo, memorabili & insigni facinore, reuelauit turpitudinem sedis pontificiæ, & illam Babylonicam meretricem, omnium oculis & cõspectui subiecit, ut pij agnoscerent, sanctam illam, quæ à toto mũdo colebatur, dignitatem pontificiã esse matrem omnis fornicationis spiritualis & corporalis, eamq; detestari & abominari discerent. Nam Ioannes Anglus, natione Mogũtinus, qui post Leonem, duos annos & menses quinq; pontificem egit, fœmina fuit, & insigne scortum, quæ à collega suo Cardinale imprægnata cum de S. Petro ad Lateranensem ecclesiam procederet, in publica Pompa puerum peperit. Hoc facinus sequentes pontifices, damnare quidem uisi sunt. Nam ab ea uia semper declinarũt, eunt es in Lateranensem Eccl-siã, & nomen huius meretricis, ex catalogo pontificum exturbarũt. Sed nihilominus re ipsa tales manserunt, nimirum omnis idololatriæ & forni cationis patroni, ac mancipia diaboli. Radulphus libro 5, capite 32. Sigebertus, anno Domini 854.

Deinde habuit Christus & Ecclesia, etiam aliquos, licet paucos, qui dominatum pontificis seu Antichristi Romani improbarunt, & quantum in ipsis fuit, remorati sunt.

Inter hos fuerunt primum episcopi. Nam Luitpertus Moguntinus archiepiscopus in epistola ad Ludouicum, accusat papã, quòd inaudita & occulta persecutione, humana diuinis præferat, & relicto salutis tramite, in præceps eat, & sequentibus sese, foueã perditionis aperiat: ac suadet, ut Carolũ fratrẽ & episcopos eius sibi adiungat, ac illũ in uiam & ordinẽ redigere studeat. Otgarius archiepiscopus Moguntinus, secundum Lotharij matrimonium probauit, contra pontificis sententiam, ut patet ex epistola Rudolphi monachi ad eundem. Et Hincmarus in epistola ad Laudunensem cap. 6, planè asserit, nec licere episcopis prouincialibus, sedẽ apostolicam de causis generalib. consulere, tanquã cũ suis archiepiscopis de ijs contulissent, nec opus esse, ut archiepiscopi de illis rebus, de quib. in Scriptura, Cõcilijs, Canonibus & Pontificũ decretis pronunciata sit sententia, expectẽt iudiciũ Romanæ sedis. cap. 34. Idem dictum illud: Tu es Petrus, & super hanc petram, exponens inquit: Super hanc firmam & solidam fidei cõfessionem, quam tu es cõfessus, ædificabo ecclesiã meam. Idem in epistola ad Adrianum negat se posse eius præcepto, de communicãdo Carolo Caluo, obtemperare, cum is nondum in iudicio, de crimine sit cõuictus: & ex Leone probat, ligandi & soluendi potestatẽ, ad omnes Ecclesiæ principes cõmeasse: ac monet eum, ut ea præcipere desinat, quæ piè fieri nequeant, & ne ad delationem unius partis decreta cõdat, sed ut alteram partem audiat. Nam Laudunensem episcopum, & alios, falsa ipsi detulisse. Et Claudius Taurinensis, non modò adorationem imaginum, & peregrinationem Romam uersus, sed etiã principatum Romani pontificis impugnauit, ut apparet ex epistola eius ad Theodomirum abbatem.

Et Guntherus Colonienſis, Thetgandus Treuerẽsis, & alij episcopi Belgici, satis grauiter tyrannidem Nicolai pontificis redarguunt in epistola ad ipsum, quę extat libro 4 Animalium Auentini, ubi Guntharius & Thetgandus inquiũt, Patres, episcopi & fratres coepiscopi nostri, nos ad te misêre: ipsi quoq; spõte Romã uenimus, acta tibi obtulimus, ut si quid in his peccatũ erratum'ue uideretur, tanquã parens pientissimus, benignè & modestè, ut præceptorem decet, cõmonefaceres. Tu uerò accepto libello nostro, uiginti amplius diebus nullũ omnino, uel per internuncios responsum reddidisti, tantũ abfuit, ut in cõspectũ tuũ admitteres. Nos ociosi sedimus Romę. post demũ mensem ferè nos accersitos, ubi absq; cunctatione aduolauimus, & nihil mali suspicantes, quasi more latronũ oppressisti. Nam statim, ubi in ædes recepti sumus, pessulo foribus obdito, expoliatos omni ope humana, & circundatos turba paganorũ, comites nostros sacris prophanisq; exclusisti, ibi contra fas,

contra decreta, moremq; maiorũ, sine cœtu Ecclesiastico, cum circumstetisset nemo archiepiscopus, nemo pontificum & symmystarum accesit, neque tu aut de errore nostro quicquam disseruisti, aut ratione aliqua, testimonio, scripto aut argumentis, errorem per te arguisti, nec quicquam penitùs tu disseruisti: sed subitò & de improuiso, cum lateri tuo hæreret Anastasius monachus, sententiam contra nos iniustam, temerariam & nefariam, de chartula effudisti, & satis proteruè tuis fratribus atque conseruis, uerbis illusisti. Immortalis Imperator, Augustam & sponsam suam clara æternaq; supellectile instruxit, dote non caduca condecorauit, sed perpetuò diademate ac sceptro prouexit. Fecit eidem potestatem atque copiam, ut diuos cõsecraret, cœlo assereret, ægros curaret, mortuos immortalitate donaret. Quæ beneficia, tu ueluti latro intercipis, templo Dei præripis, in teq; transfers, atque lupus factus es ouibus, uiuos occidis, fortes superis detrahis, uulneribus gladium melle litum condis, mortuos ad inferos extrudis, quibus per te reuiuiscere non licet. Tu pontificis quidem personam præ te fers, at tyrannum agitas: sub cultu pastoris lupum sentimus. Titulus parentem mentitur, tute factis Iouem ostentas. Cum sis seruus seruorum, dominus dominantium esse contendis. Atqui iuxta disciplinam Christi seruatoris, non infimus es omnium ministrorum tẽpli Dei. Tu uerò libidine dominandi in præceps abis, quicquid tibi libet licet, fucusq; factus es Christianis. Hisce de causis nos, cum fratribus nostris & collegis, neque edictis tuis stamus, neque uocem tuam agnoscimus, neq; tonitrua tua timemus. Tu eos qui senatusconsultis non parent, impietatis condemnas, ijsdem sacrificijs interdicis. Nos tuo te ense iugulamus, qui edictum Domini Deiq; nostri conspuis, concordiam colloquij discindis, pacem immortalem cœlestis principis tesseram uiolas. Spiritus sanctus autor est omnium Ecclesiarum, quà longissimè & latissimè terrarum orbis porrigitur. Ciuitas Dei nostri, cuius municipes sumus, ad uniuersos cœli cardines pertinet. Maior est urbe quæ Babylonia à sacris uatibus appellatur, ut quę diuinitatem usurpet, cœlo se æquet, se æternã fore, neque unquam errasse aut errare posse gloriatur. Ac testatur liber Pontificalis, Damaso adiunctus, Haganonem, & Ioannem Rauennatem episcopum, & Gregorium fratrem eius, contra sedem Romanam multa passim sparsisse, ac in suam sententiam alios ultra montes & maria habitantes traduxisse, & planè nihil pontificis anathema curasse, sed in suo officio permansisse, & sacra administrasse. Regino uerò narrat, eos ad Ludouicum fratrem Lotharij, de pontificis iniusticia questos esse, quòd contra canones, sine principis assensu, aut metropolitanorum præsentia depositi sint: sed parum profecisse, & Thetgandum quidẽ à sacris abstinuisse, Guntharium uerò suum munus, ut antea, obiuisse. libro 2.

Irem monachi & alij doctores. Nam cum Drogone archiepiscopo, plures abbates & uiri docti, cum pontifice Sergio ligitarunt Romæ, & apertè reprehenderunt, quòd sese conaretur ab obedientia Imperatoris subducere. Liber Pontificalis. Et cum Gregorius 4. uenisset in Franciam, eo tempore, quo diffidebant Ludouicus & filius eius: & rumor esset, illum excommunicationem in Ludouicum parare, respondit Drogo Metensis, cum alijs episcopis Germaniæ: Si Romanus sacerdos nobis malè precaturus aduenit, ipse quoque malè audiet, & diris deuotus abibit. Auentinus lib. 4. Annalium.

Tertiò, Ecclesiæ Græcorum. Nam Ecclesia Constantinopolitana noluit Romanæ sedi subesse: ut patet ex Nicolai decretis, tomo 2. Concil. Et Photius patriarcha Constantinopoleos, integrum uolumen in Synodo sua, contra Rom. Pont. ambitionẽ, & de Nicolai sceleribus conscripsit: ut patet ex uita Adriani in lib. Pontificali. Et episcopi orientales in octaua Constantinopolitana, qui suo chirographo uisi fuerant approbare pontificis Romani dominatum, postulant, sibi libellos illos restitui, ut possint suam libertatem tueri. Liber pontificalis in uita Adriani tertij.

Quartò, Imperatores, penes quos erat ius confirmandi pontifices. Nam Stephanus electus in pontificem, statim legatos ad Imperatorem misit, qui ab eo confirmationem peterent. Annonius lib. 4. cap. 102. de Francis. Et Paschalis, sine imperatoris Ludouici assensu pontifex appellatus, in clerum & populum electionis culpam per oratoré reiecit. Imperator id molestè quidem tulit, sed tamen moderatè respondit: debere eos uidere, ne maiestatem lędèrent, nec pacta uiolarẽt. Simone ta lib. 5 cap. 4. Defuncto Valẽtino papa Gregorius presbyter electus, sed non prius ordinatus est, quàm legatus Imperatoris Romã uenit, & electionem populi, qualis esset, examinauit. Annonius lib. 4. cap. 114. Cum Sergius, sine imperat. Lotharij assensu pontificatum inijsset, misit Romã Ludouicum filium suũ, & Drogonẽ Metensem archiepiscopũ, & plures alios episcopos, abbates & comites, cum ualido exercitu, qui cum pontifice diu multumq; disputarũt: ac ostenderũt, papã debere subiectũ esse Cæsari, nec rectè sine eius cõsensu cõsecrari. Coegerunt etiã ciues Romanos fidẽ Imperatori iurare. Liber Põtificalis. Ludouicus Tiginensis, & Catalogus testiũ in Drogone.

Drogone. Et Romani fatentur, se sine imperiali authoritate non habere ius creãdi pontificem. in uita Leonis quarti. liber pontificalis, & Luitprandus. Hanc potestatẽ Adrianus tertius, anno Domini 895 conatus est Imperatorib. eripere, suo decreto, ne in creando pontifice authoritas Imperatoris expectaretur. Platina.

Et qui Romæ ius dicebant. Nam Carolus Magnus iudicium Romæ instituit, & iussit Leonis aduersarios suã causam agere, & crimina obiecta põtifici probare: quod cũ non potuissent præstare, maiestatis rei capite dãnati sunt, pontifice per iusiurandũ sese purgante. Annonius lib. 4. cap. 88. de Francis. Et Ludouicus inquirit in autores cædis Theodori, & Paschalẽ pontificem eius insimulat. Annonius lib. 4. cap. 110. Et Lotharius à Ludouico Romã missus, statũ populi Romani iam dudũ quorundã peruersitate præsulum deprauatũ, egregiè correxit. Annonius li. 4. cap. 111. de Francis. Sed Brutus Sergij frater, amplissimis muneribus ab imperatore sibi dominiũ Romę acquisiuit. Luitprãdus in uita Sergij. Et in diuisione imperij, inter filios Ludouici facta Lothario cessit Italia, Roma, Lotharingia ac Burgundia: ut Helmoldus indicat lib. 1. cap. 4. de Sclauis. Et Arnulphus Romam cæpit, sibiq; & pontifici Formoso subiecit, anno 896. Regino libro 2.

Et imperatores Græci. Michael Græcorũ Imperator, in epistola ad Nicolaum pontificem planè eius principatũ super Ecclesias, ex uerbo Dei & patrib., concilijs & historijs refutauit & impauit ei, ne deinceps eũ affectaret, neq; Ignatium Romã uenire iuberet: ut patet ex respõsione Nicolai, tõ. 2. Concil.

Et reges. Carolus Caluus, Laudunẽsi episcopo Romã appellanti, & postea à pontifice euocato, noluit concedere ut eò iret: ut patet ex epistola Hincmari ad Adrianum.

Et Franci. Nam cũ mortuo Lothario Carolum Caluum creassent regẽ, Adrianus ad Hincmarum Remẽsem episcopũ scripsit, eumq; excõmunicari iussit, ut posset ipse alium, quẽ uolebat, illis designare regem. Sed Frãci ecclesiastici & policiti uiri, in Remensi cõuentu respondẽt, hãc esse nouã papę tyrannidẽ. Nam nullã unquã talem præceptionem à sede Apostolica ad episcopos Galliæ missam esse. Deinde aiũt secularẽ Scripturã dicere, Omne regnũ huius seculi bellis q̃ritur, uictorijs propagatur, & nõ Apostoli uel episcoporũ excõmunicationib. Tertiò inquiunt, Scripturã diuinam dicere, Dñi est regnum, per quem reges regnant, & cui uoluerit dat illud. Quartò, ad obiectionẽ de potestate ligandi & soluendi pontifici & episcopis data respondẽt, Vos ergo solis orationibus uestris regnũ cõtra Nortmannos & alios impetentes defendite, & nostrã defensionem nolite quærere: & si uultis ad defensionem habere nostrum auxiliũ, sicut uolumus de uestris orationib. habere adiutoriũ, noli te quęrere nostrũ dispendiũ, & petite dñm Apostolicũ, ut quia rex & episcopus simul esse nõ potest, & sui antecessores Ecclesiasti cum ordinẽ, quod suũ est, & non rempublicam, quod regũ est, disposuerunt, nõ præcipiat nobis habere regẽ, qui nos in siclõginquis partib. adiuuare nõ possit, cõtra subitaneos & frequẽtes paganorũ impetus: & nos Francos non iubeat seruire, cui uolumus seruire, quia istud iugũ sui antecessores nostris antecessoribus non imposuerunt, & nos illud portare nõ possumus, qui scriptũ esse in sanctis libris audimus, ut pro libertate & hęreditate nostra usq; ad mortẽ certare debeamus. Et si aliquis episcopus aliquẽ Christianum contra legẽ excõmunicat, sibi potestatem ligandi tollit: & nulli uitã æternam potest tollere, si sua peccata illi eam nõ tollũt. & non cõuenit ulli episcopo dicere, ut Christianum, qui non est incorrigibilis, nõ propter propria crimina, sed pro terreno regno alicui tollẽdo uel inquirẽdo, nomine Christianitatis debeat priuare, & eum cum diabolo collocare, quẽ Christus sua morte & suo sanguine de potestate diaboli uenit redimere, & Christianos pro fratrib. suis animas suas docuit ponere. Propterea si Dñs Apostolicus uult pacẽ quærere, sic pacem quærat, ut rixã nõ moueat: quia non nos cõcredimus, ut aliter ad regnũ Dei peruenire non possimus, si illũ quem ipse commẽdat, terrenum regem non habuerimus.

Et Romanus senatus. Nam is contra Ioannis papæ uoluntatẽ, Carolũ Crassum Imperatorem designauit: & papã Ludouico balbo addictũ, in carcerẽ coniecit. Sigebertus, anno 879. & Auentinus lib. 4. Annaliũ. & prĩmores Romanorũ de Leone interficiendo conspirasse, Annonius indicat lib. 4. cap. 101.

Et alij Itali iugũ pontificium indignè. ferentes, & excutere molientes. Sic cum Romani Leonem papam cognouissent morbo capitali correptũ, collecta manu, omnia prędia quæ idem pontifex in singularũ ciuitatum tentorijs nouiter construxit, primò diripiunt, deinde immisso igne cremant: tum Romam ire statuũt, & quæ sibi erepta quærebantur, uiolenter auferre. Annonius libro 4. cap. 101. De Francis.

DE OFFICIIS POLITICI MAGISTRAtus in iuuanda gubernatione, & conseruanda disciplina Ecclesiastica.

AEdificationem & disciplinam Ecclesiæ, Imperatores & reges, & alij politici gubernatores, interdum sua authoritate & neruo adiuuerunt.

Nam operam dederunt, ut idonei præsertim in amplioribus Ecclesijs doctores constituerentur. Sic Ludouicus Ansgarium Hamburgensi ecclesiæ præfecit anno 814. Chronicon Saxoniæ. & Traiectensi Fridericum: Rainulphus lib. 5. cap. 29. in Polychronico. Aluredus rex Anglorum, neminem illiteratum, ad quamcunque dignitatem Ecclesiasticam adhiberi permisit, Idem libro 6. cap. 1. Duneulphum literis excultum: Vintonienſi præfecit Ecclesiæ. Idem libro 6. cap. 3. Ludouicus, nemini Ecclesiasticam dignitatem cõtulit, ob pecuniam: sed probè obseruauit qui doctrina & bonis moribus ornati essent, Regino lib. 2. Pappo dux Turingorum, & Arnulphus, in sedem Moguntinam collocant Sunzonem monachum Fuldensem. Regino lib. 2. Hac tempestate erat magna Regum saper Ecclesijs dispositio. Nam uacantibus dabant ipsi pontifices, quos à Papa confirmari poscebant. Ita cõmendatus est Ansgarius ad Hamburgensem ecclesiam, à Ludouico Imperatore summo põtifici Gregorio. Sic ad eãdem, & ad Bremensem, simul cõmendatus est idem Ansgarius, à rege Ludouico, pontifici Nicolao, & ita reliqui omnes. Cranzius in Metropoli lib. 2. cap. 21.

Ad ueræ doctrinæ susceptionem & propagationem, tum gentes, tum Iudæos hortati sunt. Quare clerus & omnis plebs Moguntina, in epistola ad Carolũ Magnum, pro Otgagario, maximis laudibus, eum uehunt, quod eius studio & labore effectum sit, ut Christi nomen in multis locis colatur.

Aut episcopatus instituerunt. Carolus in urbe Compostella, ecclesiam Iacobi alijs omnibus superiorem fecit, eiq; subiecit totam terram Hispaniæ & Galliæ, ac iusit ei de singulis domibus quatuor nummos annuatim pendi. Vincentius lib. 24. cap. 17. ex Turpino.

Idololatrias abrogarunt. Nam Ericus rex Danorũ præcepit suis subditis, ut idola desererent, & Christi fidem amplecterentur. Cranzius libro 1. cap. 36. in Metropoli.

Blasphemos & contemptores excõmunicationis cohercebant, ut patet ex cap. 8. Triburiensis synodi: Si quis inuentus fuerit contempsisse bannum ab episcopis impositum, quadraginta dierum castigatione corripiatur, tantum in pane, sale & aqua.

Leges de rebus sacris & Ecclesiasticis non iuxta aliorum distorta iudicia, sed iuxta episcoporum ex uerbo Dei propositas sententias sanciebant: ut patet ex actis synodorum, à Carolo, Ludouico & alijs indictarum.

Abusum excommunicationis præcauebant, aut per episcopos emendabant. Sic Carolus Caluus Laudunensem episcopum, qui presbyterum quendam iniustè excommunicarat, per alios episcopos curauit admoneri, ut agnita iniuria, mutaret excommunicationis sententiam. Hincmarus in scripto suo cap. 9. ad Laudunensem episcopum.

Hæreticos damnatos à Synodis & factiones, legibus & suo neruo reprimebant. Michael in Manichæos, Attinganos in Lycaonia & Phrygia degentes, capitalem pœnam consilio episcoporum quorundam promulgauit. Paulus Diaconus libro 24. rerum Roman. & potestate exilio affecit. Ibidem.

Et alios sacerdotes, seditiosè contumelioſos in magistratum, puniebant. Nam Nicephorus Imperator, multos episcopos & monachos, qui erant cum seditiosa factione Arsabiri patricij, exilijs affecit. Paulus Diaconus libro 34. rerum Rom. Et Ludouicus Pius Ebbonem Remensem, & alios episcopos seditiosos, depositi ab officijs. Sigebertus. Idē Anshelmum Mediolanensem, Vuolfoldum Cremonensem, & Theodolphũ Aurelianensem, propter coniurationẽ contra se factã in Italia cũ Bernardo rege, Synodali decreto depositos, monasterijs iussit mancipari. Cæteros, prout quisq; uel nocentior, uel innocentior apparebat, uel exilio deportari, uel detrudi atque in monasterijs conuersari. Annonius lib. 4. cap. 105. de gestis Francorum.

Episcopos & presbyteros sui officij admonebant. Carolus Magnus in concessione priuilegiorum, episcopos monet, ut eos qui res Ecclesiæ rapiant, separent à Deo, & anathemati subijciant.

Scelera & peccata prohibebant, & puniebant. Carolus Magnus seriò prohibet, ne quis res Ecclesiæ rapiat: ac contra eius decreti uiolatores, præter pœnas Ecclesiasticas, ipse quoque politicas satis graues statuit, in priuilegio suo.

Consuetudines & leges pietati honestati & iusticiæ contrarias, damnabant & abrogabant. Sic Carolus in quodam decreto Vuormaliciẽfacto uetat, ne amplius episcopi in militiam proficiscantur: neque teneantur alios pro sese mittere, quod hactenus in usu fuerat. Ludouicus secundus Imperator, usum auri sericiq; præcipuè militibus ademit. Si quẽ in exercitu sericatum, aut inauratum conspicatus fuit: Eho mortalium stultissime, non satis est tibi (inquit) ut solus pereas, nisi & res tuas hostibus tradas, atque eos locupletes, quò diutius faciliusq; nobis resistant? Exteros habitus edicto prohibuit. Auentinus libro 4. Annalium.

Et superstitiones. Nicephorus imaginum improbauit cultum: & damnauit eos qui ex superstitione, aurea & argentea uasa, diuinis obsequijs conferebant. Paulus Diaconus lib 24. rerum Rom.

Ministris Ecclesiæ immunitatem ab oneribus publicis cõcedebant. Etheluuolphus, omnes

mnes Ecclesias regni sui ab omni tributo regali liberauit. Ranulphus lib. 5, cap. 30. in Polychronico.

Ecclesias & Episcopos dissidentes ad concordiam hortabantur. Sic Michael Imperator reconciliauit patriarcham Nicephorum ac Platonem, & reliquos eius aduersarios: Paulus Diaconus lib. 24. rerum Rom. Carolus Caluus Hincmarum Laudunensem monuit, ut cum auunculo suo in gratiam rediret: ut patet ex epistola Hincmari cap. 51.

Libros Apocryphos legi & haberi uetabant. Nam Carolus & Ludouicus, in templis tantum canonicos libros legi constituerunt: ut patet ex Anfegiso.

Libros sacros in patriam linguam trãsferri curabant. Aluredus rex Anglorum, Psalterium cœpit transferre in uernaculam linguã, & Vueresridum Vigornien sem episcopum iussit dialogos Gregorij Saxonicè reddere. Ranulphus lib. 6. cap. 1. Et Ludouicus curauit libros Dionysij Areopagitæ de Hierarchia Latinè reddi, Sigebertus.

Bonis Ecclesiasticis conseruãdis & augendis studebant. Carolus in priuilegio suo edicit, ne quis monasteria, aut prędia, aut quascunq; res de potestate episcopi, uel abbatis, uel abbatissæ præripiat. Idem in decreto suo sic ait: Quod si quis absq; consensu episcopo rum & uolũtate, in quorũ parochijs esse nosc̃tur (ullo unquã tempore) res ecclesiarum petere, aut inuadere, uel uastare, aut quocunque ingenio alienare præsumat, tam nostris quàm & successorũ nostrorũ tẽporib. pœnis sacrilegij subiaceat, & à nobis ac successoribus nostris, nostrisq; iudicib. uel comitibus sicut sacrilegus & homicida, uel fur sacrilegus, legaliter puniatur, & ab episcopis nostris anathematizetur, ita ut mortuus etiam sepultura & cunctis Dei Ecclesiæ precibus & oblationibus careat, nec eleemosynam suam quisquã recipiat. Et B. Symmachus papa cunctos tales Synodali sententia feriendos dicit. Quapropter sciat unusquisque nobis subiectus, qui in uno ex his repertus atque cõuictus fuerit, & honores si habet, omnes perdere: & in carcerem se, usq; ad iustam emẽdationem, atq; per publicæ satisfactionẽ pœnitẽtiæ retrudi, & ab omnium fidelium cõsortio fieri alienũ. Ludouicus cuilibet Ecclesiæ unũ mansum, & seruum & ancillã destinauit: Annonius lib. 5. cap. 10. Idem Pipinum regẽ Aquitaniæ iussit restituere Ecclesijs bona sua, quę abalienauerat. Annonius lib. 5. cap. 16 & 17.

Scholas & artium studia liberaliter fouebant. Alfredus tertiã partem bonorũ suorum in scholas contulit. Vuilhelmus lib. 2. cap. 6. de gestis Anglorum, & Ranulphus lib. 6. cap. 1. Et Canon 3. Cabillonensis testatur, Carolum scholas instituisse. Etheluuolphus Romæ scholam Anglorum reparauit. Vuilhelmus lib. 2. cap. 2. de Anglis. Aluredus scholas publicas uariarum artium apud Oxonium instituit, & magnam partem suorum bonorum in scholasticos contulit. Ranulphus lib. 6. cap. 1. in Polychronico. Bardas nihil fecit boni, nisi quòd eruditionis prouehẽdæ magnum studium habuit. Nam Philosophia neglecta iacebat, ac propè omnino extincta erat, ut ne scintilla quidem eius supereesset: in causa fuerat Imperatorum insciti a. Sed hic cuique disciplinæ scholas constituit, & doctores designauit, & singulis publica stipendia decreuit, & omnibus magnum & communem doctorem præfecit Leonem philosophum. Zonaras tomo tertio.

Custodes erant Ecclesiasticæ & monasticæ disciplinæ. Theophilus melodias compositi, eiusq; carmen illud esse fertur quod in festo Palmarum cantari solebat, Exite gentes, exite populi. Zonaras tomo 3. Ludouicus in Synodo Aquisgranensi, de sacerdotũ luxu leges tulit: & pontificibus, monachorũ patribus: & uniuersis sacerdotibus usum prẽcioso rum uestimẽtorum, serici, gemmarum, auri, argenti, in baltheis, cultris, uaginis, phaleris & calcaribus prohibuit. Monstro enim simile ducebat, si Ecclesiasticæ deputatus familiæ, conaretur aspirare ad seculares ornamenta gloriæ. Annonius lib. 5. cap. 11. Auentinus lib. 4. Annalium. Alfredus psalmos & orationes, in unum libellum cõpegit, quem manualem appellans, iugiter secum tulit. Ranulphus lib. 6, cap. 1. Imperator Ludouicus cœnobia nonnarum uisitari, & quæ in ijs malè fierent corrigi iussit. Rabanus in epistola ad episcopum quendam: Annonius libro 5. cap. 15. de Francis.

Synodos conuocabant, ut constat ex Capite de Synodis. Et Hincmarus uniuersalem & generalem Synodum dici asserit, quę Apostolicæ sedis iussione, & imperiali conuocatione fiat. cap. 20. ad Laudunensem. Et iussu Caroli concilia per totam Galliam ab episcopis celebrata sunt. Annonius lib. 4. ca. 99. de Francis Ludouicus etiam Aquisgrani Synodum ad emendationem Ecclesiasticorum conuocauit, non expectato pontificis iussu: ut patet ex actis.

In ijs uerò præstò erant, & ut omnia ordine & tranquillè fierent curabant: ut patet ex actis Synodorum.

Et decreta Synodorum ad Ecclesias & episcopos mittebant, ijsq; obediri præcipiebant. Sic Ludouicus Pius in epistola Saltzburgẽsi episcopo mandat, ut Synodi decreta amplectatur, eaq; clericis proponat, & ipse obseruet. Catalogus testiũ ueritatis Illyrici.

Sedes episcopales & archiepiscopales pro suo arbitratu collocabant, aut transfere-

bant. Ludouicum Hildesheimenses episcopatum anno Domini 814. constituit. Chronicon Schafnaburgense. Et ex Hamburgensi & Bremensi unam parochiam fecit, atque Ansgario tradidit. Helmoldus libro 1. cap. 5. de Slauis.

Publicam pacem conseruabant. Sic Michael ad Carolum regem Frãcorum legatos pro pace misit. Paulus Diaconus libro 24. rerum Rom. Idem Irene fecit, & Nicephorus. Anno nius lib. 4. cap. 88 & 96.

Ad bibliothecas instruendas sumptus ferebant. Carolus Magnus per Isuardum monachum, in unum uolumen historias martyrum congeri curauit. Vincentius libro 24. cap. 2. Michael Constantinopoleos Imp. Ludouico Imperatori libros Dionysij Areopagitæ de Hierarchia misit, qui Parisijs in templum eius repositi sunt. Sigebertus. Carolus Magnus Aquisgrani, in palatio suo, bibliothecam preciosissimam, & maxima copia librorum instructam habuit. Trithemius de uiris illustribus.

Templorum, monasteriorum, xenodochiorum ædificationem, exornationem & renouationem, suis sumptibus, reditibus & priuilegijs promouebant. Carolus secundus multa monasteria construxit, & collapsa renouauit. Martinus in uita eius. Carolus Caluus monasterium Cornelij apud Compendium extruxit. Vincentius libro 24. cap. 43. Leo imperator, ædem Thomæ apostoli cum alijs ædificijs incendio absumptam, renouauit. Zonaras tomo tertio.

QVAE A' POLITICIS VIRIS CONTRA *suum officium & Ecclesiæ utilitatem gesta sint.*

Abusi tamen nonunquam sunt magistratus & aulici consiliarij sua potentia, cõtra Ecclesiæ utilitatem.

Nam quidam idololatricos cultus confirmarunt & promouerunt. Ludouicus enim ad Mariæ cultum, in Synodo Aquisgrani, diem assumptionis Mariæ festis addidit, & celebrare præcepit. Auentinus libro 4. Rex Frãcorum ad Fuldense monasterium uenit, ibiq; Bonifacium & seruos eius uisitauit: ut patet ex epistola Sigehardi ad Gebehardum episcopum.

Quidam episcopos suis aulicis malè tractandos, quasi propinarunt. Sic Nicephorus principes militares iussit episcopis uti ut seruis. Paulus Diaconus lib. 24. rerum Rom.

Quidam hæreticos restituerunt, cum nondum egissent pœnitentiã. Nicephorus Manichæis, & Attinganis in imperio suo securitatem dedit, ubi uellent habitandi: unde multi eorum secta correpti sunt. Paulus Diaconus libro 24. rerum Rom.

Quidam synceros & constantes doctores propter concionem pœnitentiæ sibi propositam, afflixerunt. Iudith uxor Ludouici, curauit interfici Fridericum Traiectensem episcopum, eo quòd connubium eius cum Imperatore damnasset. Ranulphus lib. 5. cap. 29. in Polychronico. Bardus Ignatium, à quo excommunicatus erat, ob uxorem suam repudiatam, & consuetudinẽ cum nuru sua, multis malis affecit. Zonaras tomo 3. Basilius Photium, similem ob causam ab officio remouit. Zonaras eodem.

Quidam inter episcopos & monachos dissidia concitarunt, aut auxerunt. Rex quidam Brunuuardum abbatem, & monachos eius, contra Otgarium archiepiscopum excitauit, eisq; interdixit, ne ei obedirent. Rabanus in epistola ad Brunuuardum.

Quidam Baalismum instituerunt, aut promouerunt. Carolus Magnus abrogata missa Ambrosiana, Gregorij obseruari ubique præcepit. Cranzius in Metropoli libro 1. cap. 18. Etheluuulphus rex Angliæ, cum episcoporũ suorum assensu Ecclesias & monasteria in regno suo exemit à publicis oneribus ac sanxit, ut monachi, sacerdotes & moniales in qualibet Ecclesia singulis septimanis die Mercurij conueniant, & cantent Psalmos quinquaginta: & unusquisque presbyter duas Missas, unam pro rege, aliam pro ducibus, non tantum dum in uiuis sint, sed etiam post mortem eorum. anno Domini 844. Vuilhelmus libro 2. cap. 7. de Anglis.

Alij conuocatis Synodis, partem innocentem damnari curabant. Sic Nicephorus contra Platonem & consortes eius, qui Tarasium damnabant ob negligentiam in ministerio, conuocat aliquot episcopos, & egumenos illis infensos: & lata sententia aduersus bonos, quos monasterijs & urbe continuò pellit. Paulus Diaconus libro 24. rerum Roman.

Ex superstitione magistratu sese abdicarunt, & clerici aut monachi aut eremitæ facti sunt. Rex Bulgarorum sese regno abdicans, monachi habitum sumpsit, anno 865. Sigebertus. Et Lotharius, regno inter filios diuiso, in Prumiense monasterium secessit, & tonsura & habitu monachus creatus, paulo pòst mortem obit. Regino libro secundo. Adon Viennensis ætate sexta. Alexius Mesoles, ex genere Imperatoris & Caxius Mesoles, ex genere Imperatoris & Caxius fit monachus. Zonaras tomo 3. Eduulfare fit monachus. Zonaras tomo 3. Eduulphus rex Orientalium Anglorum, apud Cetnelienſe cœnobium in Dorseca uia, iuxta fontem Augustini, uitam heremiticam solo pane & aqua protriuit. Ranulphus libro 5. cap. 32. Michael reuersus ab infelici pugna cum Bulgaris, deponit diadema, & fit monachus, Annonius libro 4. capite 99. de Francis. Vui-

cis. Vuinnigisus dux Spoletanus idem fecit. cap. 109.

Quidã episcopis præscribere conati sunt, quos debeant excommunicare. Sic Zuendiboldus, cum Dursos non posset expugnare, præcepit episcopis, ut in hostes suos Reginonum & Odacrum, & socios eorum, anathema promulgarent. quod cum illi denegassent, cõuicijs & contumelijs affecti sunt. Regino libro 2, anno 899.

Alij ex superstitione in martyrum & mortuorum honorem magnas impensas fecerunt. Michael Imperator sepulchrum Tarasij nonagintaquinque libris argenti obduxit. Paulus Diaconus libro 24 rerum Rom. Et Basilius uana opinione fascinatus, quasi templorum ædificatione expiari posset suũ parricidium, Michaeli archangelo multa tẽpla extruxit. Zonaras tomo tertio. Arnulphus in honorem Hemetani muros Ratisbonæ amplificauit, eoque ossa Dionysij Areopagitę transtulit. Erphordensis, & Auentinus lib. 4 Annalium. Adelfredus multa munera ad S. Thomam in Indiam misit. Vuilhelmus lib. 2, cap. 16, de Anglis.

Alij ex errore, quasi animabus maiorum subueniri possit, eleemosynis liberales fuerunt. Sic Ludouicus rex Germanorũ diabolica apparitione sui parẽtis motus, ad diuersa monasteria misit eleemosynas, ut pro eo fierent sacra. Sigebertus anno 875.

Alij superstitionem de reliquijs sanctorũ uenerandis, suis edictis & exemplis confirmarunt. Lotharius Hermetis reliquias misit in Gallias, anno Domini 851. Sigebertus. Et Leuculphus dux Saxonum, pater Ottonis, corpus Innocentij papæ è Roma in Saxoniam transtulit, anno 865. Sigebertus, Michael Imperator Nicolaum, ob Mariæ imaginem remotam, lingua priuauit. Paulus lib. 24 rerum Rom.

Alij erga episcopos & monachos profusè largi fuerunt. Michael patriarchæ libras auri quinquaginta, & clero uigintiquinque donauit. Procopia omnes sacerdotes & monachos locupletauit. Paulus lib. 24 rerũ Rom. Et postea cum Theophylactus coronaretur Imperator, patriarchæ dedit libras uigintiquinque auri, & clero centum. Paulus eodẽ. Bernhardus comes de Saxonia, Bonifacio seu monachis Fuldensibus dimidiam partẽ suæ hæreditatis dedit de agris, mancipiis, ædificijs, & arcibus: ut pater ex epistola abbatis Fuldensis ad comitem quendam.

Alij in suscipiendis pontificijs ceremonijs nimis faciles sese præbuerunt. Carolus iunior in epistola ad clerum Rauennatem testatur quidem, diuersos ritus missarum suo tempore passim obseruari: sed tamẽ, inquit, nos sequendam ducimus Romanam Ecclesiam, in sacra missarum celebratione, & in ciuitatibus atq; canonicis monasterijs, in diurnis, & nocturnis officijs.

Quidã uana sua somnia & uisiones superstitiosas inuulgarunt. Sic Carolus apud Vincentium lib. 24, cap. 49 (si tamen non est suppositicium scriptum) fecit.

Ac in ijs propagandis nimis rigidam exercuerũt seueritatem. Sic Ludouicus Pius, monente Gregorio papa, & omnibus episcopis assentientibus, edicit, ut in Gallia & Germania festus dies agatur Calendis Nouembris, in honorem omnium sanctorum. Sigebertus, anno Domini 835.

Alii ignauum & ociosum genus uitæ monasticæ, commẽdationibus, largitionibus, & priuilegijs confirmarunt, & in monasteria suos filios & filias impiè abdiderunt. Basilius quatuor filias in regium cœnobium Euphemiæ collocauit. Zonaras tomo 3. Carolus & Lotharius, Caroli Magni filii ex Hildegarda, monachi facti sunt: & Gisla & Bertrada uirgines Vestales. Chronicon Saxoniæ. Ludouicus anno Domini 845, priuilegia monachis Hirsfeldensibus dedit. Chronicõ Schafnaburgẽsis. Ludolphus Saxonũ dux, filias suas Hatmodin, Garborch, & Christinã, in Gandersheimense cœnobium abdidit. Chronicõ Saxoniæ. Carolus Caluus in epistola ad Rauennates, uitæ monasticæ professionẽ æquiparat baptismo, propterea quòd in ea iterum mundo abrenuncietur, per habitum illum monasticum. Ludouicus imperator priuilegium Hilduini confirmat. Annonius lib. 5, cap. 10.

Et propagarunt. Erlafridus ex Fuldensi cœnobio Hirsaugiense plantauit, inde accepto Luidberto abbate. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi. Ludouicus canones de monachis Aquisgrani in Synodo factos, ad episcopum Saleburgensem & alios misit, & obseruari præcepit. Acta eius Synodi. Ludouicus Imperator Benedictum, & alios monachos ad omnia passim monasteria misit, ut singulis tam uiris quàm fœminis regulam Benedicti traderent, & obseruari præciperent. Annonius lib. 5, cap. 10.

Romanos legatos, Ecclesias charactere põtificio signantes, nimis studiosè promouerunt. Nam Ludouicus Germanorum rex, legatos pontificios, Bulgaricas Ecclesias deformantes notis papisticis, gnauiter adiuuit. Regino lib. 2.

Quidam de diuersitate ceremoniarum tollenda multùm laborarũt. Carolus Caluus Rauennates, paululum in uestitu discrepantes, iubet morem Gallicanarum Ecclesiarum obseruare. In epistola ad eosdem.

CAPVT VIII.

DE SCHISMATIBVS.

SVB CAROLO MAGNO DISSIDIUM *de imaginum uenera tione.*

NIcena Synodus, freta autoritate & potentia Irenes, decretum fecerat pro imaginũ adoratione & cultu, ac damnauerat eos qui refragati fuerant: atque in eo errore & superstitione, inter Orientis Occidentisque Ecclesias pax impia cõstituta fuerat, sed diuturna non fuit. Nam Cõstantinus ipse paulo pòst, cum exactis Synodi Francofordensis percepisset, decreta Synodi Nicenæ uerbo Dei esse cõtraria, sententiam suam mutauit: & plures alij doctores, sub eo cœperunt iterum cultum imaginum improbare. Licet autem Irene filium suum crudeliter sustulisset, eam ipsam, ut uidetur, ob causam, & imperio recepto dissentientes premere instituisset: tamen successor eius Nicephorus, imaginum cultum damnauit, & Nicolaum eremitam aliosque rectè ea de re sentientes defendit contra patriarcham, & alios iconolatras: prohibuitque, ne is Romano pontifici literas Synodicas mitteret, quòd non tantum ob imaginum cultũ sed etiam propterea, quia indignè ferebat quòd Romanus pontifex partem imperij ad Carolum Magnum transtulisset, factum uidetur. Paulus Diaconus libro 24 rerum Romanarum. Sed paulo pòst imperãte Michaele, Nicephorus patriarcha per Synodicas literas cum Leone pontifice renouauit amicitiam. Paulus libro eodem.

Dissidium, ob non rectè administratas claues.

Diximus suprà, Platonem à Tharasij communione recessisse, eo quòd Constantino Theodatam pellicem, uiuente adhuc altera uxore, coniunxisset per quenda Iosephum. Porrò illud dissidium subinde magis magisque auctum est, alijs alteram partem defendentibus. Theodorus Egumenus Studij, & Ioseph frater eius episcopus Thessalonicensis, & alij plures, cum Platone sentiebãt. Sed monasteriorum præfecti, Tarasij causam defendebant. Mortuo autem Tarasio, cum Nicephorus secretarius imperatoris, homo extra cleri ordinem constitutus & laicus, in patriarcham electus esset, Plato & Theodorus sese electioni eius opponunt. Zonaras tomo 3, in Nicephoro. Nicephorus ad id dissidium tollendum, conuocat Synodum: quæ, cum neutra pars cedere uellet de sua sententia, consentit, ut imperator cum Platone sentientes monasterijs & urbe eiciat. Verùm ille non modò eos expulit, sed etiam in carceres coniecit, unde à Michaele imperatore postea liberati sunt. Paulus lib. 24 rerum Romanarum. Zonaras tomo 3.

Dissensio de quæstione, An hæretici interficiendi sint.

Michael imperator, per Nicephorum patriarcham, & alios sacerdotes Constantinopoleos, promulgat capitalem pœnam in Michęos, Paulitianos, Attinganos in Phrygia & Lycaonia degentes. Sed huic sententię sese opponunt alij doctores, & inquiunt: nõ licere sacerdotibus contra impios promulgare mortem, cum Deus uita & conuersione eorum delectetur, & eradicari zizania prohibuerit. Contra hæc altera factio, Petri exemplũ proferebat, qui interfecisset Ananiam propter mendacium: & Pauli autoritate, dicentis, Qui talia agunt, digni sunt morte. Cum enim solo corporali peccato corrupti pœna capitali digni sint multo magis ea afficiẽdos esse qui spirituali & corporali spurcitia dæmonibus seruiant.

Hac disceptatione Imperator motus, exilij pœnã de Attinganis sumpsit. Paulus Diaconus lib. 24 rerum Romanarum

Seditio Romana.

Campulus & Paschalis Romani, molestè ferentes quòd Leo adeò Francis addictus esset, ut cogitaret de transferendo imperio, seditionem contra eum mouent: atq; eum litanias celebrantem intercipiunt, & malè uastant. Ille uerò elapsus ad Carolum, queritur de iniuria. Carolus eum, Romam remittit, & postea in legitimo iudicio in seditiosos inquirit: eosq; capite trũcasset, nisi Leo pro ijs intercessisset. Platina in uita eius, & liber Pontificalis.

SVB LVDOVICO PIO.

Seditio Romana.

MOrtuo Leone, reliquiæ Campulianæ factionis rursus excitant turbas: quas metuens Stephanus quartus, ad Ludouicũ sese confert: & ab eo impetrat, ut à Carolo propter Leonem in exilium missos ciues in urbem redire patiatur, quo ansa præcidatur seditiosis. Liber Pontificalis, Platina in uita eius.

Alia seditio Romana.

Mortuo Stephano, clerus & populus per seditionem, non prius consulto imperatore Ludouico, Paschalem designãt pontificem: & postea Theodorum primicerium, & Leonem nomenclatorem, defendentes causam Lotharij, interficiunt. Cum autem Paschalis ea de re esset suspectus, purgauit sese iureiurando. Platina in uita eius.

Dissidium ob imaginum cultum.

Cũ Leo Armenius imperator Constãtino polis imaginũ cultũ edicto prohibuisset, Nicephorus

phorus patriarcha & alij iconolatræ, pro cõcione & scriptis in eum inuehuntur. Sed cum non possent uerbo Dei suam opinionẽ probare, Nicephorus in exilium deportatur. Zonaras tomo 3. Qui postea à Michaele Balbo per literas & sui & imaginum restitutionem petit, sed non impetrat. Nam is cum ad Ludouicum Pium legatos misisset, eiusq; sententiam petijsset de imaginibus, nihil responsi accepit. Balęus in uita Eugenij, Methodium & Euthymium ob imaginum defensionem malè tractauit, Zonaras tomo eodem. Theophilus etiam Imperator coactus est iconolatrarum turbas cõpescere, & quosdam pœnis afficere. Zonaras tomo eodem.

SVB LOTHARIO.

Dissidium ob imagines.

CVm Theodora uxor Michaelis, mortuo marito, ad imperium cum filio uenisset, cœpit imagines restituere: & cultum ac uenerationem earum improbantes remouere, pœnisq; afficere. Zonaras tomo 3.

SVB LVDOVICO SECVNDO.

Dissidium ob reprehensa scelera Imperatoris.

IGnatius episcopus Constantinopolis, Michaelem Imperatorem, qui uxorem suam sine causa dimiserat, & cum nuru consuerat, à communione prohibuerat. Id ille ægrè ferens: Ignatium in exilium mittit, quem legati Romani pontificis in Synodo damnant, unà cum omnibus suis assecl is. Quod ubi cognouit Nicolaus pontifex, protestatus est, se legatis suis id non dedisse in mandatis: scriptaq; epistola ad Michaelẽ Imperatorem, & alia ad omnes catholicos in Asia ac Libya, acta legatorum suorum rescindit: & Ignatij depositionem, & Photij consecrationem illegitimam esse pronunciat. tomo 2 Conciliorum. Sed postea à Basilio restituitur, eo nomine, quòd non iustè esset depositus. Zonaras tomo 3.

Aliud simile dissidium.

Photius patriarcha Basilio, ob cædem Michaelis sacris interdicit. Sed ille dissimulãs odium, collegit synodum: quæ eum occupationis alienæ sedis accusat, & deponit, Ignatiumq; restituit. Sed eo mortuo, postea & ipse recipitur. Zonaras tomo 3.

Dissidium inter Pontificem Romanum, & Ioannem Rauennatem.

Ioannes Rauennas archiepiscopus, uetere suæ ecclesiæ dignitatem & libertatẽ recuperare desiderans, Ludouici Imperatoris aulã sibi cõciliat: gloriamq; beati Petri, hoc est põtificium principatũ damnat, & appellationem ad pontificem uetat: ac illam peregrinationem uersus Romam religionis ergò incusat, ac prædia aliaq; bona quæ à pontifice occupata erant, Imperio uel ecclesijs restituit. Pontificij autem eum accusant de his & alijs capitibus criminaq; plura fingũt, quòd temerè communicaret quos uellet, quòd alios bonis suis spoliaret, alios carcere, alios ergastulis squalidis præterius & æquum affligeret, alios uerò cogeret ea de se crimina fateri quæ nunquam patrassent. Vocatur aliquoties Romam, ad dicendum causam in Synodo: uerùm ille negat se agnoscere papã pro suo domino, & non comparet. Papa uerò eum communione priuat. quod ille ad aulam Ludouici queritur: quæ legatos pro eo ad Nicolaum mittit. Excipiuntur illi asperius, eo quòd cum excommunicato consortium habeant: ac iubetur ad Synodum uenire Iohannes. Quod cum ille negligeret, quidam Rauennates senatores & Aemylienses à Pontifice petunt, ut se ab isto Ioanne liberet. Pontifex collectis copijs, continuò Rauennam properat. Quo cognito, Ioannes Ticinum fugit. Sed cum eò uenisset, iam præuenerat fama, Ioannẽ esse excõmunicatum: ideo omnes ab eius consortio abstinent, nec ei quicquam uendi patiuntur: & ab Imperatore responsum accipit: ut ad pontificem eat, eiq; se submittat, quem & ipse & tota Ecclesia agnoscat suum antistitem. Hac re ille motus, põtifici coram Synodo fit supplex: eiq; se & totam suam Ecclesiam ita tradit, ut tantum non mancipium eius fiat. Liber pontificalis, & Platina.

Dissidium inter Romanos & Constantinopolitanos, de Bulgarorum diœcesi.

Bulgaria olim Christiana, occupata à Scythis circa annum Domini quingentesimum gentiles superstitiones recepit: quas iterum circiter annum 870 abiecit, & ad fidem Christi conuersa est. Cum autem pontifex Romanus, & patriarcha Constantinopolis, potius ad prædam pecuniæ, quàm ad salutem animarum intenti essent, cœperunt disceptare inter sese, utrius diœcesi illæ Ecclesiæ deberent esse subiectæ. Romanus sibi eas adscribit, qui a habeat sacerdotes à se eò missos. Constantinopolitanus, ad se se pertinere contendit: quia Græcorum utatur ceremonijs, & ea regio ferè subiecta sit Imperatori Orientis. Re in Synodo Constantinopoli, inter Romanos & Græcos diu disceptata: nihil quidem concluditur: sed tamen Bulgari per legatos à Romanis petunt, & accipiunt Reformatores Sylueſtrum subdiaconum, Leopardum Anconitanum, Dominicum Taruisinum.

Sed non

Sed non ita multo pòst, Bulgari Romanas expilationes animaduertentes, Latinos sacerdotes pellunt, & Græcos recipiunt, quæ res auxit disidia & turbas inter Græcos & Romanos. liber Pontificalis, & Platina in Adriano 2.

SVB CAROLO CALVO.

Dissensio de corpore & sanguine Christi, in cœna Domini.

TEmpore Caroli Calui quidam fideliũ asserebant, quòd nulla sub figura, nulla sub obuelatione, sed ipsius ueritatis nuda manifestatione, corpus & sanguis Christi in cœna administraretur. Quidam uerò id sub mysterij figura contineri, & aliud esse quod corporis sensibus appareat, aliud autẽ quod fides aspiciat, affirmabant. Hæc diuersitas sententiarum mouit Carolum Caluum, ut Bertramum ea de re consuleret, propositis duabus quæstionibus, an in mysterio aut ueritate corpus & sanguis Christi accipiatur: & utrum ipsum corpus sit, quod de Maria natum est, & passum, mortuum, sepultum, resurrexit, ad cœlos ascendit, & ad dexterã Dei sedet, an uerò diuersum.

Definit autẽ Bertramus, licet oculis corporalibus hominum non cernatur corpus & sanguis Domini, tamen in ueritate illud corpus ore comedi, quod in cruce pependit: & illum sanguinem bibi, qui in cruce pro nobis effusus est. Fidem itaq; inniti certissimis & ueracissimis ipsius Christi uerbis. Bertramus in libro de corpore & sanguine Christi: & Bibliander in Chronographia, anno 844.

Dissidium inter Hincmarum Remensem, & Hincmarum Laudunensem episcopos.

Hincmarus Laudunẽsis episcopus, quædam bona Ecclesiastica, sine archiepiscopi & aliorum consensu, concesit Carolo Caluo, ut ea Nortmanno beneficij loco conferret. Sed postea facti pœnitens, ab eo bona illa repetijt: quæ cum non statim redderet (uolebat.n. regi restituere à quo acceperat) ab episcopo irato excõmunicatur. Res ad iudiciũ archiepiscopi & Synodi Vuormaciæ defertur, excõmunicatio illa improbatur, Episcopus appellat ad põtificẽ Rom. Sed Synodus & Carolus negãt eò legitimè appellari posse in ista causa. & proponit Canones Africani concilij, quòd in qualibet prouincia, ubi lis orta est, cognosci & dirimi debeat. Verùm ille nõ multo pòst, suis sacerdotibus interdixit omnib. operis ministerij, ne Missas celebrarẽt, aut paruulos baptizarẽt: sed Hincmarus Remensis id decretũ planè impium esse pronũciat, ut patet ex eius epistolis ad Laudunensem & Adrianum pontificem.

Dissensio Hincmari & Romani Pontificis.

Hincmaro Remensi infensus fuit pontifex Adrianus secũdus, ob plures causas. Primùm, quia uetuisset Laudunensi episcopo, ne appellaret ad Pontificẽ. Deinde, quia literis Pontificijs iussus, ut Laudunensem cum alijs tribus episcopis Romam mitteret, non paruisset. Tertiò, quia Carolum Caluum, Lotharij regnum occupantem, non excommunicasset. Quartò, quia Nortmannum, res Ecclesiæ Laudunensis occupantem, non anathematizasset. Sed Hincmarus in epistola ad Adrianum, satis benè sese tuetur: ac negat se prohibuisse appellationem, & profectionem eius uersus Romam. Ad alterum ait, se non habere potestatem, extra regnum egrediendi, sine regis uoluntate, multo minus alios emittendi. De tertio inquit, Carolũ planè negare se iniustè fatris bona occupare, sed ratione pactorum & fœderum sibi ea deberi: & proceres regni affirmare, illa noua & inaudita esse, quòd papa uelit sibi de iure regnorum iudicia sumere, non posse eum simul episcopum & regem esse: debere illum sua spirituali iurisdictione contentum esse. Ac sanè grauiter monet illum, ne rempublic. & ecclesiam Francorum turbet. De quarto, mendacium esse Pontifici propositum. Nortmannum enim non inuasisse res Ecclesiæ, sed episcopum concesisse regi, ac regem donasse ei: & tamen postea à rege partem esse Ecclesiæ redditam, alteram uerò partem, ab episcopo Nortmanni filio collatam, ut patet ex epistola Hincmari ad Adrianum secundũ.

Dissensio inter Adrianum Pontificem, & Carolum Caluum.

Cum Carolus Caluus, non statim ad Hincmarum Laudunensis appellationem consensisset, Adrianus per literas eum periurum, tyrannum, perfidum, & distractorem rerum Ecclesiasticarum insimulauit. Deinde arguit eum, quòd non patienter Pontificia mãdata & correctiones susceperit. Tertiò edictum ei his uerbis proposuit: Volumus, & authoritate Apostolica iubemus, ipsum Hincmarum Laudunẽsem episcopum, uestra fretum potentia, ad limina sanctorum, nostramque uenire Clemẽtiam. Quo sanè ueniente, ueniat pariter accusator idoneus, qui nulla possit authoritate legitima respui: & tunc in præsentia nostra, & totius sedis Romanæ synodali collegio, causa illius prudenti uentilata examine, ac diligenter inquisita, secundum Deum ac sacrorum Canonum constitutiones, spiritu Dei prolatas, sine protelatione aliqua finietur,

finietur. in epistola Caroli Calui ad Adrianum. Hæc Carolus indignissimè tulit, ut patet ex eius responso. Nam principio ostendit, minimè decere Pontificem tam contumelioſas ad sese scribere literas, cũ ipse Magistratum agat, & inculpatè sese gesserit, adeò ut de nullo unquam crimine sit legitimè accusatus, nedum conuictus in Episcoporum iudicio: & cum antecessores Adriani simile quippiam nunquam commiserint, ut adeò ineptas & imperioſas scriberent literas, ad reges Francorum. Ac uehementer reprehendit, quòd sine probatione sibi crimina obijciat, & tantum pungendi studio, & non sanandi sit deditus. ideoque contra officium boni pastoris esse demonstrat, qui debeat obedientes, mites & patientes, ut in melius proficiant, obsecrare: negligentes autem & contumaces, increpare & corripere, & de criminalibus peccatis aut ultrò confeſſos, aut ordine iudiciario comprobatos atq; conuictos, secundum modum culpæ legaliter & regulariter iudicare.

Deinde negat, se mandata & correctiones ueras & non contrarias uerbo Dei & Canonibus, impatienter susc ipere: & crimen regerit, atque ostendit, Pontificem illum esse, qui nullas uelit admittere reprehensiones, contra exemplum Petri, & dictum Gregorij, qui inquit: Si pastor Ecclesiæ Apostolorum princeps non dedignatus est, in causa reprehensionis suæ rationem humiliter reddere, quanto magis nos peccatores, cum de re aliqua reprehendimur, nostros ratione humili placare debemus?

Tertio loco edictum illud prætorium oppugnat, ac primùm monet, esse contra morẽ decessorum & prædecessorum Adriani, & contra Dei mandatum, qui prohibuit, plantari nemus in templo suo, id est, umbrosum secũli typũ inducere in Ecclesiam suã, quę lucem simplicitatis & humilitatis, diem Domini uidere desiderantibus, præferat.

Deinde esse cõtra ius & potestatem pontificis, præcipere, ut rex corrector iniquorũ, & districtor reorum, ac secundum leges Ecclesiasticas atq; mundanas ultor criminum, reũ legaliter ac regulariter pro excesibus suis damnatum, sua fretum potentia, Romam diregat: maximè autem illum, qui & ante depositionem, contra custodiam publicam, & cõtra quietem moliri, in tribus synodis extitit deprehensus, sicut in gestis episcopalibus paternitati uestræ directis continetur: & post depositionem suam, & per se & per quoscunque potuit, à sua pernicacia non quieuit. in epistola ad Adrianum.

Tertiò, id esse contra ius & morem regum Francorum: quia reges Francorum ex regio genere geniti, non episcoporum uicedomini, sed terræ domini hactenus fuimus computati. Et ut Leo ac Romana Synodus scripserit, Reges & Imperatores, quos terris diuina potentia præcepit præesse, ius distinguendorum negociorum episcopis sanctis, iuxta diualia constituta permiserunt, non autem Episcoporum uillici extiterunt. Et S. Augustinus dicit: Per iura regum possidentur possessiones: non autem per episcopale imperium reges uillici fiunt, actoresque episcoporum. Et Dominus, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, reddi præcepit: qui etiam censum regi reddidit. Et Apostolus uoluit seruiri regibus: uoluit honorari, & non conculcari reges. Regem, inquit, honorificate. Et iterum: Omnis, inquiens, anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Reddite ergo omnibus debita. Et paulò superius: Ideo necesitate subditi estote, non solùm propter iram, sed & propter conscientiam.

Quartò, exemplis literarum Pontificum ad reges Franciæ demonstrat, talia mandata suos maiores à Pontificijs nunquã accepisse quale hoc sit, etiam in similibus factis.

Quintò, ex Affricano quinto Concilio Canonem profert, quo prohibetur, ne quis clericum iudicio Episcoporum damnatum defendat.

Sextò, Valentis, Gratiani & Valentiniani constitutionem citat, quæ sic habet: Quicunque residentibus sacerdotibus fuerit episcopali loco detrusus, & eo nomine, si aliquid contra custodiam publicam, uel contra quietem moliri fuerit deprehensus, rursumq; sacerdotiũ petere, à quo uidetur expulsus, procul ab urbe quam infecit, secũdũ legem diuæ memoriæ Gratiani, centum milibus uitam agat: sit ab eorum cœtibus separatus, à quorum est societate discretus: sitq; huiusmodi personis illicitum, huius legis tenore, sacra nostra adire secreta, & impetrare scripta.

Atq; tandem sic concludit: Cum ita sacræ leges tam Ecclesiasticæ, quàm & mundanæ, de damnato episcopali & Synodali consilio decernant, non est nostri regij, ministerij, reũ & sacrorum Canonũ iudicio condemnatũ, atq; Apostolicę sedis diffinitione, sicut in gestis Synodi inuenire potestis, anathematizatum nostra potẽtia fretũ quoquã dirigere: cũ apertissimè Canones sacri diffiniãt, & leges Iustiniani, ac cæterorum Imperatorũ catholicorũ edicta, qualiter & pro quib. & à quib. debeat episcopus iudicari, & post iudicium quid & qualiter, & per quos sit inde Apostolicæ sedi agendum: quæ non abnuimus, sed incunctanter ac competenter annuimus.

A quibus

A quibus diffinitionibus, nulli est licitum deuiare. Quia, ut sanctus Hilarius papa dicit, non minus in sanctarum traditionũ delinquitur sanctiones, quàm in iniuriam ipsius Domini profilitur. Et paulo pòst: Nolite igitur, ut prẽmisimus, ex uestro nomine, uel Apostolicæ sedis authoritate, iussiones uel excommunicationum intentationes, contra sanctarum Scripturarum tramitem prædicationemque maiorum, ac sacrarum legum sanctorumq; Canonum constitutiones, nobis decæterò scribi cuiuscunq; instinctu permittere precamur.

Septimo indicat, se Romam uelle uenire, & Hincmarum Laudunensem legitimè accusare, ubi à paganis regnum suum fuerit liberatũ, & uolũtas accesserit imperatoris.

Postremò petit, ne sibi & regni sui episcopis ac primatibus, decæterò talia scribat, & mandet, quæ piè ab ijs possint respui.

Porrò quis fuerit huius disidij euentus, non est memorię proditũ: sed ex eo quòd Ludouico mortuo, Romanus Pontifex Carolũ istum Imperatorẽ inaugurasse scribitur, colligi potest, fuisse cõtrouersiam istam ad pontificum uoluntatem compositam.

Dissensio inter Carolum Caluum, & Rauennatem clerum.

Rauennates, qui ex monachis ad sacerdotium adhibebantur, deponebant uestitum monachalem, & sacerdotali utebantur. id reprehendit Carolus Caluus. Quare illi in epistola ad ipsum, suam consuetudinem defendunt: & ostendunt uestitum esse rem liberalem, nec in eo pietatem aut religionem consistere. Sed Carolus per literas ijs respondet, ac omnino contẽdit, monachos in sacerdotes receptos, pristinũ uestitum retinere debere, ut patet ex illis epistolis.

Rationes cleri Rauennatis sunt, quòd Cœlestinus & Leo Romani pontifices, cẽseant, discernendos esse sacerdotes à plebe doctrina, non ueste: conuersatione, non habitu: mẽtis puritate, non cultu. 2. Quòd propositum Monachi in deuotione sanctæ conuersationis, & non in uestium cultu consistat, qui multiplex & uarius sit, pro locorum & regionum diuersitate, in Græcorum & Latinorum Ecclesijs. 3. Quia Romana Ecclesia idẽ obseruet. 4. Quia sui antecessores eam consuetudinem hactenus tenuerint. 5. Quia eo utantur liberè, & nemini legem prę scribant.

Rationes uerò Caroli Calui sunt. 1. Quòd habitus monasticus, sit sanctitatis & religionis, & signet renunciationem & contẽptum mundi. 2 Quòd regula Benedicti, Basilius, Innocentius, Ambrosius & alij patres censeant, monachos & sacerdotium ex monasterio assumptos, monachali habitu non deberе nudari. 3. Quòd sicut leges desertores militiæ, ita Canones monachos desertores suæ grauiter puniãt. 4. Quòd monachus Benedictinus, in episcopum consecratus, licet totam regulã possit obseruare, tamen queat Psalterium semel per septimanam legere. 5. Quòd necesse sit monachos fieri periuros, si habitum suum abijciant. 6. Quòd eo modo turbent concordiam, quam cum Gallicanis ecclesijs debeant habere.

SVB CAROLO CRASSO.

Dissidium Romanum, ob coronationem Cæsaris.

CArolo Caluo mortuo, Ioannes nonus Pontifex, Ludouicum: Senatus uerò Romanus Carolum tertium capiunt Imperatorẽ. Ex dissensione illa oritur seditio, & Pontifex in uincula ducitur: unde elapsus, ad Ludouicum in Franciam fugit, eumq; regem inungit. Romani paulo pòst à Sarracenis afflicti, Pontificem reuocant, sed Carolus obtinet imperium. Platina in uita eius.

Dissidium inter Leonem abbatem, & Gibertum Neumasensem episcopum.

Gibertus Neumasensis, Leoni abbati monasterium Egidij, ui eripuerat. Res illa ad Iohannem nonum, Pontificem in Gallijs Arelati commorãtem, defertur: is litem dirimit, ac Leoni monasterium adiudicat. Platina in uita illius.

SVB ARNVLPHO.

Dissidium ob Polygamiam.

CVm Leo quartã uxorem duxisset, Nicolaus Patriarcha eũ ecclesiastica censura notauit. Imperator, nusquam in sacris literis nuptias quartas prohibitas esse, affirmat. Cum diu multumq; esset ea de re disceptatum, & Nicolaus recusaret Imperatorem absoluere, ab officio remotus, & in exiliũ deportatus est: ac parum abfuit, quin decretum fuisset promulgatum, quod liceat cuilibet exemplo imperatoris, uxoribus defunctis, secundam, tertiam & quartam ducere. Zonaras tomo 3 in Leone.

Dissidium Romanum ob electionem.

Formosus, qui urbem Romanam abiurauerat, & in laicorum ordinem redactus fuerat, datis muneribus, pontificatum adipiscitur, cum paulo antè à Stephano quinto esset liberatus à iuramento. Sergio autem Diacono, eandem dignitatem ambiente, dissidiũ oritur: ad quod compescendum, Formosus Arnulphum Carolomanni filium, spe imperatori

peratorij nominis, Romam inuitat: & suis aduersarijs capite multatis, obtinet pontificatum. liber Pontificalis: Platina, & Balæus in Actis pontificum, & Panuinius.

Dissidium inter Adalgarium & Hermannum, de Bremensi ecclesia.

Hermannus Colonienſis episcopus, Bremensem ecclesiam, quæ à Ludouico erat Hamburgensi ecclesiæ subiecta, ad se pertinere contendit. cum Adalgario, res defertur ad pontificem Stephanum quintum, qui in Vuormacienſi Synodo eam cognosci curat: sed postea Formosus pontifex pronunciat in Synodo, Triburiensi, Bremensem ecclesiam debere Colonienſi subiectam esse. Crantzius in Metropoli libro secundo, capite 19 & 20.

CAPVT IX.

DE SYNODIS.

DE SYNODIS SVB CAROLO Magno.

Synodus Compostellensis.

CArolus Magnus, rebus in Hispanijs utcunq; pacatis, Compostellæ Synodum celebrat, in qua Turpinus cum alijs nouem episcopis fuit atq; cum episcoporum ac presbyterorum assensu statuit, ut omnes episcopi præsulesq; Hispani & Galitiani, præsidem Ecclesiæ Iacobi pro suo primate agnoscant. Vincentius libro 24. cap. 17, ex Turpino.

SYNODVS PARISIENSIS.

Carolus ex Hispanijs reuersus, Parisijs in Synodo ordinat, ut omnes reges Franciæ & episcopi, præsentes & futuri, episcopo eius ecclesiæ subsint & pareant, nec sine eius consensu reges coronentur, aut episcopi ordinentur. Deinde sancit, ut cuiusq; domus Domini, annuatim de ea quatuor nummos per totam Galliam-Dionysij templo soluant. Vincentius libro uigesimoquarto, capite uigesimosecundo, ex Turpino.

SYNODVS BAVARICA *Saleburgensis.*

Tempore Caroli Magni, ob decimas, opesq; sacras, inter monachos & sacerdotes in Boiaria litigatū est. Iussu uerò Caroli, Salisburgium concilium indictum est, ad decimumseptimum Calendas Decembris. Interfuere episcopi & monachi, atq; sacerdotes Boiariæ, & maximè quorū intererat, Arno archiflamen Boiorum: & pontifices, Arto Fruxinensis, Adalouinus Reginoburgensis, Heinricus Sabonensis, Hatto Laureacensis. Decretū iuxta legis Christianę institutа, maiorumq; ecclesiæ placita, donaria tem plorum, bona Ecclesiastica, in quatuor diuidenda esse portiones. atq; unam sortiri episcopos: alteram sacrificulos, quorum quidē munus accuratius pascere oues esset, recipere: tertiam pauperum esse: quarta, sacras ædes refici, instauariq; oportere. Monachi quoq; iussi sunt decimas suis episcopis pendere. Pontificibus imperatū est, id quod in iure pontificio præcipitur, ut egenos, ualetudinarios, uitio membrorū obnoxios, qui ob ualetudinem aduersam aut uitia corporis manibus laborare nequeant, quoad fieri liceat, pascant, uestiantq; illos iure suo, uictum & amictum administrent. Auentinus libro 4. Annalium.

SYNODVS HALLENSIS.

Anno Domini 803. Carolus in palatio Saltz, conuentum celebrat: in quo Saxones antiqua libertate donat, eosq; pro fide catholica conseruanda, omni tributo liberat, exceptis decimis, quas sacerdotibus reddi iussit. Chronicon Quedelburgense.

SYNODVS AQVISGRANA.

Anno Domini 809 mense Nouembri, Carolus Aquisgrani episcopos & sacerdotes in cœtum uocat, inter quos erat Bernhardus Vuormacienſis, & Adelhardus Corbeienſis abbas: eisq; quęstionem proponit de processione Spiritus sancti, quam Ioannes monachus Hierosolymitanus mouerat.

Re diu disceptata, recordantur, sine pontificis Romani assensu nihil esse definiendū: ideoq; duos istos Romam ablegant ad Leonem, ut eius iudiciū & sententiā agnoscāt.

Deliberatur etiam de emendatione ordinis ecclesiastici: sed propter rei magnitudinem, quia difficulter sese corrigi patiebātur pseudospirituales, nihil decernitur. Annales Francorum, Auentinus 4. Annalium. Antonius lib. 4, cap. 95. de Francis.

SYNODVS MOGVNTINA.

Iussu Caroli Magni, Moguntiæ Synodus est habita, anno Domini 813. quinto idus Iunij. Sigebertus in Chronico. Occasionē prębuerunt dissoluti mores tùm ecclęsiasticorum, tum plebeiorum hominum: quos Carolus corrigi cupiebat, ut ex hac uita discedens, bene constitutas ecclesias successori suo relinqueret. Conuenerunt episcopi 30, abbates 25. & plures sacerdotes, monachi, comites & iudices. Præsederunt autem Hildebaldus sacri palatij archiepiscopus, Ricolfus & Arno archiepiscopi.

Cum triduò esset ieiunatum, & litanijs & publicis precibus Dei auxilium implorātum, patres operas inter se partiuntur, & tres turmas constituunt. In prima consederunt episcopi, cum quibusdam notarijs, legentes atq; tractantes S. Euangelium, nec non epistolas & actus Apostolorū, Canones

quoq;, ac diuersa sanctorũ patrũ opuscula, pastoralemq; librũ Gregorij, cum cæteris sacris dogmatibus, diligenti studio perquirẽtes, quibus modis statum Ecclesiæ Dei, & Christianæ plebis profectum, sana doctrina & exemplis iusticiæ inconuulsum, largiẽte gratia Dei, perficere & conseruare potuissent: In alia uerò turma consederunt abbates ac probati monachi, regulam sancti Benedicti legentes, atq; tractantes diligenter, qualiter monachorum uitam in meliorem statum atque augmentum cum Dei gratia perducere potuissent. In tertia deniq; turma sederunt comites & iudices, in mundanis legibus decertantes, uulgi iusticias perquirentes, omniumq; aduenientium causas diligenter examinantes, modis quibus poterant iusticias terminantes, tomo secundo Conciliorum.

Canones autem hos condiderunt:

De fide catholica firmiter tenenda.

Caput primum.

Initium enim actionis nostræ de fide esse decreuimus, quæ bonorum omniũ est fundamentum. Et quia sine fide (ut dicit Apostolus) impossibile est placere Deo, fides tamen indiget opere, quia fides sine operibus mortua est. Ideo B. Gregorius ille, inquit, uerè credit, qui exercet operãdo quod credit. Quapropter de fide uera, omnes omnino Christianos, alterutrum inter se iugiter admonere & docere oportet, maximè tamen domini sacerdotes in eo certamine laborare decet, ut firmiter ab omnibus teneatur.

De spe habenda in Deum.

Cap. 2.

Spes uerò in Deum firmiter à cũctis Christianis tenenda est. Vnde Psalmista commemorat: Sperate in eo omnis congregatio populi: & reliqua. Et iterũ: Spera in Domino, & fac bonitatem. Et iterum: Sperantes autẽ in Domino misericordia circumdabit. Et Apostolus: Spe enim salui facti sumus.

De charitate. Cap. 3.

Charitas Deus est, ut ait Apostolus. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Item Paulus Apostolus: Finis, inquit, præcepti est, charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Charitatem ergo qui habet, omnia bona habet. Quam ideo commemorauimus, quia uolumus, ut firmiter ab omnibus æquè catholicis cõseruetur. Augustinus quoq; in sermone de laude charitatis dicit: Si ergo non uacat omnes paginas perscrutari, omnium Scripturarũ secreta penetrare, tene charitatem, ubi pendent omnia: ibi tenebis, quod ibi didicisti. Ille itaque tenet, & quod patet, & quod latet in diuinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus.

De sacramentis Ecclesiæ.

Cap. 4.

Sacramenta itaq; baptismatis uolumus, ut sicut sancta uestra fuit admonitio, ita concorditer atque uniformiter singulis parochijs, secundum Romanum ordinem, inter nos celebrentur iugiter, atq; conseruentur: id est, scrutinium ad ordinem baptismatis, sicut in decretis Leonis papæ sub duobus continetur capitulis, capitulo undecimo: Hæc duo tempora, id est, Pascha & Penteco ste, ad baptizandum à Romano pontifice legitima præfixa sunt. Item capitulo duodecimo: Non interdicta licentia, quia in baptismo tribuendo quolibet tempore periclitantibus subuenitur. Et Syricius, Si in qualibet necessitate opus fuerit sacri unda baptismatis, omni uolumus celeritate succurri.

De pace & concordia.

Cap. 5.

Vt pax & concordia sit, atq; unanimitas in populo Christiano: quia unum Deum patrem habemus in cœlis, & unam matrẽ Ecclesiam, unam fidem, unum baptisma: ideo in una pace & unanimitate concorditer uiuere debemus, si ad unam & ueram hæreditatẽ regni cœlesti cupimus peruenire: quia non est dissensionis Deus, sed pacis. ut ipse ait: Beati pacifici, quoniam filij Dei uocabuntur.

De orphanis & exhæredatis subueniendo. Cap. 6.

Propter istius itaq; pacis concordiam cõseruandam, placuit nobis de orphanis & pauperibus, qui debitè uel indebitè dicuntur amisisse hæreditatem paterni uel materni iuris, ad se legibus pertinentem, si alicubi inuenti fuerint, quos patres uel matres propter traditiones illorum exhęredes fecerũt, aliorum scilicet suasionibus aut petitionibus, uel aliquo ingenio, omnino uolumus atque decreuimus emendari, quantum ad nos uel ad nostram pertinet potestatem, iuxta uoluntatem Dei, & uestram sanctam admonitionem & considerationem. Quod si fortè extra officium nostrum alicubi inuentum fuerit, admonere uestram clementiam audeamus, ut emendetur.

Vt res pauperum uel minus potentum, mala occasione nõ emantur. Cap. 7.

Propter prouisiones pauperum, pro quibus curam habere debemus, placuit nobis, ut nec episcopi, nec abbates, nec comites, nec uicarij, nec iudices, nullusque omnino sub mala occasione, uel malo ingenio, res pauperum uel minus potentum, nec emere, nec ui tollere audeat. Sed si quis ex eis aliquid comparare uoluerit, in publico placito coram idoneis testibus, & cum ratione hoc

hoc faciat. Vbicũq; autem aliter inuentum fuerit factum, hoc omnino emendetur per iussionem uestram.

De potestate episcoporum pro rebus ecclesiasticis, ac de conuenientia episcoporum cum laicis. Cap. 8.

Vt episcopi potestatem habeant, res ecclesiasticas prouidere, regere, gubernare, atq; dispensare secundum canonum autoritatẽ, uolumus ut & laici in eorum ministerio obediãt episcopis, ad regendas ecclesias Dei, uiduas & orphanos defensandos, & ut obedientes sint eis, ad eorum Christianitatem seruandam. Et episcopi consentientes sint comitibus & iudicibus, ad iusticias faciendas: & ut nullatenus per aliquorum mendacium, uel falsum testimonium, neque per periurium aut per præmium lex iusta in aliquo deprauetur.

De uita Canonicorum. Cap. 9.

In omnibus igitur, quantũ humana permittit fragilitas, decreuimus, ut Canonici clerici canonicè uiuant, obseruantes diuinæ Scripturæ doctrinam, & documenta sanctorum patrum: & nihil sine licentia episcopi sui, uel magistri eorum compositi agere præsumant in unoquoque episcopatu: & ut simul manducent & dormiant, ubi his facultas id faciendi suppetit, uel qui de rebus ecclesiasticis stipendia accipiũt, & in suo claustro maneãt, & in singulis diebus mane primò ad lectionem ueniant, & audiant quid eis imperetur. Ad mensam uerò similiter lectionem audiant, & obedientiam secũdum Canones suis magistris exhibeant.

Item de uita clericorum. Cap. 10.

Discretionem igitur esse uolumus atque decreuimus inter eos qui dicũtur seculum reliquisse, & adhuc seculum sectantur. Placuit igitur sancto Concilio, ut ita discernantur, sicut in regula clericorum dictum est. His igitur lege patrum cauetur, ut uulgari uita secluſi, à mundi uoluptatibus sese abstineant, non spectaculis, non pompis intersint, conuiuia inhonesta & turpia fugiant. Tamen Hieronymus in epistola ad Nepotianum dicit, Omnium Christianorum domos quasi proprias amare debemus, ut consolatores nos in mœrorib. suis potius, quã conuiuas in prosperis nouerint. Item Isidorus: Clerici tamen cõuiuia priuata, non tantum pudica, sed & sobria colant. Vsuris nequaquam incumbant, neq; turpium occupationes lucrorum, fraudisque cuiusquam studium appetant. Amorem pecuniæ, quasi materiam cunctorum criminum, fugiant. Secularia officia negociaq; abijciant, honorum gradus per ambitionem non subeant, pro beneficijs Dei medicinæ munera non accipiant, dolos & coniurationes caueant: odium, æmulationem, obtrectationem, atque inuidiam fugiant. Non uagis oculis, nõ infreni lingua, aut petulanti tumidoque gestu incedant, sed pudorem ac uerecundiam mentis simplici habitu incessuque ostendant. Obscœnitatem etiam uerborum, sicut & operum, penitùs execrentur. Viduarum ac uirginum uisitationes frequentissimas fugiant, contubernia fœminarum nullatenus appetant, castimoniam quoque inuiolati corporis perpetuò conseruare studeant. Senioribus quoq; debitam præbeant obedientiam, neque ullo iactantiæ studio se attollãt. Postremò, in doctrina & lectionibus, Psalmis & hymnis, & canticis, exercitio iugi incumbant. Tales enim debent esse, qui diuinis cultibus se mancipãdos studeant exhibere: scilicet ut dum scientiæ operã dant, doctrinæ gratiam populis administrent.

De uita monachorum. Cap. 11.

Abbates aũt censuimus ita cũ monachis suis pleniter uiuere, sicut ipsi qui in præsenti Synodo aderãt, palàm nobis omnibus promiserunt: id est, secundũ doctrinam regulæ sancti Benedicti, quantum humana permittit fragilitas.

Ne monachi placita secularia facere audeant. Cap. 12.

Ac deinde decreuimus, sicut sancta regula dicit, ut monasterium ubi fieri possit, per decanos ordinetur: quia illi præpositi sæpè in elationem incidunt, & in laqueum diaboli. Hoc tamen omnino uolumus, ut monachi ad secularia placita nullatenus ueniant, neq; ipse abbas sine cõsensu episcopi sui. & cũ necessitas exigit, tũc per iussionẽ & consilium episcopi illuc uadat: nequaquam tamen contentiones aut lites aliquas ibi mouere præsumat, sed quicquid quærendum uel etiam respondendum sit, per aduocatos suos hoc faciat. Abbates & monachi usque ad interrogationem silentium habeant: & cum interrogantur, cum humilitate & reuerentia respondeant, aliàs querelas omnino deuitent. In eorũ claustro permaneant, nullusq; ex eis foràs uadat, nisi per necessitatẽ ab abbate mittatur in obedientiã. Nec foràs manducẽt, neq; bibant sine permissione abbatis, nec ad conuiuia secularia uadant.

De sacris uirginibus. Cap. 13.

Abbatissas aũt cum sanctis monialibus, omnino rectè & iustè uiuere censemus: quę uerò professionem sanctæ regulæ Benedicti fecerunt, regulariter uiuãt. Sin autem canonicè uiuant, pleniter & sub diligenti cura custodiam habeant, & in claustris suis

permaneant, neque foras exitum habeant: sed & ipsæ abbatissæ in monasterijs sedeant, nec foràs uadant sine licẽtia & consilio episcopi sui.

De negocio seculari.

Cap. 14.

Ministri autem altaris Dominì, uel monachi, nobis placuit, ut à negocijs secularibus omnino abstineant. Multa sunt ergo negocia secularia, de his tamen pauca præstrinximus: ad quæ pertinet omnis libido, non solum in immundicia carnis, sed etiam in omni concupiscentia carnali, quicquid plus iusto appetit homo, turpe lucrum, munera iniusta accipere, uel etiam dare, pro aliquo seculari quæstu precio aliquẽ conducere, contentiones & lites uel rixas amare, in placitis secularibus disputare, excepta defensione orphanorum aut uiduarũ conductores aut procuratores esse secularium rerũ, turpis uerbi uel facti ioculatorem esse, uel iocum seculare diligere, aleas amare, ornamentũ inconueniens proposito suo quærere, in delicijs uiuere uelle, gulam & ebrietatẽ sequi, pondera iniusta uel mẽsuras habere, negocium iniustum exercere. Non tamen iustũ negocium est cõtradicendũ propter necessitates diuersas, quia legimus S. Apostolos negociasse: & in regula S. Benedicti præcipitur prę uidere, per quorum manus negociũ monasterij transeant. Canes uerò & aues sequi ad uenandum, in omnibus quibuslibet causis, superfluum esse: ecce talia & his similia, ministris altaris Domini, nec nõ & monachis, omnino contradicimus, de quibus dicit Apostolus: Nemo militans Deo, implicat se negocijs secularibus.

De imitatione Apostolica.

Cap. 15.

Apostolus dicit: Imitatores mei estote, & obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostrã. Non eos obseruãtes, qui sunt inimici crucis Christi, quorum finis interitus, quorũ Deus uenter, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiũt. Nostra autem conuersatio in cœlis est, sicut Hieronymus in epist. ad Galat. ait: Aemulantur autem bene, qui cum uideant, uel audiant esse in aliquibus gratias, dona, uirtutesq;, ipsi tales esse desiderant, & fidem, uitam atq; industriam eorum, quæ per illa meruerunt, nituntur imitari, ut possint ea quoq;, quę bona æmulatione digna sunt consequi, magis quærentes spiritualia quàm carnalia, ut per seueranti gradu ad finem boni operis peruenire possint. Augustinus in primo libro de agone Christianorum, hanc sententiam interpretans dicit: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Quare intelligendum est, etiam ipsum Apostolum in semetipso triumphasse de potestatibus huius mundi, sicut de Domino dixerat, cuius se imitatorem el- se profitetur. Imitemur ergo & nos illum, si cut hortatur, & castigemus corpus nostrũ, & in seruitutem redigamus, si mundum uo lumus uincere. Aliquando quidẽ suo exem plo Christianos fieri imitatores iubet, dicen do: Imitatores mei estote, sicut & ego Chri sti. Aliquando quidẽ de se respiciens ad De um, ad ipsius nos imitationem hortatur, di cens: Estote ergo imitatores Dei, sicut filij charissimi. Iam uerò demonstrans, quia nihil hanc imitationem pariat, quàm si ita uiuat aliquis, ut bonum eius in cõmune proficiat, atq; uniuersis utiliora prouideat, adiunxit: Ambulate in charitate. Ideo cum dixisset: Imitatores mei estote, continuò de charitate disseruit, quia hæc præcipuè uitus Deo homines proximos faciat.

De eo quid sit relinquere mundum.

Caput 16.

Seculum autem relinquere est, sicut Gregorius dicit, seculi uoluptatibus contraire. Hinc Paulus admonet, dicens: Qui emunt tanquam non possidentes, & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Et Gregorius in libro pastorũ: Vt uidelicet sic uobis suppetant, & exterius seruiãt, quatenus à supernæ dilectionis studio animum non reflectant.

De armis dimittendis.

Cap. 17.

Nos autem qui relinquimus seculum, id modis omnibus obseruare uolumus, ut arma spiritualia habeamus, secularia dimittamus. Laicis uerò, qui apud nos sunt, arma portare non præiudicemus: quia antiquus mos est, & ad nos usq; peruenit.

De fictis uirtutibus, & ueris uitijs discernendis. Cap. 18.

Dominus dicit in Euangelio: Attendite à falsis prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Hinc Hieronymus in commentario Matthæi dicit: De omnibus quidem intelligi potest, qui aliud habitu ac sermone promittunt, aliud opere demonstrant. Item in alio loco: Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorũ. Nec his quidem accommodanda fides est, qui cum pollent integritate fidei, turpiter uiuunt, & doctrinæ integritatem operibus destruunt. Vtrunque enim Dei seruis necessarium est, ut opus sermone, & sermo operibus comprobetur. Et Beda in tractatu in Euangelium Lucæ dicit: Ipse enim finis est, ut nihil duplici animo faciamus. Si ueram, inquit, & non fictam uis habere iustitiam, quæ uerbis ostentas, factis compensa re curato. Et Apostolus: Dilectio sine simulatione,

latione, odientes malum, adhærẽtes bono.

Vt in monasteria nimis multi homines non mittantur. Cap. 19.

Vt plus non mittatur in monasteria canonicorum uel monachorum, aut puellarum, quàm sufferri possit.

De locis monasteriorum, uel ædificijs prouidendis. Cap. 20.

Deinde dignũ ac necessarium est, ut missi per quæq; loca, directi simul cum episcopis uniuscuiusq; diœcesis, perspiciant loca monasteriorũ, canonicorũ pariter & monachorũ, similiterq; puellarũ, si in apto & congruo loco sint posita, ubi commodũ necessarium possit acquiri, quod ad utilitatẽ pertinet monasterij, sicut in sancta regula dicitur. Monasterium autem ita debet constitui, ut omnia necessaria intra monasterium exerceantur, ut nõ sit necessitas monachis, uel clericis, uel puellis uagandi foras: quia omnino non expedit animabus eorum. Similiter quoq; ædificia monasteriorum suprà dicti missi, & cum eis episcopi, per diuersa loca præuideant, si apta sint, & congruenter sanctæ professioni composita: uel si claustrum firmum habeant, in quo saluari possint animæ in eis commorantium sub disciplina canonica uel regulari. Vbi autem aliter inuentum fuerit, hoc omnimodis episcopus loci ipsius faciat emendari, ita ut cõdignam professioni eorum custodiam habeant canonici, uel monachi, atq; nonnanes, ne detur eis occasio malefaciendi: quod abst.

Vt episcopi sciant, qualiter canonici uiuant, qui cum abbatibus sunt. Cap. 21.

Præcipimus, ut unusquisque episcopus sciat, per singula monasteria, quantos quisque abbas canonicos in monasterio suo habeat: & hoc omnino ambo pariter prouideant, ut si monachi fieri uoluerint, regulariter uiuant: sin autem, canonicè uiuant omnino.

De clericis uagis. Caput 22.

De clericis uagis, seu de Acephalis, id est, de his qui sunt sine capite, neque in seruitio Domini nostri, neq; sub episcopo, neq; sub abbate, sed sine canonica uel regulari uita degentes, ut in libro Officiorum, secundum capitulum & tertium de eis dicit. Hos neque inter laicos aut secularium officiorum studia, neq; inter clericos religio tenet diuina: sed soliuagos atq; oberrãtes, sola turpis uita complectitur, & uaga: quiq; dum nullum metuunt, explendæ uoluptatis suæ libertate ac desiderio suo feruntur, habentes signum religionis, non religionis officium, Hippocentauris similes, nec equi, nec homines. Tales omnino, ubicũq; inuenti fuerint, præcipimus, ut episcopi sine ulla mora eos sub custodia constringant canonica & nullatenus eos amplius ita errabundos & uagos secundum desideria uoluptatum suarum uiuere permittant. Sin autem episcopis suis canonicè obedire noluerint, excommunicentur, usq; ad iudicium archiepiscopi regionis illius. Et si ille eos corrigere non ualuerit, tunc omnino sub uinculis cõstringantur usq; ad Synodum, ut ibi eis indicetur, utrum ad iudicium Domini nostri, aut ad istam magnam Synodum afferantur sub custodia publica.

De clericis iniustè tonsuratis. Cap. 23.

De clericis uerò hoc statuimus, ut hi qui hactenus inuenti sunt siue in canonico, siue in monachico ordine tonsurati, sine eorum uolntate, si liberi sunt, ut ita permaneant: & deinceps cauendum, ut nullus tondeatur sine legitima ætate, & spontanea uoluntate, uel cum licentia domini sui.

De clericis adeuntibus Imperatorem. Cap. 24.

De clericis adeũtibus imperatorem, hoc placet omnibus modis obseruare, quod de eis in sacris canonibus constitutum est.

Vt prædicatio sancta assiduè in Ecclesia fiat. Cap. 25.

De officio prædicationis, si fortè episcopus non fuerit in domo sua, aut infirmus est, aut aliqua causa exigente non ualuerit: nunquam tamen desit diebus Dominicis aut festiuitatibus, qui uerbum Dei prædicet, & iuxta quod intelligere uulgus potest.

Presbyteri tantum ad Missarum solennia introitum habeant in monasteria puellarum. Cap. 26.

Vt presbyteris per monasteria puellarum opportuno tempore liceat Missarum solennia celebrare, & iterum ad proprias ecclesias redire.

Vt presbyteri chrisma diligenter custodiant. Cap. 27.

Presbyteri sub sigillo custodiãt chrisma: & nulli sub prætextu medicinæ, uel maleficij: donare inde præsumant. Quod si fecerint, honore priuentur.

Vt presbyteri assiduè utantur orarijs. Cap. 28.

Presbyteri, sine intermissione utantur orarijs, propter differentiam sacerdotij dignitatis.

Ne laici presbyteros eijciant de Ecclesijs. Cap. 29.

Vt laici presbyteros non eijciant de Ecclesijs, neq; constituant, sine consensu episcoporum suorum.

Ne laici à presbyteris munera exigant. Cap. 30.

Vt laici omnino munera iniusta non exigant à presbyteris, propter commendationem Ecclesiæ cuiquam presbytero.

De fugitiuis laicis. Cap. 31.

Vt unusquisq; episcopus, in sua parochia diligẽter presbyteros uel clericos inquirat, unde sint: & si aliquem fugitiuum inuenerit, ad suum episcopum redire faciat.

Quid sit Litania Cap. 32.

Litaniæ autem Græco nomine appellantur, quæ Latinè dicuntur Rogationes. Inter λιτανείας aũt & ἐξομολογήσεις hoc differt, quod exomologeses pro sola peccatorum confessione agantur: Litania uerò, quę indicantur, propter rogandum Deum, & impetrandum in aliquo misericordiam eius. Sed iam nunc utrunque uocabulum sub una dignatione habetur.

De Litania maiore. Cap. 33.

Placuit nobis, ut Litania maior obseruanda sit à cunctis Christianis, diebus tribus, sicut legẽdo reperimus: & sicut sancti patres nostri instituerunt, non equitando, nõ preciosis uestibus induti, sed discalceati, cinere & cilicio induti, nisi infirmitas impedierit.

De quatuor temporibus obseruandis. Cap. 34.

Constituimus, ut quatuor tempora anni, ab omnibus cum ieiunio obseruẽtur: id est, mense Martio hebdomada prima: & feria quarta, & sexta, & sabbato ueniant omnes ad ecclesiam hora nona, cum litanijs ad Missarum solennia. Similiter in mense Iunio, hebdomada secunda, feria quarta & sexta, & sabbato, ieiunetur usque ad horam nonam, & à carne ab omnibus abstineatur. Similiter in mense Septembri, hebdomada tertia: & in mense Decembri, hebdomada quæ fuerit plena, ante uigiliam natalis Domini, sicut est in Romana ecclesia traditum.

De indicto ieiunio. Cap. 35.

Si quis indictum ieiunium superbiendo contẽpserit, & obseruare cum cæteris Christianis noluerit, in Gangrensi concilio præcipitur, ut anathematizetur, nisi emendare se studeat.

De festiuitatibus. Cap. 36.

Festos dies in anno celebrare sancimus: hoc est, diem Dominicam Paschæ, cum omni honore & sobrietate uenerari. Similiter feriam secundam, tertiam & quartam. A feria quinta ante missam, licentia sit arandi uel seminandi, & hortum & uineam excolendi, & sepem circumcludendi. Ab alio uerò opere cessare decreuimus. Post missam autem ab opere uacare, diem Ascensionis Domini pleniter celebrare. Item Pentecosten similiter, ut in paschа. In natali Apostolorum Petri & Pauli diem unum, natiuitatem S. Ioannis Baptistæ, assumptionem sanctæ Mariæ, dedicationem sancti Michaelis, natiuitatem S. Rhemigij, S. Martini, S. Andreæ. In natali Domini dies quatuor, octauas Domini, Epiphaniam Domini, purificationem sanctæ Mariæ. Et illas festiuitates martyrum, uel cõfessorum obseruare decreuimus, quorum in unaquaq; parochia sancta corpora requiescunt. Similiter etiam dedicationem templi.

De Dominicis diebus. Cap. 37.

Omnes dies Dominicos, cum omni uenerone decreuimus obseruari, & à seruili opere abstinere, & ut mercatus in eis minimè fit, nec placitum ubi aliquis ad mortem uel ad pœnam iudicetur.

De decimis. Cap. 38.

Admonemus atque præcipimus, ut decima de omnibus dari non negligatur, quia Deus ipse sibi dari constituit. Quia timendum est, ut quisquis Deo debitum suum abstrahit: ne fortè Deus per peccatum suũ auferat ei necessaria sua.

Vt ecclesiæ pacem habeant. Cap. 39.

Reum confugientem ad ecclesiam, nemo abstrahere audeat, nec inde donare ad pœnam uel ad mortem, ut honor Dei & sancto rum eius conseruetur: sed rectores Ecclesiarum pacem & uitam ac membra eius obtinere studeant: tamen legitimè componat, quod iniquè fecit.

De pace Ecclesiarum. Cap 40.

Præcipimus, ut in Ecclesijs, aut in domibus Ecclesiarum uel atrijs, placita secularia minimè fiant.

Vt antiquæ Ecclesiæ honorem habeant. Cap. 41.

Ecclesiæ antiquitùs constitutæ, nec decimis, nec alijs possessionibus priuentur, ita ut nouis oratorijs tribuatur.

De beneficijs Ecclesiasticis. Cap. 42.

Quicunq; beneficium Ecclesiasticum habent, ad tecta Ecclesię restauranda, uel ipsas Ecclesias emendandas, omnino adiuuent, & nouam decimam reddant.

Ne presbyter solus Missam cantet. Cap. 43.

Nullus presbyter, ut nobis uidetur, solus Missam cantare ualet rectè. Quomodo enim dicet, Dominus uobiscum, uel Sursum corda admonebit habere, & alia multa his simi lia, cum alius nemo cum eo sit?

De

De oblatione & pace in Ecclesia facienda. Cap. 44.

Oblationem quoq; & pacem in Ecclesia facere, iugiter admoneatur populus Christianus: quia ipsa oblatio sibi & suis magnũ remedium est animarum, & in ipsa pace uera & unanimitas & concordia demonstratur.

De symbolo & oratione Dominica. Cap. 45.

Symbolum, quod est signaculum fidei, & orationem Dominicam discere, semper admoneant sacerdotes populum Christianum. Volumusq; ut disciplinam condignam habeant, qui hæc discere negligunt, siue in ieiunio siue in alia castigatione emendentur. Propterea dignum est, ut filios suos donent ad scholam, siue ad monasteria, siue foràs presbyteris, ut fidem catholicã rectè discãt, & orationem Dominicã, ut domi alios edocere ualeant. Et qui aliter non potuerit, uel in sua lingua hoc discat.

Vt malum ebrietatis uitetur omnino. Cap. 46.

Magnum malum ebrietatis, unde omnia uitia pullulant, modis omnib. præcipimus cauere: & qui hoc cauere noluerit, excommunicãdum esse decreuimus, usq; ad emendationem congruam.

De spiritualibus filiolis. Cap. 47.

Deinde præcipimus, ut unusquisq; compater, uel proximi, spirituales filiolos suos catholicè instruant.

Vt canticum luxuriosum circa Ecclesias non deferatur. Cap. 48.

Canticum turpe atque luxuriosum circa Ecclesias agere omnino cõtradicimus: quod ubiq; uitandum est.

De subintroductis mulieribus. Cap. 49.

Omnibus igitur clericis, fœminas secum in domibus suis habere ultra licentiam canonum, firmiter sit contradictum.

De præpositis uel aduocatis, siue uicedominis. Cap. 50.

Omnibus igitur episcopis, abbatibus, cũcto clero omnino præcipimus, uicedominos, præpositos, aduocatos, siue defensores bonos habere, nõ malos, nõ crudeles, nõ cupidos, non periuros, non falsitatem amantes, sed Deum timentes, & in omnibus iustitiam diligentes. De iudicibus autẽ, uel centenarijs, atq; tribunis seu uicarijs, dignũ esse censemus, ut si mali reperti fuerint, de ministerio suo abijciantur.

Vt nec corpora sanctorũ transferantur de loco ad locum. Cap. 51.

Deinceps uerò corpora sanctorum, de loco ad locum nullus præsumat transferre, sine consilio principis, uel episcopi & sanctæ Synodi licentia.

Qui mortui in Ecclesia sepeliantur. Cap. 52.

Nullus mortuus infra Ecclesiam sepeliatur, nisi episcopi, aut abbates, aut digni presbyteri, aut fideles laici.

De incæstuosis. Cap. 53.

Vt episcopi incęstuosos pariter inuestigari studeant, omnino præcipimus. Et si pœnitere noluerint, de Ecclesia expellantur, donec ad pœnitentiam reuertantur.

Ne in quarta generatione coniugium copuletur. Cap. 54.

Contradicimus quoq;, ut in quarta generatione nullus amplius coniugio copuletur: & si post interdictum factum inuentum fuerit, separetur.

Ne proprius filius de baptismo suscipiatur. Cap. 55.

Nullus igitur proprium filium, uel filiam, de fonte baptismatis suscipiat: nec filiolam, nec commatrem ducat uxorem: nec illam, cuius filium aut filiam ad confirmationem duxerit. Vbi autem factum fuerit, separentur.

De damnatis nuptijs. Cap. 56.

Si quis uxorem uiduã duxerit, & postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu duab. sororibus nupserit, aut si qua duobus fratribus nupserit, seu cum patre & filio, tales copulationes anathematizari & disiungi præcipimus, nec unquã amplius coniugio copulari, sed magna districtione fieri.

SYNODVS REMENSIS.

Remẽsis Synodus coijt anno Domini 813, iuxta Sigebertũ. Præsedit Vulfarius archiepiscopus. Condiderunt autẽ canones 44, quorum argumenta recitantur in 2 tomo Conciliorum.

1 Est de fidei ratione, ut unusquisq; iuxta intellectum suæ capacitatis, Domino largiẽte, disceret & intelligeret, atq; operibus plenè obseruaret.

2 Vt orationẽ, quam Dominus noster Iesus Christus discipulos suos orare docuit discerent, & sensu bene intelligerent, quia illam ignorare nulli Christiano licet.

3 Vt quicunque ad gradus Ecclesiasticos condignè ascendere uoluerit, unusquisque intelligeret, qualiter secundum possibilitatem intellectus sui, in eo gradu ubi constitutus est, Deo militare, & seipsum ualeret custodire.

4 Vt ea quæ scripta sunt superius, unusquisque secundum à Deo sibi collatum gradum operibus perficere ualeret. Et præsentibus cunctis lectæ sunt epistolæ Pauli, qualiter subdiaconi ministerium est, eundem

Apostolum legere, ut officium sibi commissum implere rectius potuisset.

5 Lectum est Euangelium, ut diaconi etiã instruerentur, qualiter Christo, cuius fungũtur officio, condigne ualerent ministrare.

6 Missarum ibi discussa est ratio, ut presbyteri minus antea scientes, intelligerent, qualiter Missarum solennia deinceps dignius celebrare deberent.

7 Baptisterij & catechumenorum uentilata est ratio, ut sacerdotes plenius intelligerent, qualiter condignis ordinibus efficerẽt Christianum.

8 Lecti sunt sancti Canones, ut quisq; canonicus legem uitamq; suam minimè ignoraret: quod omnimodis non expedit, sicut in Decretali legitur Innocentij.

9 Lecta est regula S. Benedicti, ut ad memoriam reduceretur abbatibus minus scientibus, si qui fortè adfuerint, qualiter & se & suos secundum eandem regulam custodire ualerent, atq; gubernarent.

10 Lectæ sunt sententiæ libri pastoralis B. Gregorij, ut pastores Ecclesiæ intelligerent quomodo ipsi uiuerent, qualiter sibi subiectos deberent admonere: quoniam teste eodem B. Gregorio, aliter admonendi sunt prælati, aliter subditi.

11 Diuersorum ibi sententiæ relatæ sunt patrum, ut audientes in omnibus quæ suprà inserta leguntur, tam prælati quàm subditi, in Dei laudibus roborati, de his quæ audierant, fructum boni operis contenderent reddere.

12 Omnibus his actis uentilata est ratio pœnitentiæ, ut sacerdotes certius intelligerent, quomodo confessiones recipere, & pœnitentiam secundum canonicam institutionem pœnitentibus deberent indicare.

13 Ventilata est ratio octo principalium uitiorum, ut unusquisq; diuersitatem illorum sciret, & ab alijs, Domino auxiliante, se intelligerent custodire, & alijs prædicare.

14 Vt episcopi diligentius operam dent, lectioniq; diuinæ incumbant, id est, canonicis libris & opusculis patrum: & uerbũ Dei omnibus prædicent.

15 Vt episcopi sermones & homilias sanctorum patrum, prout omnes intelligere possint, secundum proprietatem linguę prędicare studeant.

16 Vt episcopi & presbyteri examinẽt, qualiter confitẽtibus peccata dijudicent, & tempus pœnitentiæ constituant.

17 Vt episcopi & abbates ante se ioca turpia facere non permittant: sed pauperes & indigentes secum ad mensam habeant, & lectio diuina ibi personet, & sumant cibum cũ benedictione & laude Domini, secundum Apostolum, siue manducent, siue bibant, omnia in laudem Dei faciant.

18 Episcopi & Dei ministri nõ debent commessationibus & uinolentijs nimijs incumbere: sed cõsiderẽt sententiã Domini dicentis, Attendite, ne grauẽtur corpora uestra in crapula & ebrietate. Moderatè enim cibum & necessariũ potum sumãt, ut iuxta Apostolum sobrij sint, parati ad seruitium Domini.

19 Vt episcopi & iudices iudicia discernãt: quia sunt quædam iudicanda modò, quædã Dei iudicio reseruanda. Scriptum est enim: Nolite ante tempus iudicare, quoad usq; ueniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuiq; à Deo. Et illius memores sint: in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabitur de uobis.

20 Vt presbyteris de minore titulo ad maiorem non liceat trasmigrare.

21 Vt quicunque presbyter per precium gradum & Ecclesiam acquisierit, ab episcopo deponatur.

22 Vt à sacerdotibus omnis suspicio mulierum funditùs eradicetur: cum quibus etiam nulla habitatio eis conceditur, præter illam quæ in Nicena Synodo permittitur: id est, matrem aut sororem, uel eas tantum personas à quibus omnes suspiciones effugiant.

23 Vt in uictu & uestitu, uel conuersatione abbatum, qui monachos habere cernũntur, Dei uoluntas & Domini Imperatoris impleatur.

24 Vt præpositi & uicedomini, secundum regulam uel canones constituantur.

25 Vt monachi & canonici pleniter consilium habeant, qualiter Deo militare, animasque eorum melius ualeant custodire: ne propter aliquam necessitatem, occasionem quærant uagandi, & inter ipsos propter hoc locus tentandi detur diabolo.

26 Vt monachi & canonici, tabernas adendum uel bibendum non ingrediantur, sicut in concilijs Laodicensi & Africano legitur esse interdictum.

27 Vt in ciuitatibus & monasterijs nõ maior numerus seruientiũ Deo mittatur, quàm possibilitas eis ministrandi fuerit.

28 Vt cupiditatis & auariciæ malum nullatenus sectetur, sicut Carthaginense interdicit concilium.

29 Vt monachi ad placita secularia nullatenus uadant.

30 Vt nemo sacerdotum uel monachorum negocijs illicitis se implicet, quomodo scriptum est: Nemo militans Deo, implicat se negocijs secularibus.

31 Vt discretio seruanda sit inter pœniten-

nitentes, qui publicè & abſconſè pœnitere habent.

32 Vt turpia lucra & uſuras minimè exerceant, ſicut ipſum habet Concilium.

33 De monaſterijs puellarum, conſiderandum eſt, & Imperatoris miſericordia imploranda, ut uictum & neceſſaria à ſibi prælatis conſequi poſsint ſanctimoniales, & uita illarum & caſtitas, ſecundum fragilitatem ſexus, diligenter prouiſa tueatur.

34 Vt uiduæ non ſint in delicijs, ſed (ſecũdum Apoſtolum) ſub poteſtate epiſcopi uiuant, ſicuti decet.

35 Vt diebus Dominicis ſecundum Domini præceptum, nulla opera ſeruilia quilibet perficiat, nec ad placita conueniat, nec etiã donationes in publico facere præſumat, neque mercata exerceat.

36 Vt quicunque per cupiditatem & malum ingenium, aliorũ res ſibi acquiſierint, & pro ipſis rebus Eccleſiæ illis in precaria reddiderint, & in poſtmodum datoribus diſplicuerit: pars Eccleſiæ, quod ſuum eſt, habeat, & illi quæ ſua ſunt, abſque ullius contradictione recipiant. Poſt hæc uerò hi, qui hoc malum perpetrati ſunt, ſecundum modum culpæ pœnitentiam agant: & deinceps res aliorum, cupidè & procaciter recipere non præſumant, niſi tantum quantum pro ſola eleemoſyna eas Deo dare uoluerint, uel etiam ipſas, quas donant in nomine ſuo & filiorum ſuorum, in precariũ recipere uoluerint.

37 Vt ſi quilibet hominum res Eccleſiæ per mendacia, uel aliàs mala ingenia, in precariam ſibi acquirere & habere uoluerit, & poſt factas precarias, eadem mendacia ad aures eiuſdem rectoris Eccleſiæ delata fuerint: ipſa Eccleſia res ſuas, quæ ei mendaciter abſtractæ fuerint, pleniter abſque ullius cõtradictione omnimodis recipiat. Ille uerò, qui res ſuas per eadem mendacia propter cupiditatem, ipſius precariæ, eidem Eccleſiæ tradidit, ſimili modo in ſuam recipiat dominationem.

38 Vt decimæ pleniter dentur.

39 Vt nullus homo munera, pro placito requirat, aut accipere præſumat.

40 Vt pro Domino Imperatore, ſuaq; nobiliſsima prole, orationes & oblationes ſuper has, quæ hactenus pro ipſis Deo omnipotenti oblatæ ſunt, augeantur: ut eos ſuis temporibus in præſenti ſeculo, cum omni felicitate cuſtodiat, & in futuro cũ S. angelis ſuis, pia miſeratione gaudentes efficiat.

41 Vt Dominus Imperator, ſecundum ſtatutum bonæ memoriæ Domini Pipini, miſericordiam faciat, ne ſolidi, qui in lege habentur, per quadraginta denarios diſcurrant: quoniam propter eos multa periuria, multaque falſa teſtimonia reperiuntur.

42 Vt in ſua eleemoſyna firmiter ſtatuat, ne quilibet ſuum peragentibus, ſeruitium ul latenus prohibere audeat manſionem, neq; alijs quibus neceſsitas incumbit.

43 Vt per eius magnificum & cunctum imperium, ſuis & futuris temporibus firmetur capitulum, ſiue ab anno trigeſimo, à quo adhuc teſtes haberi poſsint, ſeu etiam ab illo à quo feliciſsimũ regnum eius ſumpſit exordium, qualiter omnes lites & iugia in ſua miſericordia terminum habere potuiſſent: quoniam pro talibus multa periuria, multæ quæ diſſenſiones oriuntur in populo.

44 Vt de falſis teſtibus, eius ſimili modo pijſsimum firmetur capitulum, qualiter & hoc, quod ille Bononiæ ſtatuit, firmiſsimũ habeatur, & adhuc quærantur, quatenus in ſua pijſsima miſeria, ſi qua neceſſaria ſunt, augeantur: ne propter eorum falſa teſtimonia, iniquaq; periuria, tot damna, totq; iniuſticiæ oriantur.

SYNODVS TVRONENSIS.

Anno Domini 813. iuxta Sigebertum epiſcopi & abbates Turonis, iuſſu Caroli Magni conuenerunt, & ad diſciplinam eccleſiaſticam promouendam, hęc capita conſignarunt, atq; Imperatori exhibuerunt.

Caput 1.

Primo omnium admonuimus generaliter cunctos, qui noſtro conuentui interfuere, ut obedientes ſint Domino excellentiſsimo Imperatori noſtro: & fidem, quam ei promiſſam habent, inuiolabiter conſeruare ſtudeant. Orationes quoque aſsiduas intentè fundere, pro eius ſtabilitate ac incolumitate omnes ſe uelle, ſecundum noſtram admonitionem unanimiter profeſsi ſunt, ut miſericordia diuina longiori æuo, illius manſuetudinem conſeruare dignetur.

Cap. 2.

Vt omnes epiſcopi ſtudioſè operam diuinæ dent lectioni, ſanctum Euangelium & epiſtolas beati Pauli Apoſtoli, non ſolum crebrò lectitent: ſed etiam quãtum poſsint, memoriæ ſtudeant accommodare, ſanctorumque patrũ opuſcula ſuper eadem expoſita, deuotè frequentent. Similiter & de cæteris libris canonicis faciant.

Cap. 3.

Nulli epiſcopo liceat, canones aut librum paſtoralem à beato Gregorio papa editum, ſi fieri poteſt, ignorare: in quibus ſe debet unuſquiſque, quaſi in quodam ſpeculo, aſsiduè conſiderare.

Cap. 4.

Sollicitè ſtudeat unuſquiſq; Epiſcopus, gregem

gem sibi commissum sacra prædicatione, quid agere, quid'ue uitare debeat, informare. Et ipse episcopus uita, habitu, forma, & conuersatione sancta suis sit subiectis exemplum, ut iuxta Dominicam uocem uideant opera eius bona, & glorificent patrem Deũ qui in cœlis est.

Cap. 5.

Episcopum non oportet nimium profusis incumbere conuiuijs, sed parco & moderato contentus sit cibo, ne uideatur Domini abuti sententia, dicẽtis: Attendite, ne grauẽtur corda uestra crapula & ebrietate. & quãdiu conuiuatur, potius sacra lectio ante mensam eius recitetur, quàm ociosa à susurronibus resonent uerba.

Cap. 6.

Peregrini & pauperes, conuiuæ sint episcoporum: cum quibus non solum corporali, sed & spirituali reficiantur alimento.

Cap. 7.

Ab omnibus quæcunq; ad aurium & ad oculorum pertinent illecebras, unde uigor animi emolliri posse credatur (quod de aliquibus generibus musicorum, alijsq; nonnullis reb. sentiri potest) Dei sacerdotes abstinere debent: quia per aurium, oculorumque illecebras, uitiorum turba ad animam ingredi solet. Histrionũ quoq; turpium, & obscœnorum insolentias iocorum, & ipsi animo effugere, cæterisq; sacerdotibus effugienda prædicare debent.

Cap. 8.

Sacerdotibus non expedit, secularibus & turpib. quibuslibet interesse iocis: uenationes quoq; ferarũ uel auiũ minimè sectẽtur.

Cap. 9.

Presbyteri quoq; & diaconi in omnibus bonorum operũ exhibitionibus, sui episcopi uestigia sectentur: & in bonorum morum probitate, quæ episcopo sunt obseruanda, eadem & sibi obseruanda esse agnoscant.

Cap. 10.

Episcopi quidem maximam curam & solicitudinem circa pauperes habeãt, & res ecclesiasticas ecclesijs collatas cauta circumspectione dispensent: quasi Dei ministri, nõ quasi turpis lucri sectatores: illisq; ita utantur, non ut proprijs, sed ut sibi ad dispensandum commissis.

Cap. 11.

Licitum sit episcopis, præsentibus presbyteris & diaconis, de thesauro Ecclesiæ, familiæ & pauperibus eiusdem Ecclesiæ, secũdum canonicam institutionem, iuxta quod indiguerint, erogare.

Cap. 12.

Presbyterum ordinari non debere, ante legitimum tempus, hoc est, trigesimum ætatis annum: sed priusquam ad consecrationẽ presbyteratus accedat, manet in episcopio discendi gratia officium suum tamdiu, donec possint & mores & actus eius animadmuerti. Et nunc si dignus fuerit, ad sacerdotiũ promoueatur.

Cap. 13.

Vt unusquisq; episcoporum parochiam suam diligenter perscrutari nitatur, ne alicui quis presbyter, ab alterius parochia in suam commigrans, officium celebrare præsumat, sine literis commendaticijs: sicut olim multis in locis actum esse, repertum est.

Cap. 14.

De titulo minori ad maiorem migrare nulli presbytero licitum sit: sed in eo permaneat ad quẽ ordinatus est. Quòd si inuẽtus fuerit contra statuta id facere, eadem priuatur sententia, qua episcopus, si de minore ad maiorem transmigrauerit sedem.

Cap. 15.

Quicunq; presbyter per precium Ecclesiam fuerit adeptus, omnimodis deponatur: quoniam ille contra ecclesiasticæ regulæ disciplinam agere dinoscitur, qui alium presbyterum legitimè ad prædictam Ecclesiam ordinatum, per pecuniam *: quod uitium late diffusum, summo studio emẽdãdũ est. Ideóque interdicendum uidetur clericis siue laicis, ne quis cuilibet presbytero præsumat dare Ecclesiã, sine licentia & cõsensu episcopi sui.

Cap. 16.

Vt decimæ, quæ singulis dabuntur Ecclesijs per consulta episcoporum, à presbyteris ad usum Ecclesiæ & pauperum, summa diligentia dispensentur.

Cap. 17.

Visum est unanimitati nostræ, ut quilibet episcopus habeat familias, continentes necessarias admonitiones, quibus subiecti erudiantur: id est, de fide catholica, pro ut capere possint, de perpetua retributione bonorũ & æterna damnatione malorum, de resurrectione quoque futura, & ultimo iudicio: & quibus operibus possit promereri beata uita, quibus'ue excludi. Et ut eadem homilias quisque apertè transferre studeat in rusticam Romanam linguam, aut Theotiscã, quo facilius cuncti possint intelligere quæ dicuntur.

Cap. 18.

Episcoporum sit magna sollicitudo, presbyteris suis tradere baptismi sacramentum, & quid in eodem renunciandum, quid'ue credendum sit. Renunciandum ergo diabolo, & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius. Opera eius intelliguntur & sunt, homicidia, fornicationes, adulteria, ebrietates, & multa alia his similia, quæ

quæ nimirum diabolico instinctu prius cogitatione mentis concipiuntur, quàm opere perperentur. Pompæ uerò eiusdem sunt, superbia, iactãtia, elatio, uana gloria, fastus, & alia quamplurima quæ ex his oriri uidentur.

Cap. 19.

Presbyteri omnino admonendi sunt, ut cum sacra Missarum solennia peregerint atque communicauerint, pueris aut alijs quibuslibet personis adstantibus, corpus Domini indiscretè non tribuant. Qui si fortè maioribus peccatis fuerint irretiti, magis sibi damnationem quàm remedium sumere noscuntur, iuxta sententiam Apostoli dicentis: Quicunq; manducauerit panem, uel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini: probet autẽ seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.

Cap. 20.

Item presbyteris iniungendum est, ne sacrum chrisma foràs cum claue dimittãt, ubi à quolibet attingi possit. Nam criminosos eodem chrismate unctos, aut potatos, nequaquam ullo examine deprehẽdi posse, à multis putatur.

Cap. 21.

Seruandum presbyteris firmiter statuimus, ne tabernas ingrediantur comedendi bibendi'ue causa. Quod si post hæc statuta facere præsumpserint, canonica decernimus sententia feriendos.

Cap. 22.

Episcopis & presbyteris diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominib. sua sibi delicta confitentibus, tempus abstinentiæ adscribant: ut iuxta modum peccati, pœnitentibus abstinentia indicetur. quoniam uariè aliquibus sacerdotibus, & indiscretè hæc iudicia proferuntur. Ideo necessarium uidebatur nobis, cum omnes episcopi ad sacrum palatium congregati fuerint, ab eis edoceri, cuius antiquorum liber pœnitentialis potissimùm sit sequendus.

Cap. 23.

Canonici & clerici ciuitatum, qui in episcopijs conuersantur, consideranimus, ut in claustris habitãtes, simul omnes in uno dormitorio dormiant, simulq; in uno reficiantur refectorio, quo facilius possint ad horas canonicas celebrandas occurrere, ac de uita & conuersatione sua admoneri & doceri. Victum & uestimentum iuxta facultatem episcopi accipiant, ne paupertatis occasione cõpulsi, per diuersa uagari, ac turpibus se implicare negocijs cogantur: dimissoque ecclesiastico officio incipiant, indisciplinatè uiuere, & proprijs deseruire uoluptatibus.

Cap. 14.

Simili modo & abbates monasteriorum, in quibus canonica uita antiquitùs fuit, uel nunc uidetur esse, sollicitè suis prouideant canonicis, ut habeant claustra & dormitoria in quibus simul dormiant, simulq; reficiantur. Horas canonicas custodiant, uictum & uestimenta iuxta quod poterit abbas habeãt, quo facilius ad Dei seruitium possint constringi. Sintq; abbates sibi subditis bonè uiuendo duces & præuij: uiamque demõstrent, qua rectè gradiendo, ad meliorem uitam peruenire ualeant.

Cap. 25.

Monasteria monachorũ, in quibus olim regula S. Benedicti patris conseruabatur, sed nunc fortè qualicunque negligentia subrepẽtè remissius ac dissolutius custoditur, uel certè penitùs abolita negligitur, bonum uidetur ut ad pristinum reuertantur statum: & abbates eorũdem, in eodem habitu ac uita, qua ipsa regula præcipit eos incedere, uiuere studeant. quoniam aliqua sunt monasteria, in quibus iam pauci sunt monachi, qui prædicti patris regulam suis abbatibus promissam habeant: quippe cum ipsi abbates magis canonicè quàm monachicè inter suos conuersari uideantur.

Cap. 26.

Porrò in monasterijs puellarũ multa inueniri possunt, quæ emendatio indigent. Nam quædam abbatissarum, negligentius quàm oporteat, uiuere dicuntur: & ob hoc earum uita & conuersatio à multis diffamatur. Sed & talium actus subditam familiam imitari uelle, credendũ est. Victus etiã ac uestimenta, aliaq; nonnulla necessaria, quę iure ab abbatissis præparari debuerant, abstracta sibi eadem conqueritur familia.

Cap. 27.

Vt iuuenes uiduę citò nequaquam uelentur, usquedum probetur illarum religio, & bona ab eis nota sit conuersatio, ne fortè de eisdem dici possit ab Apostolo: Quæ autem in delicijs sunt, uiuentes mortuæ sunt.

Cap. 28.

Virginibus quoq; sacrum uelamen accipiendum, decreta patrum interdicunt ante 25. annos, nisi fortè aliqua cogente necessitate, pro qua licitum est hęc statuta mutare: ut in canibus si requiratur, inueniri poterit.

Cap. 29.

Presbyteris, diaconis, cæterisq; clericis, infra claustra monasteriorũ puellarũ non sit concessum habitare. Neq; enim intrent monasteria, nisi tempore quo Missarũ solennia celebranda sunt, uel alia quælibet ecclesiastica officia peragenda: quibus peractis statim egrediantur, ne ibi postea aliquam moram faciant. Similiter & alijs hominibus, eadem monaste-

monasteria importunè frequentare cupientibus, omnis aditus præcludatur.

Cap. 30.

Abbatissę, absq; sui episcopi licẽtia, foràs monasterium egrediendi non habeant potestatem, nisi cum ad pijssimum Imperatorẽ nostrum proficiscí uoluerint: sed tantum in suis permaneãt monasterijs, ibiq; & seipsas custodire, sibiq; commissas seruare, quanta poterunt uigilantia decertent.

Cap. 31.

Vt in monasterijs canonicorũ monachorum seu puellarum, maior hominum numerus non admittatur, quàm facultas monasterij possit sufferre.

Cap. 32.

Omnes homines, & maximè Christiani, studeãt inter se pacem, unanimitatem & cõcordiam habere, odium uerò & discordiam longè à se propellere: neq; pro terreno & caduco quæstu quis, inuidiæ stimulis agitatus, felicitati fratris inuideat: sed potius bona quæ sibi optat, eadem & proximis æqualiter cupiat.

Cap. 33.

Comitibus, iudicibus, reliquoq; populo expedit, ut suis sint episcopis consentientes & obedientes, propter Dei amorem, suiq; gradus honorem: & semper ab eis utile quęrant auxilium, illorumq; salubria non spernant monita, sed intẽta cordis aure audiant. Similiter uerò & episcopi, & predictas personas humiliter suscipiant, honorificeq; eas in omnibus agant, & sic sese mutuis studeant subleuare consolationibus.

Cap. 34.

Summoperè admonendi sunt Comites, & iudices, ne uiles & indignas personas coram se permittant ad testimonium accedere: quoniam multi sunt qui peierare pro nihilo ducunt, in tantum, ut pro unius diei satietate, aut pro quolibet paruo precio, ad iuramentum conduci possint, animasq; suas periurio perdere minimè formident. Quamobrem tales nequaquam ad quodlibet testimonium admittendi sunt. Et hoc notandũ, quòd non solum qui peierant, sed etiam qui periuris consentiunt, simili plectendi sunt damnatione.

Cap. 35.

Nullus Christianus pro quolibet placito uel iudicio, à qualibet persona munera exigere aut accipere debet, quoniam id diuina Scriptura multis in locis magna interdicit autoritate, teste Scriptura, quæ ait: Munera excæcant oculos sapientum, & subuertunt uerba iustorum.

Cap. 36.

Omnibus communiter intimetur, ut unusquisq; omni tempore suam familiam, & ad se pertinẽtes inopes, alere ac uegetare studeat: quoniam impium est, & Deo odibile, eos qui diuitijs affluũt, nimijsq; opibus abũdant, non adiuuare miseros & indigentes.

Cap. 37.

Sciendum est, quòd exceptis diebus Dominicis, & illis solennitatibus, quibus & uniuersalis ecclesia, ob recordationem Domicæ resurrectionis, solet stando orare, fixis in terram genibus, suppliciter Dei clemẽtiam nobis profuturam, nostrorumq; criminum indulgentiam deposcendum est: cuius rei in Euangelio ipse Dominus nobis dedit exemplum. Sed & Stephanum martyrem, & Apostolum Paulum eadem fecisse, liber actuum Apostolorum testis est. Ex quibus intelligi datur, oportere Christianum humiliter ad terrã prosterni, ne fortè illi dicatur: Quid superbis terra & cinis?

Cap. 38.

Sacerdotes debent fideles admonere, ut quando ad Ecclesiam conueniunt, sine strepitu ac tumultu eam ingrediantur, in qua etiam quamdiu orationis causa morantur, nequaquam inanes inter se proferant confabulationes. Sed & tempore, quo Missarum solennia celebrantur, non solum ab ociosis & inutilibus uerbis, uerumetiam & à pernicioſis cogitationibus funditùs abstinendum est.

Cap. 39.

Placita quidem secularia in Ecclesijs, uel in atrijs Ecclesiarum, à comitibus, uicarijsq; usque modò multis in locis habita, ne ultra fiant, interdicendum est, cum autoritate Domini, qui expulsis de templo negociatoribus, adseruit, debere domum Dei domum esse orationis.

Cap. 40.

Itemq; interdicatur, ne mercata & placita usquam fiant die Dominica, qua oportet omnes Christianos à seruili opere, in laude Dei & gratiarum actione, usq; ad uesperam perseuerare.

Cap. 41.

Incœstuosi, parricidæ, homicidæ, multiapud nos heu proh dolor reperiuntur: sed ali qui ex illis sacerdotum, nolunt admonitionibus aurem accommodare, uolentes in pristinis perdurare criminibus, quos oportet per secularis potentiæ disciplinã à tam praua consuetudine coherceri, qui per salutiferа sacerdotum monita noluerunt reuocari. Quorũ aliquos iam excommunicauimus: sed illi hoc paruipendentes, in eisdem perdurarunt criminibus. Quamobrem uestra decernat mansuetudo, quid de talibus deinceps agendum sit.

Caput

Cap. 42.

Admoneant ſacerdotes fideles populos, ut nouerint, magicas artes incãtationesq;, quibuslibet infirmitatibus hominum nihil poſſe remedij conferre: non animalibus languentibus claudicantibus'ue, uel etiã moribundis quicquam mederi: non ligaturas oſſium, uel herbarum cuiquã mortaliũ adhibitas prodeſſe: ſed hæc eſſe laqueos & inſidias antiqui hoſtis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur.

Cap. 43.

Omnes homines admonemus, ne per ſingula uerba, quaſi ad confirmationem ſuę aſſertionis, nomen Domini in uanum adſumant. Quod ipſe Dominus interdicit faciendum, ubi ait: Ne adſumas nomen Dei tui in uanum. In uanum etenim nomen Dei adſumitur, quando aliquis ad ſingula uerba, qui bus uult ut ſibi ab alio credatur, Deum omnipotentem, teſtem rei de qua ait, inuocat, eumq; ſibi ita eſſe adiutorem, ſicut ea uera ſunt, quæ loquitur. Nam & ipſe Dominus in Euangelio, hoc modo prohibens omne genus iuramenti: Nolite, inquit, omnino iurare, neq; per cœlum, neq; per terram, neq; per caput tuum, &c.

Cap. 44.

Propter diuerſas occaſiones, res pauperũ multis in locis ualde attenuatæ ſunt: eorũ ſcilicet dicimus, qui liberi eſſe noſcuntur, & ſub poteſtate potentiorum ſunt conſtituti: quorum ſi negocia & cauſas clementia piiſſimi principis noſtri diligenter inueſtigari iuſſerit, reperientur quamplurimi diuerſis occaſionibus ad ultimam paupertatem iam redigi.

Cap. 45.

Quòd menſuræ & pondera iuſta ubique habenda ſint, teſtis eſt Salomon, qui dicit, quòd ſtatera doloſa abominatio ſit apud Deum, & pondus æquum uoluntas eius. Et Dominus in Euangelio: In qua menſura, inquit, menſi fueritis, remetientur uobis. Quod licet de manu tua ibi dictum intelligi poſſit, tamen non abſurdè & de hac re dictum accipi ualet.

Cap. 46.

Nonas ac decimas, quas qui res eccleſiaſticas tenent, ſoluere rectoribus eccleſiarũ ordinati ſunt, ad luminaria & ſtipendia clericorum multis in locis abſtractas eſſe uidemus. Quod ſæpe iam miſsis ueſtris in publicis indicauimus placitis. Sed inde hactenus aut paruum, aut nullum conſecuti ſumus effectum. Similiter & de reſtauratione tectorum nobis neceſsitas incumbit indicare: quia non tantum domus monaſter orũ, ſed & ipſæ Eccleſiæ propter tectorum inopiam ruinas minantur.

Cap. 47.

Ieiunia quando generaliter pro aliqua neceſsitate indicuntur, diligenter ob omnibus cuſtodienda ſunt, & obſeruanda. Nec ſe aliquis improbitate gulæ patiatur corrumpi, ut de communi conſortio ſequeſtratus, effectum ieiunij, quem cũ cæteris abſtinendo conſequi debuit, ingluuie uẽtris uictus turpiter amittat.

Cap. 48.

Ebrietatem & crapulam fideles ſectari nõ debere, Dominus in Euangelio author eſt, qui ſuis auditoribus ita præcipiens: Attendite, inquit, ne grauentur corda ueſtra in crapula & ebrietate. quæ uitia modò apud homines nullius momenti eſſe putantur. Sed quanta mala de illis generari ſoleant, facilè non poſſunt comprehendi. Generantur enim de illis quinque noxiores corporum morbi, ut phyſici teſtantur. Ad ſtatum quoque mentis euertendum, quantum noceat ebrietas, facilè deprehẽdi poterit: quippe, cum penè omnium malorum quę ab hominibus raptim perpetrantur, cauſa ſit & origo ebrietas.

Cap. 49.

Admonendi ſunt domini ſubditorum, ut circa ſuos piè & miſericorditer agãt, nec eos qualibet iniuſta occaſione condemnẽt, non ui opprimant, non illorum ſubſtantiolas iniuſtè tollant: nec ipſa debita quæ à ſubditis reddenda ſunt, impiè ac crudeliter exigantur.

Cap. 50.

Vt, ſi non frequentius, uel ter laici homines in anno communicent, niſi fortè quis maioribus quibuslibet criminibus impediatur.

Cap. 51.

Diligenter tractare & inquirere partes cœpimus in conuentu noſtro, ſicut pia Sereniſsimi Principis noſtri nobis iniunxit admonitio, de illis hominibus, qui exhæredati eſſe dicuntur. Si aliquis eſſet, qui noſtris temporibus uoluiſſet dicere, ſe à quolibet noſtrũm illis priuari rebus, quas pater eius, aut mater, aut frater, uel propinquorũ aliqs ad Eccleſias Dei dediſſent, & in eius nomine iterũ precaria, à rectoribus eccleſiarũ acciperetur: ſed in eodem cõuentu noſtro neminem reperimus, qui de hac re aduerſus nos conqueri uoluiſſet. Nam penè nullus eſt qui res ſuas ad Eccleſias donet, niſi de rebus eccleſiaſticis aut tantum quantum donauit, aut duplum aut triplum uſufructuario accipiat: & quib, ille tunc, uel quantis filijs aut propinquis à rectoribus impetrauerit, poſt diſceſſum eius eadem conditione qua ille tenebat, poſteri eius ſibi uindicent. Hic uſus & hæc ratio apud nos uſq;

modò de talibús tenebatur. Nam & nobis uisum est, prædictis hæredibus hanc dare optionem, ut si uoluissent traditiones parentum suorum consequi, de qua illi iam erant per legem exclusi, rectoribus ecclesiarum se commendarent: & hæreditatem illam in beneficium, unde se adiuuare ac sustentare possent, acciperent. Hæc nos in conuentu nostro ita uentilauimus: sed quo modo deinceps pijssimo principi nostro de his agendum placebit, nos fideles eius famuli, libenti animo ad nutum & uoluntatem eius parati sumus.

SYNODVS CABILONENSIS.

Iussu Caroli Magni, episcopi & abbates ex Gallia Lugdunensi Cabilonem conuenerunt, anno Domini 813. Sigebertus. & capita 67. de emendatione status Ecclesiastici conscripserunt, quæ Imperatori sunt exhibita.

Cap. 1.

Decreuimus iuxta sanctorum canonum constitutionem, & cæterarum sanctarum Scripturarum doctrinã, ut episcopi assiduè sint in lectione, & scrutentur mysteria uerborum Dei, quibus in Ecclesia doctrinæ fulgore splendeant, & uerborum Dei alimentis animas sibi subditas satiare non cessent, & cum Dauid quotidiè dicant: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua: ita uidelicet, ut illas scripturas notissimas habeant, quæ catholicæ appellantur, & earum sensum per patrum tractatus inquirant. Canones quoq; intelligant, & librũ B. Gregorij papę de cura pastorali, & secundũ formam ibidem constitutam & uiuant & prædicent.

Cap. 2.

Vt ea quæ legendo perscrutentur, operè compleãt, iuxta illud: Cœpit Iesus facere & docere. Et illud: Et memoriam tenentibus, ut faciant ea. Et illud: Beàti qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt ea. Non enim qui operantur iniquitatẽ, in uijs eius ambulauerunt: Et quia non auditores legis, sed factores eius iustificabuntur. Et regnum Dei non in sermone, sed in opere. Et sint subditis norma uiuẽdi: ita uidelicet, ut & uerbis & exemplis populo ad æternam patriam pergenti ducatum præbeant, ut uita eorum & doctrina nequaquam discordent: sed quæ dicunt, faciant: & quæ faciũt, docere studeant. Et prædicatione assidua plebẽ admoneant, & falce iusticiæ à credentium mentibus uitiorum spinas eradicent, & uerbi Dei semine agros mentis eorum ad fœcunditatem perducant.

Cap. 3.

Oportet etiam, ut sicut Dominus Imperator Carolus, uir singularis mãsuetudinis, fortitudinis, prudentiæ, iusticiæ & temperantiæ, præcepit, scholas constituant, in quibus & literaria solertia disciplinæ & sacræ Scripturæ documenta discantur: & tales ibi erudiantur, quibus meritò dicatur à Domino, Vos estis sal terræ: & qui condimentum plebibus esse ualeant, & quorum doctrina non solùm diuersis hæresibus, uerumetiam Antichristi monitis, & ipsi Antichristo resistatur. ut meritò de illis in laude Ecclesiæ dicatur: Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

Cap. 4.

Opportunũ ducimus, ut humilitatẽ atq; religionem & in uultu, & in opere, & in habitu, & in sermone demonstrent, ut benè agentes & habitu & uultu demulceant, malè agẽtibus uerò ipso suo uisu terribiles sint, iuxta illud, quòd in tabernaculo Dei bouis & leonum effigies expressæ memorãtur. Et Dominus in Euangelio, & astutiá serpẽtis, & simplicitatẽ colũbæ habendã percenser.

Cap. 5.

Vt iuxta Apostoli uocem, sacerdotes irreprehensibiles sint, & moribus ornati. Et ne quaquã turpib. lucris deseruiãt, iuxta illud quod ait Scriptura: Nemo militans Deo, implicat se negocijs secularibus, ut ei placeat cui se probauit: & à turpibus lucris & usuris non solùm ipsi abstineant, uerumetiam plebes sibi subditas abstinere instituant.

Cap. 6.

Imputatur quibusdam fratribus, eo quòd auariciæ causa hominibus persuadeant, ut abrenunciantes seculo, res suas Ecclesiæ cõferant: quod penitùs ab omnium mentibus eradicandum est. Animarum etenim salutẽ inquirere sacerdos, nõ lucra terrena debet: quoniam fideles ad res suas dandas nõ sunt cogendi, neq; circumueniẽdi. oblatio namque spontanea esse debet, iuxta illud quod ait Scriptura: Voluntariè sacrificabo tibi. Et illud: Omnis populus mente deuota obtulerunt donaria Domino. Ecclesia uerò sancta non solùm fideles spoliare non debet, quin potius inopibus opem ferre, ut debiles, pauperes, uiduæ, orphani, & cæteri necessitatem patientes, à sancta Ecclesia, utpote à piamatre, & omnium gubernatrice, subsidium accipiant: quia res Ecclesiæ, quibus episcopi non ut proprijs, sed ut commenda ticijs uti debent, precia sunt peccatorũ, patrimonia pauperum, stipendia fratrum in communi uiuentium.

Cap. 7.

Constituit sanè sacer iste conuentus, ut episcopi siue abbates, qui non in fructum animarum, sed in auariciam & turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines illectos circumueniendo totonderunt, & res eorum tali persuasione non solùm accepe-

runt

runt, sed potius subripuerunt, pœnitentiæ canonicæ siue regulati, utputa turpis lucri sectatores, subiaceant. Hi uerò qui uanis promissionib. illecti, uel quibuslibet machinationibus persuasi, mentis inopes effecti, rerum suarum domini esse nescientes, coram deposuerint, in eo quod cœperũt, perseuerare cogantur. Res namq; quæ ab illectis & negligentibus datæ, ab auaris & cupidis non solum acceptæ, sed raptæ noscuntur, hæredibus reddantur, qui dementia parentum & auaricia incentorum exhæredati esse noscuntur. Si uerò nescientibus episcopis aut abbatibus, ministri eorum, quilibet uidelicet in clero, hoc fecisse cõuincuntur, episcopi & abbates desidia, illi uerò rapacitate & auaricia iudicẽtur. Hoc uerò qđ quisq; Deo iustè & rationabiliter de rebus suis offert, Ecclesia tenere debet.

Cap. 8.

Oportet etiam, ut si quando sacerdotes fruges, uel quosdam reditus terræ congregant, & protelant, non ideo hoc faciant, ut carius uendant, & thesauros congregent: sed ut pauperibus tempore necessitatis subueniant.

Cap. 9.

Ab omnibus oculorum auriumq; illecebris sacerdotes abstinere debent: & canum, accipitrum, falconum, uel cæterarum huiuscemodi rerum curam paruipendere, & histrionum siue scurronum, & turpiũ seu obscœnorum iocorum insolentiam non solùm ipsi respuant, uerumetiam fidelibus respuenda percensеant.

Cap. 10.

Vt sobrietatẽ sacerdotes teneant, & hanc habendam fidelibus prædicent: quia non potest liberè prædicare, qui se mero usq; ad alienationem mentis ingurgitat. Hoc & de comessationibus, & de cæteris pestibus, ad gastrimargiam pertinentibus, seruandum est.

Cap. 11.

Vt episcopus ad forum, neque ubi publicè negocia iudiciaria exercentur, non pergat, suæ causæ suffragaturus: nisi fortè ut aut pauperibus oppressis succurrat, aut de uerbo Dei iudices admoneat, ut iuxtà Domini præceptum, iusta iudicẽt iudicia. Hoc & de abbatibus, & de presbyteris & diaconis, & maximè monachis obseruãdum est. Si uerò eorum qui in clero sunt, propria causa agenda est, cum licentia episcopi & aduocato peragat, & suæ causæ cum iustitia suffragetur.

Cap. 12.

Vt neq; presbyteri, neq; diaconi, neque monachi, uillici fiant.

Cap. 13.

Dictũ est interea de quibusdã fratribus, quòd eos quos ordinaturi sunt, iurare cogant quòd digni sunt, & contra canones nõ sint facturi, & obedientes sint episcopo qui eos ordinat, & ecclesiæ: in qua ordinantur quod iuramentum, quia periculosum est, omnes unà inhibendum statuimus.

Cap. 14.

Cauendum sanè est, ne cum episcopi parochias suas peragrant, quandam damnosam erga subditos seu erga socios tyrannidem exerceant, nec (quod absit) cum charitate, sed cum quadam iudiciaria inuectione, stipendia ab eis exigant. Obseruandum etiam modis omnibus, ut si quando eis peragrandæ parochiæ necessitas incumbit, in confirmandis hominibus, in inquirendis rebus emendatione dignis, in prædicatione uerbi Dei, in lucris animarũ potius, quàm in deprædandis & spoliandis hominibus, & scandalizandis fratribus operam dent. Et si quando eis ad peragendum ministerium suum, à fratribus aut subditis aliquid accipiendum est, hoc summopere obseruare debent, ne quem scandalizent aut grauẽt. Tanta ergo in hac re discretio tenenda est, ut & uerbi mei prædicator, ubi proprij desunt, & item fratres illius potentia non grauentur: exemplo apostoli Pauli, qui ne quem grauaret, arte & manibus uictum quærebat.

Cap. 15.

Dictum est etiam, quòd in plerisq; locis archidiaconi, super presbyteros parochianos quandam exerceãt dominationem, & ab eis census exigant: quod magis ad tyrannidem, quàm ad rectitudinis ordinem pertinet. Si enim episcopi, iuxta Petri apostoli sententiam, non debent esse dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo: multo minus isti hoc facere debent, sed contenti sint regularibus disciplinis, & teneãt propriam mensuram. Et quod eis ab episcopis iniungitur, hoc per parochias suas exercere studeant, nihil per cupiditatem & auaricіam præsumentes.

Cap. 16.

Quidam fratres dixerunt, consuetudinis antiquę fuisse in eorum Ecclesijs, ut pro balsamo emendo ad chrisma faciendum, siue pro luminaribus Ecclesiæ concinnandis, binos uel quaternos denarios presbyteri darent. Vnde omnes uno consensu statuimus, ut sicut pro dedicandis basilicis & dandis ordinibus nihil accipiendum est, ita etiam pro balsamo siue luminaribus emendis nihil presbyteri chrisma accepturi dent. Episcopi itaque de facultatibus Ecclesiæ balsamum emant, luminaria singuli

in Ecclesijs suis concinnanda prouideant.

Cap. 17.

Inuentum est, quòd in quibusdam locis presbyteri duodenos uel quaterdenos denarios episcopis in censum, annis singulis darent. Quod penitùs abolendum omnes decreuimus.

Cap. 18.

Dictum est nobis, quòd in quibusdam locis episcopi, & comites, ab incæstuosis, & ab his qui decimas non dant, uadios accipiant: & à presbyteris pro quibusdam negligentijs, & inter se pecuniam diuidant: quod penitùs abolendum decreuimus, ne fortè auariciæ locus detur. Et cõstituimus, ut incæstuosi iuxta canonicam sententiam, pœnitentia mulctentur. Qui uerò decimas, post crebras admonitiones & prædicationes sacerdotum, dare neglexerint, excommunicentur. Iuramento uerò eos constringi nolumus, propter periculum periurij.

Cap. 19.

Questi sunt præterea quidam fratres, quòd essent aliqui episcopi & abbates, qui decimas non finerent dari Ecclesijs, ubi illi coloni Missas audiunt. Proinde decreuit sacer iste conuentus, ut episcopi & abbates, de agris & uineis, quæ ad suum uel fratrum stipendium habent, decimas ad ecclesias dari faciant: familia uerò ibi dent decimas suas, ubi infantes eorum baptizantur, & ubi per totum anni circulum Missas audiunt.

Cap. 20.

Si inter omnes fideles pax & concordia habenda est, dicente Apostolo, Sequimini pacem & sanctimoniam, sine qua nemo uidebit Deum: multo magis inter episcopos & comites esse debet, qui post imperialis apicis dignitatem, populum Dei regunt. Ita enim inter se concordare debent, ut alterutrum sibi, ad Dei seruitium peragendum, & ministerium suum explendum, nõ solum non noceant, quin potius adminiculo sint.

Cap. 21.

Comitibus uerò & iudicibus hoc summoperè obseruandum est, ut iustè iudicent: & nequaquam in iudicio munera seu personas accipiant, dicente Domino: Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientium, & mutant uerba iustorum. Sed & ministros, quos uicarios & centenarios uocant, iustos habere debent, ne fortè eorum auaricia aut rapacitate populus grauetur, & amissis facultatibus in paupertatem redigatur. Testes uerò probatissimi, & pauci de pluribus esse debent tales, de quorum fide non dubitetur. Multum autem prauorum testium cupiditate & falsitate læditur Respublica.

Cap. 22.

De abbatibus uerò & monachis, idcirco hic pauca scribimus: quia penè omnia monasteria regularia, in his regionibus constituta, secundum regulam S. Benedicti seuere fatẽtur, quæ beati Benedicti documenta per omnia demonstrant, qualiter eis uiuendum sit. Inquiratur ergo diligenter, ubi secundum ipsum ordinem uiuitur, & ubi ab ipso ordine digressum est, ut iuxta eiusdem beati uiri institutionem uiuere certẽt, qui se, ut ita uiuerent, cum attestatione professi sunt.

Cap. 23.

Decreuimus enim secundum institutionem, presbyterorum, diaconorum, & cæterorum graduum inferiorum ordinationes statutis temporibus fieri debere.

Cap. 24.

De episcopis uerò, presbyteris & diaconis & monachis interfectis, quærendum à Domino Imperatore est, cui illius homicidij precium exoluendum sit.

Cap. 25.

Pœnitentiam agere, iuxta antiquam Canonum constitutionem, in plerisq; locis abusu recessit, & neq; excommunicandi, neq; reconciliandi, antiqui moris ordo seruatur, ut à Domino Imperatore impetretur adiutorium: qualiter si quis publicè peccat, publica mulctetur pœnitentia, & secundum ordinem canonum pro merito suo excommunicetur & reconcilietur.

Cap. 26.

Perlatum ad nos est, quòd inter hæredes Ecclesiæ, in rebus proprijs constitutæ, diuidantur, & tanta per eandem diuisionem fiant, & singulę partes singulos habeant multas oriatur, ut unius altaris quatuor presbyteros: quod sine discordia & simultate nullo modo geri potest. Vnde nobis uisum est, quòd huiusce modi Ecclesiæ inter hæredes diuidi non debeant: & si in contentionem uenerint, & simultates inter eos fuerexerint, per quas sacerdos suo ibi officio canonicè fungi non possit, præcipiatur ab episcopo ciuitatis, ut nullo modo ibi Missarũ solennia celebrentur, donec illi ad concordiam redeant, & pari uoto atque consilio ecclesia illa sacerdotẽ canonicè habeat, qui liberè ibi suum ministeriũ peragere possit.

Cap. 27.

Dictum nobis est, quod quidam de plebibus & ter ab episcopis, ignorantibus eisdẽ episcopis, confirmentur. Vnde nobis uisum est, eandem confirmationem, sicut nec baptismum, iterari minimè debere.

Cap.

Cap. 28.

Interrogauerunt nos quidã de affinitate propinquitatum, & in quibus gradibus matrimonia iungenda sint. Quibus nos ad canones currere præcepimus: & quod in eis continetur, hoc ab eis in negocio, sicut & in cæteris, obseruari debere.

Cap. 29.

Sanè quæ in proprio uiro, hæc nimirum in uxoris parentela, de lege nuptiarum regula custodienda est. Quia ergo constat, eos duos esse in carne una, communis illis utrinque parentela esse credenda est, sicut scriptum est: Erunt duo in carne una.

Cap. 30.

Dictum est nobis, quòd quidam legitima seruorum matrimonia, potestatiua quadã præsumptione dirimant, non admittentes illud Euangelicum: Quod Deus coniunxit, homo non separet. Vnde nobis uisum est, ut coniugia seruorum non dirimantur, etiamsi diuersos dominos habeant: sed in uno coniugio permanentes, dominis suis seruiant. Et hoc in illis obseruandum est, ubi legalis coniunctio fuit, & per uoluntatem dominorum.

Cap. 31.

Dictum etiam nobis est, quasdam fœminas desidiosè, quasdam uerò fraudulenter, ut à uiris suis separentur, proprios filios coram episcopis ad confirmandum tenuisse. Vnde nos dignum duximus, ut si qua mulier filium suum, desidia aut fraude aliqua coram episcopo ad confirmãdum tenuerit, propter fallaciam suam uel fraudem, quam diu uiuat, agat pœnitentiam, à uiro tamen suo non separetur.

Cap. 32.

Sed & hoc emendatione egere perspeximus, quòd quidam dum confitentur peccata sua sacerdotibus, non plenè id faciunt. Quia ergo constat, hominem ex duabus esse substantijs, anima uidelicet & corpore, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, solerti indagatione debẽt inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena fit confessio: scilicet ut & ea confiteantur quæ per corpus gesta sunt, & ea quibus in sola cogitatione delinquitur. Instruendus est itaque peccatorum suorum confessor, ut de octo principalibus uitijs, sine quibus in hac uita difficilè uiuitur, confessionem faciat: quia aut cogitatione, aut (quod est grauius) opere eorum instinctu peccauit. Odium etenim, inuidia, superbia, uel cæteræ huiuscemodi animæ pestes, tanto periculosius lædunt, quanto subtilius serpunt.

Cap. 33.

Quia quidam solummodo Deo confiteri debere dicunt peccata, quidam uerò sacerdotibus confitenda esse percensent, quod utrunque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam, ita duntaxat, ut & Deo, qui remissor est peccatorum, confiteamur peccata nostra, & cum Dauid dicamus: Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi: dixi, Confitebor aduersum me iniusticias meas Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Et secundum institutionem Apostoli confiteamur alterutrum peccata nostra, & oremus pro inuicem, ut saluemur. Confessio itaque quæ Deo fit, purgat peccata: ea uerò quæ sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgẽtur peccata. Deus namq; salutis & sanitatis autor & largitor, plerunq; hanc præbet suæ potentiæ inuisibili administratione, plerunq; medicorum operatione.

Cap. 34.

Quia igitur, Apostolo teste, non est personarum acceptio apud Deum, & in omnibus iudicijs cauẽda est: multo magis in hoc pœnitentiæ iudicio præcaueri debet, ut nullus sacerdotum unquã aut gratia, aut odio alicuius personæ, secus iudicet, quàm quod in canonibus sacris inuenerit, aut quod illi secundum sacrarum Scripturarum autoritatem, & Ecclesiasticam consuetudinem rectius uisum fuerit. Si ergo medici, qui corporibus medicinam inferre conantur, nequaquam propter personæ cuiuslibet acceptionem, his quos sanare cupiunt, cauterio aut ferro, aut duris alijs quibuslibet rebus parcunt: multo magis idipsum his obseruandũ est, qui non corporum, sed animarum medici existunt. Neque enim pensanda est pœnitentia quantitate temporis, sed ardore mentis, & mortificatione corporis. Cor aũt contritum & humiliatum, Deus non spernit.

Cap. 35.

Multi (quod sine dolore dicendum non est) in pœnitentia non tam peccati remissionem, quàm temporis constituti expectãt expletionem. Et si carnium & uini usus eis interdictus est, mutata non uoluntate, sed eiusdem cibi aut potus perceptione, in tantum delicijs suis indulgent, ut delicioſius, his interdictis, aliorum ciborum uel potionum appetitu uiuere cognoscãtur. Spiritualis autem abstinentia est, quæ in pœnitentibus uigere potissimùm debet: & quorundã ciborum ac potionum perceptiones & desiderium fugere debet. ille inquam, ille magis parsimoniæ seruire censendus est, qui sibi non solùm quarundam rerum percepti-

nes,sed delectationes corporis penitùs interdicit.

Cap. 36.

Sed nec hoc prætereundum putauimus, quòd quidam ex industria peccantes, propter eleemosynarum largitionem, quandã sibi promittunt impunitatem. Eleemosyna enim extinguit peccata,iuxta illud :Ignem ardentẽ extinguit aqua, & eleemosyna extinguit peccata.Sed ea quæ aut necessitate, aut casu,aut qualibet fiunt fragilitate, ea uerò quæ ex industria,aut cuiuslibet libidinis explendæ causa,idcirco fiunt, ut eleemosynis redimãtur,nequaquam eis redimi possunt: quia qui hoc perpetrarunt, uidentur Deũ mercede conducere,ut eis impunè peccare liceat. Non ergo quis idcirco peccare debet,ut eleemosynam faciat: sed ideo eleemosynam facere debet,quia peccauit.Mentem enim & corpus, quæ libido traxit ad culpam,afflictio & contritio debet reducere ad ueniam.

Cap. 37.

Cum igitur omnia concilia canonũ, qui recipiuntur, sint à sacerdotibus legenda & intelligenda, & per ea sit eis uiuendum & prædicandum:necessarium duximus,ut ea quæ ad fidem pertinent,& ubi de extirpandis uitijs & plantandis uirtutibus scribitur, hoc ab eis crebrò legatur, & bene intelligatur,& in populo prædicetur.

Cap. 38.

Modus autem pœnitentię peccata sua cõfitentibus, aut per antiquorum canonũ institutionem, aut per sanctarum Scripturarũ autoritatem,aut per ecclesiasticam consuetudinem(sicut superius dictum est) imponi debet,repudiatis ac penitùs eliminatislibellis quos Pœnitentiales uocant, quorũ sunt certi errores,incerti autores. De quibus rectè dici potest:Mortificabãt animas,quę nõ moriuntur:& uiuificabant animas, quę nõ uiuebant. Quidam pro peccatis grauibus leues quosdam & inusitatos imponunt pœnitentiæ modos,consuũt puluillos, secũdũ Propheticũ sermonẽ, sub omni cubito manus,& faciunt ceruicalia sub capite uniuersæ ætatis,ad capiendas animas.

Cap. 39.

Visum præterea nobis est,ut in omnibus Missarum solennitatibus,pro defunctorum spiritibus,loco competẽti Dominus deprecetur. Sicut enim nulla dies excipitur, qua non pro uiuentibus & pro quibuslibet necessitatibus Dominũ Ecclesia deprecetur: ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino, in missarũ solennibus fundantur. Antiquitùs hunc morem igitur sancta Ecclesia tenet, ut & in Missarũ solennitatibus, & in alijs precibus Domino spiritus quiescentium commendet, dicẽte beato Augustino: Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum,quas faciendas pro omnibus in Christiana & catholica societate defunctis,etiam tacitis nominibus eorũ quos sub generali commemoratione suscepit Ecclesia, ut quibus ad ista desunt parentes, aut filij,aut quicunq; cognati uel amici, ab una eis exhibeatur matre communi.

Cap. 40.

Dictum nobis est, presbyteros propter suam negligentiam canonicè degradatos, seculariter gradu amisso uiuere, & pœnitentiæ agendæ bonum negligere. unde statuimus,ut gradu amisso, agendæ pœnitentiæ gratia in monasterio, aut canonico, aut regulari mittantur.Si uerò hoc fieri causa quãlibet prohibuerit,ubicunq; sint,pœnitentiã agere non desistant. Si autem amisso gradu seculariter uiuere uoluerint, & pœnitentiã agere neglexerint, ab Ecclesiæ communione separentur.

Cap. 41.

Presbyter proprio loco dimisso, ad alium migrans,nequaquam recipiatur, nisi suę migrationis causam dixerit : & se innocentem uixisse in parochia,in qua ordinatus est, sub testibus probauerit. literis etiam probauerit,in quibus sunt nomina episcopi & ciuitatum plumbo impressa. Quibus cognitis, & talibus inuentis, quibus fides adhiberi possit,recipiatur.

Cap. 42.

Inuentum est,quòd multi arbitrij sui temeritate,& (quod grauius est) ducti cupiditate,presbyteris quibuslibet absq; consensu suorum episcoporũ ecclesias dant, uel auferunt.Vnde oportet,ut canonica regula seruata,nullus absq; cõsensu episcopi sui, cuilibet presbytero ecclesiã det. Quã si iustè adeptus fuerit,hãc nõ nisi graui culpa sua, & coram episcopo canonica seueritate amittat.

Cap. 43.

Sunt in quibusdam locis Scoti, qui se dicunt episcopos esse, & multos negligentes absq; licentia dominorum suorum siue magistrorum , presbyteros & diaconos ordinant,quorum ordinationem, quia plerunq; incidit in Simoniacã hæresin,& multis erroribus subiacet,modis omnibus irritã fieri debere,omnes uno consensu decreuimus.

Cap. 44.

Superius scripsimus,presbyteros uillicos esse nõ debere:& nũc eos in tabernis bibere cancellarios publicos esse, nundinas insolẽter peragrare,Romã siue Turonũ absq; licentia episcopi sui adire,penitùs decreuimus inhibendum.

Cap. 45.

Nam & à quibusdam qui Romam, Turonum'ue

num'ue, & alia quædam loca sub prætextu orationis inconsultè peragrant, plurimũ erratur. Sunt presbyteri & diaconi, & cæteri in clero constituti, qui negligenter uiuentes, in eo purgari se à peccatis putant, & ministerio suo fungi debere, si præfata loca attingant. Sunt nihilominus laici, qui putant se impunè aut peccare, aut peccasse, quia hæc loca oraturi frequentant. Sunt quidam potentum, qui acquirẽdi census gratia, sub prætextu Romani siue Turonici itineris, multa acquirunt, multos pauperum opprimunt: & quod sola cupiditate faciunt, orationis causa se facere uideri affectant. Sunt pauperes, qui uel ideo id faciunt, ut maiorem habeant materiam mendicandi. De quorũ numero sunt illi, qui circumquaque uagantes, illò se pergere mentiuntur, uel quia tantum sunt uecordes, ut putent se sanctorum locorum sola uisione à peccatis purgari, nõ attendentes quod ait beatus Hieronymus: Non Hierosolymam uidisse, se Hierosolymis bene uixisse, laudandum est. De quibus omnibus Domini Imperatoris, qualiter sint emendanda, sententia expectetur. Qui uerò peccata sua sacerdotibus, in quorum sunt parochijs, confessi sunt, & ab his agendæ pœnitentiæ consilium acceperunt, si orationibus insistendo, eleemosynas largiendo, uitam emendando, mores componendo, Apostolorum limina, uel quorumlibet sanctorum inuisere desiderant, horum est deuotio omnibus collaudanda.

Cap. 46.

In perceptione corporis & sanguinis Dominici, magna discretio adhibenda est. Cauendum est enim, ne si nimium in logum differatur, ad perniciem animæ pertineat, dicente Domino: Nisi manducauertis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, nõ habebitis uitam in uobis. Si uerò indiscretè accipiatur, timendum est illud quod ait Apostolus: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Iuxta eiusdem ergo Apostoli documentũ, probare se debet homo, & sic de pane illo mãducare, & de calice bibere: ut uidelicet abstinens aliquot diebus ab operibus carnis, & purificans corpus animamque suam, præparet se ad percipiendum tantum sacramentum: exemplo Dauid, qui nisi se fassus fuisset abstinuisse ab opere coniugali, ab heri & nudius tertius, panes propositionis nequaquam à sacerdote accepisset.

Cap. 47.

In cœna Domini à quibusdam perceptio eucharistię negligitur. Quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus (exceptis his, quibus pro grauibus criminibus inhibitum est) percipiẽda sit, ecclesiasticus usus demonstrat, cum etiam pœnitentes eadem die, ad percipiẽda corporis & sanguinis Dominici sacramenta, se reconciliant.

Cap. 48.

Secundũ beati Iacobi Apostoli documentum, cui etiam decreta patrum consonant, infirmi oleo, quod ab episcopis benedicitur, à presbyteris ungi debent. Sic enim ait: Infirmatur quis in uobis? inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus. Et si in peccatis sit, dimittentur ei. Non est itaque paruipendenda huiuscemodi medicina, quæ animæ corporisque medetur languoribus.

Cap. 49.

In quibus locis, & quo apparatu Missarũ solẽnia, exceptis basilicis, celebrari debeãt, & utrum celebrari debeant: quia in concilio Laodicensi ita scribitur, quòd non oporteat in domibus oblationes celebrari ab epĩ scopis uel à presbyteris.

Cap. 50.

Diei interea Dominici obseruatio & ueneratio plurimùm negligitur. Vnde oportet, ut authentica constitutione illius ueneranda diei obseruatio, iuxta imperium Domini imperatoris, statuatur.

Cap. 51.

Quia ergo constat, in Ecclesia diuersarum conditionum homines esse, ut scilicet nobiles & ignobiles, serui, coloni, inquilini, & cætera huiuscemodi nomina: oportet, ut quicunq; prælati sunt, clerici siue laici, clementer erga eos agant, & misericorditer eos tractent, siue in exigendis ab eis operibus, siue in accipiendis tributis & quibusdam debitis, sciant quoq; eos fratres suos esse, & unum secum habere patrem, cui clamant, Pater noster qui es in cœlis: unam matrem sanctam Ecclesiam, quæ eos intemerato sacri fontis utero gignit. Disciplina igitur eis misericordissima, & gubernatio opportuna adhibenda est disciplina, ne indisciplinatè uiuendo autorẽ suum offendant: gubernatio, ne in quotidianis uitæ commeatibus prælatorum adminiculo destituti fatiscant.

Cap. 52.

Monasterijs sanè puellaribus tales præferri debent fœminæ, & abbatissæ creari, quæ & se & subditum gregem, cum magna religione & sanctitate custodire norint, & his quibus præsunt prodesse non desinant. Sed & se & illas ita obseruent, utpote uasa sancta in ministerio Domini præparata. Talem enim se debet abbatissa exhibere subditis in habitu, in ueste, in omni conuictu, ut eis ad cœlestia regna per-

gentibus ducatum præbeat. Sciat etiam se pro his, quas in regimine accepit, in conspectu Domini rationem reddituram.

Cap. 53.

Libuit namq; huic sacro conuentui, quasdam admonitiũculas breuiter eis sanctimonialibus scribere, quæ se Canonicas uocant: quoniã hæ, quæ sub monasticæ regulæ norma degũt, totius uitæ suæ ordinẽ in eadem, quam profitentur, regula scriptum habent.

Cap. 54.

Abbatissa diligentem habeat curã de congregatione sibi commissa, & prouideat in lectione, & in officio, & in Psalmorum modulatione, ut ipsæ sanctimoniales strenuę sint, & in omnibus operibus bonis illa eis ducatum præbeat, utpote pro animabus earum rationem in conspectu Domini reddituram: & stipẽdia sanctimonialibus prębeat necessaria, ne fortè propter indigẽtiam cibi aut potus, peccare compellantur.

Cap. 55.

Abbatissa cum uiris, clericis siue laicis, horis incompetentibus non loquatur: sed quicquid cũ masculis, clericis siue laicis de rebus necessarijs peragere debet, à prima hora usq; ad uespertinam peragat. Et hoc non cum singulis, sed coram pluribus.

Cap. 56.

A uespera usq; ad primã, neq; abbatissa, neq; alia sanctimonialiũ, cum quibuslibet masculis ullum colloquium habeãt: nisi fortè talis fuerit occasio, quam euitare non possint: & si necessitas incubuerit, id coram testibus facere debebunt.

Cap. 57.

Abbatissa, quę ciuitate monasteriũ habet, nequaquam de monasterio egrediatur, nisi per licentiam episcopi sui, aut qui eius uicẽ obtinet: nisi fortè aut imperialis iussio eam cogat, aut prolixitas itineris id facere minimè permittat. Et si quando foràs pergit, de sanctimonialibus, quas secum ducit, curam & uigilantiam habeat.

Cap. 58.

Habeat etiam abbatissa studium, aut in ędificando ea quæ ad sanctimoliũ necessitatem pertinent, aut in restaurando.

Cap. 59.

Sanctimoniales in monasterio cõstitutæ, habeant studiũ in legendo, & in cantando, in Psalmorũ celebratione siue oratione. Et horas canonicas, matutinam uidelicet, primam, tertiam, sextam, nonam, uespertinam, completoriam pariter celebrent. Et omnes, excepta quam infirmitas tenet, in dormitorio dormiant. Et omnibus diebus ad collationem ueniant.

Cap. 60.

Non debere presbyteros amplius in monasterio puellari immorari, nisi donec Missarum solennia celebrent, aut aliquid ibi de Dei seruitio & suo ministerio expleant.

Cap. 61.

Non debere sanctimoniales, in propriis mansionibus cum aliquibus masculis, clericis siue laicis, consanguineis siue extraneis, bibere siue comedere. Sed si quãdo id agendum est, in auditorio agatur: & ubi auditorium deest, non fiat. Et cum nullo masculo eis colloquium habere liceat, nisi in auditorio, & ibi coram testibus.

Cap. 62.

Sanctimoniales, nisi fortè abbatissa proaliqua sua necessitate incumbente illas mittente, nequaquam de monasterio egrediantur. Hæ uerò quę famulos aut famulas non habent, ad exercenda negocia ad portã monasterij perueniant, & ibi corã testibus negocia sua exerceant.

Cap. 63.

Nullus uassus abbatissæ, nec minister aliquis, nec clerirus, nec laicus claustra ancillarum Dei ingrediatur, nisi fortè quando necessitas operandi incumbit.

Cap. 64.

Portaria non eligatur, nisi quæ ætate matura sit, & testimonium habeat bonũ, & uitę probabilis sit.

Cap. 65.

Quicquid in his capitulis minus fuerit, ab episcopo suo abbatissa perquirat. Et ita illi in omnibus obediens sit, secundũ canonicam constitutionem, sicuti iustum & rectum est.

Cap. 66.

Interea omnis iste conuentus, gratissima deliberatione decreuit, ut ab omnibus indesinenter orationes fiant, pro uita & incolumitate, pro salute animę & corporis Domini Imperatoris, prolisq; eius, pro statu regni, pro remissione peccatorum, & cœlestis regni collatione: ita duntaxat, ut semper magis ac magis, per incrementa temporum talis crescat obseruatio. Dixit etiam, se Scripturarum sanctarum monita, & canonum instituta, diligenti indagatione perquirere, & indefessa atque infatigabili obseruatione auxiliante Domino, uelle perficere.

Cap. 67.

Hæc itaque pauca de pluribus, quæ necessaria perspeximus, cum magna breuitate, Domini Imperatoris prudenti iudicio præsentanda, annotauimus. Cæterùm quid generaliter in omnibus, & ab omnibus sequendum sit, quid'ue uitandum, qualiter ue intra sanctam Ecclesiam sit uiuendum quilibet nouisse desiderat, sanctarũ Scripturarum prata percurrere non desistat.

SYNO-

SYNODVS ARELATENSIS.

Eodem studio & fine Arelatensis Synodus ad Caroli mandatũ, anno Domini 813. iuxta Sigebertum, sexto idus Maias conuenit in basilica Stephani, & capita 26. consignat offerenda Imperatori. In primo fidei suæ confessionem proferunt. In 2. pro imperatore & liberis eius omnes orare iubent. In 3. monent episcopos & sacerdotes, ut sacras literas sedulò legant, & plebem rectè doceant, & sacramenta ritè administrent. In 4 uetant, ne laici presbyteros sine episcopi consensu de ecclesijs expellant. In 5. ne propter munera presbyteri ordinentur. In 6. præcipitur episcopis, ut attendant, quo singuli iuxta regulam uiuant.

7 • Vt in monasteria puellarũ non nisi probatæ uitæ & ætatis prouectæ uiri, ad quascunq; earum necessitates uel ministrationes permittantur intrare. Ad faciendas uerò Missas qui ingressi fuerint, statim exacto ministerio regredi festinabunt. Aliàs autem nec clericus, nec monachus iuuenis ad puellarum cõgregationem habebunt accessum, nisi aut paterna aut germana necessitudo probetur admittere.

8 Vt non amplius suscipiatur in monasterio canonicorum atq; monachorum, seu etiam puellarum, nisi quantum ratio permittit, & in eodem monasterio absque necessariarum rerum penuria degere possint.

9 De decimis, ut unusquisque de proprijs laboribus decimas & primitias Deo offerat, sicut scriptum est: Decimas & primitias tuas non tardabis offerre Domino Deo tuo.

10 De prędicatione. prouidimus enim pro ædificatione omnium ecclesiarum, & pro utilitate totius populi, ut non solùm in ciuitatibus, sed etiam in parochijs omnibus, ut presbyteri ad populum uerbum faciant, & ut bene uiuere studeant, & populo sibi commisso prædicare non negligant.

11 De incæstis coniunctionibus, sicut à sanctis patribus institutum est, nihil prorsus uenię reseruamus, nisi cum adulterium separatione seruauerint. Incęstos uerò nullo coniugij nomine deputandos, quos etiam designare funestũ est, hos esse censemus: Si quis relictam fratris, quæ penè prius soror extiterat, carnali coniunctione uiolauerit: si quis fratri germanam uxorem acceperit: si quis nouercam duxerit, si quis consobrinæ suę societ, si quis relictæ uel filiæ auunculi misceatur, aut patris filiæ uel priuignæ suæ concubitu polluatur, uel si quid est huiusmodi, quod & hic annotare longum est, & innecti * barathrũ negligẽtẽ quẽlibet immergit.

12 De pacis bono atq; concordia, ut ab omnibus omnino indisrupta teneatur inter episcopos & comites, inter clericos & monachos, & omnem populum Christianum, ut beatus apostolus Paulus docuit, dicens: Sectamini castitatem & sanctimoniam, sine qua nemo uidebit Deum. Et idcirco quicquid illud est, quod ad ueræ pacis studium & charitatis perfectionem prouocat, totis uiribus nostris sectandum est: quicquid nos ab illa disiungit, ut uenenum mortiferum à nobis cauendum est.

13 Vt comites, iudices, seu reliquus populus, obedientes sint episcopo, & inuicem cõsentiant ad iusticias faciendas: & munera pro iudicio nõ recipiãt, nec falsos testes, ne per hoc peruertant iudicia iustorum, quia scriptum est, Iusticia eleuat gentem, iniusticia uerò miseros facit populos. Et Psalmista: Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iusticiam in omni tempore.

14 Vt unusquisq; tẽpore famis aut cuiuslibet necessitatis, ad se pertinẽtes pro uiribus suis gubernare studeat. quia scriptũ est: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiã consequentur. Et iterũ: Date, & dabitur uobis: dimittite & dimittetur uobis.

15 Vt pondera uel mensuræ ubiq; æqualia sint & iusta, sicut scriptũ est: Aequus modius & æquus sextarius. Et iterum: Pondus & pondus, mensura & mẽsura: utrunq; abominabile est apud Deum.

16 Ne in Dominicis dieb. publicatá mercata, neq; causationes disceptationesq; exerceãtur, & penitùs à rurali & seruili opere cessetur: his solũmodo peractis, quæ ad Deĩ cultum & seruitium pertinere noscuntur.

17 Vt unusquisq; episcopus semel in anno circũeat parochiam suã, nouerint sibi curã populorũ & pauperũ in protegendis ac defendendis impositã. Ideoq; dum cõspiciunt iudices ac potẽtes pauperũ oppressores existere, prius eos sacerdotali admonitione redarguãt: & si cõtempserint emendare erroré insolentia, regis auribus intimetur, ut quos sacerdotalis admonitio nõ flectit ad iusticiã, regalis potestas ab improbitate coherceat.

18 Vt presbyteri sub sigillo custodiãt chrisma, & nulli sub prætextu medicinæ uel cuiuslibet rei donare præsumant: genus enim sacramenti est. Et non ab alijs, nisi à sacerdotibus, contingi debet. Quod si fecerint, honore priuentur.

19 Vt parentes filios suos, & patrini eos quos de fonte lauacri suscipiũt, erudire summopere studeant: illi, quia eos genuerunt, & eis à Domino dati sunt: isti, quia pro eis si deiussores existunt.

20 Vt ecclesiæ antiquitùs constitutæ, nec decimis, nec alia ulla possessione priuentur.

21 Vt de sepeliendis in basilicis mortuis, illa constitutio seruetur, quæ ab antiquis patribus constituta est.

22 Vt

22. Vt placita publica & secularia neq; in atrijs basilicarum, neq; in ipsis basilicis fiát, dicente Domino: Domus mea domus orationis uocabitur.

23 Nec comites uel uicarij, seu iudices uel centenarij, sub mala occasione uel ingenio, res pauperum emant, uel per uim tollant, aut quolibet argumẽto subripiant: sed si cui aliquid possessionum emendum aut uendẽdum sit, id in publico coram comite & iudicibus & nobilibus ciuitatis facere debebit.

24. Vt unusquisq; episcopus in sua parochia presbyteros uel diaconos diligẽter inquirat, & fugitiuos omnes clericos ad loca sua redire iubeat, & proprijs episcopis aut rectoribus quærentibus reddat.

25 Vt si quis beneficium de rebus Ecclesiæ habet, ad tecta eiusdem ecclesiæ restauranda, uel ad ipsas ecclesias ædificandas omnino adiuuet.

26 Vt qui publico crimine conuicti sunt, Reipublicæ indicentur, & publicam pœnitentiam agãt secundũ canones. Hæc igitur sub breuitate, quæ emendatione digna perspeximus, quàm breuissimè annotauimus, & Domino Imperatori præsentanda decreuimus, poscentes eius clementiã, ut si quid hic minus est, eius prudentia suppleatur: si quid secus quàm se ratio habet, eius iudicio emendetur: si quid rationabiliter taxatum est, eius adiutorio diuina opitulãte clementia perficiatur.

SYNODVS TRIBVRIANA.

Apud Triburiam 22 episcopi, canones fecerunt de pœnitentia eorum qui interfecissent episcopum: ut patet ex decreto Caroli Magni in Synodo ad Villam Theodonis tomo 2 Conciliorum.

SYNODVS AD VILLAM *Theodonis.*

Cum Ioannes episcopus in Vasconia esset interfectus, & passim tyranni in sacerdotes sęuirent, Aistulphus Moguntinus, Hadabaldus Colonienſis, Hatto Treuirensis, Ebbo Rhemẽsis, & plures alij Galliæ & Germanię episcopi ad Villam Theodonis iussu Caroli Magni conueniunt, & canones condunt de pœnis ecclesiasticis & policitis, aduersus eos qui subdiaconis, diaconis, presbyteris & episcopis, calumniam aut iniuriã faciant: quos Carolus Magnus, & Ludouicus, & Galliæ principes confirmant, edicto in eandem sententiam promulgato. extant in 2 tomo Conciliorum.

DE SYNODIS SVB LVDOVICO Pio.

SYNODVS AQVISGRANA.

ANno Domini 816, imperij Ludouici tertio (Annales Frãcorũ 819. & Sigeb. habent annũ Domini 820.) Aquisgrani habita est Synodus, quę ex Hieronymi, Augustini, Prosperi, Gregorij & Isidori scriptis, & ex canonibus Conciliorum, duos libellos composuit: unum de uita, moribus & officijs hominũ religiosorum, monachorũ, clericorũ, & canonicorũ, qui extat tom. 2 Conciliorũ. Chronicon Casinẽse lib. 1. cap. 18. dicit, capitula 62 esse anno Ludouici quarto conscripta, de monachorũ disciplina. Alterũ de moribus & disciplina sanctimonialium.

Reperimus in quodam manu scripto lib. Canones 34, quos abbates & monachi in cõuentu Aquisgrani, anno Dñi 816: & alios 42, quos anno sequenti monachi & abbates de disciplina monastica composuerunt. De illis autem suprà in capite de Ceremonijs & monachatu quosdam adscripsimus. Scripsit etiam epistolam Ludouicus ad Amonem Saltzburgensem episcopum, de istius Synodi canonibus suscipiendis, & in sua diœcesi proponendis.

SYNODVS VVORMACIENSIS.

Ludouicus imperator cum omni episcoporum consensu, in generali suo placito apud Vuormaciam habito, per Lotharium filium suum, & Hiltuuinum archicapellanũ, de hac re (scilicet omnibus ubique licerein uniuersis episcoporum parochijs nõ solùm clericis & abbatibus, sed etiam laicis & uasallis dominicis, Ecclesiæ titulos ad se pertinentes cum episcopi cõsensu proprijs presbyteris cõmendare) iussit intimare. in epist. Rabani & monachorũ Fuldensium ad Otgarium archiepiscopum.

SYNODVS MOGVNTINA.

Anno Domini 829. imperij Ludouici 16. mẽse Iunio, Synodus Moguntij, in claustro basilicæ Albani martyris celebratur. Conuenerunt Otgarius eiusdem Moguntiacensis ecclesiæ archiepiscopus, Hetto archiepisc. Hadubald archiepisc. Bernuuinus archiepiscop. Adalrhã archiepisc. Crogo episcopus, Bernoldus episcop. Benedictus episc. Nidgarius episc. Folcuicus episc. Vuolfleoz episc. Adalingus episc. Baturatus episc. Vuolfgarius episc. Harud episc. Theotgrinus episc. Hildi episc. Frotharius episc. Vualdgozepisc. Vuilliricus episc. Fridericus episc. Gerfridus episc. Geboinus episc. Dauid episc. Vdalricus episc. Hitto episc. Baturicus episc. Reginheri episc. Erbeo episc. Hubertus chorepiscopus, Eburaccar chorepiscop. Vuolfgrinius chorepisc. Manno chorepisc. Rabanus abbas, Sigimarus abbas, Vuinibertus abbas, Sindoltus abbas, Albuinus abbas, Theotgerus abbas interpellauit Rabanũ abbatẽ, Gotteſcalcus filius Berni comitis Saxonis, asserẽs se & inuitũ fuisse attõsũ, & uiolẽter ab eo monasticę uitæ mãcipatũ. Habita ratiõe cũ in cõuẽtu sacerdotũ secũdũ diuina humа-

humanaq; iura, diligenti studio causa discuteretur, inuentus est is qui interpellabat autoritate canonica esse soluendus: ac per hoc eorum iudicio paternæ restitutus est libertati: ea tamen ratione, ut si abbati ita placeret, controuersiæ eorum finis inter eos istius ac propinquorum suorum, &c. iuramentum, quod quidem si abbas suscipere uellet, omnem ei iniuriam quam perpessus est secundum legem componeret: si autem ille iuramentum nollet exigere, nec iste compositionem suæ quæreret iniuriæ, sed tantum legitima fueretur libertate. epistola Rabani, & epistola Hattonis ad Otgarium. Sed Rabanus cum Otgarij licentia appellauit ad Synodum, in qua præsto esset imperator: ut patet ex eius epistola ad Otgarium.

SYNODVS AQVISGRANA.

Est & alia Synodus Aquisgrani celebrata, tempore Pipini filij Ludouici Pij, cui interfuit Aldricus Cœnomanēsis, & Herchinradus Parisiensis episcopus. Scripserunt autem tres libros, ad confirmanda sacrificia & bona ecclesiastica, contra eos qui negabant peccatum esse, res sacras Deo & Ecclesię donatas, ad alios usus cōferre. extant in tomo 2 Conciliorum.

Alia Synodus Aquisgrana.

Anno Domini 830, Aquisgrana Synodus celebrata est, cui præsedit Gregorius 4, iuxta Mutium lib. 10. & Nauclerum generatione 29. Constitutum autem inter alia est, ne episcopi & clerici cuiusuis gradus pretiosas & exquisitas uestes, utpote sericas, & coccini coloris, aut bracteatem: ne'ue in digitis gemmas, nisi dum præsules sactificant: ne in cingulis, calceis aut crepidis aurum & argentum ferāt. Platina in uita Greg. 4. Et ut unaquęq; ecclesia habeat prouētus ad cōmunē uictum clericorū sufficientem. Nauclerus.

SYNODVS MOGVNTINA.

Excitato dissidio inter Ludouicum & filios eius, Mogunti Synodus indicitur, ea cōditione ne quis cum armis eò ueniat. Cum autem Hildo & Valasco abbates cum armis uenissent, excluſi sunt à congressu, & tractata est causa Ludouici, & inquisitum in conjuratos & seditiosos: ac Theodulphus abbas Segerienſis, & alij seditionis faces relegati sunt. Ganguinus libro 4.

Meminit Regino & Sigebertus Synodi in qua Ebbo Remensis episcopus, & plures alij qui conspirauerant in depositionē Ludouici imperatoris, ab officijs remoti & exilijs affecti sint, anno Domini 835.

SYNODVS AQVISGRANA.

Anno imperij Ludouici 24. Domini uerò 838. iuxta Sigebertum: licet acta habeant 833. Aquisgrani Synodus celebratur iussu imperatoris, in qua renouantur canones, quales episcopi & presbyteri esse debeant, qui præsint ecclesiæ. Deinde, quæ illos scire & facere oporteat. Tertiò, quæ episcopi & abbates in gubernatione suorum agere debeāt. Quartò, quæ ad imperatoris officium pertineant in iuuanda gubernatione ecclesiæ, & rectè administranda Republica.

SYNODVS LVGDVNENSIS.

Hylduinus abbas Dionysij, & Vala Carbeiensis, Hugobertus Lugdunēsis, & Bernhardus Viennēsis, & plures alij episcopi, Ludouicum ob Iudithæ uxoris eius libidines & tyrannidem excommunicant, & ab imperio remouent, filiosq; eius contra ipsum cōcitant. Auentinus 4. Annalium.

DE SYNODIS SVB LOthario.

SYNODVS MELDENSIS.

CArolus Iunior, cum ad regnum Francorum uenisset, Synodum apud Meldensem urbem congregauit, in qua hi canones scribitur facti.

1 *De incæstuosis.*

De his qui se incæstus pollutione commaculant, placuit, ut quousq; in ipso detestando & illicito carnis contubernio perseuerant, usq; ad missam tantum catechumenorum in ecclesia admittantur. Cum quib. etiam nec cibum sumere, ulli Christianorū, sicut Apostolus iussit. fas est. Salubriter præcauendo sancimus, ne quis fidelium propiu quam sanguinis sui usquequò affinitatis lineamenta, successione generis cognoscit, in matrimonio sibi desideret copulari. quoniam scriptum est: Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, ut reuelet turpitudinem eius.

2 *Quales ministros episcopi in ciuitatibus relinquant.*

Et quoniam episcopi, qui nostris & suis communibus Ecclesiæ, ut totius regni, necessitatibus occupati sunt, non ualent cuncta soli prospicere, quæ intra fines parochiæ illorū perpetrantur: Statuimus, ut quotiescunq; episcopi à propria ciuitate digrediuntur, tales adiutores unusquisq; in sua ciuitate relinquat, qui hæc omnia prudentissimè in sua ciuitate peragant: ut pauperes sanguine Christi redempti, semper in ciuitate præsentem inueniant, à quo responsum & consolationem accipiant: in uicis autem & uillulis longè à ciuitate remotis, constituat unusquisq; episcopus reuerendos & cautos, atque prouidentia morum temperatos presbyteros, qui sua uice superius statuta modestè perficiant, & ad quos alij presbyteri iuniores & minus cauti suam causam referant.

3 Vt canonum statuta sine præiudicio ab omnibus custodiantur, & nemo in actionibus

bus uel iudicijs ecclesiasticis suo sensu, sed eorum authoritate ducatur. In exponendis etiam uel prædicandis diuinis Scripturis, sanctorum catholicorum patrum, & probatissimorum sensum quisq; sequatur: in quorum scriptis, ut beatus dicit Hieronymus, si dei ueritas non uacillat.

4 *Qualem ministrum episcopus iuxta se habere debeat.*

Vt quisq; episcopus talem iuxta se pro uiribus habere decertet, qui iuxta synceriſsimum & purisſimum sensum catholicorum patrum, fide & obseruatione mandatorum Dei, seu etiam prædicationis doctrina, presbyteros plebium assiduè instruat & informet: ne domus Dei uiui, quæ est Ecclesia, sine lucerna uerbi diuini remaneat. Sed idem talis existat, quem amor pecuniæ non uexet, aut reprobi mores & conseruatio reprehensibilis contemptibilem reddant. Hinc est, quòd cum Moses querelam in conspectu Dei deponeret, non se posse portare tatũ onus, quod ei fuerat impositum, audiuit à Domino: Congrega mihi septuaginta uiros de senioribus Israel, quos tu nosti quòd seniores populi tui sint, ac magistri, & auferam de spiritu tuo, tradamq; eis, ut sustentent te cum onus populi, & non tu solus graueris. Quid in Mose, nisi summũ sacerdotiũ? Quid in 70 uiris, nisi presbyteros accipimus? Quod aũt Dñs aufert de spiritu Moysi, tradit q; eis, patẽter ostẽdit, quòd hi qui ab episcopo in conspectu Dei uocati sunt, ut secũ onus populi sustentẽt, eadem quæ Christus debent sentire, eadem uelle, & impartito sibi onere totis uiribus coòperari. Hoc enim significat, quòd non alium, sed eũdem Moysi spiritum accipiunt.

5 *Vt nullus presbyter propter chrisma aliquod munus det.*

Vt nemo episcoporum, uel quilibet minister ecclesiasticus, propter sacrum chrisma aliquid muneris accipiat: neq; denarios uel quælibet munuscula, quæ per ministros episcoporum à presbyteris inordinabiliter exiguntur. Decet presbyteros tamen, cum uoluntarijs eulogijs tempore congruo uisitare & uenerari suos episcopos.

6 *Vt presbyteri nullatenus ubiq; hospitari sinantur.*

Vt presbyteri nullatenus ubicunque hospitari sinantur, aut aliquo modo ipsi præsumant: sed assiduè apud suas ecclesias esse studeant, propter sacra mysteria, uel ministeria fidelibus exhibenda: nec etiam alibi habitare permittantur. Neq; mulieres quãcunq; habitationẽ habeant in locis, in quibus presbyteri aliquem recursum habuerint. quod si obseruare parupenderint, ut transgressores, & qui contra interdicta fecerint, iudicentur.

7 Cauendum, & summoperè præcauẽdũ, ac per uirtutem Christi sanguinis interdicendum episcopis, ut regibus & omnibus sublimioribus potestatibus atq; cunctis fautoribus & electoribus quorumcunque, atque consensoribus seu ordinatoribus in gradu ecclesiastico: ut nemo per Symoniacam hæresin regiminis locum obtineat, quacunque factione, calliditate, promissione, seu commoditate, aut datione per se, aut per emissam personam. cum Spiritus sanctus inter cætera documẽta per os dicat Gregorij: Cur non perpendit, quia benedictio illi in maledictionem conuertitur? Et alibi: Dolens, inquit, dicò, gemens denuncio, quia sacerdotium, quod apud uos intus cecidit, foris diu stare non poterit.

8 *Vt nullus presbyter propter chrisma aliquod munus det.*

Vt nemo episcoporum, uel quilibet minister ecclesiasticus, propter sacrum chrisma aliquid muneris accipiat: neq; denarios, uel quælibet munuscula, quæ per ministros episcoporum à presbyteris inordinabiliter exiguntur. Decet presbyteros tamen, cum uoluntarijs eulogijs tempore congruo uisitare & uenerari suos episcopos.

9 Vt nemo laicorũ presbyteros ecclesiarũ suarum turpi uillicationi, & secundum apostolum seculari & inhonestæ negociationi implicare, nec secum aliorum contra autoritatem præsumat ducere, quo ministerium sibi commissum cogantur negligere. Quòd si contra interdicta prę sumpserit, excommunicetur.

10 Nemo presbyterorum baptizare præsumat, nisi in uicis & ecclesijs baptismalibus, atque temporibus constitutis: nisi cautus, & uicisa ægritudinis, uel certæ necessitatis, & uici autoritate, & priuilegia debita permittant.

11 Qui uerò ex nostris parochijs, aut ad titulum aut absolutè ordinari petuntur, nullatenus ordinentur, nisi aut in loco certo & religioso, uel etiam in ciuitate uno anno immorentur, ut de uita & conuersatione atq; doctrina illius certitudo possit agnosci. Et nemo absolutè ordinare quenquam præsumat, sicut sancti sanxerunt canones. Si quis de ordine sacerdotali contemptu minoris Ecclesiæ ambitiosè & improbè ad potiorẽ aspirauerit, canonica erga eum definitio cõseruetur.

12 Hi qui ex rebus ecclesiasticis nonas & decimas persoluere, & sarta tecta Ecclesiæ secundum antiquam autoritatem & cõsuetudinem,

suetudinem restaurare debent, & hoc non solum negligunt, uerùm & contenendo dimittunt, atque clericos fame & penuria afficiunt, ecclesiastica quoq; ædificia dissoluunt, ecclesiastica communione separentur, usque dum diligentia emendare studeant, quod socordia neglexerunt. Quòd si iteraverint, post excõmunicatiõis satisfactionem, regia potestate cõpuls, iuxta legale & antiquum edictũ: Qui negligit censum, perdat agrum.

13 De decimis, ubi antiquitùs fuerunt Ecclesiæ baptismales, & deuotio facta fuit, iuxta quod Episcopus ipsius parochiæ ordinauerit, omnimodis fiant donatæ. Et si per donationes regem, aut cæterorum Deum timentium bonorum hominum ad episcopia seu monasteria aliquæ res delegatæ sunt, & ex ipsis rebus antiquitùs, ad ipsas ecclesias priores decimæ datæ fuerunt, ipsa antiqua donatio uel deuotio, firma & stabilis permaneat. Tamen, ut suprà diximus, decimas de ipsis rebus, qui eas possidere uidetur persoluat.

14 *Ne fœnũ annonæ uinũ in ecclesiam mittatur.*

Vt nullus presbyter annonã uel fœnum, in ecclesiam mittere præsumat.

15 Serui Ecclesiarum, quibuscunq; potestatibus subditi, unde melior consuetudo, uel deuotior commendatio & tempore & iussione Domini Ludouici, uel certè Domini Caroli, seu etiam Pipini non existat, saltẽ uiginti diebus in anno eidẽ Ecclesiæ ad reficiendas ipsius ruinas, absq; molestia seruire sinãtur: ubi autẽ & amplior cõmendatio, & melior cõsuetudo inde haberetur, ꝓ hac no stra necessitudinis cõsideratiõe nõ decidat.

16 Vt secũdum Canonicam autoritatẽ, & constitutionẽ Domini Imperatoris Ludouici, de agro ecclesiastico & manso, ac mancipijs, quę ipse in suis capitulis constituit, uel si quilibet pro loco sepulturę largitus fuerit Ecclesiæ, neq; de decimis & oblationibus filiorũ, quenquã presbyterũ aliquẽ censum persoluere cogat: nec quisq; cuiuslibet ordinis aut dignitatis exinde quicquam subtrahat, & redhibitionẽ quãcunq; exigat tẽporalem. Quod si fecerit, cõmunione usq; ad satisfactionem priuetur, & regia potestate hoc emendare legaliter compellatur.

17 Raptores igitur uirginũ & uiduarum, qui etiam uoluntate parentũ eas quasi desponsatas, sub dotalitij nomine in coniugiũ duxerunt, publicę pœnitẽtiæ subiugẽtur: & post publicã pœnitẽtiã, ne in peius corruãt, iterũ cõuenientes, de cætero eleemosynis, & cæteris quibuscunq; saluificæ conuersationis actionibus inseruire procurent, usq; quo ab opere cõiugali, ex cõsensu se ualeãt abstinere.

18 *De filijs non legitimis.*

Filij uerò, ex huiuscemodi uituperabili cõiunctione ante cõiugiũ minus laudabiliter ꝓcreati, ad ecclesiasticã dignitatẽ nullo modo prouehãtur: nec de tali cõiugio generati, ecclesiasticis ordinibus applicentur: nisi forte eos aut maxima Ecclesiæ utilitas & necessitas postulet, aut euidens meritorum prærogatiua commendet.

19 De his qui spõsas alienas rapiũt, antiqua & Synodalis sententia obseruetur. Quod etsi fortè in Ecclesia euentus talis reperiri dinoscitur, ut pro salutis & religionis cõpetentia humanius quiddã debet tractare pontifex, sicut canonica, ut eiusdem uerbis utamur, docet autoritas, quia prior inquiens definitio durius, posterior aũt quiddam tractauit humanius, nullo modo (ut ad maximam indulgentiã descendamus) alterius sponsæ acceptor sine publica trãseat pœnitẽtia, & spõso legaliter mulctã imponat. Quod si ad hæc obedire noluerit, sine ulla refragatione anathematizetur: fautores uerò illius, iuxta modum culpæ, episcopali decreto pœniteãt. Si uerò quod nõ optamus, de gradu ecclesiastico talibus nuptijs se consensoré uel interuẽtoré manifestè prodiderit, à gradu proprio repellatur. Et si uerisimilib. exinde suspicionib. fuerit propulsatus, canonicè se purget.

20 De puellis raptis, necdum despõsatis, in Chalcedonẽsi cõcilio scriptũ est: Eos qui rapiunt puellas, sub nomine simul habitãdi cooperãtes & cõsentientes raptoribus, decreuit sancta Synodus, siquidẽ clerici sunt, decidant à gradu proprio: si uerò laici, anathematizentur. Quibus uerbis datur intelligi, qualiter huius mali autores dãnãdi sunt, quando participes & consentiẽtes tanto anathemate feriuntur. Et iuxta Canonicã autoritatem, ad coniugia legitima raptas sibi iure uindicare nullatenus possunt.

21 Si aũt, qui necdum eas quas rapuerant, cũ uolũtate parentũ priuatæ desponsionis, uel dotalitij nomine in cõiugium sumptas habent, quando in omniũ aures hæc fuerit cõstitutio promulgata, ab earũ cõiunctione separentur, & publicę pœnitẽtiæ subigãtur. Raptæ aũt parentibus legaliter restituãtur. Pòst actam uerò publicã pœnitentiã, pietas & incontinentia exegerit, ut legitimo & ex utrisq; partibus placito coniugio socientur. Nam in his non regulã constituimus: sed ut uerbis Magni Leonis utamur, quod sit tolerabilius æstimamus. Quòd si unus ex cõiugatis obierit, is qui publicã pœnitentiã egerit, & superstes extiterit, iterare coniugium non præsumat, nisi fortè episcopus præuiderit aliquam concedere indulgentiam, ut graiorem possit amouere offensam.

22 Qui uerò deinceps rapere uirgines præ-

sumpserit,& uiduas,secundum Synodalem beati Gregorij definitionem,ipsi & compli ces eorum anathematizentur, & raptores sine spe coniugij perpetuò maneant.

23 *De secularib uiduis & sanctimonialibus.*

Vt illæ quæ quasi Sanctimoniales sub uelamine religionis degere uidentur, sed potius in delicijs uiuentes,mortuæ in diuinis oculis computantur,prouincias discurrentes,curiosè & uerbosè se libidinibus, cæterisq; carnis uoluptatibus inseruire accusantur:si manifestè detegi potuerint,episcopali autoritate & regia potestate,in talibus locis residere sub testimonio religioso cogantur:ubi pœnitentiam si fecerint dignam, assequantur,& suæ opinionis malam famam legaliter purgare cogantur,& ut religiosius de cætero uiuãt,& in monasterijs cõuersentur,episcopali decreto & regia potestate coherceãtur.De his.n.Apostolus dicit: Quę cũ fornicatę fuerint,in Christo nubere uolũt.

24 Vt nemo quemlibet mortuum in ecclesia quasi hæreditario iure, nisi quem episcopus aut presbyter pro qualitate conuersationis & uitæ dignũ duxerit,sepelire præsumat:nec quisquam ossa cuiuslibet mortui,de sepulchro suo eijcere,aut sepulturam cuiusquam temerario ausu quoquo modo uiolet:sed unũquemq; in loculo sibi à Deo parato atq; concesso, aduentum sui iudicis præstolari concedat:maximè cum non solũ diuinæ leges,sed etiam humanæ apud humanam Rempub.sepulchri uiolatores reos mortis dijudicent.Sed neq; pro loco sepulturæ, ut uerbis sancti Gregorij utamur, de terra concessa putredini,quęrere, & de alieno uelle facere luctu compendium, aliquo modo tentet.Si quando autem proximi uel hæredes, sponte aliquid offerre in ecclesia uoluerint,in eleemosyna defuncti, accipere nõ uetamus.Petí uerò,aut aliquid exigi, omnino prohibemus: ne quod ualde irreligiosum est,aut uenalis, quod absit, dicatur ecclesia: aut de humanis mortibus uideamur gratulari, si compendium exinde studemus modo quolibet quærere.

25 Quicũq; ex clero esse uidétur, arma militaria non sumant,nec armati incedant:sed professionis suæ uocabulũ,religiosis moribus,& religioso habitu præbeãt.Quòd si cõtẽpserint,tanquã sacrorũ canonũ cõtemptores,& ecclesiasticę sanctitatis profanatores, proprij gradus amissione mulctentur. Quia non possunt simul Deo & seculo militare.

26 Episcopos itaq; monemus, ut siue per se, siue per uicarios pabulum uerbi diuini sedulò populis administrẽt:quia, ut ait Beatus Gregorius, iram contra se occulti iudicis excitat sacerdos,si sine prædicationis sonitu incedit.

27 *Quod à rege postulandum sit, ut episcopi tempore opportuno ad ministerium sibi commissum uacare possint.*

Vt regia magnificentia liberiorẽ libertatem episcopis,ad peragendum in eorum parochijs ministeriũ præstet, quam hactenus propter diuersas perturbationes habuisset. Ipsi aũt episcopi concessum sibi ocium,non in suas uoluptates,sed in diuinũ & officium conuertant negociũ,quatenus studentes prædicationibus, correctioni atq; confirmationi, quod hactenus p parochias suis neglectum,solerter de cætero sit emendatũ.

28 *Ne Episcopi propter suam quietem negligant plebem sibi commissam.*

Prouidendum ne episcopi propter suam quietem, ad remotiora loca secedentes, & suum ministerium negligẽtes, preprias deserãt ciuitates:sed ut parochias suas cũ officij efficacia circumeant, aut cum religione in suis ciuitatibus canonicè cũ filijs suis degant.Presbyteros etiam sibi commissos, doctrina,castitate & sobrietate atque hospitalitate, secundum suum ministerium ornari compellant.

29 *De Episcopis,qui rarò aut nunquam per seipsos plebes suas uisitant.*

Vt quorundam episcoporum reprehensibilis, imò damnabilis consuetudo omnimodis corrigatur, qui plebes sibi creditas, aut rarò aut nunquam pro seipso iuxta ordinem Euangelicum & Apostolicum atq; ecclesiasticum uisitant, cum Dominus dicat: Speculatorem dedi te domui Israel, & audies ex ore meo uerbum,& annunciabis eis ex me: & cætera quæ diuinus sermo complectitur.

30 Hi qui ordinari petuntur, nullatenus ordinentur, nisi in loco certo & religioso, uel etiam in ciuitate,saltẽ uno anno immorentur,ut de uita & conuersatione atq; doctrinæ illius certitudo possit agnosci.

31 Inuestigandum,si nihil patrimonij habens presbyter,quando prouectus est ad ordinem ecclesiasticum, postea emerit prædia,cuius iuris sunt,quomodo ecclesiæ esse debent, unusquisque enim presbyter proprias res,quas post diem consecrationis acquisierit,ecclesiæ relinquat. Si autem alieno nomine res comparauerit, & ibi structuras fecerit,uel quæ ad ecclesiam ibidem collocauerit,contra decreta Canonum hoc malum agitur: quia sacrilegium est, & parricidium mẽ Iudæ furis esse dinoscitur,qui sacras oblationes furabatur.

MOGVNTINA SYNODVS.

Rabanus archiepiscopus Mogũtinus,iussu Lotharij Imperatoris seu Ludouici regis, Mogũti Synodũ indicit anno Domini 848. Conue-

Conueniunt Hetto archiepiscopus Treuirensis, Hildeboldus Colonienſis, Altfridus Hildesheimenſis, Haymo Halberſtadenſis, Ludericus Bremẽſis, Luidbertus abbas Hirſaugienſis, Vualdo abbas Fuldenſis, Einhardus abbas Selgenſtetenſis, Brunuuart Hirſfeldenſis, Bertolphus Mediolanẽſis, Aduentitius Metẽſis, Rodulphus Sueſsionẽſis, & alij plurimi epiſcopi, abbates & monachi. Occaſionẽ prębuit Godeſcalcus presbyter, qui de libero arbitrio, de prædeſtinatione, & de ſanguine Chriſti malè docuiſſe ſcribitur. Diſputauit cũ eo Lupus ſeruatus presbyter, Rabanus & alij, ac in ſententia perſeuerantem damnant. Et poſtea ad utilitatem decoremq; Eccleſiæ leges cõdunt. Sigebertus, Lupoldus Bebenburgenſis, Chronicon Hirſaugienſe, Queldeburgenſe, & Schaffnaburgenſis.

SYNODVS CONSTANTINOPOLIS.

Tempore Ioannis octaui, Conſtantinopoli Synodus habita eſt. Ad quam 383 epiſcopi conuenerunt. Romani pontificis uicem ibi ſuſtinuerunt Petrus presbyter Cardinalis, Paulus Antiochenus epiſcopus, & Eugenius Hoſtienſis. Actum eſt de coniunctione Eccleſiarum Orientis & Occidentis, quo animis & uiribus aſſociati, ad Saracenorum impetus ſuſtinendos & propulſandos paratiores eſſent. Martinus in Chronico, Flores temporum, Ioannes de Oppido, Schedelius ætate ſexta.

SYNODVS ROMANA.

Leo quartus cõſilio & uoluntate Lotharij Imperatoris, & Ludouici regis, Romæ Synodum coegit epiſcoporum 47. Agitur de diſciplina eccleſiaſtica, Canones 44 promulgantur, qui extant apud Luitprandum in uita Leonis, in hunc modum.

Primò inſtituit, ut epiſcopus iuxta Pauli diſcretionẽ & admonitionẽ, irreprehenſibilis, & boni operis deſiderabilis cõſecretur.

2 Quiſq; ſacerdos caueat, ne præmijs conſecrationem adipiſcatur, ne exemplo Simonis in laqueum incidat diaboli.

3 Vt bono opere epiſcopus exiſtat, & bene ſpeculetur, qualiter populum uerbo prædicationis inſtruere debeat.

4 Vt ſi epiſcopus inueniatur inductus, à metropolitano proprio admoneatur: & presbyteri diaconi & ſubdiaconi à ſuo epiſcopo, ut doceri poſsint, admoneantur: & interim tales presbyteri & clerici, celebrare diuina myſteria & officia ſuſpendantur, ut docti ualeant ad debitum miniſterium peruenire.

Confirmauit, quod Cœleſtinus & magnus Leo de epiſcopis inſtituerant, uidelicet ut non conueniat epiſcopum conſecrari, niſi à clericis & populo fuerit poſtulatus: quia nulla ratio ſinit, ut aliter conſecrati inter epiſcopos habeantur, & cum in eadem eccleſia dignus non inueniatur, tunc primũ alter de altera eccleſia eligatur, & quamuis neceſsitas inueniat, tamen inuidioſè nullo modo conſecretur.

6 Præcepit, ne, iuxta Sardicenſem Synodum, ultra trium hebdomadarum ſpacium epiſcopi à proprijs eccleſijs morentur, niſi fortè per iuſsionem metropolitani uel principis ex neceſsitate contingat: quia abſentia epiſcopi plerunq; fit calamitas plebis.

7 Neceſſariò ſeruari præcepit, ut iuxta eccleſiam clauſtra cõſtituantur, in quibus clerici diſciplinis eccleſiaſticis imbuantur, & omnibus unum ſit refectorium ac dormitorium, ſiue cæteræ officinæ ad uſus clericorũ neceſſariæ: miniſtri uerò, præter epiſcopum, tales eligantur, quorum uita & doctrina illos potius exornent quàm dehoneſtent.

8 Vt epiſcopi diligenter curam habeant, in baptiſmalibus plebibus, & cum neceſsitas in eis presbyteros ordinandi occurrerit, ut reuerentius obſeruentur: nec ſine cõſenſu ibidem habitantium fieri conuenit.

9 Vt in congregationem clericorum non plures admittantur, quàm facultas rerum eis canonicè attributa ſufficere poſsit.

10 Vt ſacerdotes conſtitui non oporteat, nec eccleſijs aut ſpeciali monaſterio deputentur, ne neceſsitas in ſecularibus domibus illis habitandi occurrat. alioquin à proprijs epiſcopis, aut in epiſcopio, aut in monaſterijs cauſa habitãdi & conuerſandi pro exercendo officio conſtituantur, ubi mulieres nullam habeant copiam conuerſandi.

11 Vt ſacerdotes diuina eloquia ſeduld perſcrutentur, & populum admoneant, & ludos aliquos ante ſe fieri non delectentur. Trãſgreſſores quippe admonitione epiſcopi ulterius agere deſinant: ſin autem, canonicè iudicentur.

12 Vt ſacerdotes, qui ad debita & opportuna officia in eccleſijs indifferenter adeſſe debent, fœnore aliquo, aut uenatione, uel aliqua aucupatione ruſticorum, miniſterio omnino non occupentur: nec ſine ornatu ſacerdotali extra domos ſuas appareant, & ea ſolummodo quæ patrum conſtituta uidentur obſeruent. contrarij denique inuenti, aut deinceps deſinant, aut canonicæ diſciplinæ ſubiaceant.

13 Vt ſacerdotes in ſecularibus negocijs pro teſtimonio aut conficiendis inſtrumentis non rogentur, quia eos in talibus rebus eſſe non conuenit. Si enim euentu cauſæ aliquid uiderint aut audierint, ubi nullę ſecularium idoneæ perſonæ inueniantur, ne ueritas occultetur, & malus ut bonus exiſtimetur, in prudentia ſit epiſcopi, ut coram

se & competentibus iudicibus, hanc aliter ueritatem honorificè attollant.

14 Vt sacerdos, aut quis alius in ecclesiastico ordine prouectus, si in eo scelere inueniatur, quo abijciendus sit, depositus prouidentia episcopi, bene prouiso loco constituatur, ubi peccata lugeat, & ulterius non committat.

15 Vt si episcopus, presbyter, diaconus, uel etiam subdiaconus, de quacunque fœmina crimine fornicationis suspicatus, post primam & secundam & tertiam admonitionē metropolitani uel alterius episcopi, aut eius cui subiacere uidetur, inueniatur fabulari cum ea, aliquo'ue modo conuersari, canonicè iudicetur: quia cui propriam uxorē habere non permittitur, ab omni fœmina debet se abstinere.

16 Vt nulli episcoporum liceat res immobiles de subiectis plebibus alijsq; pijs tollere locis, ne in tali facto pauperes inueniantur: contrà agens, canonica autoritate coarctandus existat.

17 Vt presbyteri omnium ad se currentiū, in quibuscunque sacris locis oblationes ad missarum solennia recipiant: quia cum Dei & hominum mediatores existant, in exercendis uotis & relaxandis peccatis largissimam debent orationem peragere.

18 Vt episcopus sibi subiecto sacerdoti uel alij clerico, nisi ab alio rogatus, dimissorias non faciat, & ne falsæ ut ueræ credantur, & ueræ ut falsæ suspicentur, uniuersalis pontificis uel imperiali uel metropolitani bulla eas roborari oportet.

19 Vt episcopi uniuersiq; sacerdotes, quia ad solam Dei laudem, bonorumq; operum actionem constituuntur, debeant tam pro ecclesiasticis, quàm pro proprijs suis actionibus, excepto publico crimine, habere aduocatum non malæ famæ suspectum, sed bonæ opinionis & laudabilis artis inuentum, ne dum humana lucra intendunt, æterna præmia perdant.

20 Vt si quispiam sacerdotum inuētus fuerit, qui aduocatum in iudicio proferre non ualeat, coram plebe propria suus episcopus ipsum sacerdotem discutiat, si bonæ an malæ conuersationis existat, aut cuius rei causa debitè aduocatum habere non possit: male uerò inuentus, pro qualitate culpę secundum canonum normam emendari curetur.

21 Vt monasterium uel oratorium canonicè constructum, à dominio constructoris eo inuito non auferatur: liceatq; illi eidem presbytero, cui uoluerit pro sacro officio illius diœceseos, & bonæ autoritatis dimissione cum consensu episcopi, ne malus existat commendare, ita ut ad placitum & iustam reuerētiam illius episcopi obedienter sacerdos recurrat, alioquin canonicis ultionibus subiaceat.

22 Sanciuit, ut si quispiam comprobatus inuasor dicat, pro parte ecclesiæ se egisse, de priuata sibi re pertinente, ab ipso suoque hę rede persoluatur inuasio. Sacerdos denique in tali culpa pauper inuentus, à proprio canonicè iudicetur episcopo, episcopus à metropolitano, ne ecclesia sibi commissa damnum sustineat de inuasione.

23 De monasterijs monachorum siue sanctimonialium, & de omnibus alijs pro diuersis necessitatibus ad eleemosynam conuersis necessitatibus ad eleemosynam constitutis præcepit, ut per episcoporum solicitudinem, in quorum diœcesi hæc existūt, ordinentur ad easdē utilitates quibus constituta sunt.

24 Disposuit de ecclesijs, quæ in diuersis regionibus sacerdotibus & solitudine destitutæ, nullo debito officio resonant, ut episcopus, si proprio iuri ecclesiæ sunt subiectæ, ibidem sine intermissione presbyterū constituat: ut si in secularium hominū sunt iure constitutæ, ab episcopo admoneantur: & si admoniti presbyteros infra trium mensium spacium ibidem neglexerint constituere, absque neglectu principis episcopus urgeat, ut eius sententia emendetur.

25 Vt ecclesiæ quęlibet destructæ proprio stipendio restaurentur: non sufficiente uerò, necessario à populo plebis auxilientur.

26 Vt nulli episcoporum liceat, à subiecto sacerdote, uel alio quolibet clerico ex pijs locis, donationes ultra statuta patrū exigere, aut superimposita in angariis inferre.

27 Vt abbates tales constituantur, qui sui uocabulum ministerium Deo possint indubitanter supplere, ita docti, ut quęcunq; fratrum negligētiæ acciderint, omnino cognoscere possint, & emendare.

28 Vt episcopus in sua diœcesi diligenter perscrutetur illos, qui solo habitu monachi existunt, & ad propriū monasterium eos redire cogat, aut prospectu congruo in aliud mittat, ut regularem uitam seruent.

29 Vt fœminæ, quæ habitum religiosum aut uelamen obtentu religionis susceperunt, deinceps uiro sociari non permittantur, præuaricatæ autem ad pœnitentiam coherceantur.

30 Vt die Dominico nullus audeat mercationes, nec in cibarijs rebus, aut quęlibet rustica opera facere: alioquin ut trāsgressor ad pœnitentiam redigatur.

31 Vt Dominico die personam suspectam & reatu infamem, aut optima satisfactione soluant, aut in custodiis constituant, ut licitis diebus iudicetur. nam legibus infirmatis iudicium Dominico die depromptum.

32 Vt

32 Vt nulli laicorum liceat in eo loco ubi presbyteri & cæteri clerici existunt, quod presbyteriũ nuncupatur, quãdo missa celebratur cõsistere: qa sicuti in ecclesia singula loca uidẽtur exposita, ita uirorũ pars & mulierum, partibus suis debet esse contenta.

33 Statuit, ut sicut hi, qui monasteria elegerunt, à monasterijs egredi nõ permittuntur: ita hi qui inuiti sine iustæ offensionis crimine monasterijs sunt intromissi non uoluntur, non obseruant.

34 Vt magistri & doctores in singulis locis, in quibus necessitas occurrit, constituantur, qui liberales artes assiduè doceant: & si tales non inueniuntur, tamen diuinæ Scripturę magistri & institutores ecclesiastici officij nullatenus desint.

35 Vt sacerdotes admoneant uiros ac mulieres, qui festis diebus ad ecclesiam concurrunt, ne balando & turpia uerba decantando choros teneant ac ducant, similitudinẽ paganorum peragendo: quia tales si cũ minoribus peccatis ad ecclesiam ueniunt, cum maioribus reuertuntur. Si uerò non cessant admoniti, à communione modis omnibus suspendantur.

36 Vt nulli liceat, excepta causa fornicationis, uxorẽ relinquere, & aliã sibi copulare: alioquin transgressorẽ conuenit sociari priori cõiugio. Si aũt uir & uxor solummodo pro religiosa uita diuortire inter se consenserint, nullatenus sine cõscientia episcopi fiat, ut ab eo singulariter prouiso constituantur loco. Nam uxore nolente, aut altero eorũ, pro tali re matrimonium nõ soluatur.

37 Vt nulli liceat uno tempore habere uxorem & concubinam: quia cum domi nõ sit lucrum, animæ sit detrimẽtum. alioquin ecclesiastica communione uideatur indignus: & si perseuerauerit, ab ecclesia penitus amputetur.

38 Vt de propria cognatione, uel quã cognatus habuit, nullus audeat in coniugium copulare. Si quis uerò fecerit & perseueraue rit, sciat se uinculis anathematis innodatũ.

39 Vt minus absolutè presbyter ordinetur: & ut iuxta facultatẽ rerum ecclesiæ, & oblationes uel reditus clerici ordinentur.

40 Vt presbyteri urbani & suburbani & rurales, omnes indifferenter ad concilium episcopi ueniant, aut canonum correptionibus subiaceant.

41 Vt laicus, qui presbyterum sine consensu episcopi proprij sua potestate ecclesię cuicunq; instituit, à fidelium communione separetur. Presbyteri si tertiò ab episcopo, uel legato eius, de alterius ecclesia recedere admoniti, obedire noluerint, proprij officij gradum amittant.

42 Immutabiliter præcepit, ne ullus abbas, aut quilibet alius, præsumat presbyteros in ecclesijs statuere, nisi qui & sacerdotis gradũ licitè dare potest, & canonicè de neglectis presbyteros increpare: sed ab his uenerabiliter sacerdotes ad diuini ministerium officij expetantur episcopis, quibus singulariter & diœceses pertinent, & qui canonicè debent ipsis ecclesijs præuidere, & præuisas ordinare.

43 Vt unusquisq; episcopus per diœceses & parochias suas, per se & sacerdotes suos subiectum sibi populum moneat, ut primitias & decimas incunctãter persoluant. Has autem dare nolentes, quò usq; suppleant, à cibo & potu suspẽdant. quòd si nec pro hac suspensione supplere curauerint, sacra communione priuentur.

44 Vt nullus episcoporum uel sacerdotum, rem sui tituli usurpare aut alienare prę sumat. Qui autem hoc fecerit, canonicam subeat ultionem.

Deinde Anastasius presbyter Cardinalis Marcelli, multis criminibus conuictus damnatur, & ab ecclesia reijcitur, eo quòd parochiam suam per annos quinq; contra canonum instituta deseruisset. Luitprandus, Liber Pontificalis, Platina in Leone 4.

SYNODVS REMENSIS.

Ebbo ab episcopatu suo deiectus per Ludouicum, septem annos pœnitentiam egit. Cum aũt Lotharius ad imperiũ ueniisset, & sedes Remensis adhuc uacaret, per Synodũ prouincialẽ, cui interfuerũt Reudericus Cameracensis, & Rothadus Suessionensis, Hildemannus Beluacensis, Ragenarius Ambianẽsis cũ alijs tribus episcopis, restitutus est: eo quòd tempus pœnitentię esset absolutũ: & quòd exẽpla uetera testarẽtur, licere episcopum depositum, post pœnitentiã cũ consensu episcoporum regis & plebis reuocare: ut ipse testatur in actis istius Synodi.

SVB LVDOVICO SECVNDO.

SYNODVS TICINENSIS.

TIcini Synodũ indixit Ludouicus secundus, circiter annũ Domini 855. ut patet ex actis to. 2 Conciliorũ. Cum aũt conuenissent patres, Imperator per Angilbertũ archiepiscopum & Andream patriarchã, ac Iosephum archicapellanum inquit: De conuersatione episcoporũ, presbyterorũ & cæterorum clericorũ, de doctrina ac prædicatione in populo, de cõscriptione librorũ, de restauratione ecclesiarũ, de ordinatione plebium & xenodochiorũ, de monasterijs uirorũ seu fœminarũ, quę secundum regulam sancti Benedicti, uel ea quæ secundum Canonicam autoritatem dispositа esse debent, quicquid in præfatis ordinibus extra ordi-

nem est, aut per negligentiam præpositorum, aut per desidiam subditorum, uehementer cupio scire, & secundum Dei uoluntatẽ, uestrum q; sanctum consilium sic emendare desidero, ut in conspectu Dei nec ego reprobus sim, neq; uos & populus in commissis iram suæ indignationis incurrat. Quomodo autem istud rationabiliter quæsitum, & inuẽtum perficiatur, uobis hoc ad tractãdum, ac nobis renunciandum cõmittimus. De minoribus quoq; causis, quæ generaliter omnes, specialiter aliquos tangũt, & indigent emẽdatione, uolumus, ut posthac illas quæratis, & ad nostrã noticiam reducatis. Sicut est de comitibus & eorum ministris, si iusticias negligunt, aut ipsas uendunt, si sunt rapaces, aut ecclesiarum, uiduarum, orphanorum, aut pauperum oppressores, si ad prædicationẽ ueniunt, si debitum honorem aut obedientiã sacerdotibus suis impendunt, si aliquas nouitates aut argumenta quæ ad detrimentum populi pertinent, agere præsumũt, sic ut est in acquirendis proprietatibus, aut irrationabiles preces ad adiutoria facienda, siue in reliquis causis quæ ad peccatum nostrum pertinere possunt, ac populi nostri.

Ad ea uerò episcopi respondent, se Deo gratias agere, qui tam pium principem sibi largitus sit. Deinde inquiunt: Quoniam religiosa sollicitudo uestra, primùm de conuersatione episcoporum & cęterorum clericorum quærere studuit, nos quoq; quo regulariter melius fieri potuit, eundem ordinem seruamus. Et episcopum quidem ita cõuersari debere pronunciamus, ut eius uita rectè uiuendi sit norma. Presbyteros uerò & clericos ita uiuere oportet, ut subditæ plebi exemplo suæ conuersationis proficiant.

Et quidã coepiscoporũ nostrorũ, qui bonæ cõuersationis sibi conscij sunt, palàm fateri recusabant, ne sui ipsorũ laudatores uiderentur. Qui uerò negligentiã suam recognoscũt, more humani ingenij seipsos accusare uerebantur. Iuxta cõmonitionem tamẽ uestram, diligentius perscrutantes quosdã, quales desideratis, qualesq; populi Dei pastores & rectores esse decet, inuenimus. Quorundã uerò negligentiam uel erga clericorũ suorum custodiam, uel erga plebium sollicitudinẽ reperimus. Quibus ut aliquãtulum emendandi spacium tribuatis, humiliter petimus. Qui si citò delicta non correxerint, seueriori sententiæ subiacebunt.

Cæterùm si quilibet laicorum uel clericorum, contra episcopum uel alicuius ordinis clericum aliquid queritur: nouerint, nos paratos & legitimam præbere audientiam, & si quid perperã gessisse probati fuerint, debita animaduersione punire.

Doctrina uerò & prædicatio in populũ, partim episcoporũ & reliquorũ sacerdotũ, partim uerò populi negligentia, non sicus necessariũ est, procurator: & sacerdotũ quidem incuria nullatenus est excusanda. Quidã uerò laici, & maximè potẽtes ac nobiles, quos studiosius ad prædicationẽ uenire oportebat, iuxta domos suas basilicas habẽt, in quibus diuinũ audiẽtes officiũ, ad maiores ecclesias rarius uenire consueuerunt. Et dum soli afflicti & pauperes ueniunt, quid aliud quàm ut mala patiẽter ferãt, illis prædicandũ est? Si aũt diuites, qui pauperibus iniuriam facere soliti sunt, uenire nõ renuerint, admoneri utiq; possent, ut eleemosynis peccata sua redimerent, ut à fluxu rerũ temporaliũ se abstinerent. Admonendi sunt igitur potentes, ut ad maiores ecclesias, ubi prædicationem audire possint, conueniãt: & quantum dono omnipotentis Dei, diuitijs & honoribus cæteros antecedunt, tanto ad audiendum præcepta conditoris sui alacrius festinent. Quidam autem Comites & Vasi domestici, presbyteros & clericos nostros cæteros (quod nec episcopis facere licet) absq; nostra licẽtia recipiunt. Insuper etiam ubicunq; ordinatos, & quosdam de quibus dubium est utrum consecrati sunt, in parochijs nostris absque nostra examinatione missas celebrare faciunt. Quod ne ulterius fiat, omnimodis est inhibendum. Quare in ordinandis plebium rationibus, ciuium instituta seruentur, & pestiferæ ambitionis uitium radicitùs extirpetur, & neque ob quorundam propinquitatem, neq; pro alicuius familiaritatis gratia, neque, quod maximè detestandum, propter pecuniarum acceptionem, indignus quilibet ordinetur. Et primùm quidem ipsius loci presbyteri uel cæteri clerici, idoneum sibi rectorem eligant: deinde populi, qui ad eandem plebem aspicit, sequatur assensus. Si autem in ipsa plebe talis inueniri non poterit, qui illud opus competenter peragere possit, tum episcopus de suis, quem idoneum iudicauerit, inibi constituat.

Sanè remouenda quorundam laicorum procacitas, qui hoc solo obtentu, quòd ad electionis consortium admittuntur, archipresbyteris suis dominari præsumunt: & quos tanquam patres uenerari debuerunt, uelut subditos contemnunt. Hi igitur intra proprij iuris terminos sunt redigendi: & si extraordinariam dominationem in ecclesijs exercere præsumpserint, regia sunt disciplina coercendi. Ipsi uerò qui ad gubernandas plebes legitimè prouecti sunt, nullatenus à suis episcopis repellantur, nisi aut alicuius criminis reatum inciderint, aut eosdem plebes malè tractauerint. Tol-

lenda

lenda est enim prauæ omnino consuetudo, quæ in quibusdã locis oriri cœpit: quia nonnulli archipresbyteri, uel aliorũ titulorum custodes, fruges uel aliarum ecclesiarũ reditus, ad proprias domos abducunt. Quidam uerò aliorum possessiones conducunt, ut in eis quæ ab ecclesijs suis malè subtraxerunt, recondant. Nonnulli autem laicorum, in tantum eorum nequitiæ se complices faciunt, ut quæ huiusmodi transgressores ab ecclesia surripuerunt, ipsi in suis domibus abscondunt. Tales ergo primùm à suis episcopis corripiãtur. Quòd si se citius corrigere noluerint, tanquam qui ecclesiasticas res sacrilega temeritate tractauerunt, Synodali sententia feriãtur. Laici uerò, qui post hanc denunciationem socios se huius expilationis præbuerint, tanquam furti reos, iudicia coarctabit authoritas.

De restauratione ecclesiarum illud capitulum sufficit, quod genitor uester constituit: sed ut seruetur, uestra indiget admonitione.

Similiter & de xenodochijs, sicut in eodem capitulari continetur, obseruandũ est.

De monasterijs autem uirorum seu fœminarum, quæ secundum regulam Benedicti, uel secundum Canonicam authoritatem dispositæ esse debent, quia inspiratio omnipotentis Dei (credimus) cor uestri moderamnis incitauit, ipsi gratias referimus. Nam quòd iam maxima ex parte ordinem suum amiserint, omnibus est manifestum. Quæ ut ad pristinum statum reducantur, in domini ac genitoris uestri, ac uestra gloriosa dispositione consistit.

Ea quidem monasteria, quæ adhuc statũ suum retinent, unũmquemque episcoporum, in cuius parochia constituta sunt, prouidere oportet, utrum ordinem suum teneant. Quòd si aliter inuenerit, unà cum rectore monasterij corrigere debebit. Quòd si rectoris monasterij principaliter culpa fuerit, & se suosq; subditos ad episcopi sui admonitionẽ corrigere dissimulauerit, synodi ca debet authoritate percelli.

Quidam autem episcopi & rectores monasteriorum, res ecclesiarum suarum subtractas, & alijs personis largitas esse querũtur, & ideo ecclesiasticas utilitates nequaquã se implere posse dicũt. Quæ ut restituãtur, uestram regiam maiestatẽ imploramus. Quia si hi qui eas pro animarum suarum remedio ecclesijs contulerunt, præmium merentur: sine dubio damnatione digni sunt, qui eas subtrahere moliuntur.

In sacris canonibus præfixum est, ut decimæ iuxta episcopi dispositionem distribuãtur. Quidam autẽm laici, qui uel in proprijs uel in beneficijs suas habent basilicas, contempta episcopi dispositionẽ, non ad ecclesias, ubi baptismum & prædicationẽ & manus impositionem, & alia Christi sacramenta percipiũt, decimas suas dant: sed uel proprijs basilicis, uel suis clericis pro suo libitu tribuunt. Quod omnimodis diuinæ legi & sacris Canonibus constat esse contrariũ. Vnde uestrã potestatẽ, ut eos corrigatis expetimus. Sacra docet authoritas, ut publicè peccantes, publicæ pœnitentiæ subijciantur.

Inueniuntur autem quidam, qui incœsta matrimonia contraxerunt, & uel proximis suis, uel Deo sacratis mulieribus copulati sunt. Quidam etiam publicæ possunt pœnitentiæ subiugari, petimus ut Comitum uestrorum auxilio fulciantur.

Quosdam ministros comitũ, propter frequentia placita, pauperiorem populũ nimis affligere comperimus. Vnde maiestatem uestram obsecramus, ut capitulare aui uestri, de hac re obseruari præcipiatis.

De comitibus uerò, de quorum uita & actibus à nobis quęrere uoluit sublimitas uestra, quosdã tales esse scimus, quales Dei mĩnistros & uestræ reipublicæ prouisores esse decet. Nonnulli autẽ, ut se suosq; ministros corrigant, uestra admonitione indigent. Quibus tamen ut aliquãtulum emendandi spacium tribuatis, exposcimus. Qui si se citius corrigere noluerint, regia sunt authoritate reprimendi.

Statuimus etiam, ne episcopi, quãdo pro confirmando populum, parochias circumeunt, archipresbyteros suos grauẽt, ut huiusmodi dispensa contenti sint: panes centum, fristringas 4. uini sextaria 50. pullos 7, oua, 50. agnum unum, porcellum unum, annonam ad caballos modios sex, fœni corbes 3. mel, oleum, cera, quod sufficit.

Petimus etiã, ut immunitates progenitorum uestrorũ ita cõseruari præcipiatis, sicut à glorioso genitore uestro constitutum est.

Per singulas parochias eas festiuitates populus obseruare studeat, quas proprius eorum episcopus uenerari prædicauerit, ita ut neque illas negligant, quas sacerdotes colere monuerint, neq; inani superstitione eas celebrare præsumant, quę nequaquam sunt obsernãdæ. Si uerò aliqui inuẽti fuerint, quĩ sacerdotib. obtẽperare noluerint, per minĩstros reip. distringãtur, & satisfactionem pœnitentiæ quam presbyteri imposuerint, subire cogantur.

Posthæc Imperator edictum promulgat, quo rapinas prohibet. tomo 2. Conciliorum.

Ioannes Rauennas ad hanc Synodum etiam ueniſſe, & Imperatoris præsidium aduersus Nicolai Romani Pontificis uim imploraſſe uidetur. Liber Pontificalis, & Platina in uita Nicolai.

SYNODVS METENSIS.

Lotharius Imperator Thietbergæ uxori infensus,cum Gunthero Colonienſi epiſcopo conſiliũ init,de ea repudiãda:ac promittit ipſi,quòd neptem eius uelit ducere uxorem,ſi modò efficiat,ut in Synodo epiſcoporum pronuncietur ab illa liber. Guntherus promiſsis captus,Thietgãdum Treuirẽſem epiſcopum,hominem leuem & indoctum, ſibi adiungit. Synodus in Metẽſi urbe indicitur.Regina uocata coram eſt, accuſatur de multis criminibus: ac teſtes producuntur, qui affirmãt eam cõfeſſam eſſe,quòd cũ fratre ſuo incæſtã habuerit cõſuetudinẽ.Patres ſtatim iuxta canones ſententiam proferunt, eamque ab omni maritali copula arcent,& pœtentiæ ſubijciunt,anno Domini 864.

SYNODVS AQVISGRANA.

Eodem anno Aquiſgranum epiſcopi coeunt,iuſſu Lotharij. Imperator coram patribus teſtatur,ſe non poſſe ſine uxore uiuere. Quare cum Thietberga à ſe ſit ſeparata, poſtulat ſibi ius fieri alterius ducendæ. Synodus pronunciat,Thietbergã non fuiſſe eius legitimam uxorẽ:ideoq; ei licere aliã ducere,iuxta indulgẽtiã Pauli,Melius eſt nubere quàm uri. Hoc decreto ille fretus,Vualtradã pellicem ſuam uxorem ducit:& neptẽ Guntheri ſtupratam, cum ludibrio ad auunculũ ſuum remittit.Regino libro 2.

SYNODVS ROMANA.

Thietgandus & Guntherus archiepiſcopi,à Nicolao pontifice Romã euocari ad dicendã cauſam,cur Lothario diuortium & alteras nuptias conceſsiſſent:proponunt acta Synodi Metenſis & Aquiſgranę.Põtifex uerò Synodo Romę indicta, ſcripta illa examinat, & pro ſua authoritate damnat, ipſosq; depoſitos omni eccleſiaſtica dignitate priuat. De qua re illi ad Ludouicũ queruntur, quòd nouo & inaudito modo ſine principis & aliorũ metropolitanorum præſentia, iniuſtiſsimè ſint ignominia & contumelia affecti.anno Domini 865.

SYNODVS FRANCICA.

Arſenius pontificius legatus, in Francia Synodum conuocat:& iuxta papæ præſcriptum,Lotharium iubet ſub pœna excõmunicationis,cũ uxore legitima recõciliari,& à conſortio Vualdradæ pellicis diſcedere. quod cum ſe facturũ recepiſſet, Vualdradę præcipitur, ut Romam eat,& pro ſe rationẽ reddat.

Deinde promulgat excõmunicationẽ in Engiltrudã Buſonis uxorẽ, quæ deſerto marito,Vuangerũ in Gallias ſecuta fuerat. actũ anno Domini 866.Regino libro 2.

SYNODVS ROMANA.

Nicolaus pontifex Romæ indicit Synodum,ad cognitionẽ & iudiciũ cauſæ Ioãnis Rauennatis.Conueniunt epiſcopi & ſacerdotes ex pluribus prouincijs. Accuſatur Joannis de criminibus, quę ſuprà in Capite de Schiſmatibus ſub Ludouico ſecundo retulimus.Verùm ille ab aula Imperatoris deſertus,& multitudine canum ſeu luporum obrutus,de cauſa ſua deſperat,& lachrymis lamentisq; ſeſe totum tradit, & deprecatores ſibi parat: Miſeremini mei, miſerimini mei, inquiens,& clemẽtiam ſummi præſulis mihi expoſcite,quia ecce paratus ſum ad omnia,quæ pręceperit peragenda. Pontifex misericordia eius affectus,cõditiones recõciliationis præſcribi, quas ille ſuo chirographo approbat,& iureiurãdo ſanctè confirmat. Altero die in eccleſiam ducitur,ibiq; de crimine hæreſeos ſe more conſueto purgat, & cõmunionem & miſsificãdi poteſtatem recipit. Tertio die,cũ in conſeſſum patrũ eſſet receptus,epiſcopi Aemylienſes querelas de eo offerunt,ac petunt ſibi ſatisfieri pro iniurijs & dãnis acceptis. Synodus ſententiam ea de re profert,ac tandẽ põtifex ei has dictitat leges:Præcipimus tibi,ut remota omni excuſatione pręter grauẽ corporis moleſtiã, quæ te uenire omnino prohibeat ad ſedẽ Apoſtolicã, ſemel in ſingulis properare ſtudeas annis, niſi fortè remorandi licentiã ab Apoſtolica ſede percipias.Item ſancimus, ut epiſcopos per Aemyliã non cõſecres, niſi poſt electionẽ ducis,cleri,populi,per epiſtolã Apoſtolicæ ſedis præſulis acceperis eos cõſecrãdi licentiã.Ipſos aũt epiſcopos, quotieſcũq; ad Apoſtolicã ſedẽ accedere uoluerint, nequaquãprohibeas:& nullam dationẽ,quam Canones non pręcipiũt,ab eis aliquãdo exigas.Præcipimus aũt,ut ipſos epiſcopos illã malã conſuetudinẽ,quæ à quibuſdã triceſimalis dicitur,nullo modo Rauẽnati exhibere aut exercere cõpellas eccleſiæ,nec ullum morem qui contra epiſcoporum priuilegiũ fit,ab eis exigere quoquo modo tẽtes.Nihilominus præcipimus tibi,ut nunquam res cuiuſcunque perſonæ, qualicunq; ingenio uel chartula acquiſitas & poſſeſſas, aliquo modo occupes,aut titulum ſuper imponas, donec in pręſentia Apoſtolica,uel miſsi eius aut Rauennæ legali ordine illas in iudicio conuincas.

Ad hæc,uulgus adulatorum pontificiorũ tribus uocibus acclamat: Rectum iudicium ſummi præſulis,omnibus placet,omnes eadem dicimus,omnes eadẽ ſapimus, omnes eadem iudicamus.Liber põtificalis, & Platina in Nicolao primo.

ALIA SYNODVS ROMANA.

Cum Ignatius Cõſtantinopoli eſſet depoſitus ab officio, & Photius ex laico ſubſtitutus epiſcopus,ac ea dere alij aliter iudicarẽt, Michael mperator petijt à pontifice Rom. ut lega-

ut legatos suos ad disidij compositionem mitteret. Pontifex ergo conuocat suos in cœtum: & re deliberata Rodoaldum Portuensem episcopum, & Zachariam Anagninũ isthic tantum rem cognoscant, & à Photij communione abstineant, cultumque imaginum sacrarum restituãt: ut patet ex epistola Nicolai pontificis tomo 2 Conciliorum.

SYNODVS CONSTANTINOPOLITANA.

Cum Romani legati Constantinopolim uenissent, in consessu episcoporum & sacerdotũ tractatur de Ignatij dispositione, Phoque diu disceptatis, tandem imaginum cultus approbatur: & in ædem Apostolorum promulgatur, quòd Ignatius iustè amotus, & Photius ritè surrogatus esset. Zonaras tomo 3, in uita Michaelis. Liber põtificalis. Epistola Nicolai, tomo Conciliorum secundo.

SYNODVS ROMANA.

Põtificijs legatis reuersis, acta Synodi Cõstantinopolis ab Imperatore mittuntur, & petitur approbatio per literas, in quib. quædam cõtra principatum Romani pontificis erant obiter scripta. Pontifex autem obnixè cauens, ne quid de sua authoritate & principatu imminuatur, Synodũ colligit, & suos legatos accusat de malè administrato munere legationis, & acta illa omnia rescindit: susque legatos, ut qui extra metas delegati muneris excessissent, ecclesiastica communione priuat. & literis generalib. ad omnes Asiæ & Libyæ episcopos, & alijs ad Michaelem, alijs item ad Photium ac Bardam, alijs ad Ignatium, matrem & uxorẽ imperatoris & alijs ad senatores Cõstantinopoleos, testatur, se nullo modo probare Ignatij depositionem, Photijque ordinationem. Epistola Nicolai, & Liber pontificalis.

SYNODVS CONSTANTINOPOLEOS.

Cum Photius intelligeret Romani põtificis aduersus se furorẽ, scripsit librũ cõtra Romani pontificis tyrannidem, eumq; à pluribus cõprouincialib. episcopis subinde in urbem uenientibus, ut in Synodo approbari, & subscriptione cõfirmari curauit, & in bibliotheca inter acta Synodorum reposuit. Liber pontificalis, Damaso annexus.

ALIA SYNODVS CONSTANTINOPOLEOS.

Basilius, cum interfecto patre suo adoptiuo Michaele, Oriẽtis imperium adeptus esset, Constantinopoli Synodum celebrat, circa annũ Domini 870. Occasionẽ prębuit Photij in administrandis clauibus libertas. Nam ipsum Imperatorẽ parricidam, à communione prohibuit. Quod ille indignè ferẽs, de ultione cogitabat. Conueniunt episcopi prouinciales. Imperator in disceptationẽ curat deduci, an Photius potuisset iure, Ignatio iniustè pulso succedere? Proferuntur etiã Nicolai põtificis scripta ad Michaelẽ & alios, quibus planè contra Canones esse asseritur. Patres Imperatori magis æqui quã Photio, pronunciant eum iniustè sedem inuasisse, ideoq; repellẽdum, & Ignatiũ restituendum esse. Quòd si nollet huic sententiæ acquiescere, licere ei coram Romano pontifice contra Ignatium instituere actionem. Zonaras tomo 3, in uita Basilij: & Liber põtificalis in uita Adriani secundi.

SYNODVS ROMANA.

Romæ Synodum habuit Adrianus secundus, circiter annum Domini 871. Occasionẽ præbuit Photius & Ignatius. Vterque enim eò miserat suos legatos, qui causam coram illo agerẽt. Oratores Photij, præter unũ monachum, omnes maris tempestate perierãt: sed Ignatij incolumes aduenerant omnes, Monachus aũt ille causam Photij cõstanter agit: sed apud iudicẽ alteri parti nimis deditũ, aliud nihil obtinet, quàm ut perfidiæ crimine notatus excõmunicetur, ut patet ex actione 7 Concilij octaui Constantinopolitani. Deinde Basilius Imperatoris legatus, & Ioannes metropolitanus Cæsareę Cappadociæ, Photium accusant, ac librũ eius contra Nicolaum pontificem sub nomine Synodi furtim cõscriptũ offerunt, ac iudiciũ contra eum expetunt. Põtifex cum suis assecl is principio sinistrã famã sui antecessoris purgat, deinde Photiũ cum conciliabulo & socijs suis anathemate ferit, librumq; eius pedibus omnium cõculcatum flammis tradit: ac Donatum Hostiensem episcopum, Marinum diaconum, Stephanum Nepesinum episcopum Constantinopolim amandat, ad eam ecclesiam parandam, & Amathodium & Ignatium consecrandum. Liber pontificalis in uita eius.

SYNODVS CONSTANTINOPOLEOS octaua, Generalis appellata.

Cum legati Adriani Constãtinopolim uenissent, aduocantur Orientis patriarchę, metropolitæ, & episcopi ad Synodũ. Excogitauerat aũt Romanus ad suã tyrannidẽ stabilitendã hoc artificium. Libellũ legatis suis dederat, quo oẽs ad subiectionem, obedientiã & reuerẽtiam Romanæ sedis obligabantur, qui uellent in Synodo illa esse. Istum libellum porrigunt singulis ad cõfessum accedere cupientib. illi qui subscriptione probabãt intromittũtur: qui uerò id facere recusant, cũ ignominia foris relinquuntur. Cum hoc modo mancipia Rom pontificis essent collecta, & optimi quiq; excluſi, decem sessionibus conciliabulum illud absoluitur.

Actio

Actio prima.

Anno tertio pijſsimorum Imperatorũ Baſilij & Conſtantini, cõuenientibus Donato & Stephano epiſcopis, & Marino diacono, & locũ tenẽtibus Adriani ſanctiſsimi archiepiſcopi ſenioris Romæ, & Ignatio archiepiſcopo Cõſtantinopolitano nouę Romę, &c.

Hic primò Synodus exegit à legatis Romanæ ſedis literas, quib. notam facerent poteſtatem ſuam, ut præſiderẽt in Synodo. At illi produxerunt epiſtolam Adriani papę ad Baſilium Imperatorem, cuius titulus eſt:

Adrianus epiſcopus, ſeruus ſeruorũ Dei, pijſsimo Imperatori Baſilio Auguſto, Chriſtianiſsimo & deſiderabiliſsimo filio. Legationis excellentiæ tuæ, &c. Et poſt pauca ſubiungit: Volumus per ueſtræ pietatis induſtriam Cõſtantinopoli numeroſum celebrare Concilium, cui noſtri quoq; miſsi pręſidentes, & culparum perſonarumq; differentias liquidò cognoſcentes (iuxta quod in mãdatis acceperũt) ſingulorum liberè diſcretiões exerceãt: in quo ſacrato cœtu execrãdę uanitatis cõcilij, quod aduerſum hanc ſedẽ actũ eſt, cũcta decernimus exemplaria à poſſeſſoribus ſuis ablata (contẽplanttb. cunctis) igne cremari, nec ſupereſſe apud quemlibet ex his omnib. ſaltẽ unum iota uel unũ apicẽ: niſi quis totius clericatus, imò totius nominis Chriſtiani (anathemate perculſus) carere uoluerit. Nõ. n. tam deteſtandum collegium niſi Ariminẽſi ſub Cõſtantio, uel Epheſino à Dioſcoro congregato latrocinio cõparãdum decernimus. Et dilectos fratres meos Donatũ ſanctæ eccleſiæ Hoſtienſis, & Stephanũ eccleſiæ Repeſinæ reuerendos epiſcopos, atq; filium meum Marinũ Apoſtolicæ ſedis diaconũ conſiliarios noſtros tuæ cõmendamus pietati. Precamur, ut eos ob amorem præcipuorum Apoſtolorum Petri & Pauli (à quorum ſede mittuntur) benignè ſuſcipias, & tanquam nobiſmetipſis aures credulitatis accommodes.

Deinde productus eſt libellus à ſancta Romanorum eccleſia miſſus, & lectus audiente Synodo, cuius ſumma eſt:

Anathematizamus omnes hæreſes ſimul cum Iconomachis. Anathematizamus etiã Photium, qui contra ſacras regulas, & ſanctorũ pontificum Romanorũ ueneranda decreta, repentè de Curiali adminiſtratione, ſecularią; militia ſublatus (ſuperſtite Ignatio patriarcha) in Conſtãtinopoli eſt perſuaſoriè, imò tyrãnicè à quibuſdã ſchiſmaticis, uel anathematizatis, atque depoſitis inſtitutús eccleſia, donec ſedis Apoſtolicę ſanctionib. inobediẽs perſeuerãs, eius ſententiã tam de ſe quàm de patriarcha noſtro Ignatio ſpreuerit: & cõciliabuli acta, quòd ſe autore contra ſedis Apoſtolicę cõgregatum eſt, anathematizare diſtulerit. Sequimur aũt ſanctã Synodum, & amplectimur, quam beatæ recordationes papa Nicolaus (cui & ipſe dñe eũ gelice ſumme pontifex Adriane ſubſcripſiſti) ante ſacratiſsimũ Petri & Pauli (apoſtolorũ eximij) corpus celebrauit. Simul & quam tu ipſe nuper egiſti, & omnia quę in his ſtatuta ſunt, ſecundum decreti ueſtri moderationem ueneranbiliter conſeruabimus, recipientes quos recipiunt, & damnantes omnes qui in illis damnati ſunt, & precipuè iã dictũ Photium & Gregoriũ Syracuſanum, patricidas uidelicet, qui contra ſpiritualem patrem ſuum linguas eximere minimè formidarunt, atq; perſeuerãtes in ſchiſmate leq uaces eorum, nec non & qui in illorum cõmunionis ſocietate permanſerint.

Sãcta Synodus dixit: Omnib. placet libellus à ſancta Romanorũ Eccleſia expoſitus.

Deinde lecta eſt definitio epiſcoporũ Orientis, ſup depoſitione Ignatij, quæ facta fuerat prius quàm uicarij ſenioris Romę ueniſſent, quæ cõueniebat cum ea quæ facta fuerat à Synodo Romana, præſente Nicolao papa. Et abſoluta eſt actio prima.

Actio ſecunda.

Ad hanc ſeſsionẽ uenerũt, qui ceciderant cum Photio, epiſcopi, presbyteri, diaconi, & ſubdiaconi: & proferẽtes libellos pœnitẽtię corã Synodo, recepti ſunt ab ea cum ſola manus impoſitione. Et abſolutus eſt conſutus ſecundus.

Actio tertia.

In hoc cõuẽtu lecta eſt epiſtola Imperatoris Baſilij, & Epiſtola Ignatij patriarchæ ad Nicolaum papã, & deinde epiſtola Adriani papæ ad Ignatium patriarcham, ſuper damnatione Photij, & ſuorum ſectatorum.

Actio quarta.

In hac ſeſsione primò legitur epiſtola Nicolai ad Michaelẽ Imperatorẽ, miſſa p Rhodoaldum & Zachariam olim epiſcopos, in qua oſtẽdit Cæſari, hominẽ laicũ nõ promouendum ad ſacerdotium ſubitò, ſed per ſuos gradus, ſicut Sardicẽſe conciliũ (ut de laicis non eligerẽtur antiſtites) in cap. 13. per omnia prohibuit. Item & Cęleſtinus papa in decreto ſuæ ſanctionis cap. 21. & Leo Romanæ ſedis pontifex hoc ipſum in decretalib. ſuis prohibuit cap. 33. Itẽ & Gelaſius nõ ſolũ epiſcopos de laicis fieri prohibuit, ſed etiam presbyteros, ne talia pręſumerent, uetuit in decretorum ſuorum cap. 3.

Accedit, quòd prædeceſſor noſter Adrianus primus in epiſtola quam Conſtantinopolim pro uenerandis imaginibus deſtinauerat, ita inſtituit, ut amplius de laicis nullatenus ordinarentur antiſtites. Hæc Nicolaus. Subinde uerò commendat uenerationem ſanctarum imaginum.

Secundò legitur altera eiuſdẽ Nicolai ad Photium

Photium epistola, in qua inuehitur in illum propter usurpatum sacerdotium contra ordinem sacrorum Canonũ. Deinde ad illud quod scripserat ad Nicolaum papam, quod exemplo aliorũ patrum fecerat, respondet:

Temerè & imprudenter ad tanti honoris culmen ascendere præsumpsisti, assumens tibi quasi à sanctissimo uiro Nectario occasionem, quem sancta secunda Synodus non ob aliud ad sacerdotalem eligere atq; ordinare ex laicali ordine uoluit dignitatem, nisi quia magnæ necessitatis contritione anxiabatur, eo quòd in Constantinopolitana ecclesia nullus clericorum inueniri poterat, qui pessimæ hęreseos nimbosa caligine non fuerat impeditus. Et ob hoc ne diu iam dicta Ecclesia sub destitutione pastoris quasi uiduata maneret, prædictum Nectarium expugnatorem hæreticorum, & defensorem ecclesiarum ad ecclesiasticam curam & dignitatem sacerdotalem secunda sancta Synodus elegit. Sed ut hoc iterum fieret, nõ confirmauit, nec instituit. Et ideo licet contra patrum atque canonicas institutiones, quod per necessitatis fieri euentus comprobatur, non in authoritate tenendum est, sed ne iterum talis proueniat necessitas magis magisq; cauendum.

De Tarasij quidem promotione, qui si militer ex laicali cœtu ad patriarchatus extemplò culmen promotus est, quam & uos quasi in authoritate uestræ defensionis assumere uultis, si sanctam (quæ apud uos tempore sanctissimi uiri Adriani papæ celebrata est) Synodũ diligentius scrutati fueritis, inuenietis quid in eadem sanctissimus uir consultus decreuit, & quod dum eius consecrationis reprehenderet actus, & mœrem se pro tam præsumptiua factione minimũ sustinere profiteretur. Dicit enim, quòd nisi in erigendis imaginibus feruentius contra illarum depositores atq; conculcatores, ut uerus miles Christi resisteres, nequaquã uestræ cõsecrationi assensum præberemus, aut in ordine patriarchatus uestrã dilectionem susciperemus, quæ tantum declaratur inordinatè promota, quantum comprobatur cõtra Apostolica decreta enormiter præsumpta.

Beatissimum quoque Ambrosium, splendidissimam lucernam Ecclesiæ, qui ex catechumeno (diuino præsagio) ad episcopalem per continuos gradus promotus est dignitatẽ, cur nobis pro uestro tutamine opponitis? Qui non instinctu hominum, sed diuina uocatione per miraculorum prodigia electus est.

Tertiò legitur & alia epistola Nicolai ad Imperatorem, quæ idem tractat argumentum.

Actio quinta.

Ad sessionẽ uenit Photius, & stantem in præsentia Patrum, interrogauerunt eum tes legati, si susciperet constituta sanctorum patrum? Ad Photius non respondit uerbũ. Sed tamen urgentibus uicarijs senioris Romæ, tandem dixit: Vocem meam etiam me tacẽte Deus audit.

Præsidentes Synodi dixerunt: Per silentium nõ effugies manifestiorum damnationem. Et eo præsente fecerunt, ut legentur epistolæ, quę in actione quarta fuerãt lectę. Quibus lectis, uicarij senioris Romæ dixerunt: Nos ergo non nouum aliquod uel recens iudicium iudicabimus aut introducemus, sed uetus ex multo tempore iudicatũ à beatissimo papa Nicolao, firmatum autẽ à sanctissimo papa Adriano: & nos non possumus commoueri à paternis definitionibus & legibus. Quem ergo nec sedes nostra Apostolica, nec sedes receperunt Orientalium, quis de cætero (Christianus esse uolẽs) ulterius susciperet? Sed talem conatum abijcimus & anathematizamus, ne ulterius contra Ecclesiam talis quælibet alia fortè in omne seculum maligna introducatur actio, nec temerè à mũdana potestate eijciatur legitimus pontifex, & pro eo subrogetur alter inique & illegaliter.

Sãcta & uniuersalis Synodus exclamauit: Recipimus hęc omnia, ualde quippe sunt dĩ screta & cõgrua ecclesiasticis regulis atq; legib. Et sic cõmonitus est ad pœnitentiã Photius, & dimissus, & absoluta est actio quinta.

Actio sexta.

Vocati sunt ad Synodum episcopi Photij ante quos lectæ sunt epistolæ Nicolai papę, ad Michaelem Imperatorem & Photiũ per Leonem à secretis missę (quasq; quarta continet actio) & cum nollent resipiscere, cõmonuit eos coram Synodo Basilius imperator. Et cum nec sic agnoscerẽt errorẽ suum, denuò cõmonuit eos Imperator, dicens: Ecce qualiter & quoties admonuimus uos, & audistis, & non est uobis rationis sermo. Si. n. uultis subijci admonitionibus omnium nostrũm, ecce potus & medicina: quod si non, imperium nostrum præbet uobis inducias septem dierum, ut siquidem curam gesseritis salutis uestræ, bene & optimè: si uerò minimè, uentura sexta feria in sancta & uniuersali Synodo state omnes, & quicquid definierit uniuersalis Synodus, fiet. Et absoluta est actio sexta.

Actio septima.

Ingressus est Photius ad Synodũ baculo innixus, quẽ ab eo Marinus uicarius Romanus iussit auferri, dicẽs: Baculus signum est dignitatis pastoralis, quod hic habere nulla tenus debet, quia lupus est, non pastor. Et hor-

Et hortabantur illum uicarij senioris Romæ,ad faciendum libellum pœnitentiæ,& tota Synodus prouocabat illũ ad pœnitentiam:sed ille eos è cõtrario cum suis episcopis,ad pœnitentiam magis impellebat.

Lecta epistola Nicolai papę ad clerũ Constantinopoli,in qua latè tractat hoc argumẽtum,de scelesta depositione Ignatij,& introductione Photij.

Mox recitata sunt gesta Synodi, quæ facta est ab Adriano Romanorum papa super promotione Photij.In tertia autem allocutione Adriani ad Synodum sic habetur: Romanum Pontificem de omnium ecclesiarũ præsulibus iudicasse legimus,de eo uerò quenquam iudicasse non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum,sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus: propter quam solum licitum est minoribus, maiorũ suorum moribus resistere, uel prauos suos sensus liberè respuere, quamuis & ibi nec patriarcharum, nec cæterorum antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferre sententiam,nisi eiusdem primæ sedis pontificis consensus præcessisset.

¶ Adrianus papa de profano cõciliabulo Cõstãtinopoli cõgregato penitùs abolẽdo.

Conciliabulum uanitatis à Photio, & huius fautore Michaele uidelicet,tyrânicè imperante,Cõstãtinopoli nuper aduersus Apostolicæ sedis reuerentiam & priuilegium congregatum, utpote ueritatis inimicum, & omni falsitate repletum,cum & sibi consentientium animas interficiens, Ephesino latrocinio comparandum fore statuimus,& ipsius execranda gesta(quibuscũq; habeantur monumẽtis inserta)summi iudicis Domini nostri Iesu Christi, sanctorum Apostolorum principum Petri & Pauli, nostræque mediocritatis authoritate penitùs abolenda decernimus,ita ut igni tradantur, & anathemate perpetuo percellantur.Similiter & de cæteris Scripturis,quæ (uiris iam nominatis authoribus)contra eandem sedem tẽpore diuerso sunt editæ, gerendum definimus.

Pari etiam modo de cõuenticulis, ab eisdem uiris,Michaele scilicet impetrante, seu Photio Constantinopolitano inuasore, bis aduersum fratrem & episcopũ nostrũ Ignatium factioscè collectis deliberamus.

Photiũ,qui licet sit à decessore meo & à nobis pro criminib.antè patratis iure damtus & anathematizatus,nunc tamẽ quia recentioribus excesibus priores iniquitates transcendit,& ponens in cœlum os suũ, aduersus ueneranda sedis Apostolicæ priuilegia noua temeritate prorupit, cui resistere minimè formidauit,Apostolicæ autoritatis cẽsura iteratò dãnamus, & anathematis nexib.innodamus.Si tamẽ uiua uoce ac proprio scripto Apostolicæ sedi in omnib.obedire spoponderit,& prophanũ conciliabulum à se Constantinopoli celebratum damnauerit, laicæ communionis gratiam non negamus.

His sententijs subscripsit Adrianus papa etiam,& alij episcopi.

Post hæc uerò Stephanus diaconus fecit anathematismum Photij,& sequaciũ & coperatorum eius,in quo ipsum Photium,ut secularem & tyrannum,ut schismaticum & danum,ut mœchum & parricidam, ut fabricatorem mẽdacij,& ut nouum Dioscorum, anathematizat cum omnibus sequacibus & fautoribus eius.

Actio octaua.

In conuentu octauo tractatum est de abolendis chirographis iniustis, & uniuersis actis Conciliabulorum,quæ à Photio contra papam Nicolaum & patriarcham Ignatium celebrata sunt.Quæ uniuersa præcepto Imperatoris & Synodi combusta sunt.

Deinde uenerunt ad Synodum aliqui sacerdotes Iconomachi:& monitis sanctæ Synodi & Imperatoris conuersi, recepti sunt, cum sola manus impositione.

Postremò Stephanus diaconus è suggestu anathematizauit Iconomachos & Photium in hac forma:Cõcilio, quod adhuc emit cõtra uenerabiles imagines,anathema.

His qui sumunt diuinæ Scripturæ dicta, quæ sunt aduersus idola, cõtra uenerandas imagines,anathema. Cætera sicut in Synodo septima & uniuersali,actione 7 in fine.

Actio nona.

Quæ nona continentur actione. Nunciatur Synodo,uenisse Ioseph uicarium Alexandrinæ sedis.huius,hortante Synodo,epistola commendaticia legitur:& ipse receptus, quæ sunt in octo actionibus prædictis, approbat.

Mox examinantur falsi testes, qui contra Ignatium iurauerãt: & cum præscripta à Synodo satis factione pœnitentiæ recepti sunt ad communionem ecclesię. Si recepti sunt & cæteri,qui defecerant ad Photium, defecto legitimo antistite Ignatio.

Actio decima.

In decima Sesione canones recitantur 27. quorum summas Carranza recitat.

1. De *obseruatione Canonum uniuersalium & localium Synodorum.*

Regulas,quæ sanctæ catholicę & Apostolicæ,tam à sanctis Apostolis quàm ab orthodoxorum uniuersalibus, necnon & localibus cõcilijs,uel etiam à quolibet Deiloquo patre ac magistro Ecclesiæ traditæ sunt,seruare ac custodire profitemur,quibus & propriam

priam uitam & mores, & omnem sacerdotij catalogum regamus. Sed & omnes qui Christiano censentur uocabulo, damnationibus & iustificationibus, quæ per illas pro latæ sunt, canonicè subijci decernimus. Tenere quippe traditiones, quas accepimus, siue per sermonẽ, siue per epistolá sanctorũ qui antè fuerunt, Paulus apertè admonet.

2. Vt seruentur definitiones Nicolai & Adriani papæ.

Secundus Canon habet, ut conseruentur definitiones Synodicæ à beatissimo Nicolao papa & Adriano, Romanis patriarchis, pro defensione ecclesiæ Constantinopolitanæ, ac restitutione Ignatij, atq; Photij neophyti expulsione, ac cõdemnatione eiusdẽ Photij: de quibus in actione quarta.

3. Vt uenerentur imagines.

Sacram imaginem Dñi nostri Iesu Christi & omniũ saluatoris, æquo honore cum libro sanctorũ Euangeliorũ adorari decernimus. Sicut enim per syllabarũ eloquia, quæ in libro seruntur, salutẽ consequuntur omnes: ita per colorum imaginariam operationem & sapiẽtes & idiotę cuncti, ex eo quod in promptu est, perfruuntur utilitate. Quæ enim in syllabis sermo, hæc & scriptura quę in coloribus prædicat & commendat. Dignum est enim, ut secundum cõgruentiam rationis, & antiquissimã traditionem, pro pter honorem, quia ad principalia ipsa refertur, etiam deriuatiuæ imagines honorentur & adorentur: ut sanctorum Euangeliorũ sacer liber, atq; crypus preciosæ crucis.

Quartus Canon declarat, quòd neophytus Photius nunquam fuerit episcopus: nec illi qui in sacerdotali gradu consecrati sunt ab eo, putentur esse sacerdotes: sed subuertenda esse omnia, quęcunq; ille ad dandum alijs gradum sacerdotij operatus est.

5. Nullus ex laico ordine assumatur episcopus.

Nullus de senatoria dignitate, uel de aliquo laicorũ ordine nuper tonsus eligatur, uel suscipiatur patriarcha, nisi secundũ definitionẽ quæ prolata est ab hac sancta & magna Synodo: scilicet si omnem gradum ecclesiasticum transigens, per definita nunc tempora irreprehensibilis inuentus extiterit, & probatus, ita ut in gradu lectorum annum compleat, in subdiacono uerò duos, sirq; diaconus tribus, & presbyter quatuor annis, bene placuit huic sanctæ & uniuersali Synodo eligi hunc, & admitti.

6. Anathematizatur Photius.

Anathematizamus Photium primò propter nequissimam inuasionẽ ecclesiæ Constantinopolitanæ, cum alijs malis operibus suis. Secũdò, propter inuentionem falsorum uicariorum. Tertiò, propter concilium uanitatis, quod celebrare tentauit. Quartò, propter crimina quæ falso contra sanctissimum papam Nicolaum in suo conciliabulo proposuit.

7. De admittendis hostibus imaginum.

Valde proficuum est, & uenerabiles imagines pingere: sed et proximo disciplinas diuinæ ac humanæ sapientiæ docere. Non autem bonum est, nec omnino proficuum, ab indignis horum aliquid fieri. Huius rei gratia nequaquam imagines operari in sacris templis, sed neque in quouis loco docere anathematizatos, ab hac sancta & uniuersali Synodo definimus & promulgamus, usq; à propria seductione ac malicia cõuertantur. Quisquis ergo post hanc definitionem ad picturæ sanctarum imaginum in ecclesijs, aut doctrinæ actionẽ quoquo modo eos admiserit, siquidem clericus fuerit, proprio gradu periclitetur: si laicus, cõmunione priuetur.

8 & 9.

Apparet ex actis octauæ Sessionis huius Synodi, solitum fuisse Photiũ, cum eius uigebat hæresis, extorquere chirographas tũ à quouis ordine clericorũ, tum etiam à laicis nobilibus & ignobilibus, usque ad cerdones & pelliones, & reliquam plebis fecẽ, quibus promittebant se illi adhæsuros, pugnaturosque pro eius opinione. Ipse præterea Photius solebat aliàs uicissim chirographas dare, quibus facultatem dabat ad docendum uel discendum. Ex hoc improbo more arripuere ansam & catholici, ut uellẽt à pijs sacerdotibus habere syngraphas, ut discerent & docerent, essentq; tuti & securitatibus muniti scripturis. Ob hoc sancitũ est his duobus canonibus, octauo & nono, ut qui creantur episcopi uel patriarchæ, nullas chirographas à catalogo clericorum expostulent: sed tantum fiant solennitates de more, & ut liceat omnibus idoneis discere uel docere liberè, sine facultate, per chirographas.

10. Ne quis uitet superiorem præsulem ante sententiam.

Nullus clericus ante diligentem examinationem, & Synodicam sententiam à communione proprij patriarchæ se separet, licet criminalem quamlibet causam eius se nosse prætendat: nec recusęt nomen ipsius referre inter diuina mysteria. Idem statuimus de episcopis erga proprios metropolitas, similiter & de metropolitis circa patriarchã suum. Qui uerò contrà fecerit, ab omni sacerdotali operatione & honore decidat.

11. *Quòd unica sit hominis anima.*

Apparet quosdam id temporis in tãtum impietatis ueniſſe, ut hominem duas animas habere impudenter dogmatizent. Tales igitur impietatis inuẽtores & ſimilia ſentiẽtes, cum uetus & nouum Teſtamẽtum, omnesq; eccleſię patres unam animam rationalem habere hominem aſſeuerent, ſancta & uniuerſalis Synodus anathematizat.

12. *Ne quis potentia principum fretus, aſſumat dignitatẽ epiſcopi.*

Si quis epiſcopus per uerſutiam uel tyrannidem, principum dignitatis conſecrationẽ ſuſceperit, deponatur, utpote qui nõ ex uoluntate Dei & ritu ac decreto eccleſiaſtico, ſed ex uoluntate carnali ſenſus, ex hominibus & per homines Dei donum poſsidere uoluit, uel conſenſit.

13. *Ex minoribus ordinibus aſſumantur ad maiores.*

Decernimus, ut ſoli clerici magnę eccleſię qui in minorib. ordinibus morati ſunt, ad maiores gradus & honores eccleſiaſticos (ſi digni inueniãtur) aſcendere debeant. Nullo tamẽ modo hi qui foris ſunt, ad tales dignitates uel honores admittantur.

14. *In quanto honore habendi ſunt epiſcopi à principibus ſecularibus.*

Qui diuina gratia epiſcopalem ſortiũtur dignitatem, ordinem cœleſtis hierachiæ referunt in terris. Quare meritò ſancimus, ut digno in honore tam à principibus quàm à cæteris omnib. habeãtur. Nõ oportet itaq; ut principib. uel uiris militari dignitate prædĩtis, obuiam longiſsimè procedãt ab eorũ eccleſijs: nec à mulis equisq; deſcendant in occurſu, aut timidè abiectèque ante genua procidãt, uelut adoraturi. Imò uerò nõ accedant ad menſas ſeculariũ principũ, ſed cum omni modeſtia quæ ſpiritualẽ deceat dignitatẽ, officia omnib & debita tribuãt, cui uectigal, cui honorẽ. Dũmodo principes & pij Imperatores agnoſcãt ſibi æquales epiſcopos, ut liberè audeant reprehẽdere, increpareq; & principes & cæteros, qui militari honore fruũtur, ſi quid peccauerint. Si quis uerò epiſcopus poſt hãc ſanctionẽ ſuã dehoneſtauerit dignitatẽ, cadẽs ab honore ſibi per Canones debito, uixeritq; abiectè ſecũdum ueterẽ & agreſtem cõſuetudinẽ, amoueatur per annum, & princeps qui in cauſa fuerit, excommunicetur per biennium.

15. *In quem uſum eccleſiæ poſſeßiones ſeruari debeãt.*

Decernimus, ut epiſcopo uẽdere uel ut cunq; alienare uaſa aut ueſtes ſanctas, nec alias ruſticas poſſeſsiones uenundare non liceat: nec propter hoc eccleſiaſtici redditus lædãtur, quos ad propriã utilitatẽ, & obeſcam pauperũ & peregrinorũ ſuſtentationẽ eſſe definimus. Nec etiã per emphyteoſim ſalaria eccleſiarum tribuere poſsit, excepta cauſa olim ab antiquis Canonibus ordinata, uidelicet in redemptionem captiuorũ.

16.

Colligere licet, ſolẽne fuiſſe in aulis principum, ſtatis quibuſdam diebus, compenere aliquem laicum inſignib. epiſcopalibus, qui & tonſura & cæteris ornamentis perſonatum epiſcopatum ageret: & creaſſe etiam ridiculum patriarcham, quo ſe oblectarent. Quæ omnia ut in dedecus eccleſię accerſita prohibentur, ſub grauibus cenſuris.

17.

Quia deprauata exemplaria reddunt hũc Canonem inſigniter obſcurũ, uiſum eſt hanc ſummam illum complecti, & non integrum trãſcribere, triaq; continet Canon præſens.

Primum, quòd metropolitani ſuper uniuerſos epiſcopos, qui ab ipſis promouẽtur, & ſiue per manus impoſitionẽ, ſiue per pãludationem epiſcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant poteſtatem uidelicet ad communicandum eos (urgente neceſsitate) ad Synodalem conuentum, uel etiam ad coercendum illos & corrigendum, cum fama eos ſuper quibuſdam delictis ſortitan accuſauerit. Hoc primum, eſt ex canone ſexto Niceni concilij deſumptum, quem refert in hac forma: Quia & in Romanorũ ciuitate huiuſmodi mos prævaluit.

Secundum: Quoniam ſunt quidam epiſcoporum, qui ne ſecundum uocationem Apoſtolici præſulis occurrant, ſe à mundi principibus impeditos cauſantur. Placuit talem excuſationem omnimodo eſſe inualidam. Cum enim principes ſuis cauſis frequenter conuentum agant, impium eſt, ut ſummos præſules ad Synodos pro eccleſiaſticis negocijs celebrandas impediant, uel quoſdam à Concilijs eorum prohibeant: licet tale impedimentum & fictam prohibitionem epiſcoporum ſuggeſtione diuerſis modis fieri didicerimus.

Tertium eſt: illud autem tanquam peroſum quiddã ab auribus noſtris repulimus, quod à quibuſdam imperitis dicitur, non poſſe Synodum abſque principali præſentia celebrari, cum nuſquam ſacri Canones conuenire ſeculares principes in Concilijs ſanxerint, ſed ſolos antiſtites. Vnde necinterfuiſſe illos Synodis, exceptis concilijs uniuerſalibus, inuenimus. Nec enim fas eſt ſeculares principes ſpectatores fieri rerum, quæ ſacerdotibus Dei nonnunquã euenit.

18. *Vt in eccleſijs antiqua conſeruentur priuilegia.*

Placuit huic ſanctæ & magnæ Synodo, ut res uel priuilegia, quæ Dei eccleſijs exlõga conſuetudine pertinent, & ſiue à diuæ recor-

recordationis imperatoribus, siue ab alijs Dei cultorib. inscriptis donata, & ab eis per annos triginta possessa sunt, nequaquam à laris per potestatem subtrahat, aut per argu- poteſtate præsulis, quæcunq; persona secu- menta quæliber auferat. Sed sint omnia in potestate ac usu præsulis ecclesiæ, quæcũq; intra triginta spacium annorũ ab ecclesijs possessa fuisse noscuntur. Qui cõtrà fecerit, ut sacrilegus iudicetur: & donec talia priui- legia seu res restituerit, anathema sit.

19. *Ne metropolitanus grauet subiectos episcopos.*

Definiuit sancta hæc & uniuersalis Syno dus, nullum archiepiscoporum aut metro- politanorum relinquere propriam eccles- ias, & sub occasione quasi uisitationis ad a- pud illos inueniuntur, ad ecclesiasticam di- spositionem & alimenta pauperum. Sed ta- men si contingat aliquò per illas ecclesias necessariò iter agere, tũc non alia nisi ex his quæ ad præsens de compendio præparata inueniuntur, cum reuerentia & timore Dei dignãter accipiat, & maturius propositum iter perambuler. Si enim unum quemq; epi scoporum ecclesiæ propriæ rebus, cũ multa pareitate uti, & nullatenus in proprias utili- tates importunè ac sine ratione consumere reditus ecclesiasticos, sacri canones decer- nunt: qua putas impietate iudicabitur di- gnus, qui alijs episcopis cõmissas ecclesias grauare nõ formidat? Qui contrà fecerit, de ponatur, & sequestretur ut sacrilegus, & al- ter idololatra factus, iuxta magnum Aposto lum.

20.

Hoc Canone sancitũ est, ut possessiones in emphyteosin datas ab ecclesia, non liceat emphyteotam spoliare, prætextu non serua ti pacti. Verùm si per tres annos continuos pensionem non soluerit, liceat tunc ecclesiæ uindicare suas possessiones, dummodo id fiat ordine iudiciali coram competente iudi ce. Qui secus fecerit, cogetur ad restitutio- nem in integrum. Quod si noluerit parere, deponitur.

21. *Quanta reuerentia agendum est contra episcopum Romanum.*

Definimus, neminem prorsus mundi po- tentium, quenquam eorum qui patriarcha- libus sedib. præsunt, inhonorare, aut moue- re, à proprio throno tentare: sed omni reue- rentia & honore dignos iudicare, præcipuè quidem sanctissimum papam senioris Ro- mæ, deinceps autem Constantinopoleos pa triarcham: deinde uerò Alexandriæ, ac An- tiochiæ, atque Hierosolymorum. Sed nec alium quenquã conscriptiones contra san- ctissimum papam senioris Romæ, ac uerba complicare uel componere liceat sub occa- sione quasi diffamatorum quorundam cri- minũ: quod & nuper Phocius fecit, & multo antè Dioscorus. Quisquis autẽ tale facinus contra sedem Petri principis Apostolorum ausus fuerit intentare, æqualem & eandem quam illi condemnationem recipiat. Porrò si Synodus uniuersalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de sancta Romanorum ec- clesia quæuis ambiguitas & cõtrouersia, o- portet uenerabiliter & cum cõuenienti re- uerentia de proposita quæstione scisciteri, & solutionẽ accipere, aut proficere, aut pro- fectũ facere, non tamẽ audacter sententiã di cere cõtra summos seniores Ro. pontifices.

22. *Ne princeps secularis se immisceat promotioni episcoporum.*

Sancta & uniuersalis Synodus definit, ne minem laicorum principum, uel potentũ, semet inserere electioni, uel promotioni pa triarchæ, uel metropolitæ, aut cuiuslibet e- piscopi, ne uidelicet inordinata hinc & in- congrua fiat confusio, uel contentio, præser tim cum nullam in talibus potestatẽ quen- quam potestatiuorũ uel cæterorum, laico- rum habere cõueniat: sed potius silere, ac at tendere sibi, usq; quò regulariter à collegio ecclesiæ suscipiat finem electio futuri pon- tificis. Quisquis autem secularium princi- pum & potentũ, uel alterius dignitatis lai- cæ, aduersus communem ac cõsentaneam atq; canonicam electionem ecclesiastici or- dinis agere tentauerit, anathema sit.

23. *Ne quid præsumat agere episcopus in aliena ecclesia.*

Nullus episcoporum possessionũ aliarũ ecclesiarum locationem sibi fieri ab alio epi scopo rogare audeat, nec ipse rogatus suæ ecclesiæ possessiones alicui cõferat: nec etiã constituat presbyteros, aut quẽlibet alium clericum in ecclesijs quæ sibi subiectæ non sunt præter uoluntatem episcopi.

24. *Ne metropolitæ exerceant ministeria episcopalia per subiectos episcopos.*

Diuina Scriptura dicente, Maledictus ho mo qui facit opus Domini negligẽter: qui- dam metropolitanorum extrema negligen tia & desidia delapsi, præceptionib. suis sub iectos ad se adducũt episcopos, & cõmittũt eis ecclesiæ propriæ diuina officia & letani as, & cũcta omnino sacra quæ ad se pertinẽt mysteria, ut per illos celebrẽt omnia, quæ p semetipsos alacriter agere debuerũt: ac per id eos qui episcopalẽ dignitatẽ meruerunt, quodámodo clericos sibi subiectos exhibe- ant. Vacant ijdem præter ecclesiasticas leges secularibus curis atq; dispositionibus, dimit tentes perseuerare in orationibus & obse- crationibus pro suis delictis, ac populi igno rãtijs: quod nusquã apud aliquos penitùs in uenitur, cum sit canonicis nimirũ cõtrariũ

omnino præceptis. Hæc autem omnia magnis & multis ac uehementissimis damnationib. dignos huiusmodi statuũt. Probãtur enim tales per hæc quæ faciunt, etiã satanica iactãtia & superbia languere. Quisqs ergo metropolitanorum post hanc sanctæ ac uniuersalis Synodi definitionẽ, eadem audacia uel superbia & contemptu abusus nõ per se cum timore & alacritate, seu conscientia bona debita ministeria in propria ciuitate, sed per suffraganeos episcopos suos efficere tentauerit, pœnas exoluat corã proprio patriarcha, & aut corrigatur, aut depõatur.

25. *Vt deponãtur clerici, qui defecerunt ad Photium.*

Definimus, ut clerici ritè prius ordinati à Methodio, uel Ignatio, & resiluerunt à consortio fidelium, ut adhærerent Photij hæresi: & obdurati exemplo Pharaonis, noluntresipiscere, deponantur omnino, nec postea recipiantur in ordinem clericorum: imò semper exosi sint, ut Esau, ni fortè ob magnam pœnitentiã à misericordia ecclesiæ admissi fuerint.

26. *De ordine appellationis*

Ordo prouocationis datur in hoc Canone, ut qui se læsum arbitrabitur à proprio episcopo, possit metropolitanum appellare, qui datis dimissorijs, ad se causam aduocet: liceat tamen episcopis prouocare ad patriarcham, si crediderint se iniusticiam pati à metropolitano, à quo litib. finis imponatur, ut nullatenus metropolitanus aut episcopus in episcopum uicinum ius habeat.

27.

Hic Canõ decernit, qualiter oporteat uti pallio, ut scilicet episcopi nõ ultra stata tempora & loca eo utantur, ne signum si t superbiæ aut arrogantiæ. Præterea monachi qui uita & doctrina, ut episcopi creẽtur, meruerint, non mutẽt habitus, uestis q; rationẽ, ob nouam dignitatem. nõ minus enim hoc arrogans esset, quàm pallio ineptè uti. Quisquis ergo episcopus prẽter definita sibi tempora se pallio induerit, aut monasticã uestẽ deposuerit, aut corrigatur, aut à patriarcha proprio deponatur.

Cum ad subscriptionẽ actorũ esset res deducta, pontificij deprehendunt, Græcos in suo exemplari de epistola Nicolai, ea quæ de laude Imperat. Ludouici erant scripta auulsisse: propterea quòd molestè ferrent, alij Imperatoris & Cæsaris nomẽ tribui, quàm suo Domino. Quare oboritur ea de re cõtentio. Romani subscribere denegãt, nisi illa restituãtur. Greci respondent, in actis Synodalibus non esse de Imperatoris, sed de solius Dñi laude tractandũ. Romani aũt metuẽtes sui pontificis seueritatem, indefinitè subscribunt: Ego ille uicẽ agens Dñi mei sanctissimi & uniuersalis papæ Adriani, in hac Synodo præsidens, usq; ad uoluntatẽ eiusdẽ eximij præsulis ad omnia, ut superius legitur, cõsensi, & manu propria subscripsi. His peractis, quidã ex Græcorũ episcopis Imperatoris, quos rem adeũt, & queruntur per libellos, quos initio scribere iuxta formã pontificis coacti fuissent, Cõstantinopolitanã ecclesiã planè in potestatẽ Romani pontificis esse redactã, nec posse unquam libertatẽ pristinam recuperari, nisi libelli pontificijs extorqueãtur, & sibi reddãtur. Agitur ea de re magna contentione cum pontificijs, ac ægerrimè impetratur restitutio. Tertio die pòst Petrus legatus Bulgarum in consessum patrum admittus sic inquit: Dominus Michael princeps Bulgaricus audiens, quòd pro utilitate sanctæ Dei Ecclesiæ, ex diuersis partibus authoritate Apostolicæ sedis cõueneritis, gratanter accepit, uobisq; qui ex sede Apostolica missi estis, multiplices gratias agit. Legati sanctæ Romanæ ecclesię respondẽrũt: Nos, quia uos filios sanctæ Rom. ecclesiæ nouimus, insalutatos uos præterire neq; debuimus, neq; uoluimus. Quos nimirũ sanctæ sedes Apostolica, ut ꝓpria mẽbra cõplectitur. Bulgarũ legati dixerunt: Vsq; hodie pagani fuimus, & nuper ad gratiã Christianitatis accessimus. Ideoq; ne in aliquo errare uideamur cui ecclesiæ subdi debeamus à uobis, qui uices summorũ patriarcharũ geritis, noscere desideramus. Legati sanctæ Romanæ ecclesiæ respõderũt: Sanctę Romanæ ecclesiæ, cui per te, ô Petre, tuus senior beato Apostolo principi Petro cum omni gentis suæ regno se tradidit, à cuius successore uidelicet & egregio papa Nicolao & præcepta uicem meruit, uos & ꝓtinuisse, & pertinere debere etiam in eo monstratis, quòd postulatos nostros sacerdotes & susceptistis, & hactenus uenerationẽ cõgrua retinuistis. Bulgarum legati dixerunt: A sancta Romana ecclesia sacerdotes nos petisse, suscepisse, hactenusq; habere nos cõfitemur, & eis in omnibus obedire decernimus. Verùm utrũ Romanæ an Constantinopolitanæ ecclesiæ rationabilius subdi debeamus, cũ his patriarcharum uicarijs diffinite. legati sanctæ Romanæ ecclesię respõderũt: Propter quæ not sancta sedes Apostolica, cũ orientalib. diffinienda mãdauerat, Dño iuuante finiuimus. De causa aũt uestra, secus quàm diffinita est finienda, quia nihil in mãdatis accepimus, nihil uel diffinimus, uel in prẽiudiciũ sanctę Romanę ecclesiæ diffiniendum censemus: quin imò quòd omnis uestra patria nostris sacerdotibus plena est, nulli uos nisi sanctæ Rom. ecclesiæ pertinere debere, diffinitiã sentẽtia, quantũ ex nobis est, promulgamus.

Vicar

Vicarij Orientaliũ patriarcharũ Bulgaris dixerunt: Quando uos illã patriã cæpistis, cui potestati subdita erat, & utrum Latinos an Græcos sacerdotes habuerit, dicite. Legati Bulgarorum dixerunt: Nos illam patriam à Græcorum potestate armis euicimus, in qua non Latinos, sed Græcos sacerdotes reperimus. Vicarij Orientalium responderũt: Si Græcos sacerdotes ibi reperistis, manifestum est, quia ex ordinatione Cõstãtinopoleos illa patria fuit. Legati sanctæ Rom. ecclesię respõderũt: A Græcis sacerdotib. argumentum sumere non debetis, quia linguarum diuersitas Ecclesiasticũ ordinẽ nõ confundit. Nã sedes Apostolica, cũ ipsa Latina sit, in multis tamen locis pro ratione patriæ Græcos sacerdotes & semper & nũc usq; cõstituẽs, priuilegij sui detrimẽta sẽtire nec debet, nec debuit. Vicarij Orietaliũ patriarcharum dixerunt: Etiamsi Græcorũ presbyterorum uestri iuris fuisse doceatis, illã tamen patriã Græcorũ regno pertinuisse nunquam negare poteritis. Legati sanctæ Ro. ecclesiæ responderũt: Sicut Bulgari à nobis diuerso modo pertinere ordinationẽ dicẽtes, mẽdacium nõ loquimur, ita nimirũ eandẽ Bulgariam ex Græcorũ regno fuisse, nunquam negamus. Sed intueri uos decet, quia aliud ordinant iura sediũ, aut patiũtur diuisiones regnorũ, nos de diuisione regnorũ nõ agimus sed de iure sediũ loquimur. Vicarij Orietaliũ patriarcharũ dixerunt: Illud quod uobis diuerso modo Bulgariã pertinere dicitis, addiscere uoluimus. Legati S. Rom. ecclesiæ respõderũ: Sedes Apostolica, iuxta quod Decretalib. sanctissimorũ Romanorũ præsulũ doceri poteritis, utrãq; Epeirũ, nouã uidelicet & ueterẽ, totamq; Thessaliã atq; Dardaniã, in qua & Dardania ciuitas hodie demõstratur, cuius nũc patria ab his Bulgaris Bulgaria nũcupatur, antiquitùs canonicè ordinauit, obtinuit, ac per ordinationẽ quã tũc paganorũ Bulgarũ irruptione amiserat, non à Cõstãtinopolitana ecclesia mòdò, ut fingitur, abstulit, sed ab his factis ipsis Christiãis recepit. Secũdo modo, quia Bulgares, q iure gẽtili sibi patriã subiungẽtes, ecce per quot annos retinẽt, quod cœperũt sedis Apostolicæ semet, ut superius diximus, patrocinio ordinationiq; specialiter cõmittẽtes, nobis debẽt (nec immeritò) subijci, quos ultronea uolũtate magistros elegit. Tertio modo, qa eosdẽ Bulgares sancta sedes Apostolica iussu quondã sanctissimi papę dñi Nicolai tam per aliquot nostrũm, qui hic fumus, & illic multas ecclesias dedicãtes sacerdotes creauimus, quàm p Paulũ Dominicũ, Leopardũ ac Formosum uenerabiles episcopos, sed & Grimualdũ coepiscopũ nostrũ, quem hactenus isti Bulgares cũ multis nostris sacerdotibus in cõspectu nostro habere se falsi sunt, à diuersis errorib. ad catholicæ fidei ueritatẽ multo sudore, Christi gratia præduce, trãsferens, ecce ultra trienniũ tenet, ordinat, ac disponit: ideoq; consequẽs non est, ut sine cõsciẽtia Romani summi põtificis ecclesia Romana de quibus p̃sentaliter uestra cernitur, spolietur. Vicarij orientaliũ patriarcharũ dixerunt: Ad quẽ istorũ modorũ modũ dispensare uelitis, edicite. Legati S. Ro. ecclesiæ respõderũt: Sancta sedes Apostolica uos, quia reuerã inferiores estis, super sua causa iudices negligit: nec p̃ nos elegit, utpote q̃ omni ecclesiæ sola specialiter habeat fas iudicã di. Sed neq; nobis de hac causa sentẽtiã proferre cõmisit. Quapropter, quod ab ea faciẽdum nõ suscepimus, cognitionis eius iudiciũ, quæ librorũ multiplicitate ad defensionem sui multa proferre p̃ualet, ex integro reseruamus, à qua omnis nostra sententia tãta facilitate respuitur, quãta leuitate profertur. Vicarij Orientaliũ patriarcharũ dixerũt: Satis indecens est, ut uos, qui Græcorũ imperium detractantes, Francorum fœderib. inhęretis, in regni nostri principis ordinã di iura seruẽtur. Quapropter Bulgarũ patriã ex Grę corũ potestate diu fuisse, & Græcos sacerdotes habuisse comperimus, sanctæ ecclesiæ Cõstantinopolitanę, à qua per paganismũ recesserat, nũc per Christianismũ restitui iudicamus. Legati S. Romanę ecclesiæ clamãtes dixerunt: Sententiã, quam nõ electi, neque admissi sine timore seu gratia uel quicquid illud est modò præcipitastis, potius quàm p̃tulistis, autoritate sancti Spiritus, usq; ad diffinitionẽ sanctę sedis Apostolicæ omnino restringimus, ita ut nullo modo uel nomẽ habere sentẽtiæ mereatur. Teque regũ patriarcha Ignatiũ authoritate sanctorũ Apostolorũ principũ corã Dño suisq; angelis omnibusq; p̃sentib. contestamur, ut secũdũ hanc epistolã sanctissimi restitutoris tui, domini Adriani summi pontificis, quam tibi ecce offerimus, industria tua ab omni Bulgarię ordinatione, immunẽ, nullũ tuorum illuc mittendo, custodias: ne sancta sedes Apostolica, quæ tibi tua restituit, per te sua p̃dere uideatur. Quin potius si quod non credimus, iustã te habere querimoniã æstimas, sanctæ Romanæ ecclesiæ restitutrici tuæ, solẽniter suggerẽs non omittas. Tũc patriarcha Ignatius Apostolicã epistolã suscipiens, licet magnopere monitus, eam legere distuliſſe, respondit: Absit à me, ut ego hic præsumptionib. cõtra decorũ sedis Apostolicę implicer: qui nec ita iuueniliter ago, ut mihi subripi ualeat: nec ita seniliter deliro, ut quod in alijs reprehẽdere debeo, ipse admittam.

Pontificios domum eũtes, Sclaui capiũt,

& bonis omnibus atq; autẽtico exemplari, in quo omniũ ſubſcriptiones erant, priuant, qui Imperialib. & Apoſtolicis literis uix liberati, ſine autentico actorũ libro reuertuntur. Liber pontificalis in uita Adriani ſecundi, & Platina. Annonius lib. 5. cap. 28. de Francis narrat, in hac Synodo Græcos, in fauorẽ Romani pontificis, adorationem imaginũ & alia quædam, contra ſuos antiquos canone approbaſſe.

SYNODVS MOGVNTINA.

Carolus rex, ſiue Mogũtinus epiſcopus, Synodum Mogunti celebrauit, anno Domini 858. Chronicon Queldeburgẽſe, & Chronicon Schaffnaburgenſe.

SYNODVS COLONIENSIS.

Anno Domini 871. Ludouicus Coloniæ Synodum cogit, ad 6 Calẽdas Octobris. Interfuere archiepiſcopi, Luitpertus Moguntinus, Bertulphus Treuerorũ, Vuillebertus Agrippinenſis, Adeluinus Iuuauenſis cum epiſcopis, ſacrificulis, ſacerdotibus, monachis ſuis. Diui Pauli ad Timoth. Titumq; de libro epiſtolæ recitatæ ſunt. Sacerdotes, epiſcopi auari, ueneriuẽtriq; dediti, ignominia notati, tribuq; moti ſunt. Cæteri iuſsi ſunt uiuere iuxta Chriſti ſeruatoris noſtri placita. Imperatũ myſtis, ut literis ſacris operã daret, ut oues paſceret: & cauerẽt, ne gregem à Deo creditũ malis exẽplis trucidaret: néue lac cõſumerent, de lanis ſe contegerẽt. Ante omnia, ut curã pauperũ ageret epiſcopi, parochiq;. Auentinus lib. 4. Sigebertus narrat, etiã ab iſto Synodo eccleſiã Petri cõſecratã eſſe, cũ magna miſerorũ cacodęmonũ q̃rela.

SVB CAROLO CALVO.

SYNODVS VVERMERIAE.

CVm Hincmarus Laudunenſis Nortmãnũ excõmunicaſſet, uiginti epiſcopi Vuermeriã cõuocati, ab eo cauſam poſtulant. Cum aũt nullã euidentẽ poſſet proponere, ſententia ferebatur de iniuſta excõmunicatione. Ille aũt ad Ro. pontificẽ appellat. Verùm Synodus id contra Canones fieri iudicat, ut patet ex epiſtola Hincmari Remorum ad Laudunenſem.

SYNODVS APVD ACCINIACVM.

Anno Domini 870, Carolus Caluus apud Acciniacum conuocauit Synodum, ex epiſcopis decẽ prouinciarum Galliæ. Præſides ſunt, Remigius Lugdunẽſis, Hardouius Vaſontienſis, Bertulfus Treuirenſis, archiepiſcopi. Hincmarus Remorum accuſat Hincmarum Laudunẽſem epiſcopum, de inobedientia erga metropolitanum eius: & quòd ob ſuas priuatas iniurias, omnes presbyteros ſuæ eccleſiæ excõmunicarit: ac interdixerit, ne Miſſas celebrarent, aut infantes baptizarẽt, aut pœnitẽtes abſoluerẽt, aut mortuos ſepelirent. ac proponit quinquaginta capita, quæ legi à Synodo petit. Synodus capita illa approbat, & Laudunenſis petulantiam damnat, eumq; cogit ſuo chirographo promittere obedientiam regi Carolo, & ſuo metropolitano. Acta Synodi ab Hincmaro conſcripta.

SYNODVS PONTIGONENSIS.

Carolus Caluus, acceptis Roma à põtif. ce legatis Ioanne Tuſcanenſi, & Ioanne Aretino, & Anſegiſo Senenſi, epiſcopis, generalem Synodum apud Pontigonẽ indixit. Vndecimo ergo calẽdas Iulij, indictione nona, epiſcopis & cæteris quibuſq; clericis, uestibus Eccleſiaſticis indutis, & domo ac ſedilibus pallijs protenſis, atq; in gremio Synodi & proſpectu imperialis ſedis lectorio ſuppoſitis ſacroſanctis Euangelijs, uenit dominus Imp. Carolus in ueſtitu deaurato, habitu Frãcico, cum legatis Apoſtolicæ ſedis in Synodum: & cãtoribus antiphonã Exaudi nos Dñe, cum uerſibus & Gloria patri cãtantib. poſt Kyrieeleiſon, & data oratione à Ioanne Tuſcanenſi epiſcopo, reſedit dominus Imperator in Synodo, & legit Ioannes Tuſcanenſis epiſcopus epiſtolas à Domino Apoſtolico miſſas, cum quibus & legit epiſtolam de primatu Anſegiſi Senenſis epiſcopi, ut quoties utilitas eccleſiaſtica dictauerit, ſiue in euocãda Synodo, ſiue in aliis negocijs exercendis, per Gallias & Germanias Apoſtolicã uice fruatur: & decreta ſedis Apoſtolicę, per ipſũ epiſcopis manifeſta efficiãtur: & rurſus quę geſta fuerint eius relatiõe, ſi neceſſe fuerit, Apoſtolicę ſedi pãdãtur: & maiora negocia ac difficiliora quæque, ſuggeſtione ipſius ſede Apoſtolica diſponenda & enucleanda quærãtur. Petentibus autẽ epiſcopis, ut eis permitteretur ipſis legi epiſtola, quibus erat directa: nõ acquieuit Imperator, ſed reſpõſum quæſiuit ab eis, quid de his iuſsis Apoſtolicis reſponderent. Quorum reſponſio talis fuit, ut ſeruato ſingulis metropolitanis iure priuilegij ſecundum ſacros Canones, & iuxta decreta ſedis Romanę põtificũ, ex eiuſdẽ ſacris Canonib. promulgata domni Ioãnis papæ Apoſtolicis iuſsionibus obedirent. Et cũ Imperator & legati Apoſtolici ſatagerent, ut abſolutè archiepiſcopi reſponderẽt, ſe obedituros de primatu Anſegiſi, ſicut Apoſtolicus ſcripſit, aliud, niſi ut prædictum eſt, reſponſum ab eis extorquere non potuerunt, excepto quod Fortharius Burdegalenſis epiſcopus, quoniã à Burdegala ad Pictauos, indeq; ad Bituricum fauore principis contra regulas ſe contulit, per adulationem reſpondit, quod Imperatori placere cognouit. Tunc motus Imperator, dixit, quòd Dominus Apoſtolicus ei ſuas uices cõmiſit in Synodo, & quòd

& quòd ijſdem præcepit, ille exequi ſtuderet. & accepit ipſam epiſtolam inuolutam unà cum Ioanne Tuſcanenſi, & Ioanne Arretino, & dedit illam Anſegiſo: & iuſsit ſellam plectilem poni ante omnes epiſcopos Ciſalpini regni ſui, iuxta Ioannem Tuſcanenſem, qui ad dexteram illius ſedebat: & præcepit Anſegiſo, ut ſupergrederetur omnes ante ſe ordinatos, & ſederet in eadem ſella, Remorum archiepiſcopo reclamante, audiẽtibus omnibus hoc factum ſacris regulis obuiare. Imperator tamen in ſententia ſua permanſit, & petentibus epiſcopis ut liceret eis uel exemplar ſibi de epiſtola directa ſumere, nec hoc ullo modo impetrauêre: & ſic ſoluta eſt Synodus in illa die.

Decimo calendas eiuſdem menſis, iterũ conuenerunt epiſcopi, in quo conuentu lectæ ſunt epiſtolæ à Domino Apoſtolico laicis miſſę, & lecta eſt electio Domini Imperatoris ab epiſcopis & cæteris Italici regni firmata: ſed & capitula, quæ in palatio Ticinẽſi conſtituit, ab omnibus confirmari fecit, quæ & epiſcopis Ciſalpinis cõfirmare præcepit, & ſic ſoluta eſt Synodus in illa die.

Quinto nonas Iulij, conuenerunt iterum epiſcopi ſine Imperatore, & habitæ ſunt cõtentiones de presbyteris ex diuerſis parochijs, clamantibus ad legatos apoſtolici: & ſic ſoluta eſt Synodus in hac die.

Quarto nonas eiuſdem menſis, iterum conuenerunt epiſcopi, & Imperator in Synodo reſidẽs audiuit oratores fratris ſui Ludouici regis, Vuillebertum archiepiſcopum Coloniæ, & Adalardum ac Menigardum comites, per quos petijt partem de regno Ludouici Imperatoris, filij Lotharij, fratris eorum, ſicut ei competeret ex hæreditate: & illi firmatum erat ſacramento. & legit Ioannes Tuſcanenſis epiſtolam, à Ioanne papa epiſcopis regni Ludouici directam, & dedit exemplar Vuilleberto archiepiſcopo, ut deferret illud præfatis epiſcopis. & ſic ſoluta eſt præfata Synodus in illa die.

Sexto idus Iulij cõuenerunt epiſcopi, & circa horam nonã uenerunt legati Domini apoſtolici, Leo epiſcopus & apocriſarius ac nepos Apoſtolici, atq; Petrus Fori Sempronij epiſcopus, deferẽtes epiſtolas Imperatori & Imperatrici, & ſalutationes Apoſtolici, ad epiſc. & ſic ſoluta eſt Synodus in illa die.

Sexto idus Iulij conuenientibus epiſcopis, lecta eſt epiſtola Apoſtolici, de dãnatione Formoſi epiſcopi, Gregorij nomenclatoris, & cõſentientium eis: & præſentata ſunt Imperetori ab Apoſtolico miſſa dona, inter quæ fuerunt præcipua ſceptrum & baculus aureus. Sed & Imperatrici dona ſunt ab eo miſſa, pallia & armillæ cum gemmis: & ſic ſoluta eſt Synodus in illa die.

Pridie idus Iulij cõuenerunt epiſcopi, & miſit Imperator uicarios Apoſtolici, increpare duríus archiepiſcopos & epiſcopos: qui pridie non uenerant, ſicut præcepit. Illis autem canonicè rationabilem reddentibus rationem, ſopita eſt increpatio. Et lecta eſt à Ioanne Tuſcanenſi iterũ epiſtola, iubẽte Imperatore, pro Imperatorę, pro primatu Anſegiſi: & quæſita eſt ab epiſcopis denuò inde reſponſio. Et reſpõdentibus ſingulis archiepiſcopis, quòd ueluti ſui anteceſſores illius anteceſſorib. regulariter obedierũt, ita eius decretis uellẽt obedire: tũc facilius eſt illorũ admiſſa reſpõſio, quàm fuerat in Imperatoris præſentia. & ſic iterũ poſt multas contẽtiones de presbyteris diuerſarũ parochiarũ reclamantib. ad legatos Apoſtolici, lecta eſt proclamatio Frotharij Burdegalenſis archiepiſc. quia non poterat cõſiſtere propter infeſtationẽ paganorũ in ciuitate ſua, ut liceret ei Bituricenſem metropolim occupare. Cuius petitionibus unanimitas epiſcoporũ nullatenus acquieuit. Et iubẽtib. legatis. Apoſtolici, ut 17 Calẽd. Auguſti cõuenirent epiſcopi manè, & circa horã nonã, uenit Imperator Græcanico more paratus & coronatus, deducẽtibus eum Apoſtolicæ ſedis legatis more Romano ueſtitis, ad epiſcopos eccleſiaſticis ueſtimẽtis indutos, & cęteris ſecundũ modum primæ horæ diei, quando in choata eſt Synodus præparatis, ut prius cantata antiphona Exaudi nos Domine, cũ uerſibus, & Gloria poſt Kyrieeleiſon, data oratione à Leone epiſcopo, reſederunt omnes: & legit Ioãnes Arretinus quandã ſchedulã, ratione & autoritate carentẽ. poſt quã legit Odo Belgiuagorũ epiſc. quędã capitula à legatis apoſtolici, & ab Anſegiſo, & eodẽ Odone ſine cõſciẽtia Synodi dictata inter ſe diſſona, & nullã utilitatẽ habẽtia, uerũ & ratione & autoritate carẽtia: & ideo hic nõ habẽtur ſubiũcta. Iterũ mota eſt interrogatio de primatu Anſegiſi. & poſt multas ab Imperatore & legatis apoſtolici cõtra epiſcopos querimonias habitas, tantũ in nouiſsimo, quantũ & in principio Synodi exinde Anſegiſus obtinuit. Poſt hæc perrexit Petrus epiſcop. Foriſempronij, & Ioan. Tuſcanẽſis, ad cubiculũ Imperatoris, & adduxerũt imperatricẽ Richildẽ coronatã in Synodũ: & ſtante illa iuxta Imperatorem, ſurrexerunt omnes, & ſtantes quiq; in gradu ſuo incœperunt laudes, Leo epiſcopus, & Ioannes Tuſcanenſis epiſcopus. & poſt laudes actas in Dominũ Apoſtolicum, & Dominum Imperatorem & Imperatricem, & cæteros iuxta morem, data oratione à Leone Gaumenſi epiſcopo, ſoluta eſt Synodus. Poſtea Imperator legatos muneratos Apoſtolicos Leonem & Petrum remiſit Romam, & cum

eis Anſegiſum Senenſem epiſcopum, & Adalgarium Auguſtudunenſem epiſcopum. Annonius lib.5,cap.33 de geſtis Francorum.

SVB CAROLO CRASSO.

SYNODVS TRECANENSIS.

IOannes nonus pontifex, cum conſenſu Ludouici Balbi regis Francorum, ad urbem Trecas Synodũ ex epiſcopis Belgicis collegit,circiter annum Domini 878. Adon Viennenſis.Pontifex præſidẽ iſthic agẽs,narrat, ſe Lambertum & Helbardum comites Italiæ, ob occupata loca Romanæ eccleſiæ excõmunicaſſe:& poſtulat ab epiſcopis approbationem & ſubſcriptionẽ,quam facilè impetrat.Deinde Frotarius,qui ex Burdegala Pictauiam,& inde ad Bituriges incõſulto Pontifice trãſierat,iuxta canones Sardinenſes & Africani concilij, quibus epiſcopi ſua eccleſia relicta, prohibentur alias ſuſcipere regendas, reuocatur. Tertiò, Hincmarus Lauduni epiſcopus,qui effoſsis oculis officio deiectus erat,reſtituitur. Quartò,ad fidẽ pertinẽtia quędã decreta fiunt. Quintò, Ludouicus Imperij diademate coronatur, & Auguſtus appellatur:pro quo officio Ioãnes papa poſtulat ſibi abbatiã Dionyſij,à Carolo Imperatore Romanæ eccleſiæ donatam,tradi:apud Annonium. Adon ætate 6. Robertus Ganguinus lib.5.Platina in Ioãne 9.Nauclerus,Mutius,& alij. Et excõmunicatur Hugo Lotharij filius cũ ſocijs ſuis. Annonius lib.5.cap.37.de Francis.

SYNODVS COLONIENSIS.

Anno Domini 887. iuſſu Caroli Craſsi, Synodus Agrippinæ habita eſt. Interfuerũt Luitpertus Mogũtinus, Vuilibertus Colonienſis,Franco Tungrẽſis, Odilbaldus Traiectenſis, Vuubfelinus Mimigernafordẽſis, Druogo Mimydonenſis,Rimbertus, epiſcopi:& Neuolongus Indenſis, Andulfus Vuerdinenſis, Folcharius Aquiſgranenſis,abbates:& plurimi presbyteri & diaconi.

Agitur autem primùm de ordinando epiſcopo Mimydonenſibus,ac Druogo presbyter illi eccleſiæ præficitur,decreto Synodi.

Deinde in ſchiſmaticos & raptores,in eccleſia Tungrenſi ſtatuitur pœna.

Tertiò,bonorum eccleſiaſticorum abalienatio inſcio epiſcopo prohibetur.

Quartò,incæſtas conſuetudines,& uirginum ſacrarũ cõnubia uetant, repetitis ueterum canonum decretis.to.2.Conciliorum.

SYNODVS MACRENSIS.

Anno Domini 881.celebrata eſt Synodus apud martyrium Macrę,in finibus diœceſis Remenſis.Patres qui conuenerunt, egregiè inter regis & ſacerdotis officiũ diſtinguũt: Duo ſunt quib.principaliter hic mũdus regitur,autoritas ſacra pontificũ, & regia potęſtas.Solus enim Dominus noſter Ieſus Chriſtus,uerè fieri potuit rex & ſacerdos poſtincarnationẽ,& reſurrectionem, atq; aſcenſionẽ ſuam in cœlũ.Nec rex pontificis dignitatẽ,nec pontifex regiã poteſtatẽ ſibi uſurpare præſumpſit:ſic actionibus proprijs dignitatibuſque ab eo diſtinctis, ut & Chriſtianireges pro æterna uita pontificibus indigerẽt, & pontifices pro temporaliũ rerũ curiu regũ diſpoſitionibus uterẽtur,quatenus ſpiritualis actio à carnalib. diſtaret incurſibus,& ideo militans Domino,minimè ſe negocijs ſecularibus implicaret, ac uicißim non ille rebus diuinis præſidere uideretur, qui eſſet negocijs ſecularibus implicatus. Et tanto eſt dignitas pontificũ maior, quàm regum, quia reges in culmẽ regiũ ſacrãtur à pontificibus,pontifices aũt à regibus cõſecrari non poſſunt: & tanto grauius eſt pondus ſacerdotũ quàm regũ,quanto etiam pro ipſis regibus hominũ in diuino reddituri ſunt examine rationẽ.Et tanto in humanis rebus regũ cura eſt propẽſior quàm ſacerdotũ, quanto pro honore & defenſione ac quiete ſanctæ eccleſiæ ac rectorũ & miniſtrorũ ipſius, & leges promulgando, ac militando,à rege regũ eſt eis curæ onus impoſitũ. Et legimus in ſacris hiſtorijs,quia cũ ſacerdotes in regimine regni reges ungebãt,& diademata capitibus illorũ imponebant, legem in manibus eis dabant,ut diſcerent & ſcirent qualiter ſe & ſubiectos ſibi regere, & ſacerdotes Domini honorare deberet. Legimus etiam in ſacra hiſtoria, quia Ozias rex præſumpſit incenſum ponere (quod non regij,ſed ſacerdotalis erat miniſterij)lepra eſt à Deo percuſſus,& de templo à ſacerdotibus eiectus, & in domo ſua eſt uſque ad mortem reclußus. Deinde ex Gregorij homilia, quam de Euangelio tractauit tempore Synodi epiſcoporum, recitant dictum, quo ſacerdotũ ἀργαμοσύνη taxatur,quòd adſcribimus. Quoniam ad exteriora negocia partim neceſsitate barbarici clamoris, partim negligentia noſtri temporis dilapſi ſumus, & aliud ex honore ſuſcepimus, atque aliud officio actionis exhibemus: miniſterium prędicationis relinquimus, & ad pœnam noſtram, ut uideo,epiſcopi uocãur,qui honoris nomen, non uirtutem tenemus. Relinquunt namq; Dominũ hi qui nobis cõmiſsi ſunt, & tacemus,cũ in prauis actibus iacẽt, & correctionis manũ nõ tẽdimus. Quotidie per multas nequitias pereũt,& eos ad infernũ tendere negligenter uidemus. Sed quomodo non uitam corrigere ualeamus alienam, qui negligimus noſtrã? Curis enim ſecularibus intenti,tanto inſenſibiliores intus efficimur, quanto ad ea quę foris ſunt,ſtudioſiores uidemur. uſu quippe terrenæ curæ à cœlestis desiderio

desiderio obdurescit animus', & cum ipso suo usu durus efficiatur, per actionem secu li Adæ emolliri non ualet, quæ pertinent ad charitatem Domini: quia dum extra- neis actionibus implicamur, ministerium actionis nostræ negligimus: Domini cau- sam relinquimus, ad terrena negocia uaca- mus: locum sanctitatis accipimus, & terre- nis actibus implicamur. Impletum est in nobis profectò, quod scriptum est: Et erit sicut populus, sic sacerdos. Sacerdos enim non distat à populo, quando nullo suę uitę merito, uulgi transcendat actionem. Ecce iam penè nulla est seculi actio, quam non sa cerdotes administrent. Quàto autè mũdus gladio feriatur, aspicimus, quibus quoti- die percussionibus intereat populus uide- mus: cuius hoc nisi nostro præcipuè pecca to agitur? Ecce depopulatę urbes, euersa ca stra ecclesiæ, ac monasteria destructa, in so- litudinẽ agri redacti sunt: sed nos pereũte populo auctores mortis existimus, qui es- se debuimus duces ad uitã. Ex nostro ete- nim peccato, populi turba prostrata est: quia faciente nostra negligentia, ad uitam erudita nõ est. Pẽsemus ergo. Qui unquam per linguã nostrã conuersi, de peruerso suo opere nostra increpatione correpti pœnitẽ tiã egerũt? quis luxuriã ex nostra eruditio- ne deseruit? quis auariciã, quis superbiã de- clinauit? hic pastores uocati sumus: & cum ante ęterni pastoris oculos uenerimus, eò gregẽ nostra prædicatione cõuersum non ducemus? Sed utinam, si ad prædicationes uirtutem præsufficimus, loci nostri officiũ in innocentia uitæ teneamus.

Tertiò statuũt, ut eccleasisticis personis, sua iura & priuilegia seruẽtur inuiolata: & ut episcopi cũ legatis regis monasteria cle- ricorum & monachorum uisitent, iisq; de uictu & rebus necessarijs prospiciant.

Quartò, raptores bonorum ecclesiastico rum damnant.

Quintò, politicos gubernatores monẽt, ut suo officio rectè fungantur.

Sextò, Ludouicũ regem adhuc in imma tura ætate constitutũ monent, ut sibi fidos & prudentes cõsiliarios adiungat, eosq; be nignè audiat, & omnia prudenti cõsilio a- gat: & ut exactiones nimias imminuat, & à Normannis paganis subditos liberet.

SVB ARNVLPHO.

SYNODVS MOGVNTINA.

ARnulphus anno primo regni sui, cir- citer annũ Domini 888. Mogunti Sy nodum indixit. Cõueniũt Luitpertus Mo gũtinus, & Vuilbertus Coloniẽsis, & Rath bodus Treuirensis archiepiscopi, cum epi- scopis, sacerdotibus & abbatib. sibi subdi- tis ac uicinis. In initio deplorãt miserias ec clesiæ, quæ à paganis & malis Christianis grauissimè afflictæ & dilacerata erat: ac fa- tẽtur, id non modò ob uulgi, uerùm etiam ob sacerdotũ episcoporumq; delicta iusto Dei iudicio accidisse. & à Deo ueniã precã tur, ac sese inuicẽ ad emendationẽ cohor- tantur. Deinde canones uiginti sex consti- tuũt, inter quos sunt notæ Antichristi plu- rimæ, quibus dum iram Dei pręposterè co nantur lenire, magis eam exasperant. In pri mo bene quidem decernũt, ut pro rege Ar nulpho & coniuge eius, ac pro tota eccle- sia preces fiãt. In 2 uirtutes regum ex uerbo Dei describunt. In 3 recensent officia regũ, ut sunt: populum Dei gubernare & regere cum æquitate & iusticia, tueri pacem & concordiam, defendere ecclesias ministros que eius, orphanos & uiduas & pauperes, causas rectè cognoscere, diligenter omnia inquirere, sontesq; punire. In quarto eccle- sias & res eius ad episcopi ius munusque pertinere uolũt. In 5 uetãt, ne presbyteri si- ne consensu episcoporum constituantur, aut reijciantur. In 6, ut nullus ecclesiasticas res inuadere præsumat. In 7, sacerdotum uexatores anathemate feriunt. In 8, excom municant eos, qui in Vuirciburgensi dioe- cesi presbytero cuidam nares abscciderant, & capillis incisis malè multatum uerberi- bus, semiuiuum reliquerant. In 9, missis ce lebrandis loca sacra, & in casu necessitatis capellas, ut uocant, seu sacella destinant. In 10 edicunt, ne mulieres cum clericis habi- tent in eadem domo. In 11, inuasores præ- diorũ ecclesiæ infamia, anathemate & exi- lio puniuntur. In 12 cauetur, ne episcopus absq; 72, presbyter absq; 44, diacon⁹ absq; 26, subdiacon⁹ acoluthus, exorcista, lector, ostiarius absq; septem testibus damnetur. In 13, decimas etiam antiquis ecclesijs pen di uolunt. In 14, ne episcopus alterius paro chiam retineat, aut ordinet. In 15, ut in Sy- nodo obiurgetur is, quem contrarium fe- cisse constet. In 16, pœna statuitur in sacer- dotum occisores. In 17, decimæ exiguntur sub excommunicationis pœna. In 18, quidã Altmannus, ob ductam commatrem spiri- tualem, separatur à coniuge, & excommu- nicatur. In 19, damnatur coniugiũ presby- terorum, æquè ut fornicatio. In 20, ne res ecclesiæ illis committantur, qui dum pre- cati eas sunt, mendacia dixerũt. In 21, prohi bẽt, ne in ædib. sacris rixæ fiant, aut nego cia politica tractentur. In uigesimo secun- do, decimas ab omnibus exigunt. In 23, te- stes infra annũ decimum quartũ ætatis nõ debere admitti sanciunt. In uigesimo quar- to hortãtur omnes ad pacem & concordiã. In 25, ut monasterijs clericorum monacho

rum

rum atque puellarum homi/nes idonei prę-
ficiantur,qui nihil ſine epiſcopi ſui cõſilio
faciant.In 26 monent,ne iuuenes iuduæ citò uelen
tur, & ne uirgines ſacræ uotum caſtitatis
uiolent.

SYNODVS VVORMACIENSIS.

Vuormaciẽſis Synodus celebrata eſt ſub
Stephano quinto pontifice. Occaſionẽ prę
buit Adalgarius Hamburgenſis epiſcopus,
& Hermannus Coloniẽſis,qui de Bremen
ſi eccleſia litigabant.Pontifex ea de lite ap-
pellatus,Remenſi epiſcopo mandauit, ut
cauſam illã ſuo loco cognoſceret.Luitprãdus in uita Stephani quinti,& Crãtzius in
Metropoli lib.2. cap.19.

Extant in ſecundo tomo Conciliorũ ca
nones 80 Vuormacienſis Synodi. ſed quo
tempore ea ſit celebrata,non indicatur. Si
quis uelit eos ad hanc referre, non admo-
dum repugnabimus.In initio autem, fidei
confeſsio recitatur.Deinde tempus bapti-
zationi ſtatuitur:omne quidem in caſu ne
ceſsitatis,ſolenne uerò & paſchatis & pen-
tecoſtes.cap.1.

Vt nullus præter epiſcopum chriſma cõ
ficiat.cap.2.

Vt non prius cõſecretur eccleſia,antequã
donatio beneficiorum ſit confirmata. ca.3.

Vt in cœna præter panem & uinum nihil
offeratur.cap.4.

Vt baptizans ter immergat baptizãdum.
cap.5.

Vt eccleſia cum rebus ſuis ad epiſcopi or
dinationem pertineat.cap.6.

Vt bona eccleſijs oblata in quatuor par-
tes diuidantur.cap.7.

Ne presbyteri conſecrent uirgines, aut al
taria,aut eccleſias,nec ordinẽt,nec chriſma
conficiant,nec baptizatos confirment, nec
pœnitẽtiam publicã agentes eccleſiæ recõ
cilient,ſed ſoli epiſcopi iſta faciant. cap. 8.

Vt epiſcopi,presbyteri,diaconi,ſubdiaco
ni abſtineant à coniugibus.cap.9.

Vt epiſcopi & presbyteri accuſati de cæ
de,aut adulterio, aut furto, aut maleficio,
purgent ſeſe pro ſingulis,miſſæ celebratio
ne & communione.cap.10.

Vt ſacerdotes in fornicationem lapſi,ho
norem ſacerdotij amittant.cap.11.

Vt ſacerdotes de fornicatione accuſati,iu-
reiurando ſeſe purgent.cap.12.

Vt epiſcopus pro leuibus & paruis cau-
ſis neminem excommunicet.cap.13.

Vt temerè & leuiter excommunicati, uſ
que ad Synodum prouincialam retineant
ſuum honorem.cap.14.

Vt ſi in monaſterio aliquid furto ſit ſubla
tum,abbas miſſam celebret,& communio
ne ſeſe ſinguli purgent.cap.15.

Vt nulli epiſcopo liceat à Synodo, uel an-
te peractam Synodum diſcedere.cap.16.

Vt epiſcopi, presbyteri, diaconi, canes ad
uenandum & accipitres non alant. cap.17.

Ne clericus ſine epiſtola ſui epiſcopi pro
ficiſcatur.cap.18.

Vt clerici epiſcopo ſuo inobedientes,cõ-
munione & honore priuentur.cap.19.

Vt fœminæ uelatę,ſi fornicatę ſint,pœni
tentiam agant.cap.20.

Vt uidua, quę uelamine accepto profeſſa
eſt religionem,non deponat uelum. cap.21.

Ne liceat paruulis in monaſteria oblatis
à parentibus ſuis exire,& nuptias contra-
here.cap.22.

Ne liceat monacho ſuum uitæ genus de
ſerere.cap.23.

Ne laici affligant clericos.cap.24.

Vt pœnitentibus ſecundum differentiã
peccatorum,ſacerdotis arbitrio ſatisfactio
imponatur.cap.25.

Vt conſultò & deliberato ſacerdotem oc-
cidens,poſt annos decem tandem ad com
munionem admittatur.cap.26.

Vt paganum occidens extra bellum legi-
timum,pœniteat de homicidio.cap.27.

Vt lenior ſatisfactio imponatur ei qui ęq
dem fecit,cum eſſet inops mentis. cap.28.

Vt arborem incidens,quæ caſu in alium
irruit,eumq; interfecit, leniori pœnitentia
conſtringatur,quàm is qui ſponte cædem
fecerit.cap.29.

Vt parricidæ & fratricidæ bienniũ pœni
teant.cap.30.

Vt leproſi ſeorſim communicent.cap.31.

Vt nulli Chriſtiano liceat de propria cõ-
ſanguinitate ſiue cognatiõe uxorẽ ducere,
uſq; dum generatio cognoſcitur.cap.32.

Vt incæſtis nuptijs ſolutis,liceat legiti-
mas contrahere utriq; parti.cap.33.

Vt ſpiritualẽ cognationem fornicatione
lædentes,pœnitentię ſubijciantur.cap.34.

Vt mulieres quę fœtum excutiũt,aut in
ſomno ſuffocant,pœnitentiam agãt. ca.35.

Si uir uiduam in coniugiũ duxerit,quæ
ex priori marito filiam habuit,& cum ea-
dem filia poſtmodum concubuerit, coniu
gium modis omnibus diſſoluatur, & uiri
le pœnitẽtię ſubiaceat ſanctionibus, ita ut
per triennij tempus à ſacro corpore Domi-
ni noſtri Ieſu Chriſti ſuſpendatur,& ſangui
ne, carnem nõ manducet,abſtineat à uino,
& ſingulis diebus ieiunium celebrare feſti
net,exceptis feſtis diebus atq; Dominicis.
orationib.omni inſiſtere ſollicitudine, in-
tegriterq; perficere ſummopere ſtudeas.Si
militer aũt de mulieribus,quę clanculo parti
ſe in concubitu ſubſternunt, & filio, obſec-
uandum eſt. Taliter quidem & de his ſanci
mus,qui duabus ſe ſororibus pollutos co-
gnoſcunt.cap.36.

Illi scilicet, qui pro diuersis erratibus, ac quibuscunq; piaculis pœnitentiæ iugo fuerint submissi, legitimo nullatenus matrimonio seperẽtur, ne in fornicationis uorago demergantur: & dum ad alta subleuari sperantur, corruant in cœno. cap. 37.

Si quis seruum proprium sine conscientia iudicum, qui tale quid cõmiserit quod morte sit dignum occiderit, excommunicatione uel pœnitẽtia biennij reatum sanguinis emundabit. cap. 38.

Si qua fœmina furore zeli accensa, flagris uerberarit ancillam suam, ita ut inter tertium diẽ animam cum cruciatu effundat, eo quòd incertum sit, uoluntate an casu ac ciderit: si uoluntate, septem annos: si casu, quinq; annorum tempora legitimam peragat pœnitentiam. cap. 39.

Si seruus absente uel nesciente Domino suo, episcopo autẽ sciente quòd seruus sit, diaconus aut presbyter fuerit ordinatus, ipse in clericatus officio permaneat, episcopus tamẽ eum Domino duplici satisfactione persoluat. Si uerò episcopus cũ seruũ esse nescierit, & ita eũ ad sacros ordines promouit, qui testimoniũ de illo perhibebãt, aut eum postulant ordinari, simili recompensationi teneantur obnoxij. cap. 40.

Placuit etiã, ut quicunq; odio aut longa inter se lite dissenserint, & ad pacẽ reuocari diuina intentione nequiuerint, à ciuitatis primitùs sacerdotibus arguantur. Qui si inimicitias deponere pernicioſa intẽtione noluerint, de ecclesię cœtu iustissima excõmunicatione pellantur. cap. 41.

Dignum est, ut uita innocẽtis nõ macule tur pernicie accusantiũ. Quisquis igitur à quolibet criminatur, non antè accusatus supplicio deputetur, quàm accusator præsentetur, atq; legum & canonum sentẽtia exquiratur, ut si indigna ad accusandum persona inuenitur, ad eius accusationẽ non iudicetur. cap. 42.

Nobis igitur ratio persuadet Synodalis, decernere, ut quicunq; laicorum in aduersitate propriæ gentis, aut patriæ, uel regiæ potestatis, ad externas partes se conferẽdo noxius fuerit ultrà repertus, non solùm omni rerum suarũ proprietate priuetur, sed & perpetua excommunicatione damnato, nunquam illi præterquam in ultimo mortis suæ communio tribuatur. cap. 43.

Si cuius uxor adulterium fecerit, aut uir in alienam uxorẽ irruerit, septem annis pœnitentiam agat. cap. 44.

Omnium negociorum ecclesiasticorum curã episcopus habeat, & ea uelut Deo cõtemplante dispenset, nec ei liceat ex his omnino contingere, aut parẽtibus proprijs quæ Dei sunt cõdonare. Quòd si pauperes sunt, tanquam pauperibus suum ministret, nec eorum occasione ecclesiæ negocia deprædentur. cap. 45.

Episcopus ecclesiasticarũ rerum habeat potestatem, ad dispensandum erga omnes qui indigent. Summa quoque reuerentia & timore Dei participet & ipse, quibus indiget, si tamen indiget, tam suis quàm fratrum, qui ab eo suscipiuntur, necessarijs usibus profuturis. Et ita in nullo qualibet occasione fraudentur, iuxta Apostolũ sic dicẽtem: Habentes uictum & tegumentum, his contenti sumus. cap. 46.

Quatuor autẽ tam de reditibus quàm de oblatione fidelium, prout cuiuslibet ecclesiæ facultas admittit (sicut dudum rationabiliter decretum est) cõuenit fieri portiones: quarum sit una pontificis, altera clericorum, tertia pauperum, quarta est fabricis applicanda. cap. 47.

Basilicas nouiter institutas (non petitis ex more præceptionibus) dedicare nemo audeat, nec ambiant sibimet uendicare clericos potestatis alienæ. cap. 48.

Statutum est, ut sine autoritate uel consensu episcoporum, presbyteri in quibuslibet ecclesijs nec constituantur, nec expellantur. Et si laici clericos probabilis uitæ & doctrinę episcopis consecrandos, suisq; in ecclesijs constituendos obtulerint, nulla qualibet occasione reijciant. cap. 49.

Sancitum est, ut unicuique ecclesię unus mansus integer, absque alio seruitio attribuatur. Et presbyteri in eis constituti, non de decimis, neq; de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de atrijs uel hortis iuxta ecclesiam positis, neque de præscripto manso aliquod sacrificium faciant, prẽter ecclesiasticum. Et si amplius aliquid habuerint, inde senioribus suis debitũ seruitium impendant. cap. 50.

Statutum est, postquã hoc impletum fuerit, ut unaquæq; ecclesia suum presbyterũ habeat, ubi id fieri facultas prouidente episcopo permiserit. cap. 51.

Sancitum est de uillis nouis, ecclesijs in eis nouiter cõstitutis, ut decimæ de illis uillis ad easdem ecclesias conferantur. cap. 52.

De ecclesijs sanè destructis, uel de nouis, & de decimis, siue de claustris canonicorũ, qualiter constitui & ordinari à nobis placuerit, alijs Capitulis subter adnotauimus. cap. 53.

Sed & de ecclesiarum honore, quomodo Deo adiuuãte, quantum in nobis est, uigeat, similiter in subter annotatis Capitulis insertum esse dinoscitur. cap. 54.

Multi contra canonum constituta ecclesias, quas ædificarũt, & ab episcopo postulauerunt cõsecrari, dotẽ quam eidẽ ecclesiæ contule-

contulerint,ad episcopi ordinationem putant non pertinere,quod factum & in præterito displicet,& in futuro prohibetur. Ergo omnia secundum constitutionem & potestatem pertineant. cap.55.

Vt presbyteri non ordinentur, priusquã examinentur:ut excõmunicationes passim & sine causa non fiant.cap.56.

Vt nullus laicus presbyterum in ecclesia mittere,uel eijcere præsumat, nisi per consensum episcopi.cap.57.

Vt episcopi præuideant,quem honorem presbyteri pro ecclesijs senioribus tribuant. cap.58.

Vt decimę in potestate episcopi fiãt,qualiter à presbyteris dispensentur.cap.59.

In Synodo Vasensi, in qua sederunt episcopi octodecim, cap.2.per singula territoria presbyteri ab episcopis non prout libitum fuerit uicinoribus, sed à suis proprijs , per annos singulos chrisma petant, appropinquante solennitate Paschali: nec per quemcunque ecclesiasticum, sed si qua necessitas aut presbyterorum, uel diaconorum occupatio est, per subdiaconũ: quia inhonorum est,inferioribus summa committi. Optimũ est autem,ut ipse suscipiat,qui eo in tradendo usurus est:& sicut reliquiæ sanctorum deportari solent,ita deportet.cap.60.

Clericus nequaquam præsumat apud secularem iudicem,episcopo non permittente,pulsare:sed si pulsatus fuerit, responsum non proponat, nec audeat criminale negocium in iudicio seculari proponere. Si quis uerò secularium per calumniam ecclesiam aut clericum fatigare tentauerit , & conuictus fuerit,ab ecclesiæ liminibus & catholicorum communione,nisi dignè pœnituerit, arceatur.cap.61.

De episcopis & de presbyteris uagantib. qui parochias non habent,nec scimus ordinationem eorum qualiter fuit,placuit iuxta instituta sanctorum patrum,ut in alterius parochia ministrare,nec ullam ordinationem facere debeat,sine iussione episcopi , in cuius parochia est. Et si hoc facere præsumpserit,ab officio suspendatur. Interim quòd ad Synodum exinde uenerit,& ibidem secũdum canonicam institutionem accipiat sententiam,nisi tantum pro causa itineris. Et si ullus clericus aut laicus talem episcopum aut presbyterum defensauerit, sine cõmeatu episcopi cuius parochia est,excommunicetur, usque ad emendationem.capite sexagesimosimosecundo.

Si quis cũ matre & filia in adulterio manfit, nesciente matre quòd cum filia mansisset, similiter & filia nescia quòd cum matre mansisset , & postea ille uir si acceperit mulierem,dimittat eam, & usq; in diem mortis suæ non habeat uxorem. Et illa mulier quam reliquerit, accipiat uirum:& illa mater & filia,cum quibus in adulterio mansit, ambabus nescientibus quòd cum matre & filia mansisset,habeant uiros. Nam in noticiam illarum si uenerit hoc scelus, dimittãt maritos,& agant pœnitentiam,& illorũ mariti &illi posteriores accipiãt mulieres.Similiter & de duabus sororibus, qui cum una adulterio mansit, & aliam in publico accepit,non habeat mulierem usque ad mortem. Et illæ duæ sorores nescientes,accipiant uiros:& si in noticiam eis uenerit, forma superior seruetur. Si quis cum nouerca sua dormiret,nec ille nec illa possunt ad coniugium peruenire. Si quis cum filiastra sua dormierit,similis sententia potest stare. Qui cum duabus sororibus dormierit, & una ex illis antea ei uxor fuerit, nullam uxorem postea habeat,nec illa soror habeat uirum.cap.63.

Animal uulneratum à bestijs, & gustatũ, licitum est manducare, si homo prius illud animal uiuum occiderit. Si uerò mortuum fuerit prius deijciatur caro eius. Si apes occidunt hominem , occidi debent festinanter, mel tamen manducetur.cap.64.

Animalia quæ à lupis seu à canibus lacerantur,non sunt commedenda,nisi porcis & canibus:nec ceruus , nec capra,si mortui inueniuntur.Porci autem , qui sanguinem hominis gustantes tetigerunt, manducentur: sed qui cadauer mortuum lacerantes manducauerint, carnes eorum manducare non licet,usq; dum macerantur post annum. Pisces autem licet manducare,quia alterius naturæ sunt. Aues uerò & alia animalia,si in retibus strangulantur, non sunt comedenda.cap.65.

Ab uniuersis episcopis dictum est: Si quis presbyter à præposito suo correptus fuerit, debet utiq; apud uicinos episcopos cõqueri,ut ab ipsis eius causa possit audiri, ac per ipsos suo episcopo reconciliari. Quod nisi fecerint,sed superbia(quod absit) inflatus,segregandum ab episcopi sui communione duxerit,ac separatim cum aliquibus faciens sacrificium Deo obtulerit,anathema sit,& ecclesiam amittat. Et si querimoniam iustam aduersus episcopum non habuerit, inquietudine erit.cap.66.

Item placuit,ut episcopi,presbyteri & diaconi , non sint conductores aut procuratores, neq; ullo turpi negocio & inhonesto quæstum quærant.quia respicere debent scripturam esse:Nullus militans Deo,implicat se negocijs secularibus.cap.67.

Placuit,ut lectores cum ad annos pubertatis uenerint,cõgantur aut uxores ducere,aut continentiam profiteri.cap.68.

Item placuit,ut clericus,si commendatus

tis pecuniam, pecuniam accipiat: si speciem, eandem speciem, quantam dederit, accipiat. Et ante 25 annos ætatis nec diaconi ordinétur, nec uirgines consecrentur, & ut lectores populum non salutent. cap. 69.

Item placuit de infantibus, quoties nõ inueniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, nec ipsi sunt per ætatem de traditis sibi sacramentis idonei respondere, absq; scrupulo eos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat sacramẽtorum purgatione priuari. Hinc enim legati Maurorum fratres nostri consulue-runt, quia multos tales à barbaris redimunt. cap. 70.

Rursus constitutum est, ut quoties clericis conuictis & confessis in aliquo crimine, uel propter eorum, quorũ uerecundiæ parci tur, uel propter ecclesiæ opprobrium, aut insolentem insultationem hæreticorum atq; gentilium, si fortè causæ suæ adesse uoluerint, & innocentiam suam asserere, intra anum excommunicationis hoc faciant. Si uerò intra annum causam suam purgare contempserint, nulla eorum uox penitùs postea audiatur. cap. 71.

Sanè quoniam de hoc, sicuti de cæteris, consulere uoluit dilectio tua, adiecit filius meus Cœlestinus diaconus in epistola sua, sic esse à tua dilectione positũ illud, quod in beati Apostoli Iacobi epistola est conscriptũ: Infirmatur quis in uobis? inducat presbyteros, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salua bit infirmum, & suscitabit illum Dominus. Et si in peccatis fuerit, dimittuntur ei. Quòd non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi uel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt: quod ab episcopo confectum, non solum sacerdotibus, sed omnibus ut Christianis licet in sua aut suorum necessitate ad ungendum. Cæterùm illud superfluum uidemus adiectum, ut de episcopo ambigatur, quòd presbytero licere non dubium est: quia episcopi occupationibus alijs impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Cæterùm si episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquos à se uisitãdos, & benedicere & tangere chrismate sine cunctatione potest, cuius est ipsum chrismã conficere. nam pœnitentibus istud fundi non potest, quia genus est sacramenti. nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur concedi? capite septuagesimo secundo.

Diaconissam non ordinandam ante annum 40, & hoc cum summo libramine. Si uerò suscipiens manus impositionẽ, & aliquantum temporis in ministerio permanens, semetipsam tradat nuptijs, gratiæ Dei contumeliam faciens, anathematizetur huiusmodi, cum eo qui eidem copulatur. cap. 73.

Coniurationis uel cõspirationis crimen, & ab exteris legibus est omnino prohibitũ: multo magis hoc in Dei ecclesia, ne fiat, admonere conuenit. Si qui ergo clerici uel monachi, reperti fuerint coniurantes aut cõspirantes, aut insidias ponẽtes episcopis aut clericis, gradu proprio penitùs abijciantur. cap. 74.

Non licere clericis post obitũ sui episcopi, res ad eum pertinentes diripere: sicut antiquis quoque canonibus constitutum est. Quòd si hoc facere tentauerint, graduũ suorum periculo subiacebunt. cap. 75.

Quoniam quidam metropolitanorum, quantum comperimus, negligentius commissos sibi greges & ordinationes episcoporum facere differunt: placuit sanctæ Synodo, in tres menses ordinationes celebrari, nisi fortè necessitas excusabilis præparet tẽpus dilationis extendi. Quòd si hoc minimè fecerit, correptioni ecclesiasticæ subiacebit. Veruntamen reditus ecclesiæ uiduatæ, penes œconomum eiusdem ecclesiæ integri reseruentur. cap. 76.

Eos qui rapiunt mulieres, sub nomine simul habitandi, cooperantes aut conuiuentes raptoribus, decreuit sancta Synodus, ut si quidẽ clerici sunt, decidant gradu proprio: si uerò laici, anathematizentur. cap. 77.

Contradicimus quoq;, ut in quarta generatione nullus amplius coniugio copuletur. ubi autem post interdictum factum inuentum fuerit, separetur. Sanè eadem quæ in uiri, hæc nimirum in uxoris parentela, de lege nuptiarum regula custodiẽda est. Quoniam constat eos duos esse in carne una, ideo communis illis utrinq; parentela esse credenda est, sicut scriptum est: Erũt duo in carne una. cap. 78.

Vt episcopi incæstuosos punire & inuestigare studeant, omnino decreuimus. Qui si pœnitere noluerint, de ecclesia expellantur, donec ad pœnitentiam reuertantur. Quòd si sacerdotum noluerint admonitionibus aurem accommodare, uolentes in pristinis perdurare criminibus, oportet eos per secularis potentię disciplinam à tam praua consuetudine coherceri. cap. 79.

Quæsitũ est ab aliquibus fratribus de his qui in patibulis suspenduntur pro sceleribus, post confessionem Deo peractam, utrũ cadauera illorũ ad ecclesias deferenda sint, & oblationes pro eis offerendæ, & missæ celebrandæ, an non? Quibus respondimus: Si omnibus de peccatis suis purã confessionẽ agẽtibus, & dignè pœnitentibus, communio in fine secundum canonicum missum danda est: cur non etiam, qui pro peccatis pœnam

extremã perſoluunt? Scriptum enim: Nõ uindicat Deus bis in idipſum. Nam Dominus ait: In quocunq; die conuerſus fuerit peccator, peccata eius non reputabuntur ei. Et iterum: Nolo mortẽ peccatoris, ſed ut conuertatur & uiuat. Salutẽ ergo hominis adimit, quiſquis mortis tempore pœnitentiam denegarit. Et deſperat de miſericordia Dei, qui eam ad ſubueniendum morienti ſufficere, uel in momento non credit poſſe. Latro ergo perdidiſſet in cruce præmium ad Chriſti dextram pendens, ſi illum unius horæ pœnitentia non iuuiſſet. Nam cum eſſet in pœna, pœnituit: & per unius ſermonis profeſsionẽ, habitaculum paradiſi Deo promittente promeruit. uera ergo ad Deum conuerſio in ultimis poſitorum, mente potius eſt ęſtimanda, quàm tempore, Propheta hoc aliter aſſerente: Cum conuerſus ingemueris, tunc ſaluus eris. cap. 80.

SYNODVS TRIBVRIENSIS.

Triburiæ Synodus eſt celebrata ſub Arnulpho, regni ſui 8 anno, Domini 895. iuxta Reginonem lib. 2. & acta in to. 2 Conciliorũ. Aut anno Domini 899 iuxta Sigebertum: niſi quis geminam diuerſis annis exiſtimet habitam.

Conuenerũt epiſcopi uiginti duo, ut acta habent: nimirum Hatto Moguntinus, Hermannus Agrippinenſis, Rathbodus Treuirenſis, Vualdo Friſingenſis, Erchanbaldus Eiſtatenſis, Tuto Radasbonenſis, Adalpero Auguſtenſis, Salomon Cõſtantienſis, Theodolfus Curienſis, Fringus Baſilienſis, Baldrammus Strazburgenſis, Lotechaneus Spirenſis, Theotelaus Vuormacienſis, Adalgarius Brumenſis, Dado Vuirdunenſis, Vuigbertus Hiltinesheimenſis, Ruodulfus Vuirtziburgenſis, Sigimundus Haluaraſtatenſis, Ruodbertus Metenſis, Druogo Mimidẽſis, Biſo Padarbrumenſis, Egilmarus Oſnebruggenſis. Regino quatuor inſuper addit, præter abbates & monachos, inter quos ultimũ locum obtinuit Adalgarius Hamburgenſis. Crantzius in metropoli lib. 2. capite 19. Occaſionem præbuerunt politici uiri, qui auctoritatem epiſcoporum imminuere conabantur: ut Regino libro 2, & Sigebertus annotant. Finis erat, ut eradicarent hæreſes, ſchiſmata componerent, clericorum uitia corrigerent, ſcandala uulgi auerterent, ac mores clericorum & laicorum rectius inſtituerent, teſte Gratiano.

Inter alia quæ iſthic acta ſunt, etiam de lite ob Bremenſem eccleſiam Hermanni Colonienſis, & Adalgarij Hamburgenſis epiſcopi tractatum eſt, & autoritate ſummi pontificis priuilegia eccleſiæ Bremenſis ſunt abolita, eſtq; ea Colonienſi epiſcopo ſubiecta, & Hamburgenſi erepta. Cranzius in metropoli lib. 2. cap. 19.

Deinde tractatur cauſa presbyteri à laico excæcati: & inſtituitur querela, quòd laicus iſte ſententiam Synodi de pœnitentia peruiolanter contempſerit. quamobrem rex edictum promulgat cum aſſenſu Synodi in hũc modum.

Nos, quibus regni cura & ſollicitudo eccleſiarum Chriſti cõmiſſa eſt, aliter regnum & imperium iure eccleſiaſtico regere & gubernare non poſſumus, niſi hos qui eccleſiam Chriſti, non habentem (ut Apoſtolus ait) maculam neque rugam, conturbant, zelo fidei perſequamur, de quo rex Dauid teſtatur: Non'ne qui oderunt te Deus, oderam illos, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti ſunt mihi. Et cum Euangelium legeretur, audiuimus: Si te non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus. Et alibi: Qui percutit malos in eo quod mali ſunt, miniſter Domini eſt. Idcirco non potentiam oſtendentes, ſed iuſticiam exhibentes, præcipimus, & autoritate noſtra iniungimus omnibus regni noſtri comitibus, poſtquam ab epiſcopis anathemate excommunicationis percelluntur, & tamen ad pœnitendum non inclinantur, ut ab ipſis comprehendantur, & ante nos perferantur: ut qui diuina iudicia non uerentur, humana ſententia feriantur. Vnde per quendam ſapientem dictum eſt: Rex qui ſedet in ſolio iudicij, diſipat omne malum intuitu ſuo. Si enim rebelles extiterint, ut comprehendentibus repugnare ſtuduerint, & in tali temeritate interfecti fuerint, iudicio epiſcoporum interfectoribus nulla imponatur pœnitentia, & præcepto noſtro Vueregeldi nulla ab eis exigatur compoſitio. Conſtringanturque proximi & eorum cognati cum iuramento, ne in illis eos uindicent, ſed pacem ad eos & concordiam ſeruent.

Si quis presbyter (quod abſit, quia ſacerdos altiſsimi Dei eſt) uulneratus, uel quibuslibet iniurijs & contumelijs dehoneſtatus euaſerit, & ſuperuixerit, tota compoſitio perſoluatur presbytero. Si autem articulo mortis præuentus obierit, precium Vueregeldi tripartita partiatur diuiſione: id eſt, alteri cui ordinatus fuerat, pars una: epiſcopo in cuius diœceſi erat, altera: tertia parentib. de quibus ortus fuerat. Si uerò in atrio eccleſiæ, aliquid ex iſtis presbytero factum fuerit ſupradicto modo, presbytero & presbytero ſoluatur. Sed quia, ut Hilarius papa omnibus epiſcopis per diuerſas prouincias in epiſtola ſua ſcribit, iniuria ſacerdotum & eccleſiarum ſacrilegium eſt: ſacrilegium in atrio factum, altari, & domino ipſi

iusdem loci persoluatur. Sacerdotes enim non sunt lacerandi, sed potius coronandi, quia de his Ecclesiasticus liber loquitur, dicens: In tota anima tua time Dominum, & sacerdotes illius sanctifica, & ministros eius non derelinquas, & honorifica sacerdotē. Et Isidorus: His enim, sicut & episcopis, dispensatio mysteriorū Dei commissa est. præsunt enim ecclesiæ Christi, & in cōsecratione diuini corporis & sanguinis consortes sunt episcopis. Similiter & in doctrina populorum, & in officio prædicandi.

Si quis sacerdotem non coactus, sed propria uoluntate seductus, morti tradiderit, secundum sententiam Apostolicorum & nostrorum moderni temporis sacerdotum, quinquennio plenissimæ castigationi pœnitentiæ substernatur, ita ut carnē non manducet, nec uinum bibat: ieiunet autem usq; ad uesperā, exceptis Dominicis & diebus festis. Arma non portet, & ubicunque eat, pedibus incedat: ecclesiam non intret, sed ante fores stet, orans Dominum puro corde, ut abluatur tanto crimine. Expleto uerò quinquennio, introducente episcopo, ingrediatur ecclesiam, nondum tamen communicans, sed intra audientes stans. Et aliud quinquennium indulgentius introeat indultum. Quo uerò expleto, cum decimi anni cursus fuerit finitus, gratia communicandi, & licentia concedatur ei equitandi. Maneat autem in reliquis obseruationibus tres dies per hebdomadam, ut purificationis mereatur culmen.

Si quis temerarius atrium ecclesiæ euaginato gladio præsumptuosè intrauerit, sacrilegium facit. Et idcirco sacrilegiū in atrio Domini factum, sacrilegij more altari & Domino persoluatur. Dominus dicit in Euangelio: Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribūt. id est, qui seipsos uice talionis per peccatum in præsenti ulcisci desiderant, gladio ipsius peccati in anima moriuntur. Quanto magis is qui secundum atrium, quòd Dominus sibi præ cæteris segregauit locis, suæ sanctæ ecclesiæ ad honorem, polluit, & temerarius irruperit, gladio peccati & iniquitatis suę mortuus iacuerit? Quapropter opus est pœnitentia, ut resurgat ad uitam, qui gustauit mortem.

Quicunque timorē Domini postponentes, & ecclesiastica iudicia non uerentes, res ecclesiæ rapiunt uel auferunt, ut in epistola Anacleti papæ legitur, sacrilegium faciunt. Papa dixit: Ergo qui Christi pecunias & ecclesię rapit, aufert, uel fraudat, homicida est, atque homicida ante conspectum iudicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur: qui autem pecuniam uel res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit. Vnde tanta autoritate apostolicæ sententiæ suffulti, sancimus, & unanimes iudicamus, ut res Ecclesiæ tripliciter componantur, insuper uerò bannus episcopalis exquiratur. Qui uerò exteriores ecclesiæ res rapiunt uel fraudant, comite agente coerceantur, ut res ablatæ legitimè restituantur & componantur. Si uerò non procurauerint, uel non emendauerint, ab episcopo canonicè constringantur, ut res restituantur.

Nemo contemnat neque transgrediatur bannum ab episcopis superpositum. Sciat & abhorreat in epistola beati Clementis dictum contra se scriptum: Si uobis episcopis non obedierint, omnes tam maiores, quàm & inferioris ordinis, atq; reliqui populi, tribus & linguæ, non solum infames, sed etiam extorres à regno Dei & consortio fidelium, à liminibus sanctæ Dei ecclesiæ alieni erunt. Et audiāt ipsum Dominum in Euangelio dicentem: Qui uos audit, me audit: & qui uos spernit, me spernit. Quapropter nos Euangelicam & Apostolicam confiderantes autoritatem, non quæstum pecuniarum, sed lucrum quærentes animarum, statuimus & confirmamus, ut si quis post hāc huius sancti concilij diffinitionem, inuentus fuerit corrupisse bannum ab episcopis impositum, quadraginta dierum castigatione corripiatur, tantum in pane, sale & aqua.

Cum autem episcopus ecclesiam à Domino Deo sibi commissam regens, episcopatum circumeundo perrexerit, & placitum canonicè constitutum, decreuerit, populumq́ sibi creditum illò inuitauerit: atque Comes eadem die sciēs placitum ab episcopo dictum, uel nesciens, placitum cum populo suum condixerit, & per bannum illuc uenire præceperit, placitum Comitis omnes postponant, & Comes ipse idemq́ue populus post episcopum festinè pergant, scientes se non illic seditiosa contentione decertare, sed pro fide catholica inuigilare: non cumulum pecuniarum, sed lucrum cōgregare animarum. Vnde in eadem Clementis epistola: Vestrum, qui legatione Domini fungimini, est, docere populos. Eorum uerò est, uobis obedire ut Deo. Et in epistola Alexandri papæ, succesforis Euaristi: Si quis autem legationem uestrā impedit, nō unius, sed multorum profectū auertit: & sicut multis nocet, ita à multis est arguendus. & quia Dei causam impedit, & statum ecclesiæ conturbat, ideo à liminibus eius arceatur. Quapropter nullus Comes, nullus q́; iudex, nullus omnino in clericatu uel seculari habitu cōstitutus, legationem episcoporum impediat, uel conturbare præsumat. Vt autem

unanimitas & concordia sit inter episcopos & comites, placuit, ut si quis episcopus domi residens, conuentum populi esse uoluerit, & Comes nihilominus in ipsa eadem q; die placitum esse dixerit, effectum obtineat qui prior indicauerat, salua tamen dignitate & potestate episcopi.

Tertiò canones aliquot condunt ad disciplinam ecclesiæ pertinentes, qui extant tomo 2 Conciliorum.

Vt episcopus non deponatur, nisi à duodecim episcopis, presbyter à sex, diaconus à tribus. Caput 1.

Statutum est in hac sancta & uniuersali Synodo, ut nullus episcopus deponatur, nisi à duodecim episcopis, presbyter à sex, diaconus à tribus. In concilio Carthaginensi, capite duodecimo, Felix episcopus dixit: Si quis episcopus in reatum aliquem incurrerit, & non potest plurimos congregare episcopos, ne in crimine remaneat, à duodecim episcopis audiatur. Et presbyter à sex cum proprio suo episcopo, & diaconus à tribus episcopis audiatur. Et in eodem concilio, cap. 20. Vt presbyter à sex, diaconus à tribus discutiatur episcopis. Reliquorum clericorum causas etiam solus episcopus loci cognoscat & definiat.

Si quis clericus homicidium fecerit, ab ordine cessare debebit. Caput 2.

Si quis clericus, quamuis nimium coactus, homicidium fecerit, siue sit presbyter siue diaconus, deponatur. Legimus in canonibus Apostolorum, quòd episcopus, presbyter & diaconus, qui in fornicatione aut periurio, aut furto captus est, deponatur. Quanto magis is qui hoc immane scelus fecerit, ab ordine cessare debebit? Qui enim Christum sequi desiderat, debet, sicut ipse ambulauit, & ipse ambulare. Qui cum malediceretur, nõ remaledicebat: cum percuteretur, non repercutiebat: cum pro nobis pateretur, non comminabatur. Et ipse in Euangelio suo præcepit: Si quis te percusserit in unam maxillam, præbe illi & alteram. Non enim debemus occidere, cum Dominus dicat: Audistis quia dictum est antiquis, Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico uobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Nec malum pro malo reddere, sed sicut Apostolus Romanis scribens ait: Noli uinci à malo, sed uince in bono malum. Si quis clericorum præsens erit, ubi homicidium fuerit, & neque consensu, neque consultu, neque in aliquo homicidij reatu pollutus esse conuincitur, nihil ei obsit, quin consecratus in gradu permaneat: non consecratus, si aliàs dignus sit, promotus accedat.

Vt præter Pascha & Pentecosten, baptisma non celebretur, excepta necessitate periclitantium. Cap. 3.

Sacrosanctum baptismi mysterium sciant omnes in Christo regenerati, non nisi præfixis & legitimis in anno celebrari temporibus: cum hoc sibi priuilegium (ut in epistola Siricij papæ legitur, capite secundo) & apud nos, & apud omnes ecclesias specialiter cum Pentecoste sua Dominicum Pascha defendat: in quo (ut legitur in epistola Leonis papæ, capite nono) orta est & uirtus muneris, & species actionis. Ad cuius rei confirmationem plurimùm ualet, quod ipse Dominus Iesus Christus, postquam resurrexit à mortuis, discipulis suis formam & potestatem tradidit baptizandi, dicens: Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. De quo utique ante passionem potuisset eos instruere, nisi propriè uoluisset demonstrare, regenerationis gratiam ex sua resurrectione cœpisse. Additur sanè huic obseruantiæ, etiam Pentecostes, ex aduentu sancti Spiritus, sacra solennitas, quæ de Paschalis festi pendet articulo. Namcum ad alios dies alia festa pertineant, hæc tempora ad eum diem recurrit, qui resurrectionis Domini est insignis, porrigens quodammodo manum auxiliantis gratiæ, & eos inuitans, quos à die Paschæ aut molestia infirmitatis, aut longinquitas itineris, aut nauigationis difficultas intercludit, ut desiderij sui effectum dono sancti Spiritus consequantur. Ipse enim unigenitus Dei, qui in Pascha resurrexit, in fide credentium & in uirtute operum, nullam inter se & Spiritum sanctum uoluit esse distantiam, quia nulla est diuersitas in natura. Vnde utrique sit proprium, non dissile esse festum, ubi unum est sacramentum. Sicut tunc, ita & nunc, in remissionem peccatorum, baptismi celebratur sacramentum: qui idem Spiritus sanctus, cuius hic celebramus aduentum, est remissio omnium peccatorum. Trina namque in baptismate immersio, triduanam imitatur sepulturam. Et ab aquis eleuatio instar est resurgentis de sepulchro. Periculo quocunque modo præoccupatis & desperatis, omni tempore subueniendum, & baptismi sacramentum est tribuendum, quia necessitas uix habet legem. Si enim ualida infirmitate occupati & desperati, ad ecclesiam prouehi non possint, loco mundo perspecto baptisma celebretur

bretur, & procuratione presbyteri cautè obseruetur & collocetur. usq; ad octauam namq; diem, ipsa regeneratio sacra ab omni Christiano populo celebrabitur, quia resurrectio Domini octo diebus colitur.

De decimis. Cap. 4.

De decimis Augustinus, doctor mirabilis, sub breui ratiuncula satis uidetur diluere, cum ait: Decimæ ex debito requiruntur. Quid si diceret Deus, nempe, Meus es ô homo, Mea est terra quam colis, Mea semina quæ spargis, Mea animalia quæ famea sint, tu qui manus accommodas, solam decimam merebaris: sed seruo tibi nouem, da mihi decimam. Si non dederis decimam, auferam nouem. Si dederis mihi decimam, multiplicabo nouem. Si ergo quærit aliquis cur decimæ dẽtur, sciat quòd ideo dandæ sunt, ut hac deuotione Deus placatus, largius præstet quę necessaria sunt: & ut ministri ecclesiæ exinde releuati, liberiores fiant ad spiritualis seruitij expletionem: & ut munus populi exhinc in quotidiana oblatione Domino immoletur, nec non secundum statuta canonum, in sustentationem pauperum & restaurationem ecclesiarũ proficiant. Quatuor enim fieri partes, iuxta canones iudicamus, de decimis & oblationibus fidelium: ut una sit episcopi, altera clericorum, tertia pauperum, quarta restaurationi ecclesiarũ seruetur: sicut in epistola Gelasij papæ, capite 27 legitur.

De decimis antiquarum & nouiter consecratarum ecclesiarum. Caput 5.

Placuit huic sancto Concilio, ut secundũ sanctiones canonum decimæ, sicut & aliæ possessiones, antiquis conseruentur ecclesijs: sicut in Chalcedonensi sancto concilio statutũ est, capite 17. Si quis autem in affinitate antiquæ ecclesiæ, noualia rura excoluerit, decima exinde debita antiquæ redditur ecclesiæ. Si uerò in qualibet sylua uel deserto loco, ultra milliaria quatuor aut quinque, uel eo amplius, aliquod dirutum collaborauerit, & illic consentiente episcopo ecclesiam construxerit, & consecratam perpetrauerit, prospiciat presbyterũ ad seruitium Dei idoneum & studiosum: & tunc demùm nouam decimam nouæ reddat ecclesiæ, salua tamen potestate episcopi.

De sepultura mortuorum. Cap. 6.

Restat propter instantem, quæ tunc maxima occurrit, necessitatem, ubicunq; facultas rerum & opportunitas temporũ suppetat, sepulturam moriẽtium apud ecclesiam, ubi sedes est episcopi, celebrari. Si autem hoc propter itineris longinquitatem, aut adiacentem alicuius inopportunitatis difficultatem, impossibile uideatur: expectet eũ terra sepulturæ suæ, quo canonicorum aut monachorum, siue sanctimonialium congregatio sancta communiter degat, ut eorũ orationibus iudici suo commendatus occurrat: & remissionem delictorum, quam meritis non obtinet, illorum intercessionibus percipiat. Quòd si & hoc ineptũ & difficile æstimetur, ubi decimam persoluebat uiuus, sepeliatur mortuus.

Vt sepulturam morientium nemo uendat. Caput 7.

Abhorrẽdus & Christianis omnibus deuitandus mos iniquus subrepsit, sepulturam mortuis debitam sub precio uendere, & gratiam Dei uenalem facere, cum hoc nusquam sub Euangelica gratia meminimus nos inuenisse, uel legisse. In Ecclesiastico namque scriptum est: Mortuo non prohibeas gratiã, sciens quia omnes moriemur.

Et item: Omnia quæ de terra sunt, in terram conuertuntur. Quid terra terram uendis? memento quoniam terra es, & in terram ibis: & quoniam mors tibi futura est, appropiat, & non tradat. Recordare quoniam non hominis est terra, sed (ut Psalmista cõmemorat) Dominiest terra, & qui habitãt in ea. Si terram uendis, inuasione alienæ rei reus teneberis. Gratis accepisti à Deo, gratis da pro eo. Quare interdictum sit omnibus omnino Christianis, terram mortuis uendere, & debitam sepulturã denegare. Nisi fortè proximi & amici defuncti, propter nomẽ Domini & redemptionem animæ uiri gratis aliquid donare uelint.

Vt nullus laicus in ecclesia sepeliatur. Caput 8.

Secundum statuta sanctorum patrum, & experimenta miraculorum, prohibemus & præcipimus, ut deinceps nullus laicus in ecclesia sepeliatur. Quidam mirabilis doctor, nostræ diffinitioni consentiens inquit: Nemo enim in ecclesia sepeliatur, nisi fortè talis sit persona sacerdotis, aut cuiuslibet iusti hominis, qui per uitæ meritum, talem uiuendo suo corpori defuncto locum acquisiuit. Corpora antiquitùs in ecclesia sepulta nequaquam proijciantur: sed pauimento desuper facto, nullo tumulorum uestigio appareẽte ecclesiæ reuerentia cõseruetur. ubi uerò hoc præ multitudine cadauerũ difficile sit facere, locus ille cœmiteriũ & polyandrium habeatur, ablato inde altari, & constituto, ubi religiosè sacrificium Deo ualeat offerri. Beatus Gregorius in miraculis patrum, memoria dignum & huic rei cõgruum refert miraculum, in Genuensi urbe cõtigisse. Ibi namq; quidam Valentius nomine,

mine, Mediolanensis ecclesiæ defensor, defunctus est, cuius corpus in ecclesia beati martyris Syri sepultum est. Nocte autē media in eadem ecclesia factæ sunt uoces, ac si quis uiolenter ex ea repelleretur foras. Ad quas nimirum uoces cucurrêre custodes, & uidêre duos quosdam tenerrimos spiritus, qui eiusdē Valentij pedes cum ligatura constrinxerant, & ab ea ecclesia clamantem animam uociferantes foras trahebant. Qui uidelicet exterriti, ad sua strata reuersi sunt. Manè autem facto, aperientes sepulchrum, ubi idem Valentius positus fuerat, eius corpus non inuenerunt. Cumq; extra ecclesiā quærerent, ubi proiectum esset, inuenerunt hoc in sepulchro alio positū, ligatis adhuc pedibus, sicut de ecclesia fuerat abiectum. Ex qua re colligendū est, quia hi quos peccata grauia deprimunt, si in sacro loco sepeliri se faciunt, restat ut etiam de sua præsumptione iudicentur, quatenus eos sacra loca non liberēt, sed etiam culpa temeritatis accuset. Quid igitur sacra loca sepultis prosunt, quando hi qui indigni sunt, ab eisdem sacris locis diuinitùs proijciuntur? Sancta Synodus dixit: Mira res, & multis expauescenda: ideoq; per futura temporum curricula ab omnibus obseruanda.

De uasculis, quibus mysteria sacra conficiuntur. Caput 9.

Vasa quibus sacrosancta conficiuntur mysteria, calices sunt & patenæ. De quibus Bonifacius martyr & episcopus interrogatus, si liceret in uasculis ligneis sacramenta conficere, respondit: Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc econtrà lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus. Zepherinus 16 Romanus episcopus patenis uitreis Missas celebrari cōstituit. Tun deinde Vrbanus 18. papa, omnia ministeria sacrata fecit argentea. In hoc enim, sicut & in reliquis cultibus, magis & magis per incrementa temporum decus succreuit ecclesiarū. Nostris enim diebus, qui serui patrisfamiliâs sumus, ne decus matris Ecclesię imminuatur, sed magis cumuletur & amplificetur, statuimus, ut deinceps nullus sacerdos sacrum mysteriū corporis & sanguinis Iesu Christi Domini nostri, in ligneis uasculis nullo modo conficere præsumat, ne unde placari debet, inde irascatur Deus.

Ne in calice aut uinum solum, aut aqua sola offeratur. Caput 10.

Alexander successor Euaristi, dixit: Non debet enim, ut à patribus accepimus, & ipsa ratio docet, in calice Domini aut uinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrunq; permixtum: quia utrunq; ex latere eius profluxit. ut uidelicet pre hoc indicet, populos, qui secundum Ioannem aquæ sunt, à Christo, cuius sanguis in calice est, diuidi nō debere. Cuius rei ueritatem in hac sancta Synodo confitemur, credimus & cōfirmamus, ne ullus sine cōmixtione uini & aquæ mysteria sacra conficiat: sed ut duæ partes sint uini, quia maior est maiestas sanguinis Christi, quàm fragilitas populi: tertia aquæ, per quā intelligitur infirmitas humanæ naturę.

De iniuria clericorum. Cap. 11.

Si quis irreuerēs, timorem Domini ponēs, in seruos eius sæuire præsumpserit, quos ipse præ cæteris peculiari singularitate sibi segregauit, & coronæ suæ similitudine, tradente Apostolorum principe, gestorem fecit, & seruos suos dici & esse uoluit, loremq; illorum se constituit, sicut de eis scriptum est, loquente ipso Domino, Ego hæreditas eorum, Dominus hæreditas mea est: Si quis (ut diximus) ullum eorum quocunque ordine consecratum, cæsis uulneribus, uel quibuscunque iniuriis angustauerit, iubeat eum Dominus episcopus per bannum à se impositum ante se uenire, & aduocet cognitorem & adiutorem Comitem, & constringat proteruum episcopus autoritate Canonica, ut eidem clerico, cui contra diuinas & humanas leges contumelias ingessit, iustam & debitam persoluat compositionem: & Comite agente, persoluat bannum regibus debitum. Si uerò agente proteruus uenire contempserit, iusticięque consentire detrectauerit, agantur super eū omnia quæ suprà scripta sunt in secundo & tertio capitulis, nisi iterū ueniat, & iusticiæ concordet.

De querimonia inter presbyterum & laicum. Cap. 12.

Si quis presbyter contra laicum, uel laicus contra presbyterum, aliquam habet querimoniæ controuersiam, episcopo præcipiente sine personarum acceptione finiatur: & laicus per iuramentum, si necesse fit, se expurget: presbyter uerò uice iuramenti, per sanctam consecrationem interrogetur, quia sacerdotes ex leui causa iurare non debent. Manus enim, qua corpus & sanguis Christi conficitur, iuramento polluetur? abſit, cum Dominus in Euangelio discipulis suis, quorum uicem nos indigni in sancta gerimus Ecclesia, dicat: Nolite omnino iurare: sit autem sermo uester, Est, Est, Non, Non: quod autem his abundantius est, à malo est. Non dixit, quòd amplius est, malum est: sed à malo, id est, à malo homine, de cuius incredulitate cogimur iurare. ut enim in quadam homilia beati

Bedæ

Bedæ presbyteri legimus, si fortè nos incauatum, peiorem uergat in exitum, libertius iurasse contigerit, quod scilicet obserrè illud mutandum nouerimus salubriori consilio.

De eo, si quis liber aliquo crimine infamatur. Cap. 13.

Si quis fidelis libertate notabilis, aliquo crimine aut infamia deputatur, utatur iure, iuramento se excusare. Si uerò tanto taliq; crimine publicatur, ut criminosus à populo suspicetur, & propterea superiuretur, aut cõfiteatur & pœniteat: aut episcopo, uel suo missо discutiente, per ignem candenti ferro cautè examinetur. Deus omnipotens, cum omnia nuda & aperta sint oculis eius, (ut in epistola Euaristi papæ scriptum legimus) quo nos à dubijs & incognitis sententiam proferre compesceret, mala Sodomæ noluit audita iudicare, priusquam manifestè agnosceret quæ dicebantur. Vnde ipse ait: Descendam, & uidebo utrum clamorem qui uenit ad me, opere cõpleuerint, an non est ita, ut sciam. Quo exemplo moniti, ne ad proferendam sententiam unquam præcipites simus, aut temerè indiligenterque indiscussa quæque quo modo iudicemus: sed exemplo Domini descendamus, uideamus, & iusto examine criminosos diligenter perscrutemur, sicut ipse Sodomam, ut uidearint, nec ne. Nam mala audita nullum moueant, sed antè audita diligenter inquirat.

De his qui uelatas, Deo consecratas, in coniugium duxerint. Cap. 14.

Si quis sacro uelamine consecratam in cõiugium duxerit, & post dicatum Deo propositum incæsta fœdera, sacrilegaq; miscuerit, ut in constitutis Gelasij papæ cap. 20 legitur: protinus æquum est à sacra communione detrudi, & nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi. Si tamen pœnituerint, transeuntibus de seculo uiatico non negetur. In Chalcedonensi concilio, capite 16. Hoc perpetrantes excommunicentur, confitentibus authoritate episcopi misericordia largiatur. In epistola papæ Syricij, cap. 6. Velatæ, Deo consecratæ, si abiecto proposito sanctitatis, clanculum sacrilega se contagione miscuerint, uel de illicitis complexibus publicè & liberè filios procrearint, has impudicas detestabilesque personas, à monasteriorum cœtu, & Ecclesiarũ cõuentibus eliminandas esse iudicatum est: quatenus retrusæ ergastulis, tantum facinus continua lamentatione defleant. Vnde uerbo Domini & Canonica autoritate in hac sancta Synodo præcipimus, ut omnino separentur, & iuramento colligentur, ulterius sub uno non cohabitare tecto, nec familiari frui colloquio, excepto in Ecclesia & in publico: aut pariter ullam habere communionem, unde suspicio illecebrosi desiderij, aut scandalum libidinosi facti iustè possit oriri. Si quæ etiam inter se diuidenda sint, diuidant, & uterque sua prouideat.

De uirgine ante 12 annos uelata, non consentiente patrono, sub cuius erat patrocinio. Cap. 15.

Quæcunque uirgo sub patronicio ante annos 12, non coacta, sed propria uoluntate sacrum uelamen sibi imposuerit, annumq; & diem, nullo repetente, uelata permanserit, ab eodem sancto habitu ulterius non recedat: sed sponsa uero regi Christo, immaculato agno, ulterius incorrupta & immaculata deseruiat. Si uerò idem patronus post annum & diem, sanctum propositum corrumpere, & uelatã studuerit repetere, atq; Christo suã spõsam rapere, secũdũ præstitutã Canonũ præiudicamus, ut uires nõ obtineat, sed Christo regi suam sponsam relinquat. Si quis de uirginib. uelatis curiosius & diligentius inuestigare perstiterit, insistat. ca. 16. Carthaginẽsis sancti Cõcilij, & 93 Aphricãi. In Carthaginensi cap. 16 continetur, ut ante 25 annum uirgines non consecrentur. In Africano 93, ut quicunque episcoporum, aliqua urgẽte necessitate, uel periculo mortis angustante, aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet, uelauerit, seu uelauit ante 25 annum ætatis uirginem, non ei obsit Concilium, quod de isto annorum numero constitutum est, quin uelata & consecratra permaneat.

De uiduis uelatis. Cap. 16.

Viduas autem uelare, pontificum nullus attẽtet, prout constitutum est in decretis papæ Gelasij cap. 13. quòd nec authoritas diuina, nec Canonum forma præstituit. Quæ sũ propria uolũtate continẽtiã professa est, ut in eiusdem Gelasij capite 21 legitur, eius intẽtio pro se reddat rationem Deo. Quia sicut secundum Apostolum, si se continere non poterat, nullatenus nubere uetabatur: sic secum habita deliberatione, promissam fidem pudicitiæ Deo debet custodire. Qua authoritate paternæ suffulti sententiæ, in hoc sacro cõuentu sancimus, & liberè iudicamus, quòd si sponte uelamen, quamuis non consecratum, sibi imposuerit, & in ecclesia inter uelatas oblationem Deo obtulerit, uelit nolit, sanctimoniæ habitum ulterius habere debebit, licet sacramento confirmare uelit, eo tenore & ratione uelamen sibi imponere, ut iterum possit deponere.

De monachis regulariter exeuntibus, siue fuga regularis disciplinæ elapsis.
Cap. 17.

Si quis monachus pro lucro animæ uel animarum, à suo monasterio exire, & aliud proposuerit intrare, consentientibus episcopo, abbate & fratribus: consentimus & concordamus, quia id fecisse multos sanctos legimus. Si uerò fugam regularis disciplinæ elapsus, propositum sanctitas calcauerit, omnimodis cohercendus, & ab hominibus detestandus, atque omni onere est grauandus: ut saltem rubore uerecundiæ confusus, & onere paupertatis afflictus redeat, quem relicta singularitatis professionis inimicus tenebat. Si autem tam irreuerens & pertinax est, ut ad monasterium redire, & proposito monachi reluctauerit obseruare, impleantur super eum constituta, quæ de eo scripta sunt in sancto Canone in Concilio Chalcedonẽsi, cap. 4. papæ Syricij 6. Leonis 26. quatenus retrusus ergastulo, decoqui possit pœnitudinis igne purgatorio.

De clericis qui semel in clero deputati sunt. Cap. 18.

In Synodo Chalcedonensi cap. 7. statutum est ut clerici, qui semel in clero deputati sunt, neque ad militiam, neque ad aliquam ueniant dignitatem mundanam. Et hoc tentantes, & pœnitentiam non agẽtes, quo minus redeant ad hoc, quod propter Deũ primitùs elegere, anathematizari. Nos autem eandẽ sequẽtes Canonicã authoritatẽ, statuimus, ut clericus ecclesiasticè nutritus in ecclesia corã populo uel legẽs uel cantãs, si postmodũ relicto clericat⁹ habitu, à castris Dominicis, quibus assciptus est, profugus & apostata elabitur, & ad seculũ egreditur, ab episcopo canonicè coherceatur, ut ad signum matris Ecclesiæ reuertatur. Quòd si in hac disciplinatione perdurat, ut comam nutriat, constringatur, ut iterum detondeatur, & postea nec uxorem accipiat, nec sacrum ordinem attingat. Si uerò huic huius sancti concilij reluctatus fuerit definitioni, secundum præstitutam Chalcedonensis capituli constitutionem anathematizetur. Sanctus Isidorus tales hippocentauris dicit esse similes, qui nec equi, nec homines, atque quasi bruta animalia, libertate ac desiderio suo feruntur.

Vt nullus episcopus alterius ministrum ecclesiasticum sollicitet. Cap. 19.

In Niceno sancto & uniuersali Concilio continetur: Propter multam perturbationem, & seditiones quæ fiunt, placuit consuetudinem omnimodis amputari, ita ut de ciuitate ad ciuitatem, non episcopus, non presbyter, non diaconus, transferatur, &c. In Chalcedonensi cap. 20. Clericos in ecclesia ministrantes, in alterius ciuitatis ecclesiastatutos fieri non oportet. Si quis episcopus post hanc definitionem susceperit clericum ad alium pertinentem, suscipiens & susceptus communione priuentur, donec is qui migrauerat, ad propriam fuerit regressus ecclesiam. Item in Synodo Sardicensi cap. 18. Vt nulli liceat episcopo, alterius episcopi ministrum ecclesiasticum sollicitare, & in suis parochijs ordinare. In Africano, cap. 2. Vt clericum alienus nullus sibi priuet episcopus, præter eius arbitrium, cuius fuerit clericus, &c. Item in decretis papæ Leonis: Alienum clericum inuito episcopo ipsius nemo suscipiat, nemo sollicitet, nisi fortè ex plagito charitatis id inter dantem accipientemq; conuenerit. Quibus constitutis sanctorum Canonum operam dantes, & uestigijs patrũ inhærentes, hoc secundum prefixos sanctos Canones statuimus, & iustum esse decernimus.

Vt nullum seruum ante perfectam libertatem episcopus ordinare præsumat. Cap. 20.

Secundum decreta sanctorum patrum præiudicamus, & nos id acturos profitemur, ut nullum seruum episcopus ordinare præsumat, antequam perfecta ditetur ingenuitate: quia non debet uilis persona fungi sacerdotij dignitate. Leo papa in epistola sua, capitulo primo: Debet enim esse ab alijs secretus, qui diuinæ militiæ fuerit aggregandus, ut à castris Dominicis, quibus nomen eius adscribitur, nullis necessitatis uinculis abstrahatur. Gregorius in decretis suis, capitulo 7. Multos ex Ecclesiastica familia nouimus, ad omnipotentis Dei seruitium festinare, ut ab humana seruitute libri in diuino seruitio ualeant conuersari. Si uerò festinantes ad omnipotentis Dei seruitium, incautè retinemus, illi inuenimur quædam negare, qui dedit omnia. Vnde necesse est, ut ab humano seruitio liber recedat, qui diuini obsequij districtam subire appetit seruitutem. Sancta Synodus dixit: Præfinita patrum statuta inuiolabilem habeant firmitatem.

De eo, si quis ab Apostolico falsam detulerit epistolam. Cap. 21.

In memoriam beati Petri apostoli honoremus sanctam Romanã Apostolicã sedem, ut quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra ecclesiasticæ rationis. Quare seruanda est cum mansuetudine humilitas, ut licet uix ferendum ab illa sancta sede imponatur iugum, conferamus, & pia deuotione toleremus. Si uerò, quod nõ decet,

decet, quilibet siue sit presbyter, siue diaconus, aliquam perturbationem machinando, & nostro ministerio insidiando, redarguatur falsam ab Apostolico detulisse epistolã: uel aliud quid, quod inde nõ cõuenerit salua fide: & integra circa Apostolicum humilitate, penes episcopum sit potestas, utrum eum in carcerem, aut in aliam detrudat custodiã, usque quò per epistolam, aut per idoneos suæ partis legatos, Apostolicam interpellet sublimitatem, ut potissimùm sua sancta legatione dignetur decernere, quid de talibus iusto ordine lex Romana statuat diffinire, ut & is corrigatur, & cæteris modus imponatur.

De furibus & latronibus. Cap. 22.

Tranquillitatem sanctæ Dei ecclesiæ inquietari, & pacem fraternam infestari, testantur fures & latrones, qui ambulant inter nos ouina pelle obumbrati, sed lupina mente recedunt alienati, res ecclesiarum sæuia mente adducti rapientes, & gregem Dominicum spoliando lacerantes. De quibus Saluator in Euangelio commemorat: Qui non intrat per ostium in ouile ouium, ille fur est & latro. Atque subiungit: Fur non uenit nisi ut furetur, & mactet, & perdat. Vbi quamuis hæreticos, qui fidem furantur Ecclesiæ, designet: tamen insecutione furum & latronum turbatam monstrat pacem ecclesiarum. De talibus Apostolus ad Philippẽses: Videte canes, uidete malos operarios. Canes uocauit, quòd non habent uerecundiam: malos operarios, quia nulla faciunt quæ pietati conueniunt. Et Dominus per prophetam Esaiam: Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam. Vnde nos, quæ Dominus diligit, diligentes, & quæ odit, odio habentes, statuimus & iudicamus, ut si quis post hæc Euangelica, & Apostolica atq; Prophetica uerba, & diffinitionem pacatissimæ Synodi, inuentus fuerit furtum aut rapinam exercere, & in ipso diabolico actu mortem meretur incurrere, nullus pro eo præsumat orare, aut eleemosynam dare. Et eleemosyna pro eo data, in memoriam clericorum, nec pauperum ueniat, sed execrabilis fordescat. Beatus Augustinus de talibus horribilem profert sententiã, dicens: Nemo te post mortem tuam fideliter redimit, quia tu te redimere noluisti. Si autem ille fur uel latro uulneratus elabitur, & expectatione mortis desperatus putatur, atque reconciliari se mysterijs sacrosanctis, habitu corporis & uoluntate piæ mentis deprecatur, Deoq; & sacerdoti, comite uita, emẽdationem morum & actuum confitetur, communionis gratiam non negamus tribuendam. In Niceno magno concilio statutum legimus: Si quis egreditur è corpore, ultimo & necessario uiatico minimè priuetur, &c. Idem de ultima pœnitentia in epistola Innocentij papæ, capite 21: Tribuitur ergo cum pœnitẽtia extrema communio, ut homines huiusmodi uel in supremis suis, permittente Saluatore nostro, à perpetuo liberentur exitio. Item de eodem Carthaginẽsi 7. & Cælestini 15. ubi ait: Quid, rogo, aliud est, ultimã pœnitentiam negare periclitanti, quàm mortem addere morienti?

De ecclesia à compluribus cohæredibus obsessa. Cap. 23.

Quæcunque Ecclesias à compluribus cohæredibus sit obsessa, concordi unanimitate undiq; procuretur, ne propter aliquas disceptationes seruitium Dei minuatur, & cura populi irreligiosè agatur. Si uerò contingat pro ea cõparticipes dissidere, & sub uno presbytero nolle eam procurare, & propterea iurgia & contentiones tam inter ipsos quàm inter clericos incipiant frequentare: quia iuxta Apostolum, seruos Dei non oportet litigare: episcopus tollat inde reliquias, & sub magna cura honorificè collocet eas, atque eiusdem ecclesiæ claudat ostia, & sub sigillo consignet ea, ut sacrum ministerium nullus celebret in ea, antequam concordi unanimitate unum omnes eligant presbyterum, qui idoneus sit sacrosanctum locum procurare, & populo Dei utiliter præesse. Hanc autem habeant authoritatem episcopi, ut in nullis ecclesijs nec constituantur presbyteri, nec expellantur, illis inconsultis, & non consentientibus. In epistola beati papæ Clementis legitur: Attendendũ summopere est omnibus presbyteris & reliquis clericis, ut nihil absq; episcopi proprij licentia agant, non utique Missas sine eius iussu quisquam presbyterorum in sua parochia agat. Similiter & reliqui populi, maiores scilicet & minores, per eius licentiam quicquid agendum est agant. Animæ uerò eorum ei creditæ sunt: ideo omnia eius consilio agere debent, & eo inconsulto nihil.

De claudis, & aliqua parte corporis minutis, si sacro ordini possint adiungi. Cap. 24.

In Niceno sancto & uniuersali Concilio statutũ est, cap. 1. Vt si quis à medicis per languorem defectus est, aut à barbaris abscisus, hic in clero permaneat. In epistola Innocentij papę cap. 28. Qui igitur uolens cuiuslibet partem digiti sibi abscidit, hunc ad clerum Canones non admittunt. Cui uerò casu aliquo contingit, hunc Canones præcipiunt & clericum fieri: & si in clero fuerit reper-

repertus,non abijci. Item in decretis Gelasij papæ cap.16. Vt nemo literas nesciens, uel aliqua parte corporis imminutus, promoueatur ad clerum. Hanc authoritatem sanctorum patrum confitemur, & confirmamus, sequimurque, ita ut si quis à medicis per languorem defectus est, uel per aliquam infirmitatem claudus effectus est, inueniatur aliàs dignus,permaneat clericus, & sacro ordini aptus.

De eo,si quis in hoste contra paganos, interficit captiuos Christianos. Cap.25.

Vndique bella consurgunt, hostes sæuiunt,inimica gens paganorũ insequitur populum Christianorum.Impletum est enim, quod Euangelica testatur historia : Surget gens contra gentem,& regnum aduersus regnum, &c. Et alibi scriptum est: Pugnabit orbis terrarum pro eo contra insensatos. Quapropter zelo diuinæ æmulationis accensus Christianorum exercitus, procedunt ad bellum, confidentes in eum qui dixit: Vos ad certamen acceditis, ego prælior pro uobis.Fit conuentus Christianorum & paganorum:fortiter dimicant isti pro fide, illi contra fidem. Vnde fortissimo confortante Domino,sicut Matathias pater Machabæorum ait, Non in multitudine exercitus fit uictoria belli,sed de cœlo ueniet fortitudo: sæpe fit uictoria Christianorum,uicta est pars paganorum. Quare unà cum interfectis paganis perempti fuerunt Christiani, captiui à barbaris,quia in impetu belli nequeunt distingui. Idcirco iustum decernentes, statuimus, cum interfectoribus misericordius agendum, ita ut quadraginta diebus pœnitentiæ indulgentius transactis, penes episcopum sit authoritas & potestas, ut perpendat culpam,agat indulgentiam.

Vt nullus comes,nullusq; iudex diebus festis uel Dominicis,seu ieiuniorum aut quadragesimæ, placitum habere præsumat,& nullus pœnitens illò ueniat. Cap.26.

Secundum sanctorum statuta patrum, in hoc sancto præiudicamus concilio,ut nullus comes, nullusq; omnino secularis, diebus Dominicis uel sanctorum in festis, seu quadragesimæ aut ieiuniorum, placitum habere,sed nec populum illo præsumat cohercere. Quia inde irascitur Deus,cum tantum suo sancto seruitio debet populus desudare, inueniatur lites & contentiones frequentare. Diebus uerò Dominicis & sanctorum festis,uigilijs & orationibus insistendum,& ad missas cuilibet Christiano cum oblationibus est currendum, & tantummodo Deo uacandum. Diebus quadragesimæ & ieiuniorum, summa deuotione ieiunandum & omni intentione est orandum, atq; unicuiq; pro facultatibus suis eleemosynæ tribuendæ,& nullæ lites uel contentiones habendæ.Arguit enim eos, qui contentiones & lites tempore ieiuniorum, & qui à debitoribus debita exigũt, Dominus per prophetã dicens: Ecce in diebus ieiuniorum uestrorum inuenitur uoluptas uestra , & omnes debitores uestros repetitis : ecce ad lites & contentiones ieiunatis & percutitis pugno impiè.Ideo nobis,qui gregis Dei curam accepimus pastoralem, summoperè curandum & prohibendum est,ne nostra desidia agente,præfatis diebus ullus placitum habere, & populum nobis commissum à seruitio Dei nostri audeat impedire. Præterea sancimus & præcipimus , ut nullus comes aliquem pœnitentem ad placitum ire compellat, nec ipse ueniat: ne fortè dum ieiunare & orare, atq; pro salute suæ animæ debet inuigilare, uaniloquijs & contentionibus cogatur laborare.

De eo, si duo fratres simul arborem succiderint, & cadente arbore,unus eorum interfectus fuerit. Cap. 27.

Si contingat duos fratres simul arborem succidere,siue in sylua , siue quocunq; loco & cadente arbore,alter alteri Fuge uel cane, dixerit,& ipse stans siue fugiens , subtus ipsam arborem deuenerit,& mortuus fuerit, superstes frater innocens de morte defuncti dijudicetur.Quia non uoluntate,non incuria illius,non deniq; consensu, nec ullo suo mortem incurrit reatu : sed dum ambo insisterent operi necessariò, incautus & inspectus casu arboris depressus est,nemine penitùs adiuuare ualente. Hanc eandem statuimus diffinitionem de cæteris similibus siue cognatis,siue nulla proximitate coniunctis. Istam diffinitionem tenuêre patres nostri Apostolici uiri:ideo eorum exempla sequêtes per futura tempors inuiolabilem eam custodimus,& posteris nostris sequendam transmittimus:quia graue peccatum est,& nostro ministerio contrarium , innocentem opprimere,& securum crimine scienter criminosum habere.Quidam de sapientibus ait:Premit insontes debita sceleri noxia pœna,iustusq; tulit crimen iniqui.

De muliere,cuius infans aliquo casu propter negligentiam eius moritur. Cap. 28.

Si quæ mulier, ut sæpe contingit, infantem proprium prope ignem collocauerit, & alius qui caldarium super ipsum ignem pependerit,& aquam infuderit, atque aqua ipsa per ignem feruens egreditur, & infanti superfunditur , & propterea mortuus agitur : mater infantis , propter negligentiam

tiam, iudicio sacerdotũ pœniteat: & homo qui caldarium pepẽdit, securus permaneat. Simili modo de cæteris similibus, quæ sæpe diuersè solẽt euenire, & iudicamus, & esse uolumus.

Si quis liber libertam duxerit, ulterius habere debebit. Cap. 29.

In decretis papæ Leonis, cap. 18 scriptum est: Non omnis mulier uiro iuncta, uxor est uiri, quia nec omnis filius hæres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima, & inter æquales. Itaque aliud concubina, aliud uxor: sicut aliud ancilla, aliud libera. Igitur si quis filiam suam uiro habenti concubinam, in matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi eam cõiugio dederit: nisi fortè illa mulier & ingenua sit facta, & dotata legitimè, & in publicis nuptijs honestata uideatur. Vnde patersequentes authoritatem, sub præsenti huius sancti catalogo Concilij statuimus: & liberè iudicamus, ut quisquis liber libertã, hoc est, ex ancilla per manumissionem & regalem largitionem liberam factam, legitimè in matrimonium duxerit, ulterius habere debebit, tanquam unam ex nobili genere progenitam, excepta fornicationis causa: & quam diu illa uiuat, nullam aliam accipiat. Est igitur, ut ex decretis papæ Leonis prædiximus, ingenua facta, & dotata legitimè, & in publicis honestata nuptijs: & propterea iam non est concubina, sed uxor legibus acquisita. Hæc eadem lex, pro qualitate sexus, sit fœminis & uiris libertas.

Si quis alienigenam in matrimonium duxerit, habere debebit. Cap. 30.

Quicunque alienigenam, hoc est, alienæ gentis fœminam, uerbi gratia, Francus mulierem Baioricam, utrorumq; consultu propinquorum, legitimè uel sua uel mulieris lege acquisitam, in coniugium duxerit, uelit nolit, tenenda erit: nec ultra ab eo separanda, excepta fornicationis causa. Quamuis enim, ut Apostolus ait, unus dominus, una fides, unum baptisma, utrique communis sit nationi: legem tamen habent diuersam, & quantum ad seculum interdum longè disiunctam. Quare si unus è duobus, unam carnem in duas diuidere, & copulam nuptialem machinetur disiungere, dicendo, nõ secundum suæ gentis legem iura matrimonij contraxisse, & idcirco separari posse: canonica institutione diffinimus, & nostro omniumque orthodoxorum iudicio statuimus, ut quod legis imperfectum sit, perficiatur, & ius matrimonij nequaquam resoluatur. Synodus Romana ait, quòd non dimittenda sit uxor post baptismum, quæ habita est & ante baptismum. In baptismo soluuntur crimina, non tamen legitima coniugia. Cum enim in baptismo transmigrat de uita in uitam, & non mutat uxorem legitimam: quomodo mutat eam, qui non mutat uitam, sed transit de gente ad gentem? Igitur quia iam suffugium non habent separandi, impleant dictum Apostoli, ut unanimes unũ sentientes, permaneant in Christo Iesu Domino nostro. Nos autem cognita referimus, quia quendam Francum & mulierem Saxonicam talia egisse cognouimus. Si quis post hac huius sancti Concilij institutionem paruipendens, aliam duxerit, cuiuscunque gentis sit, canonicè arceatur, ut priori cum pœnitentia copuletur.

De eo, quòd quidam uxorem alterius, uiuente eo, constuprauit. Et insuper iuramento confirmauit, eo moriente, coniugem eam accipere. Cap. 31.

Audiuimus rem execrabilem, & catholicis omnibus detestandam, quendam nefario fornicationis opere alicuius uxorem, uiuente eo commaculasse: & in augmentum iniquitatis, iuramento confirmasse, si eius legitimum superuixissent ambo maritum, ut ille fornicator illam adulteram adulterio pollutam sibi associaret thoro & legitimo matrimonio: si hoc iure dici matrimonium potest, per quod oriuntur, quæ Apostolus enumerat mala, quæ sunt, fornicatio, immũdicia, luxuria, &c. ad ultimum uerò, ueneficia & homicidia, quia pro tam illicito amore, alij ueneno, alij gladio, uel alijs diuersis sunt perempti maleficijs. Idcirco acutissimo ferro, & totius generis artificio resecanda, per quæ cœlestia regna sunt occludẽda. Quoniam, ut idem Apostolus ait, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Tale igitur connubium anathematizamus, & Christianis omnibus obseramus. Non licet ergo, nec Christianæ religioni oportet, ut ullus ea utatur in matrimonio, cum qua prius pollutus est adulterio.

De eo, si quis duxerit uxorem, & concumbere non ualens cum ea, frater eius clàm uiolauerit illam. Cap. 32.

Si quis legitimam duxerit uxorẽ, & impediente quacunq; domestica infirmitate, uxorium opus non ualens implere cum illa: frater uerò eius, suadente diabolo, adamatus ab ipsa, clanculum eam humiliauerit, & uiolatam reddiderit, omnimodò separentur, & à neutro ulterius eadem mulier cõtingatur. Igitur coniugium, quod erat legitimum, fraterna commaculatione est pollutum: & quod

quod erat licitum, illicitum est factum, ut Hieronymus ait: Mulier duorum fratrum non ascendat thorum: si autem ascendit, adulterium perpetrabit. Quia uerò humana fragilitas procliuis est ad labendum, aliquo modo muniatur ad standum. Idcirco episcopus considerata mentis eorum imbecillitate, post pœnitentiam sua institutione peractam, si se continere non possint, legitimo consoletur matrimonio: ne dum sperantur ad alta subleuari, corruant in cœnum.

Si quis de uno in alium trãsmigrat episcopatum, & cõsanguineam suam polluerit, uel aliquod crimẽ cõmiserit. Cap. 33.

Si quis de uno in alium omnino transmigrat episcopatum, & si, quod absit, contingat eum filiam sororis suæ, amitæ aut materteræ, auunculi uel patrui polluere, aut aliquod crimen committere: episcopus, in cuius tunc diœcesi commoratur, & tali scelere criminatur, habeat ius & potestatem, secundum Canonicam authoritatem, & nostram synodalem institutionem, flagitiosum coherere, & ad pœnitendum emollire. Per quos enim melius rei ueritas uentilatur & emendatur, quàm per hos, inter quos habitat, & criminosus apparet?

Si quis cum qualibet fornicatus fuerit, & eo nesciente, filius eius uel frater insçius uiolauerit eam. Cap. 34.

Si quis cum qualibet fornicatus fuerit, & eo nesciente, filius eius uel fater eiusdem rei insçius, cum eadem se polluerit, & post quã se pollutum esse cognouerit, confessus fuerit, & hoc se nescire cum iuramento confirmauerit: quia hoc pœnituit & cõfessus fuit, post peractam congruam pœnitentiam legitimo utatur matrimonio, ne iterum mordente crudelissima libidinis bestia saucietur, & uoraginem fornicationis incidere uideatur. Nam ut Hieronymus ait, ferreas mentes domat libido. Mulier uerò quæ tantum nefas commiserat, ulterius pœniteat, atque continens & innupta permaneat.

Si quis cum aliqua fornicatus fuerit, & frater eius ignarus duxerit illam uxorem. Cap. 35.

Si quis cum aliqua crimen fornicationis fecerit, & frater eius, eiusdem sceleris ignarus, duxerit illam uxorem: frater qui prior per fornicationem polluerat illam, quia nõ indicauit fratri uxorem ducenti, prædura arceatur pœnitentia, & cõdigna castigatione. Qua peracta, si continens esse non possit, indulgentia subleuetur, ne libidini prosternatur, quatenus legitimo consoletur matrimonio. De muliere uerò sancimus, sicut de ea in Neocæsariensi sancto Concilio diffinitũ legimus, cap. 2. Mulier si duobus fratribus nupserit, abijciatur usque ad mortem. Veruntamen in exitu propter misericordiam fructum pœnitentiæ consequatur, si promiserit, quòd facta incolumis, cuius coniunctionis uincula dissoluat. Quòd si defecerit mulier aut uir in talibus nuptijs, difficilis erit pœnitentia in uita permanenti. Episcopus uerò potestatem habeat secundum conuersationem ipsius, aut adijcere negligenti, aut minuere pœnitenti. Tamen ulterius continens, & à uiro disiuncta permaneat.

Si quis cum duabus sororibus fuerit pollutus. Cap. 36.

Simili modo secũdum sanctos Canones diffinimus & iudicamus de eo, qui cũ duabus sororibus fuerit pollutus, ut usque in exitũ uitæ pœnitens & continens permaneat. Soror autem, quæ posterior libidinis perforatoraculeis, scienter se cum eodem commaculauerit, usque in finem uitæ pœnitens & continens perduret. Si autem improuise se contigit, cõdigna stringatur castigatione: & si uelit, legitima utatur uiri coniunctione.

Si cuius uxor constuprata fuerit, & propterea maritus perdere illam machinatus fuerit. Cap. 36.

Si cuius uxor constuprata fuerit, & propterea maritus capitali sententia delere illã machinatus fuerit: ipsa uerò urgente mortis periculo, ad episcopum confugerit, & auxilium quæsierit: operosiori, si potest, episcopus labore desudet, ne occidatur. Si uerò non potest, nullo modo liceat ei, requirenti eam reddere uiro ad occidendum, quæ se ei obtulit ad defendum: sed solerti cura transmittere eam ad locum quem ipsa delegerit, ut secura uiuere possit. Si uerò interdum maritus eam inuenerit & repetierit, secundum secularem potestatem habeat, quid agere ei uelit. Sed audiuit sanctum Augustinum, dicentem: Cum enim uir à uirtute nomen accipiat, & mulier à mollitia, id est fragilitate, quare contra crudelissimam libidinis bestiã uult unusquisque uxorem suam esse uictricem, cum ipse ad primum libidinis ictum uictus cadat? Nam quicquid contra fidem catholicam mulieribus non licet, nec uiris licet. Si autem eadem mulier timore perterrita, à loco ubi eam episcopus destinauit, aufugerit, & uir eius ab episcopo semel aut bis uelit, pius repetierit, si uitam ei obtinere possit, perquirat, & reddat: sin autem, omnino non reddat. Maritus uerò, quandiu ipsa uiuat, nullo modo alteram ducat.

Si quis spiritualem habet compatrem, cuius uxor commater non est, eo defuncto, eius uiduam licet ei ducere uxorem. Cap. 38.

Qui spiritualem habet compatrem, cuius filium de lauacro sacri fontis accepit, & eius uxor

uxor commater non est, liceat ei, defuncto compatre suo, eius uiduam ducere in uxorē, si nullam habent consanguinitatis propinquitatem. Quid enim? nunquid nō possunt coniungi, quos nulla proximitas carnalis, uel id nulla generatio secernit spiritualis?

De eo, si quis suæ spiritualis commatris filiam duxerit uxorem. Cap. 39.

Illud etiam nec Canonica institutione diffinimus, nec introductione aliqua refutamus, sed propter eos qui diuersè de eo sentiunt, hoc loco aliquid commemoramus. Si quis suæ spiritualis commatris filiam, fortuitu, & ita contingente rerum casu, in coniugium duxerit, consilio maturiori seruato habeat, atque honestè legitimo coniugio operam det.

De his qui in adulterio filios genuerunt, ut omnino seperentur. Cap. 40.

De his qui in adulterio iuncti, per incentiua libidinis malæ, filium uel filiam genuerunt, canonicè præiudicamus: ut quando ab episcopo iusta diuisione separantur, eo tenore seiungantur, ne ultra spe reuersionis deludantur. Quare, si quid inter se proprietatis aut pecuniæ communi donatione tradiderunt, utique communi seruant infanti. De reliqua uerò proprietate & pecunia, nullam ulterius habeant communionem, sed uterque sua prouideat, & ut uelit faciat. Et ut hoc uerius credatur, atque firmius obseruetur, uerbo Domini præcipimus, & Canonica atq; Synodali impositione iniungimus, quatenus iuramēto colligētur, deinceps & ultra sub uno nō cohabitare tecto, nec familiari frui colloquio, excepto in ecclesia & in publico: nec ullam habere communionem in proprietate aut mancipijs uel pecunia, siue ullis rebus, unde suspicio luxurioſi facti, aut scandalum libidinosi desiderij iustè possit oriri.

De eo, si quis aliquem per illusionem à recta fide subuerterit, uel perdiderit, ut dupliciter puniatur. Cap. 41.

Si quis uerò, siue sit uir, siue mulier, aliquē à recta credulitate & catholica fide illusione diabolica auerterit, expedit ei, ut Euangelicus intonat sermo, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Quia qui scādalizauerit alios, ut cedant: multo melius esset ei, ut proprijs uitijs & immundicia pollutus puniretur, quàm pro suis & aliorum peccatis in infernum demergeretur. Et si quempiam ueneno uel herbis, aut diuersi generis malefitijs perdiderit, uelut pessimus homicida, duplici mulctetur pœnitentia.

De eo, si quis cum uxore alterius, uiuente eo, fornicatus fuerit. Cap. 42.

Illud uerò communi decreto secundum Canonum instituta diffinimus & præiudicamus, ut si quis cum uxore alterius, uiuente eo, fornicatus fuerit, moriente marito, Synodali iudicio aditus ei claudatur illicitus: nē ulterius ei coniungatur matrimonio, quam prius polluit adulterio. Nolumus enim, nec Christianæ religioni oportet, ut ullus ducat in coniugium, quam prius polluit per adulterium.

De homicidijs non sponte commissis. Cap. 43.

Placuit nobis, de homicidijs non sponte commissis hic inserere, quod in Ancyrano sancto Concilio cap. 22 legitur, ubi dicitur: De homicidijs non spōte commissis, prior quidem diffinitio post septennem pœnitentiam, perfectionē consequi præcepit. Secunda uerò, quinquēnij tēpus explere. Modus aūt huius pœnitentiæ, in episcoporum sit arbitrio, ut secundum conuersationem pœnitentium, possint & extendere tardantibus, & minuere studioſe festinantibus.

De eo, si quis filium suum non sponte, sed casu contingente, occiderit. Cap. 44.

Si quis filium suum, quod absit, non sponte, sed casu contingēte occiderit, secundum homicidia spōte commissa pœniteat: ut sequenti subinfertur capitulo.

De his qui uoluntariè homicidium fecerint. Cap. 45.

De his qui uoluntariè homicidium fecerint, Ancyrano sancto Concilio cap. 21. legitur, ut pœnitentiæ quidem iugiter se submittant: perfectionem uerò, id est communionis Christi gratiam, circa uitæ exitum cō sequantur. Instituta Canonica & sanctorum patrum decreta, nostro & omnium orthodoxorum iudicio, inuiolabilem habeant firmitatem. Nobis autē, qui pastores Christi ouiū sumus, pro moderni temporis qualitate, & hominum fragilitate, bonum & utile uidetur, ut his qui uoluntariè homicidium fecerint, authoritate Synodali & iudicio generali, & modum castigationis imponamus, & certum ac definitum pœnitētiæ tempus prę-monstremus, ne prolixum tempus pœnitentiæ generet fastidium negligentibus, sed cursim exercitatis accrescat opus salutis.

De pœnitentia 40 diernm. Cap. 46.

Si quis sponte homicidiū fecerit, 40 diēbus ab ingressu ecclesiæ arceatur. Et nihil manducet illis 40 diebus, præter solum panem & salem, neq; bibat nisi puram aquam. Nudis pedib. incedat. Lineis non induatur uestibus, nisi tantum fœmoralibus. Seculoria arma non portet. Nullo uehiculo utatur

Ad nullam fœminam, nec ad propriam uxorem, his diebus misceatur. Nullam communionem illis 40 diebus cum alijs Christianis, nec cum alio habeat pœnitente, in cibo uel potu, aut ullis rebus. Si uerò sint aliqui uitæ suæ insidiatores, ut præ illis non possit dignè pœnitere, interim differatur ei eadem pœnitentia, donec ab episcopo proprio pax ei ab illis sit facta. Si enim aliqua corporali infirmitate detentus sit, ut non possit ritè ieiunare: adhibeatur ei misericordia, quo usq; conualescat, & tunc domum pœniteat. Si uerò longo tempore eadem sit occupatus infirmitate, ad episcopum pertinebit, ut prudenter pertractet, quomodo infirmum peccatorem curare disponat: quia ut Gregorius pastorali commemorat libro, occultiora sunt uulnera mētium quàm corporum: & ars est artium, regimen animarum.

Post 40 dies pœnitentia primi anni. Cap. 47.

Post illos quadraginta dies, unum annũ integrum ab introitu Ecclesiæ suspendatur. Et abstineat se à carne & caseo, à uino & medone ac mellita cereuisia, nisi Dominicis & diebus festis, qui per illum episcopatum pulcè celebrantur apud cunctum populum: & nisi uel in hoste, aut in aliquo magno sit itinere, uel longè aut diu ad Dominicam curtim, uel si infirmitate detentus sit. Tũc licitũ sit ei tertiam feriam & quintam, atque Sabbatum, redimere uno denario, uel precio denarij, siue tres pauperes pro nomine Domini pascendo, ita duntaxat, ut uel carne uel uino, uel medone, id est, de tribus una re utatur, non omnibus uescatur. Postquam autẽ de itinere domum reuertatur, aut de infirmitate liberetur, prædictas ferias non redimat, sed statuto modo pœniteat. Completo uerò unius eiusdemq; anni curriculo, ita castigatus ritè & ordinabiliter, more pœnitentium introducatur in ecclesiam.

Pœnitentia secundi & tertij anni. Cap. 48.

Secundum uerò & tertium annum simili modo pœniteat, excepto quòd prædictas tres ferias redimere ius habeat, ubicũq; est, siue in domo, siue in itinere. Cætera per omnia obseruet, ut in primo anno faciebat.

Pœnitentia quarti, quinti, sexti & septimi anni. Cap. 49.

Quartum enim annum, & quintum, sextum & septimum isto modo obseruet. Ieiunet autem his singulis tres quadragesimas: unã ante pascha Domini, à caseo & pinguibus piscibus, à uino & medone & mellita cereuisia. Alteram ante natiuitatẽ sancti Ioannis Baptistæ. Si uerò desunt quadraginta dies ante Natiuitatem, impleantur post nati uitatem. Tertiam quadragesimam ante natiuitatem Domini Saluatoris ieiunet, & abstineat se à carne & cæteris rebus prædictis. Et in his quatuor annis tertia feria & quinta ac Sabbato, manducet & bibat, quodcunque libeat. Et secundam atque quartam feriam denario, aut prædicto denarij precio redimere ius habeat. Sextam uerò feriam cautè obseruet. His septem annis ritè expletis, reconcilietur, & more pœnitentium sacris altaribus & sanctæ communioni restituatur, atq; perfectionem consequatur. 2 tomo Conciliorum.

CAPVT XI.

DE EPISCOPIS ET Doctoribus Ecclesiæ.

DE ASIATICIS Doctoribus.

De Hierosolymitanis.

THOMAS.

THomas episcopus Hierosolymitanus, fuit cultor alienorũ deorum: & reliquias sanctorũ carolo Magno misit, per Georgium & Felicẽ monachos de Israel, pro quibus ampla munera recepit. Anonius lib. 4, cap. 93, de Francis.

IOANNES.

Ioannes metropolitanus Cæsareæ Cappadociæ, à Basilio ad pontificem Adrianum secundum ablegatus, obtulit munera & literas, & Photij librum contra Nicolaũ papam & aduersus principatum Romanæ ecclesiæ scriptũ, ac petijt eius de illo iudiciũ & sententiã. Liber Põtificalis in uita Adriani secundi.

EVTHYMIVS.

Euthymius Sardium archiepiscopus, defendit cultum imaginũ, ideoq; ab Imperatore Michaele balbo in exilium missus est. Zonaras tomo 3, in uita eius.

INGER.

Inger monachus, factus est episcopus Nicenus: & fuit unus ex illis, qui adorationem imaginum damnabant. Ioannicius præscius eius mortis, per Basilium monuit illũ, ut ab errore discederet, & imaginum cultum approbaret: uerùm ille in sua sententia mansit, & piè obdormijt. Metaphrastes in uita Ioannicij, in Nouembri.

THEOPHANES.

Theophanes frater Theodori, & cõsors opinionis de imaginum cultu, & afflictionis particeps, episcopus Nicenus designatus, postquam

postquam ab exilio redijt mortuo Theophilo Imperatore. Scripsit expositionem Canonum & hymnos. Fratris sui corpus in arcam recondidit, quod postea Chalcedonem ex Apamea est trãslatum. Metaphrastes tomo 8, in uita Theodori.

IOANNES.

Ioannes episcopus Cyzicenæ ecclesię, cultum imaginum defendit: & familiaris fuit Theodoro & Theophani, ut patet ex epistola ad eundem ab ipsis scripta. Metaphrastes tomo 5, in uita Theodori.

DE DOCTORIBVS IN insulis maris Mediterranei.

GEORGIVS.

GEorgius sacerdos Venetijs oriundus, à Baldrico comite Pannoniæ Ludouico Pio commendatus, musicæ hydraulicum instrumentum, quod Organon uocant ad Aquas Graneas conflat. Annonius libro 4, capite 113. de Francis, Auentinus libro 4 Annalium.

DE EPISCOPIS Europæis.

MACEDONIAE

IOSEPHVS.

IOseph' episcopus Thessalonicẽsis, frater Theodori abbatis Studiensis, Constantinopoli unà cũ Platone, sese à cõmunione Tarasij, & postea Nicephori auulsit: eamq; ob rẽ cum alijs in carcerẽ cõiectus est, seu in exilium pulsus: ut Paulus Diaconus habet. inde à Michaele Rangabe dimissus: Zonaras tomo tertio.

DOCTORES Thraciæ.

De Constantinopolitanis.

NIcephorus, homo laicus, qui Imperatori erat à secretis, mortuo Tarasio, cõmuni suffragio, licet Plato & Theodorus magister Studiensis cœnobij reluctarentur, eo quòd non esset ex clericorum numero, designatur.

De doctrina eius.

Superstitionem de adorãdis imaginibus, de reliquijs sanctorum, & de intercessione eorũ ad Deum, amplexus est: & hæreticos uidendos, ac profugis fidem datam non seruandã, si aliquid periculi propter eam sit sustinendum, sensit: ut colligitur ex Pauli Diaconi libro 24 rerum Rom.

Scripta.

Scripsit Synodicã epistolam ad Leonem papam, & aliam epistolam ad Imp. Michaelem Balbum, pro imaginum restitutione.

Opera eius in functione.

Disciplinæ Ecclesiasticæ & religionis pristinę studiosus cõseruator fuit. Nam Michaelem Rangabin, & postea Leonẽ, non prius inaugurauit Imperatores, quàm scripto promitterẽt, se nulla Ecclesiæ instituta uiolaturos, neq; Christianorũ sanguine, manus suas contaminaturos esse. Zonaras tomo 3.

Contra hæreticos non modò uoce pugnauit & stylo: sed etiam Imperatori Michaeli hortator fuit, ut contra Manichæos & Attinganos capitalem sententiam promulgaret. Paulus Diaconus libro 24 rerum Rom.

Platonis, Theodori, & Iosephi Thessaloni cẽsis archiepiscopi, qui ab ipso ob ordinationem dissidebant, persequutor fuit. In carcerem enim sunt cõiecti: nec prius inde dimissi, quàm cum eo essent reconciliati.

Literas Synodicas ad Leonem pontificẽ Romanum misit, eumque sibi reconciliauit. Paulus libro eodem.

Imperatores Michaelem, & filium eius Theophylactũ, & Leonẽ, inaugurauit, muneribus satis amplis acceptis.

Consilijs Imperatorum nõnunquã interfuit. Nam cũ rex Bulgariæ transfugas & alia quędã postularet, aut bellum minaretur, ille suasit, ne propter paucos accerseretur bellũ toti regioni, sed aliorum sententias magis probauit Imperator.

Pseudomartyrium.

Cum Leo agnito errore de imaginũ cultu, simulachra ex ecclesiis ob abusum inuocationis tolleret, & Nicephorus sese acrius quàm debebat opponeret: nec tamẽ ex uerbo Dei posset suam opinionem probare, in exilium pulsus est. Zonaras tomo 3, in uita Leonis Armenii, & Metaphrastes in uita Ioannicii. Cum in exilio circiter annos decẽ exegisset, & Michael Balbus Imperator esset factus, scripsit ad eum, ac monuit, ut sacras imagines ecclesiis restitueret. Zonaras tomo eodem, in uita Michaelis.

THEODOTVS.

Theodotus ex Natolia oriundus, Melissenus & Crasiteras duplici cognomine dictus, familiaris Imp. Michaeli, cõciliauit sibi Leonis Armenii amicitiã & gratiã, cum ei uaticinũ cuiusdã lunaticæ mulieris exposuisset, quo indicabatur eũ fore Imperatorẽ. Effecit etiã, ut monachus quidã Leonẽ moneret de cultu simulachrorũ, eiq; apertè minaretur æternas pœnas, nisi illã idololatriã aboleret. Quare ab eodẽ postea designatus est patriarcha, & suffectus Nicephoro in exiliũ deportato. Metaphrastes tõ. 5. in uita Ioannicii.

Opera eius.

Audacter in imagines est grassatus: & Leoni hortator fuit, ut eas ex templis remoueret, propter abusum.

Coronauit Michaelem Balbum Imperatorem, parricidam Leonis, & Iudaicis & hæreticis opinionibus deditum.

Curriculum.

Cum annis sex præsedisset, obijt diem suum sub imperio Michaelis Balbi.

Doctrina eius.

Imaginum cultum & abusum improbauit, usus dicto Esaiæ: Cui assimilastis Dominum? Num imaginẽ eius fecit faber? aut aurifex similitudinem eius parauit?

ANTONIVS.

Antonius Cassimatas, successor Theodoti, cultum & adorationẽ imaginum improbauit, eosq; ex templis eiecit: & Imperatori eiusq; assectis hortator fuit, ut seuerius animaduerteret in iconolatras. Præfuit annis 13, & mortuus est sub Theophili imperio.

IOANNES.

Ioánes Syngelus, præceptor Theophili & legatus, surrogatur Antonio. Hæreticum & præstigiatorẽ Zonaras eũ accusat: sed errorẽ eius nullum indicat, nisi quòd imaginũ cultum & adorationẽ improbarit. Cum aũt reuera sententia eius erronea non sit, inter hæreticos locũ non habet. Cũ præfuisset annis sex, & mortuo Theophilo uxor eius Theodora ex superstitione imagines restitueret, à dignitate episcopi deiectus, flagris cæsus, & in monasterium quoddam conclusus est, eo quòd imagini Mariæ effodisset oculos. Zonaras tomo 3. in uita Theodoræ.

METHODIVS.

Methodius, homo superstitiosus, & imaginũ uenerator ac patronus, à Michaele Balbo ob eam hæresin in carcerem cõiectus, & à Theophilo paulo pòst in Panormũ Antigo in insulã relegatus, & inter duos latrones cõclusus, quorũ altero mortuo & putrescente, fœtore propemodum enecatus, à Theodora pulso Syngelo constituitur patriarcha.

Doctrina eius.

Errorem de imaginum cultu & adoratione mordicùs defendit. Sanctos mortuos innocare iussit, preces mortuis prodesse somniauit.

Opera in functione.

Iuxta errorem suũ, imaginũ restitutionẽ, ut rem maximè necessariam ursit: & crudelis persecutor extitit secus sentientium.

Propagationem fidei Christianæ ad Bulgaros adiuuit, & regẽ eorũ ipse, ut uidetur, baptizauit. pro Theophilo defuncto orauit: & Theodoræ pro certo affirmauit, Deum illi ignouisse illud peccatum, quòd sacras imagines esset persecutus, propter sacrificorum intercessiones.

A' Michaele Imperatore Romam missus, munera obtulit Nicolao pontifici: & petijt ut legatos Constantinopolim mitteret, qui causam Ignatij & Photij cognoscerent. Liber Pontificalis in uita Nicolai.

Certamina eius.

Aduersarij eius subornauerant mulierculam, quæ affirmabat, se ab ipso stupratã esse. Ipse uerò calumniã istã refutabat, ostẽsis genitalibus, quæ planè erant exiccata, & aduneris actus inepta. Interrogatus aũt unde istud mali esset: respondet se Romæ aliquando fuisse, & cum ob libidinis æstũ periclitatus esset de castitate, rogasse Petrum & Paulos sibi apparuisse, & Petrum contactu suo omnem uim libidinis sibi ademisse.

Familiaris ei fuit Ioannicius, qui etiã epistolam ad ipsum scripsit de excommunicandis ijs, qui imaginum cultũ damnarent. Metaphrastes tomo 5, in uita Ioannicij.

Curriculum.

Cum annis 4. Ecclesiam administrasset, mors eum secuta est. Zonaras tomo 3.

IGNATIVS.

Ignatius Imperatoris Nicephori ex filia nepos, Michaelis Rangabis filius, à Leone exstratus, & in monachum attonsus, designatur põtifex Cõstantinopoleos à Theodora.

Opiniones eius

Communem errorẽ de adoratione imaginũ, & sanctorũ inuocatione, amplexus est.

Opera eius in functione.

Vsus est claue ligante. Nam Bardam Cæsarem, qui uxorẽ sine causa dimiserat, & cum sua nuru consueuisse dicebatur, ab aditu in sacram ædem repulit. Zonaras tomo 3, in uita Michaelis & Theodoræ.

Certamina & calamitates eius.

Bardus eum ob excõmunicationẽ sui ab officio remouit, & sepulchro inclusit, ac inde extractum in Mitylenẽ insulam deportauit, & Photium substituit. Ea uerò res peperit dissidia & turbas inter doctores, cum alij Photium, alii Ignatium defenderent. Quare Imperator Michael ad Põtificem scribit, & petit, ut legatos suos eò mittat, qui dissidium de imaginum adoratione, & de ordinatione Photii, ac depositione Ignatii componant. Ablegantur à põtifice Rodoaldus & Zacharias, ac præscribuntur quæ agenda sint. Illi transgressi mandatum pontificis, Ignatium damnant, cum tantum cognoscendæ causæ potestatem haberent. Pontifex re cognita, acta legatorum rescindit, & Ignatiũ ac Photium Romã mitti iubet ad dicendam causam in iudicio sacerdotum: ut patet ex epistola Nicolai põtificis ad Michaelẽ in tomo 2 Conciliorum. Mortuo Michaele Basilius, Photium remouet, & Ignatium restituit.

Curricu-

Curriculum.

Cum annis undecim rexisset Ecclesiam, mortuus est sub Imperio Basilij. Zonaras tomo tertio. Sed Nicolaus pontifex in epistola sua ad Michaelem tomo secundo Concil. asserit, eum post duodecim annos à Bardare motum esse ab officio.

PHOTIVS.

Photius uir insignis, primarius à secretis, & ab eruditione celeberrimus, iudicio Zonaræ tomo tertio: sed adulter & neophytus, de foro ac seculari militia & habitu à Palatinis ædibus eductus, & subitò tonsus, contra sacros Canones, ut Nicolaus papa autumat in epistola ad omnes episcopos per Asiam & Libyam, quæ extat tomo secũdo Concil. patriarcha Cõstantinopoleos designatur à Barda & Michaele.

Opera eius.

Basilium, qui Michaelem adoptiuum suũ parentem interfecerat, ab aditu Ecclesiæ & communionis, eo quòd parricida esset, prohibuit. Quain re præclarè egit. Zonaras tomo 3, in uita Basilij. Propagationem fidei ad Rossos adiuuisse uidetur. nam ea eius tempore accidit, & ex Constantinopoli põtifex ad ipsos uenit.

Basilio dissuasit, ne filium suum Leonem falso delatũ, quod patri insidias struxisset, interficeret. Zonaras tomo 3, in uita Basilij.

Certamina.

Fuit ei lucta cũ Ignatio & eius sectatoribus, qui eũ accusabãt, quòd nõ rectè successisset Ignatio contra ius & canones deposito. Deinde etiam cum põtifice Romano ipsi ea de re certamen ingens fuit, quod is ex ambitione sibi dominatum super Ecclesias uendicaret, ac omnes controuersias ad suum solius arbitrium & sententiam definiri contenderet, ac scripsit librum contra Nicolaum pontificem, quem à pluribus episcopis subscribi curauit: ut patet ex Libro põtificali, in uita Adriani secũdi. Tertiò cum Basilio parricida, qui eum ab officio remouit, dissimulans causam ueram, & prętendens aliam, quòd alienam sedem, nimirum Ignatij, iniustè obtineret: & iussit eum Romę cum Ignatio ea de re coram Adriano secũdo litigare. Misit etiã librum illius contra Nicolaum scriptum, ad Adrianum, qui isthic in Synodo damnatus & exustus est: ac missi legati, Constantinopoli in Synodo Photium declarauerunt depositum & excommunicatum, ut patet ex actis eius Synodi. Postea tamen cum Basilius Romanas fraudes melius agnouisset, & Ignatius è uiuis sublatus esset, Photiũ restituit in pristinam sedem. unde iterum eũ expulit Leo philosophus Imp. ac in monasterium Armenianorum relegauit, in quo uidetur mortuus esse. Zonaras in uita Leonis.

STEPHANVS.

Stephanus, frater Imperatoris Leonis philosophi, depulso Photio patriarcha designatur: qui non ita multo pòst obijt. Zonaras tomo tertio.

ANTONIVS.

Antonius cognomine Cauleas, successit Stephano: sed & ipse non diu præfuit. Zonaras tomo tertio.

NICOLAVS.

Nicolaus à Leone defuncto Antonio surrogatur. qui, præter alias erroneas opiniones, sensit, peccatum esse, ducere quartam uxorem. Nam Leonem ob quartas nuptias cẽ sura Ecclesiastica notauit. Rogatus ut eum uicissim absolueret, recusauit. quare depositus, & in Galacienæum cœnobium est relegatus, succedente illi Euthymio. Sed postea restitutus, adhuc annis tredecim præfuit. Zonaras tomo 3, in uita Lacapeni.

EVTHYMIVS.

Euthymius Syngelus, & ipse quartas nuptias improbauit: & Imperatori Leoni restitit: ne legem conderet, ut suo exemplo cuiuis liceret secundam tertiam & quartã uxorem ducere. Alexander uerò frater Leonis, potitus imperio Nicolaum restituit, & Euthymium dignitate sacerdotis priuat. Zonaras tomo tertio.

DOCTORES DALMATIAE.

DONATVS.

DOnatus episcopus Iaderæ, cum legatis Venetorum & Dalmatorũ ad Carolũ Magnum uenit, cum muneribus: & quæ uoluit impetrauit, anno Domini 806. Annales Francorum: & Annonius libro 4, capite 92. Blondus.

METHODIVS ILLYRICVS.

Methodius ab Vrolpho Morauis Iuliomontanis Venedorum populo episcopus & doctor constituitur, sub Ludouico Pio Auentinus lib. 4 Annalium. Ille uerò in istis regionibus oberrans, & ad uicinas etiam gentes excurrẽs, inter Sclauos & Polonos colligit ecclesias. Nam ad Polonos Methodium etiã fidem Christi propagasse, Cromerus libro 3 Chronicorum Poloniæ annotat. Vt autẽ scriptis etiam propagationem uerbi promoueret, inuenit characteres literarum Vandalicarum, & sacras literas in uulgarem sermonem conuertit. Sacra etiam non Latino, sed Slauonico sermone peregit. Vocatus eam ob causam Romam, acriter contra Latinos disputauit: & sententia Psalmi, Omnis lingua laudet Dominum, obtinuit, ut Pontifex consentiret, ut apud Slauos uernacula

lingua sacra fierent. Ille domũ reuersus, non modò apud Slauos eo pacto sacra peregit: sed etiam Dalmatis & Illyricis hortator fuit, ut abolito Latino & peregrino sermone, uulgari in sacris mysterijs peragendis uterentur, & ritus pontificios ex Ecclesijs suis exploderent.

Certamina.

Cum uideret suos Morauos & Slauos offendi, eo quòd Boij, unde acceperant doctorem suum, alio sermone in sacris uterentur: recurrit in Bauariam, ac cœpit isthic etiam quibusdam persuadere, ut abiecto Latino sermone, uernaculo sacra peragerent, propter ædificationem Ecclesiæ: & ad priorem consuetudinem, quæ fuisset ante Carolum Magnum, redirent. Sed pontificij sacerdotes, Richualda, Adeluinus & Iuuauiẽses, qui hactenus ex decreto Caroli Magni per annos octoginta quinque Latino sermone sacra peregerant, reges adeunt, concionibus & epistolis populum concitant aduersus Methodium. Verùm ille in Morauiam Iuliomontem recedit, ibique mortuus ac sepultus, ac maximo in honore etiam post mortem habitus est. Auentinus libro quarto Annalium. Claruit à tempore Ludouici Pij usque ad Arnulphi imperium, si non duo existimentur fuisse eius nominis: de quo etiam Auentinus dubitat.

OSVVALDVS.

Osuualdus Venedorum, Illyricum, Noricum, Pannoniamq; incolentium episcopus ordinatur à Leopramo Saleburgensi archiepiscopo, circiter annum Domini 840. mancipium fuit Romanorum põtificum. Nam extant binæ epistolæ pontificis ad eundem, in quarum priore sacerdos, qui cultorem falsorum deorum legitima usus defensione occiderat, in ordinem laicorum redigitur: in posteriore uerò presbyter ob diaconum, quem leuiter uerberauerat, lapsum ex equo, & fracta ceruice mortuum, excommunicatur. Auentinus libro 4 Annalium Boiorum.

CYRILLVS.

Cyrillus unà cum Methodio, doctrinã Euangelij prædicauit Sclauis, seu Polonis, ut Chromerus lib. 3 de rebus Polonorum indicat. Contra pontificiorum sentẽtiam ex uerbo Dei obtinuit, sacra patrio sermone esse peragenda. Tempore Nicolai pontificis Romam uenit, eoq; corpus Clementis attulit: & diem isthic obiens, fortè ueneno propinato, in ecclesia Clementis sepultus est. quem etiam signa mendacia, pro confirmanda opinione de sanctorum ἀποθεώσει, edidisse, scribit Ranulphus libro 5, cap. 32 in Polychronico. Antoninus tit. 16. cap. 1. §. 9.

DE EPISCOPIS ITALIAE.

Romani.

STEPHANVS IIII.

STephanus natione Romanus, ex patre Marino, ut continuator Damasi: seu Iulio, ut Platina refert, natus, in patriarchio Lateranensi ab Adriano pontifice educatus & institutus, ac postea à Leone subdiaconus, & deinde diaconus ordinatus est. In quo munere cum sese bene gessisset, & populi fauorem sibi conciliasset, largitionibus mortuo Leoni surrogatus est pontifex, non expectato cõsensu Imperatoris, quod erat contra priuilegium à Leone & Romanis Carolo Magno concessum. Annonius libro 4, capite 102, de Francis.

Opera eius.

Opera ueri pastoris ab eo facta scribuntur propemodum nulla, nisi quòd semel presbyteros & episcopos aliquot ordinauit. Nam neq; docuisse, neq; sacramenta administrasse, neque alijs officiis Ecclesiæ profuisse inse, neque alijs officiis Ecclesiæ profuisse insse, neque alijs officiis Ecclesiæ profuisse dicatur. Sed ut Antichristi legatum & mancipium sese gessit.

Nam regna huius mundi & gloriam eius sibi arrogauit. Ludouicũ enim Remis inaugurauit Imperatorem & Hirmingardin Augustam, coronis ad eam ceremoniam Romadductis, in eum finem, ut paulatim in mentibus hominum illam opinionem confirmaret, quasi summa potestas Imperij penes ipsum esset.

Emunxit præterea ipsum Imperatorem argento. Muneribus enim amplis domum reuersus est, & secum attulit crucẽ, non quidem illam Christi, sed auro, argento & gemmis ornatam, quam Ludouicus S. Petro donauerat.

Maiestatem contempsit, & regnum Antichristi altius super Ecclesiam & magistratum euehere conatus est. Nam cum electio Romani pontificis, decreto Adriani & Leonis esset Imperatori subiecta, ac ipse cum iuris esset Imperatori subiecta, ac ipse cum iuris intelligeret, se eam ob rem sub potestate Imperatorũ esse, machinari cœpit istius subiectionis & seruitutis abolitionem. Oblata autem erat occasio, ipse enim inconsulto Imperatore, erat à clero & populo electus & ordinatus. Volebat experiri an id Ludouicus Imperator molestè ferret. Ad eum ergo excurrit in Gallias, & factum excusat, ac petit confirmationem. Cum autem animaduertisset, Ludouicum non admodum esse sui iuris tenacem: reuersus Romam suos docet, paulatim infringendam esse illam Imperatoris potestatem: ac licere pontificem sine

eius autoritate eligere, sed electum non oportere consecrari sine illius assensu, & legatorum eius præsentia.

Egit patronũ seditiosorum. Nam à Carolo proscriptos, & Roma eiectos propter iniuriam Leoni illatam, petijt dimitti. Platina, in uita eius.

Deos alienos, sanctos mortuos coluit auro & argento. Barbaræ & Helenæ uestes induit pretiosas: & aureas cruces, calices, ac patenas plures fecit, dijsq; distribuit: ut patet ex libro Pontificali.

Curriculum eius.

Ex Galijs Roma reuersus, septimo mense sui pontificatus obijt, anno Domini 817. Platina, Balæus Centuriæ 2, cap. 13. Luitprãdus in uita eius, Annales Francorum, Volaterranus, Sigebertus. Ranulphus ei adscribit annos tres: libro 5, cap. 29.

PASCHALIS I.

Paschalis natione Romanus, ex patre Bonoso, in patriachio Lateranensi educatus, Pontificias imbibit artes à teneris. Professus uitam monasticam, à Leone abbas designatus est in cœnobio S. Stephani, ubi sese liberalem etiam erga peregrinos exhibuit. Populus autem & clerus eum in Stephani locum absque Imperatoris assensu elegit & substituit, anno Domini 817. Sigebertus.

Scripsit epistolam ad Ludouicum, in qua sese excusat, quòd sibi inuito honor pontificius sit impactus. Annonius lib. 4. cap. 103.

Scripsit etiam epistolam cõmendaticiam pro Ebbone, ad omnes episcopos & proceres Germaniæ, ut eum iuuent in propaganda doctrina Christi ad Danos & Suecos.

Opera eius.

Suo antecessori non admodum dissimilis fuit. bis ordinauit episcopos & presbyteros, & aliquot captiuos redemit: quæ sanè opera tolerabilia uideri possint. In cæteris uerò Antichristi patronum & mancipium se præstitit strenuum.

Nam reliquias sanctorum mortuorũ translatione, templorũ ædificiatone, & dedicatione, oblatione, adoratione, argento, auro, uestibus, picturis coluit: alijsq;, ut idé facerent, edixit, ut patet ex cõtinuatore Damasi, & Platina in uita eius.

Incendium quo scola Anglorum quæ Romæ erat, & Burgus dicebatur, absumi cœperat, repressit sua quadam superstitione, locum flammę designans, quem transgredi nõ uoluit propter affusam à ciuibus aquam. O' insigne miraculum.

Architectum egit monasteriorũ, ad usum & exercitium doctrinæ dæmoniorũ de interdictis nuptijs, 2 Timoth. 4. & ad promouendum Baalismum. Nam cœnobium in honorem Praxedis extruxit: & Græcos monachos eò collocauit, qui mortuos sanctos ibi sepultos, dies & noctes modulando peregrina & ignota lingua excitarẽt & obtunderẽt: ut si fortè Latina obliti essent, Græca ab ipsis discerẽt. Idẽ fecit cũ mõasterio Cecilię.

Finxit Ceciliam sibi in somnis apparuisse, & locum ubi reliquias suas inueniret, monstrasse. Liber Pontificalis.

Magistratum suo iure, quod in pontificem Romanũ habebat, per fraudem spoliare molitus est. Nam sese passus est ordinari pontificem absq; Imperatoris assensu, & cũ id Ludouicus indignè tulisset, & non modò maiorum instituta & pacta, sed etiam maiestatem suam læsam dixisset, per nuncios & literas se quidem purgauit: sed tamẽ fraude & insidijs eò induxit fascinatum superstitione ut ius eligendorũ Pontificum Carolo datũ Romanis relinqueret, & donationes maiorum suorũ (illicita uiolentia partas) scriptis confirmaret: si tamen uera sunt, quæ Bibliothecarius, domesticus testis, scripsit. Nam historiæ Lotharij & sequentiũ Imperatorum diuersũ arguũt: & Platina ipse in Adriano tertio testatur, illũ primum circiter annum 895. cœpisse id decretum facere, ne in creando pontifice Imperatoris autoritas expectaretur. Ac Theodorũ primiceriũ, & Leonem nomenclatorem, ius Imperatoris defendẽtes, oculis & uita subornatis sicarijs priuauit. Eius seditionis & cædis autor cũ apud Ludouicũ esset insimulatus, Synodum ex suis assecłis collegit, & sese iureiurando purgauit, Imperatoremq; per legatos placauit: & nihilominus interfectores absoluit, & cæsos reos læsæ maiestatis egit, iureq; occisos pronunciauit. Annales Francorum, Sigebertus: Annonius lib. 4. cap. 110.

Suis mancipijs regna huius mũdi & gloriam eorum distribuit. Lotharium coronauit, & clericis prohibuit, ne à laicis beneficia acciperent. Luitprandus.

Vsus etiam est ui aperta. Nam monachos Rabani epistolam afferentes, in carcerẽ coniecit, & Rabanum excõmunicare minatus est. epistola Rabani ad Hattonem.

Curriculum eius.

Vicẽ Antichristi annis septem gessit, usq; ad annum Domini 824. Sigebertus, & alij.

EVGENIVS II.

Eugenius Romæ natus, patrẽ habuit Boemundum. Eruditione, facundia & hypocrisi clarus, archipresbyteri officio in ecclesia Sabinæ probè functus, à nobilioribus Romanis, competitore eius abiecto, designatur pontifex, anno Domini 824. Sigebertus: circa id tempus, quo Lotharius in Italiam ueniens magistratum delegit, qui populo Romano ius diceret, eo, quòd libertate, qua sub Carolo & Ludouico usi erant,

nimis abusi essent. Platina in uita eius, Annonius lib. 4. cap. 111.

Opera eius.

Deos alienos, mortuos sanctos coluit. Nã Sabinæ templum picturis & alijs ornamentis decorauit. Michaelis Imperatoris legatos, de cultu imaginũ firmas rationes ex uerbo Dei inquirẽtes, sine responso, ut uidetur, dimisit: & Michaelem arrogantiæ accusauit. Simoneta libro quinto, cap. 5. in uita eius, & Balæus.

Rei frumentariæ curam ita gessit, ut nulli bi uilius quàm Romæ annona ueniret. In pauperes liberalis fuit. Iudices Romanos à Lothario bonis multatos, & in Gallias abductos, precibus suis liberauit: & ab exilio reductos, in bona parentum suorum restituit, & suis sumptibus iuuit.

Siconem Beneuẽtanum ducem obsidentem Neapolitanos, hortatus est, ut in Saracenos arma uerteret, qui Panormum in Sicilia occupauerant. Platina in uita eius.

Decretis suis nuptias sacerdotum damnauit, & monasticas superstitiones & Benedicti regulam confirmauit: ut patet ex to. 2 Cõciliorum.

Curriculum eius.

Cum annis quatuor pontificem egisset, descendit ad patres suos, sed non sicca morte: ut Stella & alij referũt. Dissimulatur causa, quã suspicantur quidam fuisse seditiosam aliquam machinationem aduersus Francos, qui ad ius dicendũ Romanis erant constituti. Balæus, Bergomensis lib. 1.

VALENTINVS I.

Valentinus ex Leontio Romæ natus, à pueris in schola pontificia educatus, & à Paschale ac Eugenio institutus, & diaconus ordinatus, ob eruditionis, facundiæ, hypocriseos & quarundam uirtutum simulachra, pontifex ex diacono creatur, anno Domini 827. ac post dies quadraginta è uiuis excedit. Liber Pontificalis: Platina, & alij. Annonius lib. 4., cap. 114. dicit eum uix in pontificatu unum mensem compleuisse.

GREGORIVS IIII.

Gregorius, Leo quartus etiam dictus, ut Sigebertus indicat, Romanus natione, ex nobili familia patre Ioanne natus, à Paschale põtifice subdiaconus, & postea sacerdos ad S. Marcum consecratus, Valentino mortuo à clero & populo eligitur pontifex: sed ille aliorum periculis cautior factus, noluit prius id munus suscipere, quàm Imperator eius approbasset electionẽ. Annonius lib. 4. cap. 114. Liber Pontificalis, Balæus & Platina.

Scripsit epistolam ad Otgarium Moguntinum archiepiscopum, in qua gratias ei agit pro muneribus, ac promittit reliquiarum cõmunicationem.

Doctrina eius.

Pontificijs erroribus plenus fuit, de sancto, rum mortuorum cultu, de uita monastica, & alijs traditionibus humanis ad salutẽ necessarijs, de principatu Romanæ ecclesiæ, de sacerdotum cœlibatu, & de similibus.

Opera eius.

Sedens in templo Dei, quædam speciem aliquam pietatis reserẽtia fecit: qualia sunt, quòd in Synodo Aquisgrani anno Domini 830 statuit, ut quælibet ecclesia suos proprios tus possideat, unde ministri possint alij: & ne ullius gradus clerici preciosis ac coccinei coloris uestibus utantur, neq; in digitis gemmas gerant, nisi dum sacra peraganr: & ne præsules nimis magnam alant familiam, nec equos, aleas ac scorta habeant: ne clerici aurum & argentum in calceis, crepidis aut baltheis gestent: ne monachi gulæ & crapulæ indulgeant.

Itẽ quòd ecclesias uisitasse, episcopos & presbyteros ordinasse scribitur in Lib. Pontificali: sed tamen notas Antichristi plures habuit, eiusq; opera fecit.

Nã deos alienos sanctos mortuos coluit, Fabiani, Gorgonij & aliorũ cadauera ex loco in locũ transtulit: Bartholomæo, Sebastiano & Gregorio suos dies festos ordinauit, eisq; altaria dedit. Festum omniũ sanctorum qd hactenus Galli & Germani ignorabant, & Itali 13. Maij celebrabrãt, ad Calendas Nouemb. trãstulit, sacrũq; esse per Ludouici Pij edictũ iussit: idq; eam ob causam, quòd rum tẽporis in ocio & omniũ rerũ abundãtia magno Deo Vẽtri & nouis illis sanctis opimora sacrificia possent offerri. Martini fanum in montibus nouis fabricis extruxit, & templa aliorũ sanctorũ collapsa renouauit, aut alioquin picturis, statuis & alijs reb. exornauit: quod continuator Damasi prolixè describit.

Dominatũ sup ecclesias affectauit. Nã Adalgariũ cõstituit Háburgensib. archiepiscopũ, & Pontificiũ legatũ in omnia regna Aquilonis, ut eo modo ecclesias Septẽtrionis, quarum colligi incipiebãt, suæ tyrannidi subijceret. Cranzius in Metropoli lib. 1. cap. 20.

Dissidium inter Ludouicũ & filios eius, simulauit quidẽ sese componere uelle, sed magis auxit. Nam Roma in Germaniam ad Lugenfeld in Alsatia, ubi copiæ & acies instructæ erant, ueniẽs, sese primùm adiungit filijs Ludouici: eã ob rẽ ab Imperatore peregatos increpatus, quòd nõ more maiorum suorum ad Imperatorẽ accederet, semel ad ipsum sese contulit, & dixit se pacis faciendæ gratia uenisse. Dimissus ab eo cum integra potestate agendi de pace, non redit: sed rumorem spargit, quasi Ludouicũ excõmunicarit. Hoc cõmoti episcopi, duces & milites deserto Imp. ad filios eius transfugiunt, qui

qui parentem suorum præsidio destitutum capiũt. Auentinus lib. 4 Annalium. Sigebertus, anno Domini 832. Sed tamen postea, cũ Ludouicus recuperasset pristinam dignitatem, se ad eius partes reclinauit.

Bellatorem & architectum egit. Nam ut à Saracenis se & idola sua præstaret tuta, ex suburbio circa ecclesiam Petri, nouam urbẽ Leoninam nomine, seu Gregoriopolin, ut continuator Damasi habet, fecit, eamque probè muniuit, ac superstitiosis ceremonijs, ut suo loco diximus, consecrauit. Sigebertus anno 836.

Præfuit annis 16. mortuus est anno Domini 843. Sigebertus, & alij.

SERGIVS II.

Os porci patria Romanus, ex nobili familia ortus, à Leone tertio in scholam Cantorum missus, cum celeriter boandi percepisset artificium, inter acoluthos sortitur locum. Deinde à Stephano subdiaconus, à Paschali presbyter ad Syluestrum, à Gregorio quarto archipresbyter ordinatur, & mortuo Gregorio pontifex designatur, non expectato Imperatoris iudicio & assensu: oppresso etiam Ioanne, qui armis eam dignitatem sibi uendicare cœperat, anno Domini 844. Sigebertus. Liber Pontificalis, & Platina.

Opera eius.

Notis Antichristi conspicuus fuit. Nam idololatriam & uenerationem sanctorum mortuorum, grauiter & solerter promouit. Syluestri enim & Martini basilicas ampliauit, & monasterium ijs adiunxit. Diuorum tumbas ibidem erexit, & multorum cadauera seu reliquias eò transtulit. Alias etiã basilicas nouis fabricis, picturis, imaginib. & alijs ornatibus ad cultum Dei Maosin exornauit, quæ prolixè continuator Damasi annotat, & alij pontificij scriptores.

Suis traditionib. testamentũ Domini deformauit, & inter architectos Missæ haud postremus uoluit censeri. Quare, ut Agnus Dei ter cantetur, & hostia interim in tres partes diuidatur præcepit. Balæus.

Monasterium in honorem Petri & Pauli, & Bacchi, Syluestri & Martini, ad exercitiũ puro cœlibatu, ædificauit. Liber Põtificalis.

Primus fuit, qui nomen Christo datum, & in ipso baptismo susceptum propria uolũtate abnegauit: ac alijs suis successoribus exemplum proposuit, quod plerique postea imitati sunt. Nam Sergius, & non Os porci, in pontificatu dici uoluit, Simoneta libro 5, capite octauo.

Maiestatem spreuit. Nam sese passus est ordinari pontificem, non expectato Imperatoris assensu, quod erat contra priuilegia eius. Deinde noluit committere, ut populus Romanus Ludouico filio Lotharij sacramẽtum præstaret: licet Drogo Metensis & alij archiepiscopi, qui ex Gallijs cum Ludouico aduenerãt, acriter ea de re cum ipso contenderẽt. Inquit enim ad episcopos & legatos: Si uultis domino Lothario Imperatori magno hoc sacramentũ ut faciant solummodo, consentio & permitto. Nã Ludouico eius filio ut hoc peragatur, nec ego nec omnis nobilitas Romanorum consensit. Liber Pontificalis.

Regna huius mundi & gloriam eius affectauit. Penes se enim uoluit esse potestatem, Reges & Imperatores quos uellet inaugurandi. Nam Lotharium coronauit, & Ludouicum filium eius regem Longobardorũ designauit. Ludouici filios de regno digladiantes, ad pacem per legatos cohortatus est, & regni partitionem approbauit. Cranzius lib. 1. cap. 33. in Metropoli. Et Siconulfo Beneuẽtano in terram prostrato, pedes suos osculandos præbuit. Ibidem.

Cum annis tribus Antichristi uicarium egisset, collectus est ad suos maiores, anno Domini 846. Sigebertus, Adon Viennensis, Erphordiensis, Onuphrius, & alij.

LEO IIII.

Leo quartus, ut pleriq; uolunt, seu quintus, iuxta Sigebertũ & Ranulphum, patria Romanus, ex Radulpho genitus, in monasterio Martini extra Romam sito literas didicit, & monasticum habitum sumpsit. Gregorius papa eum inde euocatum, in Lateranense patriarchium collocauit, & subdiaconum fecit. Postea à Sergio presbyter ad titulum Quatuor coronatorum cõsecratur. Mortuo uerò illo, cum res Romanæ in maximo essent periculo ob Saracenos, à clero & populo eligitur, & inscio Imperatore consecratur põtifex: interposita tamen protestatione de saluo eius iure, anno 847.

Scripta eius.

Platina quatuor collectas, ab eo compositas, annotat.

Doctrina & opiniones.

Pontificias corruptelas & errores fouit. Christum mediatorem ignorat. In sanctorũ nomine inuocare, eosq; argento & auro colere, somniat esse maximum cultũ Dei. Pontificem ius utriusq; gladij habere, & regna huius mundi possidere, ecclesiæ & reipub. dominari debere, existimauit.

Opera eius.

Narrant eum docendi munere fungentẽ, multos conuertisse.

Anastasium presbyterũ Marcelli in Synodo deposuit, ob desertã parochiã suã, & quæ dã decreta ad disciplinã Ecclesiasticam pertinentia

tinentia fecit: quę Luitprãdus recitat, & nos de Synodis adscripsimus.

Fuit cultor sanctorum mortuorũ, seu deorum alienorum. Nam Christi nomen oblitus, Petri & Pauli in suis collectis usurpat, ob quorum intercessionem & merita liberationẽ ab hostibus petijt. Inquit enim: Deus, cuius dextra beatum Petrum ambulantẽ in fluctibus, ne mergeretur erexit, & coapostolũ eius Paulũ tertiò naufragentẽ de profundo pelagi liberauit, exaudi nos propitius, & concede, ut amborũ meritis horum fideliũ tuorum brachia contra inimicos Ecclesiæ tuæ sanctæ dimicantia, omnipotenti dextera tua corroborentur & conualescant, ut de recepto triumpho nomen sanctum tuum in cunctis gentibus glorioſum appareat. Platina, in uita eius. Idem facit in alijs tribus collectis, in Leonina urbe portis scriptis, quæ extant apud Platinam in uita eius.

Deinde translatione reliquiarũ, & fabrica tione templorum, altarium ac festorum constitutione, sanctos ueneratus est. Nam templum Mariæ nouæ extruxit: & in reliquijs quatuor coronatorum, nimirum Semproniani, Claudij, Nicostrati & Castorij, ac aliorum de quibus dubitatur an uerè sancti fuerint, altare dedicauit. Et octauam assumptionis Mariæ in Ecclesia Romana, quod antea non fiebat, celebrari iussit. Horam etiam uespertinam in natali Pauli, quotannis à cuncto clero obseruari præcepit. Liber pontificalis: Platina, Sigebertus.

Doctrinam dæmoniorum uitæ monasticæ commendatione, & monasteriorũ ædificatione propagauit. Baalismum etiam magnifecit: ideoq; cœnobiũ Corsacũ instauratum Vestalibus tradidit, ut quotidie in eo cantus resonarent.

Vrbem à sese extructam, publicis ceremonijs, circuitione, litania, cinere, aqua benedicta, preculis impijs, planè ethnico more lustrauit. Liber Pontificalis.

Ne laici in presbyterium, dum missa celebratur, introeant, uetuit. Sigebertus.

Architectum potius quàm episcopum egit. Nam Solanum à Leone tertio inchoatũ absoluit: arcẽ S. Angeli instauraui, & in uestibulo atrij Lateranensis ex marmore sedilia fecit. Turrim in Vaticano apud S. Petrum extruxit, urbis mœnia & portas uetustate collapsas restituit: & propugnacula quindecim fundamentis adiecit, quorum duo ad exitũ Tyberis collocata erant, ad retundendam uim hostium, qui nauibus ad urbem accedere hactenus poterant. Vaticanum muro cinxit, atq; in urbis formam redegit, quàm Leoninã uocauit, & superstitiosis ritibus ac precationibus consecrauit.

Maiestatem spreuit. Nam absque consensu Imperatoris pontificatum inijt. Liber Pontificalis.

Vtrumq; gladium usurpauit, contra illud Christi Principes gentium dominantur, &c. item, Petre reconde gladium tuum in uaginam. Exercitum enim cõtra Saracenos conscripsit, & eduxit: ac cùm indulgentijs & cõmunione sacra suos armasset, ut putarent se regnũ Dei adepturos, si strenuè pro S. Petro pugnarent, irruit in hostes, eosq; cecidit.

Regna huius mundi & gloriam eius affectauit. Nam consilium de Imperij dignitate à Francis ad Græcos reducenda inijt, licet ea de re accusatus iureiurando sese purgarit. Etheluuolfum monachum sua dispensatione fecit regem Angliæ: qui gratitudinis ergò, de qualibet domo nummum argenteum quotannis ei numerari sanxit, anno Domini 847. Crucem papalem contra Aquisgranensis concilij statuta gemmis exornauit, & ante sese ferri iussit. Pedes populo deosculante sese ferri iussit. Pedes populo deosculandos præbuit. Liber Pontificalis, Platina, Balęus.

Adscribunt ei miracula, quæ mendacia & fabulosa uidentur: qualia sunt, quòd oratione sua basilisc um ex cauernis, ad basilicam Luciæ expulerit: & incendio Saxonum & Longobardorum domos depascenti, crucis signo metam præfixerit, quàm transgredi non quiuerit: & Saracenorum naues, excitata pro cibus seu incantatione tempestate, in mari submerserit.

Cum præfuisset annis octo, mensibus tribus, & aliquot diebus, descendit ad suos maiores. Luitprandus, Platina, Sigebertus, & alij. Sed Ranulphus tantùm quatuor annos ei attribuit, lib. 5. cap. 31.

IOANNES VIII.

Sacrificus quidam Anglicus, uxorem seu scortum grauidum secum duxit Moguntiã. Cùm autem isthic esset, uenit dies partus eius, & peperit filiam, cui nomen Gilbertæ indituin est. Contigit autem illi ingenium amplius, quàm pro muliebri natura, quare in ipsa ætate adolescentiæ apud aliquem homine Anglo susceptã, in scholis seu cõnobiis docere cœpit: ac sua eruditione & disputãdi prõptitudine, in magnã autoritatẽ & habitu monastico non diu latêre potuit. Nam uidebatur, peregrinationem ille Athenas discendi gratia instituit, ac Gilbertam quasi iuuenem secum abduxit. Ibi autem inter homines doctos uersata, operam literis egregiã nauauit, ac Latinè & Græcè didicit, ac diligentiam sibi comparauit. Mortuo illo hic suo amatore seu marito, Romã abijt: ac

& existimationē uenit, adeoq; sibi hominū fauorem conciliauit, ut Leoni communi clerī & plebis suffragio, ac Imperatorum assensu pōtifex crearetur, & Ioannes septimus (ut Sabellicus uult, aut 8, ut Platina) uocatus sit, anno Domini 853, iuxta Martinum: aut 854, iuxta Sigebertum.

Scripta.

De necromantia scripsit librum unum. Balęus Centuria 13. cap. 10.

Opera eius.

In officio aliorū pontificū more contulit sacros ordines, presbyteros & diacōos ordinauit, episcopos consecrauit, abbates constituit, missas celebrauit, & altaria & templa cō secrauit, sacramenta administrauit.

Regna huius mūdi & gloriā eius usurpauit. nā pedes suos alijs exosculādos prębuit.

Lothario in Prumiense cœnobium reconditō, Ludouico filio eius regni sceptra & coronā solenni ritu contulit. In quo re ipsa implerū est, quòd Apocalyp. 17 scribitur de regibus meretricem Babyloniam adoraturis, & potestatem ab ea accepturis. Chronicon Saxoniæ, anno Domini 856.

Ab Etheluuolpho Anglorum rege tributum, ac munera alia accepit.

Romanæ Ecclesiæ priuilegia non nisi centum annorum præscriptione tolli posse, decreuit, ut aliqui scribunt.

Libidines sub sanctitatis & castitatis uelamento horrēdas exercuit, quas Deus mirabili modo patefecit: ut eius & aliorum pōtificum, quorum uiua imago in hac meretrice expressa fuit turpitudo omnium piorum oculis esset exposita. Nam libidini tamdiu indulsit, donec à Cardinale domestico, qui solus scribitur cum ea rem habuisse (sed quis facilè credat, illam procacem pellicem uno contentā fuisse?) impręgnata, uterū quidem occultauit: sed Dei iudicio & singulari prouidentia, cū ex Vaticano in processione solē ni Lateranensem basilicam inuiseret, inter Neronis colosseum & Clementis fanum, abortis repentè partus doloribus, enixa est & eo loci defuncta: cum annis duobus, mensibus quinq;, & diebus quatuor meretrix in sede Petri uicarium Antichristi egisset, anno Domini 857. Si honore pontificio sepulta est, & ex catalogo nomen eius reiectum: ac cautum est, ne pontifex per illam plateam in Lateranensem basilicam eat: & ut in sella Petri sedentis noui pontificis uirilia à diacono explorētur attactu, & exclamatione, Habet, habet. qui quidē mos hodie abolitus esse dicitur. quia nō opus eo sit, cū pellices, concubinæ & spurij, ea de re certissimū dicāt testimonium. Martinus in Chronico, Marianus Scotus, Sigebertus: Ranulphus lib. 5. cap. 32. Balęus Centuria 2, cap. 20. & Cent. 13. cap. 10. Volaterranus, Platina, Bergomēsis, & alij. In lib. Pontificali & alijs quibusdā, omissa est eius uita. Et Auentinus lib. 4. Annaliū Boiorum opinatur fabellā esse quę inde orta sit, quòd Theodora nobile scortū, quæ Romanis post mortē Arnulphi dominabatur, Ioannem 9, amatorem suum, primū Bononiēsib. deinde Rauēnatibus, & postremò Romanis imposuerit sacerdotē. Sed tēporis ratio, & autorū etiam pontificiorū consensus, & uetustatis testimonia, Auentini opinionē refutant. Onuphrius etiā conatur fidē isti historiæ derogare, eo quòd nullus ante Martinū Polonum, qui uixit circiter annum Domini 1320, eius fecerit mentionē: & quòd tempus, quod illi adscribitur, non habeat locū iuxta Anastasij & Bibliothecarij, q hoc tēpore scripserint, cōputationē. Sed rationes istæ non modò infirmæ, uerumetiā falsæ sunt. Nam Marianus Scotus Fuldensis monachus, quiducētis & 34 annis ante Martinum fuit, eadem scribit: quæ absque dubio in suo cœnobio annotata reperit, aut ex certorū hominū relatu cognouit. nā uix ab eo tēpore 169 anni effluxerāt. Et post eum Sigebertus Gemblacēsis. Nomē aūt & tēpus eius pontificios scriptores cōsultò omisisse, propter fœditatē rei & sexum fœmineum, ijdem & Ranulphus in Polychronico, libro 5. cap. 32 testantur. Marmorea statua in eo loco, ubi pontifex peperit, erecta fuit ad rei memoriam. Antonius tit. 16. cap. 1. §. 7.

BENEDICTVS III.

Benedictus ex Petro ciue Romano natus, à Gregorio subdiaconus ordinatur: & postea Iohanna Anglica in partu mortua, inuitus à clero & populo eligitur pōtifex, cū diaconus testiculos eius explorasset, creatur, nō expectato Imperatorū assensu, ut ex Luitprā do constat, anno Domini 857, iuxta Marianū Scotum: aut 854, iuxta Sigebertum.

Scripta.

Scripsit epistolam ad Rataldum, de pœnitentia parricidæ. Luitprandus.

Cōposuit collectā, Dirige: p mortuis. Balę.

Doctrina, & errores.

Antichristi errores & hæreses eum amplexum esse, constat ex operibus eius.

Opera.

Nō fuit suis maioribus dissimilis: licet in initio etiā cum lachrymis testatus sit, se indignum esse tanto honore, ut Massæus & Luitprandus indicant. Aegrotos inuisit, pauperes aluit, calamitosos cōsolatus est, uiduas & pupillos defendit.

Clericos ordinatè incedere, & honestè uiuere iussit. Martinus in Chronico. Et papam funus episcopi, presbyteri & diaconi, ac uicissim totū clerū pōtificis funus ornare sua præsentia debere sanxit. Platina. Et

quædam

quædam alia ad hypocrisis fucum pertinentia egit, sicut in templo seu ecclesia Dei sedẽtem decuit.

Notas autem Antichristi haud paucas, nec obscuras habuit.

Nam ob uenerationẽ Sanctorum, multas ecclesias instaurauit, easq; preciosis donis locupletauit, ne sine argento, auro & gemmis Deus Maosin esset. Platina, Balęus.

Suis decretis Ecclesiæ Dei dominatus est. Nam ut pro mortuis orationes fierẽt, & collecta illa Dirige, &c. diceretur, primus (ut fertur) instituit. Balęus. Et parricidæ indixit pœnitentiam annorum 12, in epistola ad Ratoldum: Volumus, ut per 12 annos sub onere pœnitentiæ cõstituatur, ita ut omnibus diebus ieiunium celebret usq; ad uespertum, & absq; carne uinoq; ac pisce cibũ sumat, exceptis diebus festis ac Dominicis, & à Paschate usq; Pẽtecosten. Per quinquẽnij uerò tempus in ecclesiam intrare non præsumat, neque cõmunicet, ante fores ecclesiæ tantummodo perseueret dum sacra celebrantur officia. Cum autem quinq; annorum fuerint adimpleta curricula, ingrediatur in ecclesiã, & inter audientes stet cum omni timore & obedientia. Dum uerò ad annum peruenerit decimũ, sanctę communionis consors exi stat, & inter fidelium consortiũ maneat. Si uerò ante constitutum tempus finis uitæ illius aduenerit, uiaticum ei non negetur, iuxta traditiones canonum. Luitprandus capite 106.

Maiestatem contempsit. Nam sine Imperatorũ consensu pontificatum inijt: & Anastasio, qui erat ab Imperatore Ludouico & Lothario põtifex designatus, noluit cedere. Nã Luitprandus narrat, legatos à Romanis ad Imperatorẽ missos, ut agerent de confirmatione Benedicti, pro Anastasio callidè intercessisse, ac effecisse, ut Imperator in eum consentiens miserit legatos, qui in sedem pontificis illum collocarent, Benedicto repudiato: & sic factum esse, ut Benedictus in carcerem sit abductus, Anastasiusque surrogatus. Sed cum turbæ mouerentur à populo, & Anastasiũ pleriq; abhorrerẽt, propterea quòd à Leone pontifice esset excommunicatus, in dicto & celebrato ieiunio tridui, & re ultrò citroq; agitata, tandem Imperatoris legati ui quasi coacti, in Benedictum consenserunt, Anastasio in carcerem coniecto. Sigebertus.

Regna huius mundi & gloriam eius usurpauit. Nam pedes suos osculandos præbuit plebi, seq; tanquam idolum terrenum adorari passus est. Platina. Et Theodo abbas Fuldensis petit in epistola ad ipsum, ut suis monachis orandi gratia Romam uenientibus, liceat ad sancta uestigia eius appropinquare, & benedictione eius frui iuxta priuilegia à pontificibus Bonifacio olim concessa.

Præfuit annis duobus, mensibus sex, diebus 6, iuxta Marianum. Ranulphus eiquatuor annos asignat: & obijt anno Domini 859.

NICOLAVS.

Nicolaus Romæ, patre Theodoro seu Theodosio natus, ab ineunte ætate literis operam nauat, parente suo usus præceptore: qui uaticinio cuiusdam monachi, quòd pontifex aliquãdo esset futurus, excitatus, clericorum illum cœtui adiunxit. Dein à Sergio subdiaconus, & postea à Leone diaconus cõsecratur. In eo munere sese præstitit mancipium fidele & obsequens pontificibus. Ideo carus & intimus tum alijs, tum uerò maximè Benedicto fuit, qui eius usus est opera in condendis & promulgandis decretis: mortui Benedicti funus unà cum alijs diaconis portauit, & terræ tradidit. A clero, populo & Ludouico Imperatore præsente designatur pontifex. Liber Pontificalis, Luitprandus & Platina, anno Domini 857, iuxta Sigebertum: aut 860, iuxta Marianum.

Scripta.

Scripsit epistolam ad patriarchas, metropolitas, episcopos, & omnes fideles per Asiã & Libyam. Aliam quoq; ad Michaelem Imperatorem, quæ extant tomo 2 Conciliorũ. Et epistolam ad Carolum regem pro Theoberga contrà Lotharium, cuius fragmenta extat apud Reginonem libro 2. Et epistolam ad omnes Germaniæ & Galliæ episcopos, de excommunicatione Vualradę, cuius summam Regino libro eodem annotat. Et aliam ad Lotharium regem, in qua ei minatur excommunicationem, ni à consuetudine Vualradę abstineat: quam Regino libro eodem adscribit. Scripsit epistolam de ecclesiæ Bremẽsis & Hamburgensis connexione, quę extat in Cranzij metropoli libro 1. capite 37 & 38. Ad Consulta Bulgarorum multa respondit, quæ decretis inserta sunt.

Doctrina.

Errores Antichristi nõ modò uoce & scriptis, sed etiam ipso usu asseruit & exercuit, ut ex sequentibus patebit.

Sanctos mortuos colendos, & imagines adorandas esse sensit. Romanum pontificem ut Deum, non posse à quoquam iudicari. 9. distinct. 96. Matrimonia unius coniugis consensu ob religionem dissolui posse, contra uerbum Dei decernit, 27. q. 1. Laicis non licere de presbyteris iudicare, neq; de uita eorum inquirere, in rescriptis ad Bulgaros monet. 31. distinct. 28.

Tempore quadragesimæ, nisi urgeat magna necessitas, præliari uetat. 23. quæst. 8.

Opera

Opera eius.

Coluit deos alienos, nimirũ sanctos mortuos. Nam basilicas Mariæ, Pauli, Laurentij, Stephani, Sylvestri, & aliorũ sanctorũ, uestibus, uelis, fabricis, altaribus, auro, argento, gemmis, & alijs preciosis rebus exornauit. Clementis reliquias transtulit. Platina, Liber pontificalis. Et autoritate Petri & Pauli sua decreta facit. Cranzius in Metropoli lib. 1. cap. 39.

Dominatum in ecclesias usurpauit. Nã Ioannem Rauennæ archiepiscopum, pristinam suæ sedis libertatem asserẽtem, dignitate priuauit, eamq; ecclesiam in perpetuã seruitutem redegit. Nam ius in ordinandi episcopos, aut impediendi appellationẽ & peregrinationẽ Romã uersus, & de bonis ecclesię tractandi, episcopo illi planè ademit. Liber pontificalis, & Platina. Bremensem ecclesiam Hamburgensi coniunxit, & episcopum eius Ansgarium ac successores ita sibi subiecit, ut eos uicarios suos super ecclesias Danorum, Suecorũ & Slauorum dato pallio cõstitueret: & quidem expressè ad omnia decreta Romanæ sedis obseruanda Ansgarium obligat. Bulgariæ ecclesias etiã pontificio charactere insigniuit, sibiq; subiecit: ut Platina & Liber põtificalis indicant. & 15. q. 8. Cranzius in Metropoli li. 1, cap. 37, & sequentibus. Et primã sedẽ, Romanã scilicet, à nullo uult iudicari. Distinct. 21. & iudicia eius à nullo uult retractari posse. 9. quæst. 3.

Ad Missæ fabricationem, suum quoque pensum addidit, ut eo magis Christi institutio cõtaminaretur traditionibus humanis. nam Gloria in excelsis, in cœnæ Dominicæ festo ad Missam cantari mandauit: & Sequẽtias in ecclesijs Gallicanis, Notgero abbate procurante, cantari permisit. Trithemius de Scriptoribus illustribus.

Nuptias sacerdotum damnauit, & ad uitam cœlibem eos cogere instituit: frustra ab Hulderico ea de re obiurgatus, ut in uita eius diximus. Nam decretũ fecit, ne quis à sacerdote sacramenta suscipiat, quẽ sciret habere concubinam seu uxorem. distinct. 32. nullus.

Decretis & traditionibus humanis laqueos conscientijs posuit, quorum multa passim in lure canonico annotantur, & plerag; in unum libellum collecta extant tomo 2 Conciliorum.

Baalismũ propagauit, & sacra Latino sermone ubiq; in Ecclesijs celebrari iussit, ut agnosci characteres pontificij possent. Sclauis tamen & Polonis à Methodio expugnatis indulsit, ut uernaculo sermone sacra facerent. Balæus.

Abusus est potestate clauium. nam Thetgandum & Guntharium excommunicauit ac depositum ante causæ cognitionem: ut patet ex epistola ipsorum. Rotaldum ab Hincmaro excõmunicatum absoluit. Liber Pontificalis.

Supra magistratũ sese extulit, seu (ut Petrus 2. cap. 2. uocat) dominationem contempsit. Nam distinct. 96 negat Imperatores synodalibus cõuentibus interesse debere, ni si ubi de fide tractetur: & planè pontificem uult esse ἄνομον. inquit enim: Satis euidenter ostenditur, à seculari potestate nec solui posse prorsus, nec ligari pontificem, quem constat à principe pio Constantino Deum appellatum: cum nec posse iudicari Deum ab hominibus manifestum sit. Vnde Regino li. 2. ait: Regibus ac tyrannis imperauit, eisq;, ac si dominus orbis terrarum esset, autoritate præfuit.

Regna huius mundi & gloriam eius accepit. Nam Ludouicus Imperator ei obuiã factus, ex equo descendit, & frenum equi Pontificij apprehendens in castra duxit. Liber Pontificalis, & Platina. Equo insidens, & stipatus satellitibus, in templum Petri ire solebat. liber Pontificalis, in Adriano secundo.

Episcopos & monachos mancipia sua honorificè tractauit. Regino libro secundo. Theodonem abbatem Fuldensem magni fecit, & Damasum de uitis Pontificum & Continuatorem eius misit illi: ut patet ex epistola Theodonis.

Certamina eius.

Certamen illi fuit cum Michaele Imperatore Constantinopolitano, & cum Photio, qui librum contra illum scripsit, qui postea ab Adriano combustus est in Synodo Romana. Liber Põtificalis, in uita Adriani.

Deinde miris modis exagitauit Lotharium, ob Thietbergam uxorem dimissam, & Vualdradam pellicem susceptam: ac coegit eum tandem utraq; repudiata, uitã monasticam profiteri: ut narrat Regino libro 2. Lotharius queritur de eius præcipiti & præpostero iudicio, quòd se inauditũ damnarit, confisus inimicorũ calumnijs & mendacijs, inquiens in epistola ad Adrianum: Plus apud sanctitatem illius ualuere inimicorum insidiæ, & simulatæ deceptiones, quàm nostra simplex & pura defensio. Nos enim literis & uerbis indesinenter proclamantes, & diuersis legationibus eadem repetẽtes, humiliter postulauimus, ut nos & accusatores nostri, iuxta diuinas & humanas leges sui Pontificij audientiã mereremur, ut ratio docet, nostram præsentiam exhibendo. Sed semper repulsi sumus. Regino libro eodem, anno Domini 868.

Guntharium & Thetgandum ob diuor-

tium Lotharij approbatum, in Synodo Metensi Romam euocatos, non auditos, neq; conuictos planè illegitimè excommunicauit, deposuit & oppressit: sicut illi queruntur in epistola ad eundem, ut in Vitis ipsorum diximus.

Suos legatos Zachariam & Radoaldum, qui mandatum eius non fuerant executi Constantinopoli, in causa Ignatij & Photij, excommunicauit.

Curriculum.

Cum septem annis, & nouem mẽsibus, & tredecim diebus, iuxta Platinã: aut octo, iuxta Marianum & Ranulphum lib. 5. cap. 32, in pontificatu exegisset, ad suos maiores collectus est, anno Domini 867. Sigebertus. Trithemius duos annos addit de scriptoribus Ecclesiasticis.

ADRIANVS II.

Adrianus Romæ, patre Talaro episcopo natus, à Gregorio quarto subdiaconus, à Sergio uerò presbyter ad S. Marcũ ordinatus est. in quo munere cũ sese erga pauperes liberalem exhibuisset, & populi fauorẽ demeritus esset, mortuo Nicolao, in magno populi cõcursu & tumultu, quẽ monachi, iactitãtes sibi uisionib. diuinis esse reuelatũ de eius pontificatu, excitasse uidentur, põtifex eligitur, & consecratur à Petro Gauensi, Leonẽ Syluæ candidæ, Donato Ostiensi, sine suffragio & consensu legatorum Imperatoris. Liber Pontificalis & Platina: anno Dñi 868. Sigebertus. 19. imperij Ludouici.

Scripta.

Scripsit epistolam ad Bulgaros & ad Ludouicum, de liberatione captiuorum. Scripsit epistolã ad Carolum Caluum, item ad Hincmarum Remorum archiepiscopum.

Doctrina.

A teneris imbutus pontificijs erroribus, eosdem postquam ad fastigium elatus est, uoce, scriptis & operibus propagauit & usurpauit, ut ex sequentibus patet.

Opera eius in functione.

Cultum deorum alienorum totis uirib. promouit, ac ad eam rem basilicam à Nicolao cœptam absoluit, & picturis uarijs exornauit. Et in Synodo Constantinopolitana, imaginũ cultũ ecclesijs Græcorũ obtrusit.

Patronum sceleratorum egit, & per literas à Ludouico impetrauit, ut Roma proscriptos, & alioquin ob mala facinora captos dimitteret.

Dominatũ in ecclesiam usurpauit. Nam ad Synodum Cõstantinopolitanã neminẽ admisit, nisi prius libello subscripsisset, in quo existebat professio, quòd Romanũ põtificẽ agnosceret caput omniũ Ecclesiarũ: ac opera Basilij, qui patrẽ suum adoptiuũ interfecerat, iterum Ecclesias Orientis sibi subiecit. Et ut Bulgaros & Dalmatas in suã rete à Nicolao pertractos retineret, miss tres legatos episcopos, Syluestrum, Leopar dum & Dominicũ, qui omnia in Ecclesij illis ad sententiam eius constituerent. Acle gati eius in Synodo Constantinopolitana contradicente patriarcha Basilio, decernũ Ecclesias Bulgariæ debere Romano pont fici esse subiectas. Sed Bulgari paulo pòst experti pontificiam tyrannidẽ, Latinos sacerdotes expulerũt, retentis Græcis. Liber Pontificalis & Platina.

Decretis suis laqueos cõscientijs posuit, quorũ aliqua Luitprãdus in uita eius commemorat. Vetuit die Dominico causas agi in foro aut iudicio. Flores temporum, Martinus, Heinricus Erphordiensis.

Exaltauit sese super magistratũ, & dominationem cõtempsit. Nam sese pontificem designari passus est sine suffragijs legatorũ Imperatoris: qui etsi molestè id tulerunt, tamen inuiti tranquillitatis gratia consenserunt. Idem etiam Imperator ipse fecit, non animaduertens Romanos eo modo sibi ius præscribere, & planè conari ab electione & cõfirmatione pontificis Imperatores excludere. In quem finem etiã decretũ fecit in Synodo octaua: Neminem laicorũ principum uel potentum semet inserere electioni uel promotioni cuiuslibet patriarchæ, archiepiscopi uel metropolitani aut episcopi debere: ut patet ex Actis.

Lothario Romã uenienti, ac sese de obiectis criminibus purganti, ita cœnam administrauit, ut ipse paulo pòst in reditu moreretur, & omnes satellites eius intra annum extinguerentur. Quòd si innocens ille fuit, argumentum est ueneni: sin uerò reus adulterij, certum indicium diuini iudicij. Sigebertus, & Regino lib. 2.

Photij librum contra primatum Romanæ ecclesiæ scriptum, non uerbo Dei refutauit, sed Vulcano tradidit planè absumendũ. Liber Pontificalis.

Regna huius mundi & gloriã eius usurpauit, ut sui antecessores. Lampertũ Spoletanum ducem, eo quòd Romam spoliauerat, excõmunicauit, & Francorũ brachiodoratum eius sibi subiecit. Liber Põtificalis. Alphredum Anglorũ regem in filium adoptauit, eumq; primùm inaugurauit, in remoniũ, quòd regnum Angliæ Romano Antichristo esset subiectũ, anno Domini 87. Balæus.

Certamina.

Certamen ei fuit cum Carolo Caluo, & Hincmaro episcopo Remẽsi, de Laudunensis episcopi appellatione ad sedẽ Romanã. Sed Hincmarus & Carolus satis benẽ suis epistolis refutarunt, ut in loco de Scho matibus

matibus indicatum est.

Cõmendatur à liberalitate in pauperes, & pietate in Nicolaum & antecessorẽ, cuius acta confirmauit, & memoriã æternati cõsecrauit. Et ab humilitate: nã episcopis quos conuiuio exceperat ministrauit, pedes ꝙ lauit, ac in terrã prostratus, cũ ijs hymnos & psalmos cecinit. Miraculũ etiã accidisse uolũt. Nam ministrum eius de 40 denarijs ingenti multitudini peregrinorũ tersos singulis distribuisse, & tamẽ 6 fuisse residuos: ac respõdisse Adrianũ, Vides quàm largus est Dominus Iesus, qui ex illa quantitate, quã dicebas nõ sufficere, mihi quoque & tibi tres seruauit? Liber Pontificalis, & Antoninus tit. 16. cap. 1. §. 10.

Moritur anno 872. cum papatũ rexisset annis 5, mensibus 9, diebus 12. Platina, Ranulphus duos annos tantũ ponit, lib. 5. c. 32.

IOANNES IX.

Ioannes patre Gũdo Romę natus, ex diacono pontifex creatur, anno Domini 873. quo Ludouicus Imperator mortuus est. Fuit Latinè & Græcè doctissimus.

Scripta.

Ante pontificatũ scripsit quatuor libros de uita Gregorij Magni, & quædã ex Græco Latina fecit. Sigebertus, Platina, Trithemius. In pontificatu scripsit epistolã ad Ludouicum Balbum, Romanæ Ecclesiæ priuilegia tolli non posse, nisi præscriptione centum annorum.

Doctrina.

Eadem sensit de capitibus doctrinæ, quę sui antecessores, nec insignia Antichristi ullo modo deposuit: ut cõstat ex operib. eius.

Opera.

Veneratus est deos alienos. Nã reliquias sanctorũ religiosè coluit: & alijs ut rẽ plane diuinam, non sine munerũ spe contulit. Sic Senonensi episcopo caput Gregorij papæ, & brachium Leonis dedit. Antoninus tit. 16. cap. 1. §. 11.

Principatum in Ecclesias usurpauit. Nã Flandris episcopũ dedit: & in Gallijs apud Trecas concilium coegit, in quo contentiones quasdã composuit, & pro pontificio rego decreta fecit nõ pauca. Platina, Balęus. Et Formosum Portuensem episcopum Romam, & episcopatũ abiurare coegit. Sigeb.

Magistratus potestatem ualde labefactauit, dum suos sacerdotes, monachos & bona Ecclesiastica à iurisdictione eorũ remouit & subtraxit, & priuilegia Romanę Ecclesiæ nullis temporibus posse tolli autumat, & res Romanæ Ecclesię nõ nisi præscriptione centũ annorum abalienari dicit. 16. q. 3.

Decretis suis laqueos conscientijs fecit, quorum quædam Luitprandus & Antoninus recitant.

Iusiurandum, quod Ludouicus Adalgiso dederat necessitate cõpulsus, dissoluit: & Senatũ Romanũ incitauit, ut Adalgisum publicũ hostem denunciarent. Sigebertus.

Capuanam Ecclesiam duobus episcopis contra canones distribuit. Leo Hostiensis lib. 1. cap. 43.

Regna huius mundi, & gloriam eius possedit & usurpauit. Nam acceptis munerib. Carolum Caluum inaugurauit Imperatorem: ac eo mortuo, cõtra senatus Romani uoluntatem, elapsus ex carcere, & fugiens in Galliam, Ludouicum Balbum Francorũ regem coronat. Et posteà Romam reuersus, etiam Carolum Crassum Germanorum regem Cæsarem pronunciat, & diademate imperij adornat.

Bellatorẽ egit, & Saracenos parato exercitu ex Italia & Sicilia profligauit. Adalgiso etiã Beneuentano duci bellum induxit, ob perfidiã. Sigebertus, anno Domini 873.

Certamẽ ei fuit cum Senatu de coronando Ludouico Balbo: ac à Martino & Formoso ac alijs effectum est, ut in uincula eã ob rem conijceretur, à Caroli Crassi ministris. Platina.

Cum decem annis functus esset uice Antichristi, obijt anno Domini 885. Sigebert. Platina. Antoninus tit. 16. cap. 1. §. 11.

MARTINVS II.

Martinus natiõe Gallus, patre Palumbo necromantico, ut ferunt, sacrificulo, pontificatũ inijt anno Dñi 882, iuxta Antoninum: aut 885, iuxta Marianum Scotũ. Malis artibus eum sibi dignitatẽ istam acquisiuisse, Platina & Simoneta lib. 5. ca. 14. scribũt, sed nõ explicant. Balæus addit, nõ esse expectatã Cæsaris autoritatẽ in eius electione. Ante pontificatũ, cũ Ioannes nonus Ludouico Balbo imperij coronã censeret conferendã, ipse cũ senatu Romano fauit & studuit partibus Caroli Crassi Germanorũ regis: ac effecit, ut pontifex in uincula conijceretur. In papatu uerò suo, etsi parũ de eo in literas relatum est: tamen non fuisse suorum maiorum dissimilem, facilè est cogitare.

Scholas Saxonum prece Alphredi regis omni tributo relaxauit & magnam partem sanctæ crucis eidem misit. Ranulphus lib. 6. cap. 3.

Formosum Portuensem episcopũ, qui iureiurãdo Ioãni papæ affirmarat, se nunquã Romam uenturum, neq; episcopatum suæ urbis repetiturũ, absoluit, & dignitati pristinæ restituit: ut indicat Sigebert. & Platina.

Ioannes Stella à superbia & ambitione illum cõmendat, quæ uirtutes ipsi sunt cum alijs eius ordinis communes.

Curriculum eius fuit, annus unus, & mẽses quinque.

AGAPETVS.

Agapetus succesit Martino, iuxta Marianum Scotum, Sigebertũ & Ranulphum, anno Domini 887. & præfuit anno uno. A'Platina & alijs quibusdam prorsus omittitur.

ADRIANVS III.

Adrianus filius Benedicti, Romanus, põtificatum anno Domini 889, iuxta Sigebertum, adipiscitur.

Opera eius.

Deos alienos coluit, dominatum super Ecclesias usurpauit more suorũ maiorũ. Dominationes seu magistratum cõtempsit, & Imperatoribus omne ius, quod in põtificẽ & urbem Romam hactenus habuerũt, ademit. Nam consilia & machinationes, quę à suis antecessoribus erãt institutæ, ad excludendam Imperatoris autoritatem, in eligẽdo & confirmando pontifice, quamprimũ põtificatum adijt, in actũ perduxit: occasione illa usus, quòd Imperator occupatus esset bello Normãnico. Decretũ enim cũ Senatus & populi assensu fecit, ne in creando põtifice amplius expectaretur Imperatoris autoritas, sed ut semper libera essent & cleri & populi suffragia. Simoneta lib. 5. ca. 15. & Martinus. Factũ anno Domini 895, iuxta Platinam. Sed is numerus iuxta Mariani, Sigeberti & Martini computationẽ non satis cõgruit. Liber Pontificalis habet 885. Deus uerò istum seditiosum Antichristi uicariũ iusto suo iudicio breuitate uitæ punijt. Anno enim primo & mense secundo pontificatus sui ad inferos abijt. Platina. Luitprandus duos menses ei insuper addit.

BASILIVS.

Basilius pontifex designatur anno Domini 890. iuxta Marianum & Sigebertũ, sub Arnulpho Imperatore. ac præfuit annos quatuor. Antoninus negat in Catalogo põtificum nomen eius reperiri.

STEPHANVS V.

Stephanus Adriani Romani ciuis filius, eo tempore papatũ inijt, quo Gallia à Normannis, Anglia à Dacis, Pannonia ab Hunnis, & Italia à Saracenis affligebatur, circiter annum Domini, iuxta Sigebertum, 895.

Opera.

Sanctos mortuos, deos suos, religiosè coluit. ac cum Martino Turonensi periculum immineret à Normannis, curauit ut Altisiodorum transferretur: ubi propter sacros denarios monachi, qui Germanum uenerabantur, litem contra Martini sacrificos mouerunt. Platina.

Dominatum in Ecclesias usurpauit, & decretis hominum cõscientias obligauit. Nã Romanæ ecclesiæ statuta omnibus necessariò obseruanda esse, primus decreuit. dist. 19. capite Enimuerò.

Cum Hermannus Coloniẽsis episcopus cum Adalgario de Bremensis ecclesię iurisdictione litigaret, Fulconi Remensi archiepiscopo uicem suam commisit, ut in Synodo Vuormaciensi causam cognosceret, sibique referret, ut indicat Luitprandus.

Iudicium candentis ferri & feruẽtis aquæ, quod tum in usu erat, Christianis inhibuit, propter superstitionem. causa 2. q. 4.

Amici eius.

Luitprandum Ticinẽsi ecclesię diaconũ, Vualdridũ Bauarũ, Bernardũ Pictauiensem familiares Stephano fuisse, Platina scribit.

Curriculum.

In templo Dei sedit, ac pro Deo sese ostẽtauit, ad annos sex, & dies undecim. Luitprandus & Platina: & ad patres suos deijcẽdit, anno Domini 899. Sigebertus.

FORMOSVS.

Formosus Portuensis episcopus à Nicolao põtifice ad Bulgaros missus est, ut eorũ ecclesias à Græcis collectas, Romanis imbueret ritib. Liber Põtificalis in uita Adriani II. Postea dissensit à Ioanne nono pontifice, de Ludouico Balbo in Imperatore eligendo: ac sese cum senatu cõiuxit, qui Ioannem in uincula coniecit. Liberato põtifice meruit tyrannidẽ: & episcopatu suo delectus, aufugit in Gallias. Reuocatus Romã ad dicendam causam, cõtumeliose omni Ecclesiastica dignitate priuatur, & laicali uestitu ornatur. Hanc contumeliã molestè ferẽs, cũ ab urbe discedit, iurat se nunquã postea uersurũ Romam uel ad episcopatũ reuersurũ. Martinus uerò pontifex, qui & ipse inter aduersarios Ioannis fuerat, bono uiro iniuriam factam agnoscẽs, illũ à iurisiurãdi religione absoluit, & in patriã ac pristinã dignitatem restituit. Mortuo Stephano, pars de populo & clero Formosum eligit pontificẽ: pars uerò Sergiũ. sed ea quæ Formosum elegerat, cũ Sergius ordinandus esset, irruit in Ecclesiã, & illo ab altari remoto, Formosum cõsecrat, anno Dñi 895. iuxta Marianũ Scotum.

Scripta.

Scripsit epistolã, in qua priuilegia ecclesiæ Hamburgensis à Gregorio & Nicolao, & ab Imperatore Ludouico concessa abolet. Extat exemplum apud Cranzium lib. 2. cap. 20 in Metropoli.

Opera eius.

Deorum alienorum cultor fuit, & basilicam Petri leui pictura exornauit. Platina. Et ecclesiã Emerani Ratisbonæ cõsecrauit. Acta Treuirensiũ. Cum à Romanis affligeretur, Arnulphũ Carolomãni filiũ attraxit cũ exercitu: qui expugnata urbe, eius aduersarios capitali supplicio affecit, ac ab eodem perij coronam gratitudinis ergò accepit. Luitprandus commendat eum à sanc-

tate: cui ut fidē faciat, nugatur imagines sanctas eius cadauer in loculo positum uenerabiliter salutasse in æde Petri. Simoneta corporis eius proceritatem & formam cōmendat. Quinq; annos & sex menses in pontificia sede Antichristi uicarium egit. Quæ uerò circa eius cadauer acciderint, in sequentium uitis commemorabuntur.

BONIFACIVS.

Bonifacius natione Thuscus, successor eius, tantum dies 26 in pontificatu uiuit, ue neno fortasis sublatus ab hominibus factiosis. Marianus, Platina, Simoneta.

STEPHANVS VI.

Stephanus patria Romanus, Anagninus episcopus à Formoso ordinatus, Romam transfertur ad pontificatum, anno Domini 900 iuxta Marianum, alij uerò 896 numerant.

Opera eius.

Præter alia opera, quæ more suorum antecessorum, prout decebat uicarium Antichristi, fecit, insigne facinus diabolicæ immanitatis perpetrauit: quod successores ipsius imitati sunt. Nā collecta Synodo, omnia decreta eius fecit irrita: & ordinatos ab eo, denuò per uim Romæ ordinauit, sed non extra Romā, & cadauer eius sepulchro extractum, pontificali habitu spoliauit, & seculari ueste indutū, sepulturę laicorū mandauit: duosq; eius digitos, quib. in consecratione sacerdotes utuntur, abscidit, & in Tyberim abiecit, eo quòd cōtra iusiurandū Romā & sacerdotiū repetijsset, quo à Ioanne nono orbatus fuisset. Leo Hostiēsis li. 1. ca. 48. in Chronico Casinensi. Primo anno pōtificatus, sui mense tertio obiit. Platina, Martinus & Marianus Scotus annū unū ei asignāt. Ranulphus scribit, eum relicto papatu, monachum esse factum, libro 6. cap. 3.

ROMANVS.

Romanus nomine, & patria, licet aliqui Hispanū fuisse putēt, successit Stephano: & causam Formosi approbans, antecessoris sui decreta & acta rescidit: & tertio mense, uenēno fortè à factiosis propinato, obijt, anno Domini 898. Balæus, & Platina.

THEODORVS II.

Theodorus patria Romanus, ordinatos à Formoso, quos Stephanus deposuerat, recepit: & libros abrenunciationis reddidit, ignisq; cremari iussit. Quamobrem uigesimo die à factiosis, ut credibile est, è medio tollitur, anno Domini 899. iuxta Balæum. Sigebertus 903 habet.

De Romanis presbyteris.

ANASTASIVS.

ANastasius, uir Latinè & Græcè eruditus, Ecclesiæ Romanæ Bibliothecarius, tempore Adriani tertij, à Ludouico Constantinopolim legatus missus est: & cum Synodus isthic finita esset, acta Græcè conscripta Latinis episcopis iussus est prælegere, & indicare an bona fide omnia essent facta: ut narrat cōtinuator Damasi in uita Adriani III.

Iussu Nicolai pontificis, uitam Ioannis eleemosynarij transtulit lib. 1. & Dionysij Hierarchiā lib. 1. Et uitas sanctorū rogatu Caroli tertii. Scripsit alia plura, & claruit sub Ludouico II. & Carolo III. Trithemius de uiris illustribus: Bergomēsis li. 11. Schedelius, Nauclerus: & Sabellicus Enneadis 9. lib. 1.

ARSENIVS.

Arsenius episcopus Ludouici Imperatoris, ut Auentinus indicat, à Nicolao pontifice in apocrisariū, seu consiliariū, aut legatū, non sine causa, ut nimirū omnia arcana Imperatoris expiscaretur, selectus, nomine pontificis cū Ludouico Francofordiæ fœdus renouat. Auentinus lib. 4. Et in Francia autoritate pontificia Synodū episcoporum cogēs, Lotharium regem alloquitur, ut unum è duob. eligat: aut propriæ uxori Thietbergæ recōciliaretur, abdicato Vualdradæ pellicis cōsortio: aut sciat se unà cum omnib. qui in ea re ipsi assensum præbeāt, protinus anathematis fulmine percutiendū. Idem Vualdradam Romā ire iubet, ut pro se rationem pontifici reddat. Engiltrudā uxorē Bosonis, quę neglecto marito cum Vuagnero in Gallias aufugerat, excōmunicat: & aduersus eandē, cum Vuormatiæ ei obuiā uenisset, & iureiurādo sese adstrinxisset, quòd uellet unà cum ipso, ut nimirū Apostolicus, ille haberet socii am itineris, Romam ire, & tamen ab eo in Franciam pedem retulisset, per literas ad omnes episcopos Galliæ, Germanię & Neustrię, anathematis denunciationem grauissimè repetit. Regino lib. 2. anno Domini 866. Liber Pontificalis, in Nicolao.

IDIOTA.

Idiotam in hanc classem reijcimus, non quòd certò sciamus eum fuisse Romanū sacerdotem: sed quòd uidetur Italus fuisse, & quòd pontificios errores de Mariæ intercessione & adoratione strenuè, more tamē Neministarū, hoc est, occultato nomine, uelut pestis in tenebris grassans, promouit. Fuit quidā Ido Padeburnēsis clericus, qui de miraculis Liborij scripsit, teste Cranzio in Metropoli lib. 1. cap. 28. sed an iste sit, affirmare nō possumus. Claudio Taurinēsi sese aliqui grauiter opposuerūt, de imaginum cultu & sanctorū inuocatione. fortè & hic inter eos fuit unus: qui tamen suæ causæ malè fidens, nomen suum non ausus fuit exprimere.

Scripta.

Scripsit cōtēplationes de amore diuino, de uirgine Maria, de uera pœnitentia, de cōtinuo conflictu carnis & animę, de innocen-

tia perdita, de morte. Stylus humilis est, sed mediocriter pro ratione huius seculi purus.

Doctrina & nœui eius.

De plerisq; capitibus doctrinæ mediocriter scripsit. De iustificatione eleganter dicit: Salua me peccatorem per gratiã tuam, quem damnare potes per iusticiam. Item: Multum Domine peccauit Cain, quando interfecit Abel. sed magis peccauit, cum ait: Maior est iniquitas mea, quàm ut ueniam merear. Absit enim, Domine, ut maior sit iniquitas mea quàm misericordia tua: cum defectus à bono, qui est iniquitas, summo bono comparari nõ possit, quæ est misericordia tua Deus. Libro de conflictu carnis & animæ, cap. 3.

Sed tamen habuit etiã suas stipulas. Nam fidem formatam charitate, & operãtem per dilectionẽ, iustificare asserit, cap. 11. de morte.

De sancta Maria crassos errores habet, ut quòd eius animæ nihil unquam adfuerit uitij, aut peccati, aut turpitudinis: cap. 2. Quòd de ea scriptũ sit in Genesi, Ipsa conteret caput tuum. cap. 4. Quòd ei datum sit nomen post nomen Christi, ut ad eius appellationẽ flectatur omne genu cœlestium terrestrium & inferorum. cap. 5. Quòd nemo ueniat ad filium, nisi eum Maria suis subsidijs traxerit. cap. 1. Quòd aduocata nostra sit apud Deum. cap. eodem. Quòd inuocata ab hominibus, deferat preces ad Dei conspectum. In prologo libri de Maria, Ipse capite quarto inuocat eam, ut pro se intercedat apud filium, quo mundetur ab omni peccato. Vixit, ut quidã uolunt, anno Domini 850.

DE ALIIS ITALIAE Episcopis.

Portuenses.

RADOALDVS.

RAdoaldus Portuensis episcopus, unà cum Zacharia Anaguino à Nicolao ablegatus Constantinopolim, ut causam Photij & Ignatij cognosceret, contra præscripti formulam egit, & cum Photio communicauit, Ignatiumq; damnauit. & postea in Gallias missus, similiter contra mandatum pontificis egit. Quare ambo in Synodo accusati & excommunicati sunt. Liber Pontificalis in uita Nicolai.

IOANNES.

Ioannes Syluæ candidæ episcopus, cum Benedicto archidiacono Romano, à Paschale põtifice Romano ad Ludouicum missus, rogauit, ut illam suspicionem & malam famam, qua cõsensisse in necem Francorum, qui Romæ interfecti erant, insimulabatur, deponeret: anno Domini 823. Annales Francorũ: & Annonius, libro quarto, capite centesimodecimo.

PETRVS CENTVMcellensis.

Petrus Centumcellensis episcopus, à Paschali põtifice ad Ludouicum missus est unà cum Leone nomenclatore, anno Domini 821. Annales Francorum.

NOTTINGVS.

Nottingus filius Erlafridi comitis de Calue, uir eruditus, à Carolo Magno Vercellensis episcopus cõstitutus, horribilis idololatra fuit: si uera sunt, quæ de eo scribit Trithemius in Chronico Hirsaugiensi. Nã reliquias Aurelij Armenii nõ modò Mediolano Veras Aurelij Armenii nõ modò Mediolano Vercellas transtulit: sed easdem cacodæmonis hortatu, quẽ sub Aurelij prætextu adorauit, in Germaniã delusis Vercellẽsib. asportauit: & ut parens ac frater eius Hirsaugiense cœnobiũ in Aurelij honorẽ extruerent, effecit, circiter annum Domini 830. sub Ludouico. idq; aureis & argenteis crucibus ac calicib. libris sacris, uarijsq; ornamentis, quę Vercellensibus abstulit, locupletauit. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi.

LVPVS.

Lupus Seruatus presbyter, episcopus Theanensis, seu Textinus designatus est: fuit homo literatus.

Scripta.

Scripsit de tribus quæstionibus, scilicet de libero arbitrio, de prædestinatione, & de sanguine Christi lib. 1. & epistolas plures ad diuersos.

Opera eius.

Interfuit Synodo Moguntinæ: & disputauit cum Godescalco, eumq; grauiter refutauit cum Rabano. Trithemius in Chronico Hirsaug.

Cum Drogone Metẽse & aliis episcopis, tempore Lotharij Romæ contra Sergij pontificis ambitionem & seditionem pugnauit. Liber Pontificalis.

Rabano fuit familiaris, qui etiam ipsi octo libros in epist. ad Romanos dedicauit.

Obijt circiter annum Domini 851. succedẽte Hilario diacono Casinensi. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, & Hostiẽsis in Chronico Casinensi lib. 1. cap. 35.

LEO.

Leo successor Hilarij, hostis fuit coniugij sacerdotum. Nam cum Capuani Laudenophum nobilem & coniugem elegissent episcopum, Leo cum Berthario Casinensi abbate Romam adijt ad pontificem: eiq; persuadere conatus est, ne illum consecraret episcopum. sed nihil effecit. Chronicon Casinense lib. 1. cap. 43.

NORDBERTVS.

Nordbertus Rhegiensis episcopus, cum Richuino comite Patauino ad Leonem Imperatorem Constantinopolim missus à Ludouico

douico Pio, renouat cum eodem amicitiam & fœdus, anno Domini 814. Annales Francorum.

ATHANASIVS
Neapolitanus.

Athanasius Neapolitanus episcopus, omnem potestatem de cella in casa Gentiana, restituit Casinensi cœnobio. lib. 1. cap. 49.

IOANNES RAVENNAS.

Ioannes archiepiscopus scripsit epistolã ad Carolũ Caluũ, nomine cleri Rauennatis.

Certamina.

Oppositi sese Nicolao pontifici: nec uoluit suis concedere, ut Romam uisitarent, & ad pontificem appellarent. prædia quædam pontifici ademit, & ambitionem eius quòd dominaretur Ecclesijs redarguit. uocatus Romam, uenire detrectauit: & in sua Ecclesia, quæ sibi uidebãtur, constituit, non expectato assensu pontificis. Id molestissimè Nicolaus tulit, ac collecta Synodo eum excommunicauit. Verùm Ioannes Papiã ad Ludouicũ accessit, ac põtificẽ accusauit: acceptisque ab eo socijs, quorũ patrocinio tutus esset, Romã adijt, ac coràm suam causam egit. Sed pontifex in sua sentẽtia perstitit, & fraude sibi Rauennates cõciliauit, ac tandem ad eos excurrit, & Ioannẽ fugauit: qui cum Papiã ad Imperatorem uenisset, & ab episcopo eius loci excommunicatio esset repetita, Ludouicusq; iussisset eum cũ pontifice in gratiam redire, fractus animo, Romã adijt, & in Synodo uineã petijt: quã, cum se & suam Ecclesiã planè Pontifici subiecisset, uix impetrauit. Liber Põtificalis, & Platina. Sed tamẽ postea unà cum Gregorio fratre suo, & Hanganone & Gunthario ac Thetgando sese cõiunxit, & pontificis ambitionẽ, ut uicarij Antichristi, uoce & scriptis insectatus est. Ibid.

Deinde lis ei fuit cum Imperatore de illa quæstione, An liceat monachis, si adhibeantur ad episcopi functionem, abijcere pristinum habitum, & uti eo quem aliàs solebant Episcopi usurpare? Ac sensit ille, uestitum omnino rem liberam esse, nec in eo religionẽ aut pietatem consistere. Imperator uerò alteram sententiam propugnat, & Ioannem accusat falsatoré testimonii, quod ex Celestino protulerat. Quibus autem rationibus usus sit Carolus, indicauimus in capite de Schismatibus.

LVTHARDVS.

Luthardus Ticinensis episcopus, mancipium pontificis Nicolai fuit, & Ioannem Rauẽnatem iuuit opprimere. Cum enim eò uenisset ad Imperatorem, excommunicatus & fugatus à pontifice, incitauit suos ciues, ut planè à consortio eius abstinerent, nec Ioanni & socijs eius quidquam uenderent: sed in plateis incedentes, dicterijs impeterent, ut narrat Cõtinuator Damasi, in uita Nicolai.

Mediolanenses.

ANSHELMVS.

Anshelmus Mediolanẽsis, & Vuolfoldus Cremonensis, & Theodulphus Aurelianensis episcopi, cum Bernhardo Italiæ rege aduersus Ludouicum Pium conspirant, eumq; Imperatorem designare conantur, anno Domini 817. Annales Francorum. quamobrem in Synodo damnantur, & monasterijs mancipantur. Annonius libro 4, capite 105. de Francis.

ANGILBERTVS.

Angilbertus Mediolanensis archiepiscopus, coluit & inuocauit Ambrosium, ut patet ex epist. Theodonis abbatis Fuldensis. Et sub Ludouico primo præsidet Synodo Ticinẽsi, cum Andrea patriarcha, & Iosepho archicapellano: ut patet ex Actis, tomo. 2 Cõcil. Et familiaris fuit Hattoni abbati Fuldẽsi.

DADO.

Dado successor eius, homo fuit eiusdem farinæ & studij. Scripsit ad eum epist. Theodo abbas Fuldensis, in qua petit, ut pro se apud Ambrosium preces faciat: ac uicissim eĩ promittit preces suas apud Bonifacium.

REGINHARIVS.

Reginharius Meginharij filius, cuius auus Hartradus olim cõtra Carolum Magnũ conspirauerat, alicubi in Italia episcopus, cum Anshelmo & Vuolfoldo ac alijs, Bernardi factioni fauet: apud Auentinum libro 4. Annalium Boiorum. Rabanus ei cõcionem præscripsit, & sermones homeliaticos de festiuitatibus & principalibus uirtutibus ac uitijs misit, ut patet ex epistola ad eundem.

CLAVDIVS TAVRINENSIS.

Claudius natione Hispanus, ut Ionas Aurelianensis narrat in præfatione sua, & discipulus Felicis, presbyter in palatio Caroli Magni fuit, & à Ludouico Taurinensis episcopus designatus est.

Scriptã.

Scripsit epistolam ad Theodomirũ abbatem, cuius fragmenta Ionas Aurelianensis in suis libris de imaginum cultu recitat. Ionas Aurelianensis blaterat lib. 1. de imaginũ cultu, Grammatices ignarũ & contemptorem eum esse, sed tamen multæ lectionis Patrum & philosophorum.

Doctrina.

Quantum ex epistola illa colligi potest, doctrinam puram & synceram professus est de Deo, de creatione, deque uera inuocatione Dei, de pœnitentia: de fide, quòd ea debeat in promissiones Dei respicere: de iustificatione, quòd nisi quis eandem fidem, iusticiam & ueritatem teneat, quam alij san-

cti, qui Deo placuerunt, ſaluus eſſe non poſſit: de Eccleſia, eiusq; poteſtate. Et corrupte las pontificias non modò abhorruit, ſed etiã refutauit.

Opera eius in functione.

Veritatẽ cœleſtem ſedulò docuit & propagauit: ac errores, corruptelas & ſuperſtitiones de adoratione imaginũ, interceſsione & reliquijs ſanctorum de peregrinatione uerſus Romam ob pœnitentiã, de primatu pontificis Romani, indicauit & confutauit.

Imagines & cruces remouit ex Eccleſia, propter adorationis abuſum: ut patet ex epiſtola eius, & narrat Ionas Aurelianenſis li. 1. de imaginum cultu.

Certamina.

Paſchalis pontifex, & Theodomirus abbas, ac alij pontificij in Gallijs & Germania, eum nouæ hæreſeos inſimularunt, propterea quòd corruptelas illorum refutauerat, ut patet. Fuit autẽ pugna de his capitibus.

Pontificij aſſerebant imaginũ adorationẽ, eamq; uolebãt fucare, quòd tantum eſſet recordatio Chriſti & ſanctorum, ac quòd talis cultus nõ eſſet prohibitus in uerbo Dei. ſed Claudius dictũ Moyſis urget, nõ faciendam eſſe ſimilitudinẽ omniũ quæ in cœlo ſunt, aut quæ in terra: idq; nõ tantũ de idolis gentiliũ, ſed de omnib. creaturis dictũ cõtendit.

Deinde cum ſancti uiuentes nõ paſsi ſint ſe adorari, colligit, nullo modo eos uelle, ut poſt mortem imagines eorũ adorentur.

Tertiò, cum imagines Deus non ſint, colligit eas eſſe creaturas: ac poſtea oſtendit, prohibitum eſſe creturas potius quàm Deũ colere. Rom. 1.

Quartò, ex eo quòd Deus hominem erectum condidit, infert, debere eum uultus & manus ad Deum attollere, & non corã imaginibus proſterni.

Quintò, ex reſurrectione Chriſti demonſtrat, non eſſe de Chriſto, ut de mortuo, ſed ut de uiuente Domino cogitandum.

Sextò, per abſurdũ colligit, quòd ſi ideo adorãda ſit crux, quia Chriſtus in ea pependerit: etiã ſequi aliarũ rerum adorationem, ut uirginum & puellarum, quia uirgo Chriſtum peperit: & præſepis, panorumq;, quia in ijs iacuerit: & nauium, quia in ijs nauigarit: & agnorum, quia dicatur agnus: & petrarum & leonum, quia petra & leo appelletur.

Deinde Pontificij aſſerebant, quòd pœnitentiam agere eſſet Romã peregrinari, propterea quòd Petro ſint claues datæ regni cœlorum. Claudius uerò negat, pœnitentiam eſſe peregrinationẽ: ac inde probat, quòd ipſi pontificij non omnes pœnitentes Romã mittant. Deinde dictum Chriſti oſtendit ab imperitis hominibus non rectè intelligi de Petro mortuo, & per uicarios Romæ præſidente, ſed de omnibus ſacerdotibus.

Tertiò, pontificij ſanctorum interceſsionem commendabant. At Claudius opponit dictum Ezechielis: Si fuerint in medio eius Noe & Daniel & Iacob, &c. non liberabunt filium. Ac inde concludit, neminem debere de merito & interceſsione ſanctorum confidere.

Quartò, pontificij Romanum ſacerdotem Apoſtolicum, hoc eſt, pro eo qui errare non poſsit, haberi uolebãt. Sed Claudius inquit: Non ille dicendus eſt Apoſtolicus, qui in cathedra ſedet Apoſtoli, ſed qui Apoſtolicum implet officium.

Quędã excerpta ex libro eius cõtra Theodomirum abbatem, Ludouicus ad Ionã mittit: ac ei præcepit, ut ſuam ſententiam de his exponere. Sed ille metuit, ne poſſet ueritate expugnare, ideoq; cunctanter rem peragit. Interea Ludouicus & Claudius moriuntur: quare ille poſtea animo confidentiori in lucem prodit, & ad Carolum ſecundum tres libros contra mortuum ſcribit, in quibus ſtrenuè Claudium traducit de Ariana hæreſi, quæ si nunquam in mentem uenille uidetur, & de Euſtaſij & Vigilantij, &c.

Claruit circiter annum Domini 820. tempore Ludouici Pij, & Paſchalis pontificis Romani. Balęus Centuria 14. cap. 31.

BELLATOR.

Bellator presbyter alicuius Eccleſiæ, cuius nomẽ nõ reperitur annotatũ, inter multa alia ſcripſit libros 7 in Sapiẽtiam Salomonis. Claruit ſub Ludouico Imp. anno Domini 840. Trithemius de ſcriptoribꝰ Eccleſiaſt.

FORTVNATVS GRADENSIS.

Fortunatus Gradenſis patriarcha in bello Pánonico, quod dux Ludouicus gerebat contra præfectos Ludouici Pij Imperatoris, conſenſit cum hoſte, eumq; quantũ potuit, conſilio & ſubſidio iuuit. Id cũ presbyter eius nomine Tyberi⁹ animaduertiſſet, accuſauit eũ ad Imperatorẽ: à quo euocatus eſt ad patriarchatũ Aquenſe, ut pro ſe cauſam diceret. Ille ſibi malè cõſcius, ſimulat quidẽ profectionẽ in Germaniã: ſed cum Gradũ ueniſſet, clam naue aufugit in Dalmatiã, & à Ioanne præfecto Iaderenſi Conſtantinopolim tranſmittitur anno Dñi 821. poſt annos 3. cum Michaele Imperatore legatos ad Ludouicũ & munera confirmanda pace miſiſſet, cum ijs in Germaniã etiã Fortunatus uenit: qui interrogatus de cauſis fugæ, reſponſum quidẽ nõpſit: nè alienũ à uero dedit. Sed Imperator eũ ad pontificẽ Romanũ ire iuſsit, ut ab eo carnifice & proditionũ artifice accuratius examinaretur. Annales Francorũ, & Annon. lib. 4. c. 108, & 111. de Francis. Põtifex eum remiſit in Franciã, & ut Polanæ eccleſiæ præficeretur, aſſenſit: ueruntamẽ Imperatorẽ monuit, ut eum

cogat suum officium facere. nam eum pa-
rum commendari ab alijs, præter eos quos
tificis.

munerib⁹ corrupisset, ut patet ex epist. pō-

HIDEGARIVS
Tridentinus.

Hildegarius Tridentinus episcopus 43, a-
lerius Philansus in dialogo tertio de Triden
tino concilio.
ram circa annum Domini 803 renouauit. Va

DOCTORES GAL-
licani.

HAMVLVS LVG-
dunensis.

HAmulus, uir Latinè & Hebraicè do-
ctus, scripsit contra Iudæos librum 1
ad Carolum Magnum. claruit sub Ludouico
filio eius, anno Domini 830. Spanheimensis
de scriptoribus Ecclesiasticis.

Arelatenses.

IOANNES.

IOannes Arelatensis archiepiscopus, cum
Nidibrio Narbonēsi, à Carolo Magno ad
Synodum Arelatensem missus est: ut patet
ex Actis, tomo 2 Concil.

ROTLANDVS.

Rotlandus Arelatensis archiepiscopus,
Cæsarij abbatiā à Ludouico Imp. non uacua
manu adeptus, in Carnatia insula castellum
extruxit: ad quod confugit, audito Saraceno
rum aduentu. Verùm illi eum insecuti, tre-
centis interfectis de satellitio eius, capiunt
& abducunt. Cum autem pro eo redimendo
150 libræ argenti, & quædā alia hosti essent
data, è uiuis excesit, & mortuus ad suos re-
dijt. Annonius libro quinto, capite uigesi-
motertio de Francis.

FRECVLPHVS
Rotomagensis.

Freculphus monachus Fuldēsis, sectator
Benedicti, olim discipulus Albini, episcopus
Lexouiensis in diœcesi Rotomagensi factus
est. Scripsit historiam rerum gestarum ab ini
tio mundi, usq; ad natiuitatem Christi lib. 7.
ad Helisacharū. Et quæstiones difficiliores
Scripturarum explicauit genere sermonis sa
tis luculento. Donis ad functionem Eccle-
siasticam satis instructus fuit, & docendo &
concionando, ac piè uiuendo suis auditori-
bus profuit, circiter annnū Domini 840. sub
Ludouico. Trithemius. Rabano familiaris
fuit, ut patet ex libris ipsi dedicatis.

Senonenses.

ANSEGISVS.

ANsegisus abbas Lobiēsis, sub Iarua Be
nedicti, circiter annum Domini 827.
postea Senonensis archiepiscopus designa-
tus, fuit uir in sacris & prophanis studijs ex-
ercitatus, disciplinę Ecclesiasticę custos acer,
& diligens.

Scripta.

Scripsit statuta Ecclesiastica Caroli lib. 2.
Et leges mundanas eiusdem lib. 2.
Item statuta Ecclesiastica Ludouici lib. 2.
Et leges mundanas eiusdem lib. 2, & alia
quædam.

Deos alienos ueneratus est. Nam caput
Gregorii Magni, & brachium Leonis papæ,
à Ioanne nono pontifice accepit, & in eccle-
siam Perri apud Senonas cum magna super-
stitione recondidit: ut narrat Erphordiensis
sub Ludouico secundo.

Mancipium Antichristi fuit: ac consensit,
ut à pōtifice & Carolo Caluo primas seu pō
tificius uicarius super Gallinicanas eccleſias
refragantibus alijs episcopis, cōstitueretur.
Annonius lib. 5. cap. 33.

Claruit sub Lothario, circiter annum Do-
mini 840. Trithemius. Ranulphus lib. 5. c. 33.
eum refert ad tempora Ioannis noni ponti-
ficis, qui circa annū Domini 873 sedit: cum
quo Erphordiēsis cōsonat. unde colligitur,
curriculum uitæ eius fuisse satis prolixum.

EBERHARDVS ET
Vualtharius.

Eberhardus Senonensis metropolitanus
moritur eo tempore, cum esset urbs à Nor-
mannis obsessa, anno Domini 888: Vualtha-
rium, nepotem Vualtharij episcopi Aurelia-
nensis, sortitus successorem. Regin. lib. 2.

Remenses.

TVRPINVS.

TVrpinus Caroli Magni amicus & secre
tarius, in sacris & prophanis literis ap
primè doctus, utroq; genere styli exercita-
tus, Romanorū episcopus designatus est.

Scripta.

Scripsit de gestis Caroli Magni lib. 2. & e-
pistolas ad diuersos lib. 1. Trithemius de scri-
ptoribus Ecclesiasticis.

De doctrina eius.

Quantum ex fragmentis, quæ ex eius li-
bris ab Erphordiensi & Vincentio referūtur,
conijcere possumus, pleraſq; stipulas huius
seculi in corde, quasi cristas in galea, gesit:
quales sūt, de salute p opera traditiones hu-
manas acquirenda, de sanctorū intercessiōe
& adoratione, de missificatione p mortuis,
de reliquijs sanctorū, & de signis mendacib.

Opera.

Castra Caroli Magni secutus, contra Sara
cenos etiam manu sua pugnauit.

Templum Galecianum Iacobi, unà cum
alijs nouem episcopis consecrauit in Hispa-
nijs, eamq; Ecclesiam principem in omnes
alias cōstituit. Sabellicus Enneadis octauæ
libro 8. Erphordiensis cap. 68.

Multis fabulis & nugis, Caroli Magni hi-
storiam

storiã deformauit: qualis illa est de expeditione eius in terram Sanctam, quam pleriq; omnes scriptores mendacij coarguunt.

VVVLFARIVS.

Vuulfarius Remẽsis archiepiscopus, iussu Caroli Magni Synodum Remis celebrat, anno Domini 813. Et ex decretis eius colligi potest, ipsum, licet nõ planè à stipulis istius seculi fuerit alienus, tamen de studio sacrarũ literarum bene sensisse, nec corruptos mores monachorum & clericorum probasse.

HINCMARVS.

Hincmarus natus sub Carolo Magno, monachus Parisiensis ad S. Dionysium eruditione, sapientia & facũdia clarus, philosophus, poeta & theologus, Remensis archiepiscopus constitutus est, circiter annum Domini 854, sub Lotharij imperio. Sigebertus.

Scripta.

Scripsit ad ecclesiam Rauennatem nomine Caroli Calui lib. 1. Et uitam Remigij lib. 2. Ad Vualonẽ episcopum Metensem lib. 1. Epistolarum lib. 1. Scripsit etiam uersus ad Hincmarum Laudunensem. Item cotra eundem lib. 1. Trithemius. Et libellum contra liberum arbitrium, quem manuscriptum uidimus.

In suis scriptis citat tum Ciceronem, Catonẽ, & alios Ethnicos scriptores: tum pontificum decreta, ut Anacleti, Cœlestini, Syricij, Gelasij, Gregorij, Hilarij, Bonifacij, Innocentij, Zẽpherini, Stephani, Vigilij. In libro aduersus Laudunensem, tum patres, Cyprianum, Hieronymum, Basiliũ, Cyrillum, Augustinum, Prosperum, Bedam, Isidorũ: tum historicos, ut Eusebium, Ruffinum, Liberatum, & similes: tum Acta conciliorum, Nicẽni, Africanorum, Arelatensium, & aliorum propemodum omnium.

Doctrina, & meui eius.

Quid de singulis capitibus doctrinæ senserit, non est difficile ex 4. capite animaduertere. Non planè fuit ab omnibus stipulis huius seculi mundus, præsertim de traditionibus humanis: quas delusus autoritate Hilarii pontificis, Dei præceptis æquiparauit: Non minus in sanctarum traditionum sanctiones delinquitur, quàm in ipsius Domini iniuriam prosilitur. De sanctis mortuis. nam Laudunensem obtestatur per Mariæ uirginis gloriã, & Remigij merita, nẽ faciat contra leges catholicas.

Opera gubernationis.

Non tantum suæ, sed omnium ecclesiarũ totius prouinciæ inspectorem egit: ut patet ex epistolis eius. & episcopos de suis officiis diligenter commonefecit, eorumq; uitia reprehendit: ut Simoniam, auariciam & tyrannidem. in epistola ad Tornacenses.

Ordinauit episcopos. nam Hincmarum nepotem suum, Laudunensem consecrauit episcopum, & plures alios: ut ipse fatetur in libro aduersus Laudunensem, cap. 40.

Inaugurauit reges, ut Carolum, & postea Ludouicũ Balbum. Annonius lib. 5. cap. 38. & 36 de Francis, & Auentinus li. 4 Annalis. Arbiter à Ludouico constitutus est, ut inter se & Carolum fratrem suum unà cum aliis litem dirimeret. Auentinus lib. 4. Annalium.

Certamina.

Fuit ei magna, diuturna & multiplex contentio cum Hincmaro nepote suo, Laudunensi episcopo, de iure & priuilegiis suæ diœceseos. Laudunensis enim sub ipso esse recusabat, & appellationẽ ad Romanũ pontificẽ, quam cum non esset legitimè facta, noluit concedere circiter annum Domini 870.

Deinde Rothardũ Suessionicæ urbis episcopũ dãnauit, & depositũ ab officio in carcerem cõclusit, quẽ Nicolaus pontifex Romanus absoluit. Liber Pontificalis in uita eius.

Adrianus II. eo quòd Laudunensem metuisset ad Romanã sedẽ appellare: & quòd nõ statim ad suum præceptum, Normannũ & Carolum regem excommunicasset, grauis & iracunda epistola eũ obiurgat. Verùm ille respõdet ei satis liberè, se non potuisse Normanni excommunicationem probare, quia fuerit iniusta: & multo minus posse Carolũ regem excommunicare, cum sese offerat ad rei legitimam cognitionem. Hincmarum se prohibuisse Romam proficisci, negat: ac monet pontificem, ne tam temerè excommunicationes præcipiat, aut quibusuis mentitoribus credat: sed patiatur causas diligentius in suis prouincijs cognosci, & iuxta canones dijudicari: ut prolixius in capite de Schismatibus & Politia diximus.

Curriculum.

Obijt anno Domini 885. Sigebertus. Vitæ satis prolixo spacio usus est, inde à Carolo Magno propemodum usq; ad Arnulphum Imperatorem, in episcopatu annos triginta & unum exigit.

FVLCO.

Fulco sub Ludouico Pio abbas fuit, & cũ Adroualda Romam ab Imperatore est ablegatus. Auentinus lib. 4 Annalium. & postea Remorum archiepiscopus, Carolum Crassum inunxit regem. Auentinus ibidem. A Vuinemaro satellite Balduini Flandrensium comitis interficitur, eo quòd Vedasti Atrebatis abbatiam à Carolo accepisset, quam ipse aliquot annos possederat. anno Domini 900. Sigebertus.

Aurelianenses.

THEODVLPHVS.

Theodulphus ex abbate Floriacẽsi episcopus Aurelianẽsis factus est, eruditiõe & hypocrisi clarus, in utroq; genere styli exercitatus.

In di-

In diſsidio inteſtino inter Ludouicũ Pium & filios eius, ſecutus eſt partes filiorũ, eosq; contra parentem incitauit, & depoſitionem Imperatoris ſedulò promouit. Quamobrem Ludouicus recuperata dignitate, eũ in carcerem Andegauiæ coniecit. In eo hymnum Gloria laus, &c. in die Palmarum cõpoſuit, & Imperatore prętereunte cecinit: atq; ita gratiã eius, liberationẽ, ac dignitatem epiſcopalem conſecutus eſt, anno Domini 843. Sigeb. Scripſit Hymnorum lib. 1. Spanheimenſis: Annonius lib. 5. cap. 10. Ranulphus lib. 5. cap. 30. Trithemius in Chronico Hirſaugienſi: Cranzius in Metropoli lib. 1. cap. 27.

IONAS.

Ionas Latinè & Græcè eruditus, ac in patrũ ſcriptis probè uerſatus, Aurelianenſem epiſcopũ ſub Ludouico Pio & Carolo II. agit.

Scripta.

Scripſit de cultu imaginum libros tres, cõtra excerpta, quæ ex Claudij Taurinenſis epiſtola ad Theodomirum abbatem, ipſi erãt à Ludouico Pio propoſita. In ijs paſsim Hieronymum, Origenem, Auguſtinum, Nazianzenum, Sedulium, Paulinum Fulgẽtium, Bedam & alios citat.

Doctrina & næui eius.

De peccato rectè ſentit, omnes eſſe peccatores, & ſæpius delinquere, & ea quæ prohibita ſunt facere. lib. 2.

De ſeruo arbitrio eleganter inquit: Quia enim à nobis nihil bonæ uoluntatis nobis ineſſe, nihilq; uiriũ nos habere poſſe ſcimus: quoniã nõ uolentis, neq; currentis, ſed miſerentis eſt Dei: ſed ab illo potius cui inniti, cuiq; adhærere bonũ eſt, à quo etiã & uelle noſtrũ & poſſe exiſtit. Ab eo (inquam) nobis tanti roboris uires adminiſtrari non diffidimus, quibus exhilarati & cõfortati poſt Dominũ uenire, noſmetipſos abnegare, crucẽq; eius tollere, eum ſequi ualeamus, quatenus illo digni eſſe mereamur. lib. 2.

Rectè dicit ſententiã illam: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, penè ab omnibus intelligi de fide & cõfeſsione, quæ præceſſerat, Tu es Chriſtus filius Dei uiui. lib. 3.

De pœnitentia perperam docet: Peccata quæ poſt baptiſmum committuntur, pœnitentiæ lachrymis, & eleemoſynarum largitionibus diluuntur. Lib. 1. ſub finem.

Ieiunia, & corporis extenuati abſtinentiam, gloriam præparare futuram, æternãq; ſatietatem, aſſerit lib. 3.

Superſtitioſam & pernicioſam imaginũ adorationẽ nõ probat: ſed fingit eam, quam tum profitebantur & exercebãt põtificij, nõ eſſe ſuperſtitioſam: & ut maximè ſit, tamen illos adoratores imaginum nullo pacto ab unitate fidei catholicæ defeciſſe, & ad idola ſe cõuertiſſe, credendũ eſſe. ac illos qui imaginibus ſupplicant, negat idololatras appellandos, eſſe, eo quòd fidem trinitatis ueraciter credant: concedit tamen, eos, ſuperſtitioſe agere. Lib. 1.

Traditiones Eccleſiaſticas non uult, cum ſcandalo reprehendi, aut aboleri propter abuſum, ſed doctrina & inſtitutione corrigit. Ibidem.

Negat maiores mortuos, etiãſi idola coluerint, eſſe arguendos & diffamandos.

De ſanctorum interceſsione, & ſpe ſalutis per ſuffragia eorum, ſic inquit: Salutem animæ noſtræ à ſolo Deo dari fideliter credimus: ſed quia cum meritis noſtris præpedi-tibus, eam ab eo nanciſci non meremur, ſi ſuffragijs cœleſtium ſiue ſpiritualium creaturarũ illius nos cõpotes fore ueraciter confidimus, nequaquã creaturę, ſed potius creatori ſeruire comprobamur. At ſi per ſanctorum ſuffragia ſalus animarũ nõ adquiritur, ut quid eorũ interceſsio in Miſſarũ celebrationibus, & cæteris ſupplicationibus apud diuinã Maieſtaté flagitatur? Salus igitur animę ſcimus, quia nõ niſi à Deo datur, ſed fideliter credimus, quòd per eorum interuentũ nobis immeritis ab eo largiatur: & pro eo quòd id credimus & ſperamus, non creaturę ſed creatori noſtro ſeruimus. Libro primo. Et: Sanctam Dei genitricem congruo honore ueneramur, eiusq; interceſsionem apud diuinam maieſtatem humiliter flagitamus. Libro ſecũdo. & Libro tertio aſſerit, ſanctos mortuos melius poſſe intercedere pro nobis, quàm uiuentes.

Crucem Chriſti ob recordationẽ redemptionis, ſed nõ eo cultu & adoratione quæ diuinitatis eſt, colendam & adorandam eſſe concedit: ac eo ſigno nobis omnia ſanctificari dicit, Lib. 1. Et in eam ſententiam multa ex patribus allegat, Lib. 2.

Reliquias ſanctorũ honorãdas eſſe, probat his rationibus. 1. quia Eccleſia dãnauit Vigilantiũ & Euſtaſiũ, qui ea aſſeruerunt nõ eſſe honorãda. 2. Quia Hieronymus dicit, ad ſepulchra ſanctorũ rugire dæmones. 3. Quia Gregorius Nazianzenus aſſerit, ſanctorum reliquias diuina uirtute & gratia Spiritus S. amictas eſſe, & diuini numinis claritate radiare. 4. Quia multa miracula ab ijs facta ſũt. 5. Quia iuxta dictũ Auguſtini, honor reliquarum ſanctorũ redundat in Dominũ, qui dixit: Qui uos ſuſcipit, me ſuſcipit. & grauem dicam ei ſcribit, quòd reliquias pecorum, lapidum & lignorum ſimilitudinem habere dixit: & tamen ipſe negat eas adorandas eſſe. Sic enim inqt: Corpora ſanctorũ, &c. non adoranda adoratione diuinitati debita: ſed pio ſunt amore amplectenda & honoranda, utpote Spiritus ſancti templa ſacrata.

Pere-

Peregrinationem ad limina Apostolorũ, ad quærendum intercessiones eorum, non ex uerbo Dei probat, sed authoritate humana: & quòd Gregorius papa scribat, quendã diuinitùs admonitũ esse, ne cessaret quotannis uisitare limina Apostolorũ, eo quòd mercedem meritorum suorum esset recepturus. Malè detorquet exempla Abrahę, populi Iudaici, Dauidis, Salomonis & Heliæ. Garrit etiam, Apostolos propter templum sæpe Hierosolymam ueniisse: & tamen postea fatetur ipse, non esse summã perfectionis in ea re sitam. lib. 3.

Ignem purgatorium non obscurè fingit, quo leuia peccata necesse sit decoqui. ac dicit, sanctorum intercessione homines citius ab illo subleuari. lib. 3.

Certamina.

Contra Claudium mortuum, post multos annos scripsit: ac in eo reprehẽdit, quòd superstitiosæ & pernicioſæ imaginum adorationi, qua plebs Taurinẽsis laborabat, nõ eo quo debebat modo restiterit, nimirũ institutione, & ueritatis demonstratione: sed scandalosa abolitione & exturbatione imaginum, picturarum & crucium. Sed non est credibile, Claudium non prius uerbis refutasse imaginum & statuarum adorationem, quàm eas ex templo eiecerit. Claudii epistolam ad Theodomirum, ut impudens caluminator grãmaticæ, in plerisq; carpit: sed cum ad rem debet respondere, & contrariã sententiam defendere, non est domi, quod uulgò dicitur. Nam non audet imaginum adorationem apertè defendere, sed expressè inquit: creaturam adorari, eiq́ue aliquid diuinæ seruitutis impendi, pro nephas ducimus, huiusq; sceleris patratorem detestandum & anathematizandũ libera uoce proclamamus. libro primo. Et Galliam dicit imagines quidem habere, sed eas non adorari.

Magnum crimen ei impingit ex eo, quòd uerba Cypriani adscripsit Claudius, & Dei præceptum de furto in eo uiolatum esse ineptè somniat: & omnino postulat, ut in ea re se errasse fateatur. Similis sycophantia est, quòd Claudius crucem asino comparauerit: cum tamen ille tantum dixisset, Si omne lignum schemate crucis factum uolunt adorare, &c. adorentur etiam asini, quia asello insidens Hierosolymam usque peruenit. lib. 1 & 2.

Claudium subinde Grammatices imperitum esse asserit: & tamen ipse sæpius Prisciani & Grammaticorum regulas uiolat. Nã libro tertio inquit: Inueniris in eorum contumeliam debachasse, &c.

ARNVLPHVS

Tullensis.

Arnulphus in pago Aurelianensi, ex patre Arnoldo, & matre Faminola natus, nitidissimus septimus episcopus Tullensis constitutus est. Fuit uir doctus & constans, grauis in dicenda ueritate, arguendisq; sceleribus hominum. Nam cum Lotharius iunior repudiata uxore sua Theutberga, Vualdradam cõcubinam duxisset, & alij episcopi partim timore, partim largitionibus corrupti, ad id scelus conniuerent: ille Dei timore & officii sui necessitudine excitatus, regẽ adit, ac pro re par erat, de peccato suo cõmonefacit, & ad pœnitentiam eundem reuocat. Quod cum frustra esse uidit, sacris ei interdixit. Rex iratus, ipsum pro ea fide & cura pastore dignatus, afflixit: & multa bona ab Ecclesia illa à maioribus donata, aliò transtulit, quæ uix postea mortem eius recuperata sunt. Præfuit annis 25. Successorẽ habuit Arnoldum, quem Lugdelinus, Drogo & Gantzlinus secuti sunt. Acta episcoporum Tullensium.

HALIDGARIVS

Cameracensis.

Halidgarius episcopus Cameracensis, uir doctus, in aula Ludouici Pij in precio fuit, & ab imperatore unà cum Ansfrido abbate Nonnatulæ Constantinopolim ablegatus, à Michaele honorificè exceptus est, anno Domini 828. Annales Francorum.

HINCOMARVS

Laudunensis.

Hincomarus in territorio Bauoniæ apud Atrebatenses natus, parentibus orbus, ab Hincmaro Remensi archiepiscopo enutritus, ac in literis prophanis & sacris institutus, per gradus ad episcopatum Laudunensem ab eodem cum regis Caroli assensu adhibitus est. Fuit autem homo ab adolescentia elato animo, & iactabundus.

Scripta.

Scripsit aliquot epistolas ad auunculum suum, in quibus etiã grammatica uitia commisit: ut patet ex Hincmari rescriptis.

Ex canonibus libellum consarcinauit, de appellatione ad Romanam sedem: cui uersus præmisit, qui nec ad Grammatices, nec ad prosodiæ præcepta planè congruunt, ut auunculus eius in responsione indicat.

Doctrina & opiniones eius.

Plenus fuit uanis opinionibus. Nam cum Iuliano, Pelagio & Nouatianis, Godescalco ac alijs hæreticis eum confert Hincmarus in epistolis. De Romani pontificis principatu magnificè sensit.

Opera uocationis.

Suum munus malè administrauit. Nam cum metueret, ne à Synodo prouinciali & Carolo rege prohiberetur appellare, & pro-

ficisci Romam, omnibus suis sacerdotibus in Laudunensi diœcesi, sub pœna excommunicationis interdixit, ne quod officium sacerdotis peragerent, siue docendo, siue baptizando, siue absolutionem & cœnam administrãdo, siue mortuos sepeliendo, antequã ea de re suam sententiã cognouissent, aut à pontifice Romano aliquid rescriptum esset.

Abusus est etiam claue ligante aduersus Normannum quendam, prorsus immunem ab eo scelere, propter quod ipsum excõmunicauerat.

Suo metropolitano Hincmaro Remensi, debitam obedientiã & reuerentiam præstare detrectauit: & Laudunẽsem ecclesiam ab eius iurisdictione abalienare conatus est.

Mancipium pontificum Romanorũ egit, & ad eosdem appellauit, mendacijsq; causam suam palliauit: ut patet ex Hincmari epistola ad Adrianum.

Certamina.

A Synodo prouinciali damnatus in causa plana & perspicua, ad pontificem appellauit. sed cum Synodus indicasset, esse illegitimam prouocationem, ac illenihilominus ab ea non desisteret, Carolus rex illum in uinculà coniecit. Ille uerò ira commotus, suis sacerdotibus omnibus officijs Ecclesiasticis interdixit. Ecclesia & sacerdotes Laudunenses rem ad Hincmarum Remensem deferunt. Is autoritate metropoleos ad illum scribit, ac multis rationibus demonstrat, non rectè ab eo, ob causam priuatam, ecclesiam ministerio à Christo instituto orbari: ac petit ut ipse edictum suum aboleat. quod cum renueret, potestatem administrandi muneris sacerdotibus Laudunensibus ipse, ut archiepiscopus, restituit. Laudunensis ex carcere dimissus, scripto defendit suum factum: & de appellationis libertate, & iure suæ ecclesiæ disceptat libro ea de re scripto, quem Remensis prolixè refutat, & in Synodo ad uillam Attiniacum ipsi & patribus offert. Habita deliberatione, Synodus Laudunensi persuadet, ut suum delictum agnoscat: & suo chirographo testetur, se in posterum regi Carolo & suo archiepiscopo obedientiam debitam præstiturum: anno Domini 870.

Non ita multo pòst, ecclesia eius contra ipsum litem mouet, de malè administratis bonis. ille rem ad archiepiscopum refert, & petit sibi iudices constitui. Quòd cum esset factum, mutat animum: & petit à Remensi per literas & presbyterum, ut sibi impetret à rege licentiam eundi Romam. quòd cum non concederet rex, ad Adrianum illum accusat: ut patet ex narratione Hincmari scriptis inserta.

HADEBERTVS SYLVANECTENSIS.

Hadebertus Syluanectẽsis episcopus, successor Erpoini, familiaris fuit Hincmaro Remensi, qui ad eum epistolam scripsit: in qua ei cum consensu Ludouici Imperatoris munus uisitatoris delegat, ut in ecclesia Beluacensi curet legitima electione episcopum à clero & populo designari.

ADALBERTVS MORINENSIS.

Adalbertus Morinẽsis episcopus, ab Hincmaro Remẽsi ordinatus, fidei suæ professionem scripsit, & archiepiscopo suo debitam obedientiam ac reuerentiam promisit, ut patet ex epistolis Hincmari.

Bituricenses.

SEGOLENVS.

SEgolenus trigesimusnonus episcopus Bituricensis, tempore Caroli Magni uixit, quando eius Imperatoris autoritate ritus ecclesiæ Gallicanæ aboliti sunt, & Romanus Baalismus institutus est. Præfuit annis quinq;. Acta Bituricensium.

HVMBERTVS.

Humbertus Segoleno successit, à Carolo Magno constitutus. Acta Bituricensium.

STEPHANVS.

Stephanus 43 Bituricensium episcopus, sub Ludouico Pio ecclesiam illam rexit. Cõmendatur à pietate & liberalitate in pauperes. Præfuit annis 8. Ibid.

EREMBERTVS.

Erembertus successit Stephano, & approbator fuit noui festi omniũ Sanctorũ, quod edicto Lodouici de consilio Gregorij quarti, per totam Galliam celebrari Calend. Nouembris præceptũ est. Præfuit annis quinq;, & tribus diebus. Ibidem.

FROTARIVS.

Frotarius primùm Burgedalensis, & postea Pictauiensis episcopus, interfuit Synodo ad S. Dionysiũ, in qua pontificis Romani legati Ansegisum Senonensem episcopum, præsente Imperatore Carolo Caluo, primatẽ super ecclesias totius Galliæ, fruſtrà alijs episcopis reclamantibus, declamabãt ea conditione, ut uicem Pontificij mancipij obiret, & omnes causas grauiores ad Romanam sedem referret, & eius decreta ac sententiam inde acceptam Gallicanis proponeret. Cùm aũt in ea Synodo alij episcopi, præsertim Remensis, qui erat Hincmarus, nollent à priuilegijs suarum ecclesiarum temerè discedere, (intelligebãt enim quid Põtifex moliretur, ac nouerant appellationẽ illam ad Romanã sedẽ multa mala ecclesiæ gubernationi adferre) bonus ille uir Frotarius, aucupans fauorẽ Imperatoris & Pontificis, molliter respondit,

spondit,& odium atq; inuidiam alijs conflauit. Quamobrem paulo pòst,cum iterum Synodus ea de re ageretur ab Imperatore & pō tificijs legatis,petijt sibi Bituricensem ecclesiam concedi, cum propter paganos tutus esse non posset. ac licet episcopi contradicerent,tamen Imperatoris gratia fretus, illam sedem occupauit:quam cum tribus annis & 14. diebus obtinuisset,& mortuo Carolo Caluo Ioannes pontifex in Gallias uenisset ad Ludouicum Balbum,celebrata Synodo,pō tificis sentētia iussus est alij cedere, eo quòd inconsulta sede Pontificia eam occupasset. Annonius lib.5,cap.33.Gaguinus libro 5, de Francis.& acta Bituricensium.

IESSE AMBIANENSIS.

Iesse Ambianēsis episcopus, in magna autoritate fuit in aula Caroli Magni, propter Græcæ linguæ peritiam. Vsus est eius opera in legatione ad Irenem Imperatricem, de pace componenda. Annonius lib.4, cap. 89. de Francis. Leo pontifex Carolo diffuasit,ne ei nimium fideret.unde colligi potest,ipsum pontificijs artibus non fuisse admodum addictum.

Leodienses.

VASCANDVS.

VAscandus, seu Vuachandus successit Gerbaldo,in episcopatu Leodiensi,anno Domini 809. & fuit cultor deorum alienorum. Nam Huberti reliquias trāslatione superstitiosè ueneratus est. Ad doctrinam dæmoniorum, & cultum Baaliticum propagandum,in Ardanna cœnobium Andagium constructit. Quamobrem Dominus illum quarto anno suæ ordinationis, ex uiuentiū numero extirpauit:ut annotatum est in uitis Tungrensium.Sigebertus.

PICARDVS.

Picardus secutus est Vascandum,& præfuit ecclesiæ,temporibus pontificum Eugenij,Valentini,& Gregorij quarti,usq; ad annum Domini 823.Acta Tungrensium.

HIRCARIVS.

Hircarius præfuit annis 25. sub Sergio secūdo,& Leone quarto, ac Benedicto tertio. obijt sub Lothario Imperatore.

NOTGERVS.

Notgerus natione Germanus, in cœnobio S.Galli monachus,& postea abbas, tandem Leodiensis episcopus in senectute sub Lothario factus est. Philosophus,poeta,astronomus, musicus & Theologus celebris fuit.

Scripsit uolumen Consequentiarum, ad Lutuardum Vercellensem episcopum lib. 1. De præcipuis sacrarū literarū expositionib. lib.1,ad Salomonē Constantiensem episcopum. De Musica & Symphoniarum modis lib.1.Epistolarū ad diuersos lib.1. Sermones & homilias uarias. Expositit etiam aliquot libros sacræ Scripturæ.scripsit multos hymnos,cantus,antiphonas & responsoria, quæ hodie adhuc in ecclesijs cantari solent.

Nicolaus pontifex huius hymnos approbauit,& ad missas decantari præcepit. unde constat,istum bonum uirum mancipiū Annchristi,& Baalismi fuisse promotorem.

Mortuus est circiter annum Domini 850. Spanheimensis Trithemius de uiris illustribus, & in Chronico Hirsaugiensi: Iacobus Vuimphelingius.

FRANCO.

Franco fuit uir insigniter doctus, philosophus,rhetor,poeta,musicus,mathematicus, astronomus & theologus.

Scripta.

Scripsit sermones multos, & utiles, lib.1. Epistolarum ad diuersos li.1.Cātus,antiphonas & responsoria composuit dulci & iusta melodia. Trithemius de Viris illustribus Germaniæ.

Attribuit etiā ei librū de Quadratura circuli,ad Hermānū Coloniēsem:& librū de Cōputo ecclesiastico.sed postea eosdē lib.Franconi scholastico, qui sub Heinrico III uixit, adscribit,in lib.de scriptorib.Ecclesiasticis.

De doctrina & mœuis eius.

Scriptis eius destituti,minus certò de doctrina ipsius iudicium facere possumus.Non fuit immunis à pontificijs corruptelis.Nam Baalismo summum Deo cultū præstari iomniauit:& pro fratre suo defuncto,monachos Fuldenses preces facere iussit, ut patet ex epistola abbatis Fuldensis ad eundem.

Opera in functione.

In schola publica discipulos instituit per multos annos.

Interfuit Synodo Coloniēsi, ut patet ex actis,& Frācofordēsi:in qua,unà cū alijs episcopis in gratiā Hermāni Coloniēsis archiepiscopi testatus est,Bremēses episcopos oēs hactenus agnouisse principatū Coloniēsis, ut indicat Formosus pōtifex in literis ad Adalgariū.Crāzius in Metropoli lib.2.cap.20.

Carolo Lotharij regnū occupanti assensit:& Hildouinum Agrippinensibus,& Aduentium Treuirensibus consecrauit episcopos.Auentinus lib.4 Annalium.

Bona ecclesiæ suę auxit abbatia Lobiensi, & præpositura Fossensi. Præfuit annis 47. Mortuus est anno Domini 884.idib.Maij.in tæ Tungrensium . Sed Sigebertus assignat annum Domini 903.

ODIBALDVS TRAIECTENSIS.

Odibaldus Traiectensis episcopus, interest Synodo Colonienſi:ut paret ex actis,circiter annum Domini 871. Obijt anno Domini 899.Regino lib.2.

REM-

REMIGIVS ANTISIODORENSIS.

Remigius monachus Antisiodorẽsis, sub larua Benedicti, episcopus tandem eiusdẽ ecclesię fertur esse factus, excelluit eruditione, hypocrisi: & ualuit utroq; genere styli.

Scripta.

Scripsit in Cantica canticorum li. 1. In totum Psalterium lib. 1. quem alios Remigio Remẽsi adscribere, Platina in uita Formosi indicat. In Euangelium Matthæi lib. 1. In canonem missæ lib. 1, De officijs diuinis lib. 1. De festiuitatibus sanctorũ librũ 1. Ad episcopum Eduorum librũ unum, Sermones plures lib. 1. In epistolas Pauli. Trithemius & Bergomensis lib. 11.

In suis scriptis passim citat patrum sententias, unde apparet eum uolumina ipsorum sedulò perlustrasse. Nam Aratoris meminit in præfatione, Augustini in Psalmũ 1. Hieronymi in 2 Psal. Gregorij in 4 Psalmũ. Boethij in 9 Psalmũ. Calsiodori in 52. Psal. Isidori in 54 Psal. Ambrosij in 58 Psal. Et ex apocryphis Andreæ apostoli scriptis quædam in 21 Psal. allegat.

Interdum à rebus Physicis declarationes adfert. Sic aspidis naturam describit Psal. 13. & ceruorũ serpentes ex cauernis extrahentium & deuorantiũ, ac postea ad fontes obsitim festinantium, Psal. 41.

Interdum confert translationes inter se, & cum Hebraico textu, nonnunquam etiam allegorias tractat. Sæpe eundem uersum pluribus modis exponit.

Doctrina eius.

Rectè de iustificatione in Psalmum 39 dicit, Iesum Christum in eo ostendere, neminem posse iustificari nisi per fidẽ, nõ ex operibus legis non ex libero arbitrio.

Sed tamen habuit suas quasdam stipulas & opiniones. Nam Mariam adorare, existimat non esse peccatum. Et peccata lachrymis & eleemosynis deleri putat. In Psalm. 37. Adam in quatuor partibus mundi confusionem dissemināsse, ex literis eius uocis colligit, dum ἀνατολὴν, δύσιν, ἄρκτον, μεσημβρίαν ineſſe putat.

Tempora mundi in octo ætates distinguit. Prima ætas quasi prima dies, ab Adam usq; ad Noe. Secunda ætas quasi una dies, ad Abraham. Tertia ætas quasi tertia dies, ab Abraham usque ad Dauid. Quarta ætas quasi quarta dies, à Dauid usq; ad transmigrationẽ Babylonis. Quinta à transmigratione Babylonis usq; ad prædicationem Ioannis. Sexta, à prædicatione Ioannis usque ad finem mundi. Septima, erit dormientiũ. Octaua, resurgentium. In sexta uerò ętate fundata est terra: quia genus humanum per prædicationem Ioannis & cęterorum in fide est fundatum, quod diffluxit per inobedientiam primorum parentum. In 92 Psalmum.

Opera in functione

In propaganda doctrina cœlesti, operam sanè egregiam sibi sumpsit, & hæreses refutauit. Sic Donatistas in Psalm. 21 infestat, & Porphyrium in 39 Psal. ac eos qui asserebãt fidem catholicam interituram, Psal. 70. & Manichæos in 80 Psal. Apollinarem in 85 Psal. & Iudæos in 72 Psal.

Discipulos instituit. nam Odonis præceptor fuit. Trithemius de scriptoribus Ecclesiasticis.

Claruit sub Carolo Caluo, anno Domini 880. Trithemius. Sed Palmerius eum sub Arnulphum refert, ad annũ Domini 894. Sigebertus annum unũ addit. Sub Formoso pontifice, Bergomensis lib. 11.

ALTERGERIVS CARNOTENSIS.

Altergerius Carnotensis episcopus, cum Anfredo abbate, ex conuentu Angelonensi à Ludouico & Lothario ad Michaelẽ Constantinopolitanum missi orant, ut ipse suas uires cum illis aduersus Saracenos coniungat. Blondus Decadis secundæ lib. 2.

Parisienses.

HERCHINRADVS.

HErchinradus episcopus Parisiẽsis, interfuit Synodo Aquisgranensi sub Pipino rege, Ludouici filio: & unà cum alijs decreta contra bonorum Ecclesiasticorum raptores cõdidit: & tres libros pro eius sententiæ defensione à Synodo scriptos, unà cũ Alrico Cenomanensi episcopo exhibuit Pipino. Acta Concilij, to. 2. Conciliorum.

GOZZOLINVS.

Gozzolinus, ex abbate Vincẽtij Parisiensis episcopus, suam urbem contra Normannos strenuè defendit. moritur circa annum Domini 887, succedente Haschitico. Regino lib. 2.

Metenses.

DROGO.

DRogo filius Caroli Magni ex pellice, frater Ludouici, à patre monasticę uitæ destinatus, episcopus Metensis à clero cum assensu Ludouici designatus est, anno Domini 823. Sigebertus & Adon Viennensis. ac fuit Ludouici, & postea Lotharij archicapellanus.

Opera in functione.

Ordinauit Ansgarium Hamburgensem archiepiscopum, in Synodo Vuormaciensi. Cranzius in Metropoli lib. 1. cap. 20.

In dissidio illo intestino & bello quod erat inter Ludouicũ & filios eius, cum Imperatore sensit: ac cum captus esset à Lotha-

rio, & episcopi consensissent in eius solennem & publicã exautorationẽ, ipse Ludouicum Boiariæ regem & alios instigauit ad liberandum Imperatorem.

Probauit etiam proscriptionẽ Ebbonis, & aliorum episcoporum, qui contra Imperatorem conspirauerant.

Adfuit Ludouico moriẽti, unà cum Hettone Treuirensi, & Otgerione Moguntino archiepiscopis: eumq; hortatus est, ut hostibus suis ignosceret. quod & fecit. Auentinus lib. 4 Annalium.

Coluit deos alienos: reliquias Cœlestis & Autoris, solenni pompa in cœnobiũ Mauri transtulit. Bruschius in Chronologia.

Certamina eius.

Romanis Pontificibus non satis æquus fuit, propter eorum insignem ambitionẽ. Cum Gregorius quartus in Germaniã excurrisset, ad augendum dissidium inter Ludouicũ & filios eius: & rumor esset, quòd uenisset excommunicaturus Imperatorẽ, Drogo: Si Romanus sacerdos nobis malè precaturus aduenit, ipse quoq; malè audiet, & diris deuotus abibit, Auentinus libro 4 Annalium.

Postea tempore Lotharij, cũ Sergius põtifex, Os porci antea dictus, inconsulto Imperatore electus & consecratus esset, & res ad defectionem spectare uideretur: Lotharius Drogonẽ, & alios episcopos, ac filium suum cum exercitu Romam misit, ut pontificem arguerent de sua perfidia, & ipsum ac senatum, populumq; Romanum iureiurando fidem dare cogerent. In eo negocio sese acrem Drogo exhibuit disputatorem contra principatum Romani pontificis, ac conflictus ille aliquot dies durauit. Liber pontificalis, Continuator Damasi in uita Sergij, & Catalogus testium ueritatis. Facta hæc sunt circiter annum Domini 844.

Amici & familiares eius.

Familiaris fuit Hattoni Treuirensi, & Otgero Mogũtino, Vuillerico Bremensi, & Hiligando Verdensi. Cranzius in Metropoli lib. 1. cap. 20. Gregorio Rauennati, Angelberto Mediolanensi, Iosepho Eporediensi, Agino Vergonẽsi, Donato Fesolanę, & alijs episcopis, cum quibus Romæ contra Eugenium disputauit, quòd Roma, pontifex & Senatus, sint sub iure & potestate Imperatoris Lotharij. Liber pontificalis.

RVTBERTVS.

Rutbertus discipulus Rabani, & presbyter in Fuldensi cœnobio, postea Metẽsis episcopus, decreta Synodi Triburiẽsis probat, & subscriptione corroborat sub Arnulpho, tomo 2 Conciliorum. Rabanus in epistola ad Euerhardum comitem.

Treuirenses.

AMALARIVS.

AMalarius Fortunatus, natione Germanus, monachus Luxouiensis, uir Græcè & Latinè eloquentissimus, Treuirensis archiepiscopus fuit.

Scripta & doctrina eius.

Scripsit de Ecclesiasticis officijs librũ 1. Et de eadem re ad Ludouicũ lib. 4. De mysterijs missæ lib. 1. Epistolarũ ad diuersos lib. 1. Spanheimensis, & Trithemius in Chronico Hirsaugiensi. Et Itinerarium: Auentinus lib. 4 Annalium, Robertus Gagunus.

De magistratu non satis commodè scriptit, cum Ludouicum Imperatorem totius Christianæ religionis rectorem, quantum ad homines pertinet, cõstituit. Balęus Centuria 2, cap. 20.

Opera eius.

Carolus Magnus usus est eo legato ad Michaelem Constantinopolis Imperatorẽ, ad amicitiã & pacem ineundam ac confirmandam. Annonius libro 4, cap. 99. de Francis: Regino libro 2, Anno Domini 813. Annales Francorum.

Berno in tractatu de aduẽtu Domini, eũ uocat diuinorum officiorum scrutatorem non cõtemnendum, & multa citat ex eius libris, in suo de ieiunio quatuor temporũ.

Cum præfuisset annis sedecim, moritur sub Ludouico Pio, anno Domini 813. Acta Treuirensium.

HETTO.

Hetto abbas Mediolanensis, episcopus Treuirensis designatur anno Domini 814. Corruptelis Pontificijs fuit addictissimus. Ad doctrinam dæmoniorum de prohibitione nuptiarum propagãdam, monasterium Canonicorum in Confluentia quadratis lapidib. extruxit: & ne deesset illi loco deus alienus, à cacodæmone, quem Matrem num putauit esse, admonitus in somnis, Castoris corpus de Cardona eò transtulit, & in eius omniumq; confessorum honorẽ ecclesiam isthic consecrauit, idibus Decembris, anno Ludouici 23. & mortuus est anno sequenti. Acta Treuirensium. qui fuit iuxta Reginonẽ lib. 2. Domini 847. Trithemius uerò aliquot annũ Domini 838, in Chronico Hirsaugiẽsi. Sepultus est ad S. Matthiam extra Treuerim.

THETGANDVS.

Thetgãdus, seu Theodogutho, qui uidetur abbas Epternacẽsis fuisse, ad Treuirensem episcopatũ uenit, iuxta Reginonẽ li. 2. anno dñi 847. Fuit homo simplex, necadeò in sacris literis eruditus, neq; in canonicis sanctionibus, hoc est, in iure Põtificio exercitatus, ut Regino lib. eodem eum inducit.

Scripta.

Scripta.

Scripsit epistolam cum Guntherio episcopo Coloniēsi, ad Nicolaum pontificem, satis apertam & liberam: quæ extat in quarto Annalium Auentini.

Doctrina.

Quantum ex epistola illa colligi licet, recte sensit de ecclesia & potestate eius, de clauibus, ac de ministris uerbi. Romanum pontificem agnouit Antichristū: eiusq; mores in opprimenda ecclesiæ potestate, & dominatum affectando uehemēter improbauit. Inquit enim ad Nicolaū: Tu pontificis quidem personam præ te fers, at tyrannum agis, sub cultu pastoris lupum sentimus. Titulus parentem mētitur, tute factis Iouem ostentas. Cum sis seruus seruorum, dominantium esse contendis: libidine dominandi in præceps abis: quicquid tibi libet, licet, fucusq; factus es Christianis.

Sensit Romam esse Babylonem, in sacris literis, ut sedem Antichristi propositam. Inquit enim: Ciuitas Dei nostri, cuius municipes sumus, ad uniuersos cœli cardines pertinet. Maior est urbe, quæ Babylonia à sacratibus appellatur: ut quæ diuinitatē usurpet, cœlo se æquet, se æternam fore, neque unquam errasse, aut errare posse, gloriatur.

Opera in functione.

Interfuit Synodo Aquisgranæ & Metēsi: & unà cum alijs episcopis Thietbergā coniugem Lotharij, quam confessam esse cōcubitum fratris sui, testes cōfirmauerant, à matrimonio separauit: eiq; potestatē fecit alteri nubendi, iuxta dictū, Melius est nubere, quàm uri. Regino lib. 2.

Certamina.

Graue certamen ipsi & alijs Belgicis episcopis fuit, cum Nicolao pontifice. Nam is eum unà cū Guntherio Romam euocatos, ut rationē redderēt de actis Synodi Metensis & Aquisgrani, contumeliosissimè, neq; auditos planè, neq; de errato conuictos, ab officio deposuit & excōmunicauit: & ad omnes episcopos Galliæ scripsit epistolam, multis mendacijs referta, quasi confessi essent, se crimē in Thietbergam cōfinxisse: & imperauit eis, ut ab istorū consortio abstinerent. quod indignissimè cum suis socijs tulit, & de ea iniuria apud Imperatorem Ludouicum questus est: asserens, in Imperatorem & totam sanctam ecclesiam eā redundare: cum nunquā auditum sit, uel uspiam lectum, quòd ullus metropolitanus sine cō scientia principis, uel præsentia aliorū metropolitanorum esset degradatus. Regino lib. eodem, Auentinus lib. 4 Annalium.

Deinde scripsit epistolam ad Nicolaum, satis acerbam: in qua ostendit, quàm prę sterè & uioleter, præter omnem legitimam rationem, Romæ ab eo tractatus sit, ac pontificis ambitionem & tyrannidem damnat, fulmenq; excommunicationis in eundem retorquet, eo quòd contra edictum Christi pacem ecclesiæ turbet: & ut ipsissima meretrix Babylonica glorietur, se nunquam errasse, neq; errare posse, ut patet ex epistola. Facta sunt hæc circiter annum Domini 863, iuxta Sigebertum.

Actum est postea cum eo & Guntherio, de recōciliatione cum pontifice: & ter eam ob causam Romam adierūt. uerùm eiusmodi conditiones illis præscriptæ sunt, quas non potuerunt bona conscientia amplecti. Ab Adriano III. congrua satisfactione præstita, absolutus scribitur, in Lib. pontificali.

In Italia apud Sabinos peregrinus & exul, cum Gunthero à Pontificijs interfectus est. Acta Colonienſiū episcoporū. Prę fuit ecclesiæ suæ ad annos circiter 18, iuxta Reginonem, aut 20, iuxta Acta Treuirensium.

BERTVLFVS.

Bertulfus nepos Aduentij episcopi Metensis, & abbas Mediolanēsis, à Carolo Ludouici secundi filio archiepiscopus Treuirensis designatur, anno Domini 871. Interfuit paulo pòst Synodo Colonienſi, ut patet ex actis. Priuilegia ecclesiæ suæ summa cōtentione defendit, nec literas pontificis eis cōtrarias recipere uoluit. uillam Martiam suæ ecclesiæ adiecit, cum regis assensu. Coluit deos alienos. Nam reliquias & thesauros sacros in terrā defodit, ne essent prædæ Normannis: ac ipse arma in hostes tulit, sed parum felicia, anno Domini 882. Regino li. 2. Acta Treuirensium, Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, Auentinus libro 4 Annalium. Mortuus est anno Domini 883. Regino libro 2.

RATBODVS.

Ratbodus ex abbate Mediolanensi à clero & tota plebe in Bertulphi locum deligitur. Fuit uir doctrina & prudētia clarus, mācipium auariciæ: & plus operæ in bonis ecclesiæ amplificādis, quàm in pascendo grege Domini uerbo diuino posuit. Nam multa ab Imperatoribus dona & possessiones acquisiuit.

Familiaris fuit Formoso pontifici, & consecrationem ecclesiæ Hemerani apud Reginoburgios sua præsentia ornauit.

Rupertum episcopum Metensem ordinauit: Regino libro secūdo. Interfuit Synodo Triburiensi, sub Arnulpho Imperatore: ut patet ex actis.

Præfuit annis 36: Acta Treuirensium, & Trithemius in Chronico Hirsaugiensi.

GERMANIAE Doctores.

Bauari, Saleburgenſes.

ADOLRAMVS.

ADolramus à Ludouico Pio ſurrogatur Arnoni, in archiepiſcopatu Saleburgenſi, circiter annum Domini 820. Is Venedis Illyricum, Noricum, Pannonias, Liburniam incolentibus, Ottonem deſignauit epiſcopum. Moritur anno Domini 736. Auentinus libro 4 Annalium.

LEOPRAMVS.

Leopramus Imperatoris & regis Boiorũ aſſenſu, ſucceſsit Adolramo, & Venedis paſtorem dedit Oſuualdum. Auentinus lib. 4 Annalium.

BALDRAMMVS.

Baldrammus Saleburgenſis epiſcopus, intereſt & ſubſcribit Synodo Triburienſi. tomo 2 Conciliorum.

Ratiſponenſes.

ADELVINVS.

ADeluinus epiſcopus Reginoburgenſis, tempore Caroli Magni interfuit Synodo Salisburgenſi, & diſsidium inter monachos & epiſcopos de bonis Eccleſiaſticis cõpoſuit. moritur ſub Ludouico Pio. Auentinus lib. 4 Annalium Boiorum.

BATVRICVS.

Baturicus monachus Fuldenſis, à Ludouico ſurrogatus eſt Adeluino: ac poſtea à Lothario archicapellanus conſtitutus eſt, atq; egit ſtrenuum in eius aula patronum monachorum Fuldenſium: ut patet ex epiſtola eorum ad ipſum. Coluit deos alienos, de reliquijs Hemerani aliquid impertiuit Fuldenſibus, orauit pro defuncto.

AMBORICVS.

Amboricus Reginoburgenſis epiſcopus, cum Carolomanno contra Boiemos & Morauos bellum gerit, & dum naues in Hiſtro flumine relictas negligentius cuſtodit, ab exercitu Suatebogi ſubitò obruitur: & amiſsis ſex millibus Boiorum, aufugit. Sub Arnulpho moritur. Auentinus libro quarto Annalium.

TVTO.

Tuto ab Arnulpho Imperatore conſtituitur epiſcopus Ratisponenſis, anno Domini 891. Auentinus libro 4 Annalium. Idem Synodo Triburienſi intereſt, ut patet ex actis. Et poſtea Pragæ templum Viti conſecrauit. Auentinus libro eodem.

Bathauenſes.

ANGELMARVS.

ANgelmarus Bathauenſis epiſcopus, moritur ſub Arnulpho, anno Domini 899. Auentinus.

BITHINGVS.

Bithingus epiſcopus Morauorum, à Stephano quinto Pontifice conſecratus, à Suatebogo magno Sclauis ulterioribus præfectus eſt, quos ad fidem coegerat. Sed poſtea cum Suatebogus bellum contra Arnulphũ moueret, ille bonus uir ouib. ſuis deſertis ad Imperatorem fugit, & ab eo Bathauenſem epiſcopatum impetrauit. Auentinus libro 4 Annalium.

Friſingenſes.

HITTO.

HItto pontifex Fruxinenſis, condidit hædiculam in honorem Stephani, in monte qui proximus Fruxino imminet, & Aurelianis ſacerdotibus tradidit, iuſſu Lotharij regis Boiorũ. Auẽtinus 4 Annalium

VVALDO.

Vualdo Friſingẽſis epiſcopus ſub Arnulpho, intereſt Synodo Triburiẽſi, ut ex actis patet tomo 2 Conciliorum.

DOCTORES SVEVIAE.

Auguſtani.

HANTO.

HAnto Comes de Andechs, frater Rathardi ſacerdotis, põtifex Auguſtanus, inaugurauit templum ſub Lothario Boiorũ rege. Auentinus libro 4 Annalium.

HVLDERICVS.

Huldericus (& non Vualdricus, ſeu Vdalricus. nã ille alius eſt, & inferiori ſeculo claruit) tẽpore Nicolai primi Papæ Auguſtenſis epiſcopus fuit: ut patet ex titulo epiſtolę eius, quã ad Nicolaũ ſcripſit, quæ paſsim extat, cuius etiã Hedio meminit in Eccleſiaſtica hiſtoria, parte tertia. l. 8. c. 12. Fuit homo eruditus, & uerè pius, zeloq; Dei prẽditus.

Doctrina eius.

Senſit cõiugiũ ſacerdotũ à Deo approbari, & nullo modo prohiberi debere, iuxta dictũ: Propter fornicationẽ unuſquiſq; ſuam habeat uxorem. quod non tantũ de laicis, ſed etiã de clericis intelligendũ eſſe cõtendit.

Sẽſit etiã, epiſcopos & miniſtros eccleſiæ nõ debere uerberib. ſuas ouiculas laniare.

Sẽſit etiã, Romanũ põtificẽ errare poſſe, ac licere illũ errãtẽ monere, & decreta eius impia refutare: q, re ipſa ille pſtat in ſua epiſtola.

In eo tamen errat, quòd putat illos qui uotum caſtitatis fecerunt, omnino cogendos eſſe, ut id obſeruent.

Certi-

Certamina.

Nicolaus primus suo quodã decreto iussit sacerdotib. adimi uxores, eosq; ad cœlibẽ uitã adstingi: id ubi Huldericus cognouit, ad pontificẽ scribit, eumq; redarguit, & sacerdotũ coniugiũ defendit his argumẽtis. 1. Quia Dominus in ueteri lege sacerdoti coniugium constituit, quod illi postmodũ interdixisse non legitur. 2. Quia Christus ipse testatur, uerbum illud, scilicet de castitate, nõ omnes capere: & Paulum dicere, De uirginibus præceptum Domini non habeo, sed consilium. 3. Quia propter fornicationem unusquisq; debeat habere uxorem suam. 4. Quia clerici, archidiaconi & episcopi ꝑ falsa specie continentiæ grauissima peccata committãt. Patrum enim uxores illos subagitare, masculorum & pecudum amplexus non abhorrere. 5. Quia Paulus scribat de episcopis & diaconis, quòd debeãt esse mariti unius uxoris. 6. Quia in regula clericorũ scriptum sit: Clericus sit pudicus, aut certè unius matrimonij uinculo fœderatus. 7. Quia in Canonibus Apostolorum sit scriptum: Episcopus aut presbyter uxorẽ propriam nequaquam sub obtẽtu religionis abijciat. Si uerò reiecerit: excõmunicetur: & si perseuerauerit, deijciatur. 8. Quia Synodus Nicena Papnutij sententiã approbarit, & sacerdoti bus ius nuptiarum liberũ reliquit. 9. Quia hæc sententia pontificis, de prohibendo cõiugio sacerdotũ, sit hęresis illa dæmoniorũ, à Paulo ad Timotheũ prædicta. In nouissimis temporib. discedent quidã à fide, attendentes ſpiritib. erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentiũ mendaciũ, & cauteriatã habentiũ cõscientiã, prohibentium nubere. Hic est aũt, si diligẽter inspicia tur, totius eorũ manipulus zizaniæ, totius conuentus insaniæ, ut dum clerici licita uxorius mulieris consortia pharisaico deuicti, quod absit, furore, relinquere coguntur, fornicatores & adulteri & aliarũ prauitatũ turpissimi ministri cũ ipsis efficiantur. Qui hãc in Ecclesia Dei hęresin, sicut cęci duces cæcorũ machinãtur, ut uidelicet illud impleatur quod Psal. eis, ut pote eorũ præscius erroris, taliter imprecatur: Obscurẽtur oculi eorum ne uideãt, & dorsum eorum semp incurua.

Refutat etiam rationes cõtrarias, quales erant: 1. Illud dictum, Propter fornicationem unusquisque habeat propriam uxorem, tantum de laicis, & nõ de clericis est intelligendum. Ergo non licet sacerdotibus ducere uxores. Respondet: Quod specialiter ad laicos pertinere, iidem mentiuntur hypocritæ, q licet in quouis sanctissimo ordine constituti, alienis reuera uxoribus non dubitãt abuti. Et quod ſidẽo cernimus, omnes in supradictis sæuiunt sceleribus. Hi nimirum non Scripturã rectè intellexerũt, cuius mamillam quia durius pressere, sanguinem prò lacte biberunt. Nam illud Apostolicum, Vnusquisq; suam habeat uxorem, nullum excipit uerè, nisi professorem continentiæ, uel eum qui de continuanda in Domino uirginitate præfixit.

2. Gregorius magnus suo decreto sacerdotibus uxores ademit. Ergo. Respondet: Horum temeritatem rideo, ignorãtiam doleo. Ignorãt enim quòd periculosũ huius hæresis decretũ à S. Gregorio factũ, cõdigno pœnitentiæ fructu postmodũ ab eodẽ sit purgatum. Quippe cum die quadã in uiuariũ suũ propter pisces misisset, & allata inde plus quàm sex millia infantũ capita uideret, intima mox ductus pœnitentia ingemuit: & factum à se de abstinentia decretũ, tantę cędis causam cõfessus, cõdigno illud, ut dixi, pœnitẽtiæ fructu purgauit: suoq; decreto prorsus dãnato, Apostolicũ illud laudauit consilium, Melius est nubere, quàm uri. addẽs ex parte sua: Melius est nubere, quàm mortis occasionem præbere. Hunc forsitan rei euentũ si illi mecum legissent, non tam temerè, credo, iudicarent.

3. Honestius est, pluribus occultè implicari, quàm apertè in hominũ uultu & conscientia ligari cum una. Ergo. Respondet: Hoc profectò non dicerent, si ex illo & in illo essent, qui dicit: Væ uobis Pharisæis, qui omnia facitis propter homines. Et per Psalmistã: Quia hominibus placẽt, confusi sunt, quoniã Dominus spreuit eos. Hi sunt homines, qui prius deberent nobis persuadere, ut in cõspectu eius, cui omnia nuda & aperta sunt, erubescamus peccatores esse, quàm in conspectu hominum mundi esse.

VVITGARIVS.

Vuitgarius episcopus Augustanus, moritur sub Carolo tertio, circa annum Domini 887. Regino libro secundo.

ADALBERVS.

Adalberus comes à Dillingen, uir genere & ingenij dotibus nobilis, Augustanum episcopatum post Vuitgarium sortitur. Regino lib. 2. & filium Arnulphi Imperatoris, cui nomen Ludouici factum est, unà cum Hattone Moguntino episcopo baptizauit. Annonius li. 4 Annalium. Interfuit Synodo Tribu rienſi, & subscripsit, tomo 2 Concil.

Moguntini.

RICVLPHVS.

RIculphus Moguntinus episcopus, de quo in superiori libro diximus, etiam aliquot annos in hoc seculo exegit. Synodo Moguntinæ præfuit sub Carolo Magno, ut patet ex actis. Constitutionem Caroli Magni de distributione

bonorum eius unà cum alijs approbauit. Eginhardus in uita Caroli.

Mancipium Antichristi fuit. Leoni papę munera misit pro reliquijs Cæsarij: ut patet ex epistola Leonis.

Mortuus est anno Dñi 812, aut sequenti. Marianus Scotus, Trithemius in Hirsaugiensi Chronico, & Schafnaburgensis.

AISTVLPHVS.

Aistulphus successor præcedentis, præfuit Synodo ad uillam Theodonis, & multos Canones de pœnitentia homicidarũ condidit: ut patet ex actis. Vsus est Rabani opera, quem homelias iussit scribere, quibus uteretur in diebus festis, de uitijs & uirtutibus præcipuis: ut patet ex Rabani epistola ad Reginariũ. Præfuit annis 11, mortuus anno Domini 825. Schafnaburgensis & Scotus.

OTGARIVS.

Otgarius abbas decimusquartus monasterij Albicastri Mogũtinus archiepiscopus designatur post Aistulphum. Fuit uir in sacris literis apprimè eruditus, teste Rabani epistola ad eundẽ. In dissidio intestino Ludouici Pij & filiorum eius, contra Imperatorem uidetur sensisse. Nam Ludouicus paulò ante mortem cum eo in gratiam redijt. Auentinus libro 4 Annalium.

Godescalcum comitis Saxonis Berni filium, qui inuitus uotum monasticũ fecerat, in Synodo cũ multis alijs episcopis, anno Domini 829 absoluit: ut testatur Hatto abbas Fuldensis, in epistola ad eundem.

Rabanus & monachi Fuldenses, grauiter cum eo expostulant, quòd Suaringũ monachum excõmunicasset, & sibi remisisset in carcere detinendũ, nec decimas promissas dedisset: ut patet ex epistolis ad eundem.

Contentio ei fuit cum Romano põtifice, de quodã, ut uidetur, diuortio, quod approbauerat, cum non esset legitimè factũ. Quare pontifex eum excommunicare instituerat. Hortatur eũ Rodulphus presbyter Fuldensis, ut cum papa colat pacem.

Adelhelmus diaconus eius, conatus est ipsum honore & dignitate Ecclesiastica priuare: sed cum non in actum perducere potuisset, petijt delicti ueniam: ac Rabanũ impulit, ut pro se ad illum intercederet. Epistola Rabani ad Otgarium.

Otgario, ut uidetur, in exiliũ pulso, aut in carcerem coniecto, clerus & plebs Mogũtina ad Ludouicũ intercedit, eumq; remitti petit, ut officio suo fungi queat: ac eum fidelem, beneuolum, humiliter subiectũ & benignum prædicant.

Deos alienos coluit: & Gregorio papę egregia munera misit, ut sanctorũ reliquas sibi cõmunicaret: ut patet ex epist. Gregorii.

Præfuit ecclesiæ annis 22. & moritur anno Domini 847. Chronicõ Schafnaburgense, Marianus Scotus, Bruschius, Auentinus libro 4 Annalium Boiorum.

RABANVS.

Rabanus cognomine Magnentius Maurus, natione Scotus, ut Balęus uult: aut potius Germanus, Fuldę natus, ut ipse testatur in epicedio suo, & in epist. ad Leonẽ: Albini auditor & discipulus, iuuenis induxit quam Benedictinæ sectę in Fuldẽsi cœnobio, & in omni disciplinarũ genere excelluit. Fuit enim theologus, philosophus, astronomus, rhetor ac poeta: nec habuit eo tempore Italia ei similem, nec Germania æqualem.

Functiones.

Achaius rex Scotorum, eo usus est legato ad Carolũ, ad ineundũ & cõfirmãdũ fœdus inter Scotos & Gallos. In Parisiensi Academia aliquãdiu professorẽ egit, & magnoperamẽto scholasticis doctorib. fuit. Sub Ludouico Pio abbas Fuldẽsis cõstitutus est: & ecclesiasticã dignitatẽ accepit ab Haistulpho, ut ipse fatetur. quod munus cum bene administrasset ad annos 20, archiepiscopatũ Moguntinũ cũ magno fauore principum Francorũ, & cõsentanea cleri & populi electione, ut Hatto inquit in epist. ad Leonẽ, post Otgariũ adeptus est, circiter annũ Dñi 846.

Scripta.

Ad ecclesiæ & posteritatis utilitatẽ multos commentarios edidit, ut

In Genesin	lib. 4.
In Exodum	lib. 4.
In Numeros	lib. 4.
In Leuiticum	lib. 4.
In Deuteronomium	lib. 2.
In Iosue	lib. 2.
In Iudicum	lib. 4.
In Ruth Moabitem	lib. 4.
In Regum, ad Hilduinum	lib. 4.
In Paralipomenon	lib. 2.
In Esdram & Nehemiam	lib. 2.
In Thobiam	lib. 2.
In Iudith	lib. 2.
In Hester	lib. 2.
In Iobum	lib. 2.
In Psalmos	lib. 2.
In Prouerbia Salomonis	lib. 2.
In Ecclesiasten	lib. 2.
In Cantica Canticorum	lib. 2.
In Sapientiam	lib. 2.
In Ecclesiasticum	lib. 2.
In Esaiam prophetam	lib. 20.
In Hieremiam	lib. 20.
In Ezechielem	lib. 2.
In Danielem	lib. 2.
In Prophetas minores	lib. 2.
In Machabæos	lib. 2.
In Euangelium Matthæi	lib. 4.
In Euangelium Marci	In Euang.

In Euangelium Lucæ lib.3.
In Euangelium Ioannis lib.1.
In omnes epistolas Pauli lib.23
In epistolas canonicas lib.7.
In Acta Apostolorum lib.1.
In Apocalypsin Ioannis lib.1.
De laude crucis. lib.2.
Ad Haymonem, de uniuerso. lib.22.
De uniuersali natura lib.1
De diuinis officijs lib.1.
Ad Ludouicum regem lib.1.
Ad Herebaldum episcopum lib.1.
De quæstionibus canonum lib.1.
De proprietate uerborum & rerum lib.22.
De institutione clericorum lib.3.
De computo dialogum lib.1.
De corpore & sanguine Domini lib.1.
De rerum naturis lib.5.
De prædestinatione lib.1.
De opere Christi lib.1.
De benedictionibus patrum lib.1.
De uidendo Deum lib.1.
De puritate cordis lib.1.
De pœnitentia lib.1.
De ortu & moribus Antichristi lib.1.
Signa natiuitatis Domini lib.1.
Epistolarum ad diuersos lib.1.
Sermones plurimos lib.1.
De uirtutibus numerorum lib.1.
De omnibus sanctis Homelias lib.1.

non ex diuina, sed humana authoritate esse somniat, in epistola ad Brunuuardum. Christum eadem hora qua resurrexit, ad iudiciũ uenturum opinatur, lib.5, cap.8. de proprietate sermonis.

Opera eius in functionibus.

Doctrinam cœlestẽ uoce & stylo propagauit indefesso studio, & labore longè maximo: ut patet ex monumentis eius.

Hæreticos, eorumq; opiniones erroneas sedulò refutauit, ut Arianos, Sabellianos, Nouatianos, Donatistas. lib. 10 in Ecclesiasten, cap.30. & Anthropomorphitas, lib.2 in Ieremiã, ca.2. & Genethliacos, li.16 in eũdẽ. Origenis opinionem de saluãdis diabolis & impijs, damnat lib.4, cap.10, de proprietate sermonis.

Discipulos instituit, inter quos recẽsetur etiã Strabus. Ranulphus lib.5 ca.30. in Polychronico. & in Schola Fuldensi monachos plures, tam in artibus, quàm in sacris literis erudijt, qui multis in locis Ecclesiis & monasterijs præfecti sunt. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi.

Synodos celebruit. Nam multa eũ utilia ad eccsiæ disciplinã in Mogũtina Synodo constituisse, anno Dñi 848. Sigebert. scribit.

Ad quæstiones difficiles ab Humberto, Reginbaldo, Bonoso & alijs propositas, de rebaptizatione, pœnitẽtia, de nuptijs, & de aliis rebus, respondit: ut patet ex epistolis eius. Vetat matrimonia temerè aut facilè dissoluere, etiamsi in consanguinitatis uel proximitatis regulas aliquid peccatum sit. in epistola ad Humbertum.

Architectũ egit. nam in monte Petri & Ioannis prope Fuldã, ædificia extruitur: Valẽtinus Munzer in Chronologia refert.

Fuit mancipium Romanorum pontificum. nam Leoni cõmẽdat monachos, ac rogat ut eos ad pedes suos & benedictionis gratiam admittat. in epistola.

Godeschalcum in pueritia coegit monasticam uitam suscipere: ut patet ex epistola Hattonis ad Otgariũ. Visitauit nonnas. Collegit reliquias sanctorum: ut patet ex epistola eius ad episcopum quendam.

Traditiones humanas de pœnitentia seu satisfactione sceleratorũ, sæpe repetit & inculcat in epistolis & scriptis suis. Homicidã iubet deserta seculari conuersatione, in monasteriũ ire, & ieiuniis atq; orationib. Deũ placare. in epistola ad Humbertum.

Orationi Romani põtificis plus attribuit, pro acquirenda uenia apud Deum, quàm aliorum: in epistola ad Otgarium.

Certamina.

Cũ adhuc abbas esset, Godeschalcus eũ in Synodo accusauit, q, se inuitum fecisset monachũ: ac Synodus Godeschalcũ absoluit.

Et alia, sine certo numero. In suis illis scriptis citat etiam ethnicos poetas, ut Virgilium, libro 7 in Ecclesiastẽ, capite 5. & Persiũ, capite 10. Ouidium, lib. 4. in Ecclesiasten tia, lib.2. cap.2 in Ecclesiasten. Et Oratores: ut Ciceronem de Amicitia, cap.5. Et scriptores Ecclesiasticos, ut Cyprianum, Paphnutium in uitis patrum, Hieronymum, Augustinũ, Ambrosium, Gregorium, Isidiorũ, Innocentium, Leonem. item Canones Apostolorum & Conciliorum, ut Niceni, Africani & similium. Ac ferè omnia sua scripta ex alijs superiorum ætatũ authoribus collegit, ut ipse restatur in præfatione ad Haistulphũ, de institutione clericorum: Nec per me, quasi ex me, ea protuli: sed authoritate innitens maiorum, per omnia illorum uestigia secutus sum, Cyprianum dico, atq; Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Gregoriũ, Ioãnem, Damasum, Cassiodorum, & cæteros nõnullos. Epistolas suas sæpe claudit uersibus.

De doctrina eius.

Quòd de singulis capitibus doctrinæ uel bene uel peperam docuerit, suprà in capite de Doctrina est expositum. Habuit etiam suas peculiares opiniones non admodum bonas. Gratia & operibus pietatis se saluari somniat, in Epicedio suo. Saltationes in nuptijs prorsus damnat. Regalem potestatem

Sed

Sed Rabanus contra eam ſententiam proteſtatus, ad Ludouicum appellauit, anno Dñi 829. Epiſtola Hattonis ad Otgarium.

Fuit etiam tum ei contentio cum Otgario, cuius presbyteri monachum ſuũ iniuſtè excõmunicauerant, ut patet ex epiſtola ad eundẽ. Poſtea archiepiſcopus factus, Godeſchalcum hæreticum de libero arbitrio, prædeſtinatiõe, & de ſanguine Chriſti malè ſentiẽtẽ, in Synodo Mogũtina refutauit, anno Domini 949. Sigebertus, Trithemius in Chronico Hirſaugienſi. Epiſtola Rabani ad Eberhardum comitẽ meminit hæretici, malè de libero arbitrio ſentiẽtis: ſed an Godeſchalcus fuerit, aut alius, non indicatur.

Pſeudoprophetiſſam quãdam, quę ex inſtinctu presbyteri cuiuſdam, quęſtus gratia affirmabat inſtare diem iudicij, ad mentem ſaniorem, & ad confeſsionem authoris illius opinionis reduxit. Sigebertus anno eodem. Balęus dicit, presbyterũ illũ, qui mulieri perſuaſerat diem extremum inſtare, ex cap. 24. Matthæi, & collatione eorũ quæ à ſacerdotibus & monachis fiebant, ratiocinatum eſſe, Centuria 14. cap. 40.

Paſchalis pontifex, eius epiſtolam de priuilegio cœnobij Fuldenſis moleſtiſsimè tulit, & monachos eam offerentes incarcerauit, ipſumq; coram epiſcopis Franciæ uituperauit, & parum abfuit quin Rabanum excommunicaſſet, ut ipſe teſtatur in epiſtola ad Hattonem abbatem Fuldenſem.

Miſeriæ.

Imbecilli corpore fuit, ut in epiſtola ad Otgarium, & in Epicedio ſuo teſtatur. Multorum iniurijs expoſitus fuit, cũ eſſet in cœnobio: adeò ut ſcribat ad Otgariũ, niſi ab eo defendatur, ſe cum ſuis in cellas aufugiturum. A ſuis etiam diſcipulis & fratib. malè tractatus, eo quòd ſacris ſtudiis intẽtus, alias res negligentius curaret, Anno Domini 842. ad Ludouicum ſecundum ſeſe contulit: & licet à monachis rogaretur: ut rediret, tamen id recuſauit: manſitq; apud Ludouicum, donec Otgarius moreretur. Trithemius.

Amici.

Multorum inſignium & celebrium uirorum noticiam habuit: ut Albini, Henenonis, quem ſecum in iuuenili ætate non tantum diuinos libros & patrum commentarios, ſed etiã philoſophica ſcripta legiſſe teſtatur in epiſt. in libros de Proprietate ſermonis: & Haiſtulphi, à quo ordinatũ ſe ſcribit in epiſtola ad eundẽ: & Otgarij, cui quędam dedicauit: & Leonis pontificis, ad quẽ epiſtolas ſcripſit: Hilduini, quem conſulit in negocio ſuo cũ Godeſchalco: Reginbaldi & Bonoſi quorum quæſtiones diſſoluit in epiſtolis ad eoſdem: & Ebbonis & Simonis epiſcopi Sueonum, cui etiam munera miſit, in epiſtola ad eundem. Charus etiam uiris politicis fuit: ut Ludouico Pio, comiti Eberhardo, & alijs.

Virtutes.

Cõmendãt eum à ſanctitate & liberalitate in pauperes. Nam fame graſſante circiter annum Domini 851. multis benefecit. Sigebertus. Epiſcopum quẽdam exulantem in Germania (uidetur Ebbo fuiſſe) conſolatus eſt, eiq; ueſtes miſit.

Alios ad diligentiam in officio Eccleſaſtico adhibendam ſæpius adhortatur: ut patet ex epiſtola ad Simonẽ, & ad Hadubrandum.

Humilitatem paſsim in epiſtolis ſuis affectat, dum meliora monentibus ſe ceſſurũ promittit. Diſsidentes magna diligẽtia ſtuduit ad recõciliationem adducere, ut patet ex epiſtola ad Otgariũ: quem rogat, ut monachis ſuis & Adelhelmo ſubdiacono ignoſcat. Brunuuardum abbatem & monachos eius monet, ut cum epiſcopo ſuo in gratiam redeant, ni uelint æternas pœnas luere.

Curriculum.

Cum in archiepiſcopatu annos nouem, aut ut alij uolũt decem ſediſſet, obiit anno Domini 856. ſepultus in monaſterio Albani prope Moguntiam. Sigebertus, Balęus, Trithemius in chronico Hirſaugienſi, & de Viris illuſtribus.

CAROLVS.

Carolus dux Aquitaniæ, filius Pipini regis, à Ludouico Moguntinus conſtituitur epiſcopus. Auentinus lib. 4 Annaliũ. Theodo abbas Fuldenſis ſcripſit ad eum epiſtolam, ac petijt ut donationem quandam cõfirmaret. Præfuit annis ſeptem. Trithemius in Chronico Hirſaugienſi.

LVITPERTVS.

Luitpertus, ſeu Luidebertus, uir probitate uitæ, morũ ſanctimonia & ſapientia celebris, Moguntinus archiepiſcopus factus eſt tempore Ludouici regis Germaniæ, anno Domini 863.

Romanum pontificẽ ſenſit errare poſſe, & ab Imperatore & alijs epiſcopis iudicari & corrigi debere, ut patet ex epiſt. eius ad Ludouicum.

Rembertum epiſcopum Hamburgẽſem legitimè electum, cum aſſenſu Ludouici regis Germaniæ conſecrauit. Crázius in Metropoli, libro ſecundo, cap. 2. Et poſtea cum Alfrido Hildeſiorum epiſcopo Vuilleberum cum Colonienſibus ordinauit epiſcopum, inuito Carolo rege. Auentinus lib. 4. Regino lib. 2.

Monachis benedixit, ut patet ex epiſtola Sigehardi abbatis Fuldenſis ad eundem.

Ex Caro-

Ex Carolo iuniore filio Ludouici, quem ob consilium de seditione in parentem mouenda Satanas obsederat, cacadæmonem illum sacrificijs & carminibus expulit. Auentinus libro eodem : anno Domini 873. Sigebertus.

Præfuit Synodo Colonienſi anno Domini 871. in qua episcopos & sacerdotes uitijs deditos partim correxit, partim deposuit, & Canones de disciplina Ecclesiastica fecit. Auentinus libro 4 Annalium.

Cum esset dissidium inter Carolũ & Ludouicũ de finibus diuidundis, unà cum Alfrido arbiter ex parte Caroli constitutus est. Auentinus libro eodem.

Ac postea cum Ludouicus, filius Ludouici regis, cõtra patrem conspirasset, eo quòd ægre ferret sibi fratrem Carolomannũ præferri: sedulò Ludbertus id egit, ut filius ad patrem Vuormaciam iret, eiq; reconciliaretur. Libro eodem.

Tertiò, cum Carolus mortui Lotharij occupasset principatum, à Ludouico ad eundem cum Alfrido missus, ut aut pacẽ aut bellum ei denunciaret, grauiter id fecit: & Carolum mouit, ut in suum regnum recederet. Libro eodem.

Bella etiam contra officij sui rationẽ gessit. Nam cũ incolis Rheni, & Lotharingis, per saltus Hercinios in Bohemiam, manu ferroq; uiam aperiens, transijt: & quinque reges Bohemorum sibi occurrẽtes cecidit, regionemq; illam prædando & inflammando peragrauit, ac cum triũpho reuersus est. Libro eodem.

Mortuus est circiter annum Domini 889. sub Imperatore Arnulpho. Auentinus libro 4 annalium Boiorum: cum præfuisset Ecclesiæ annis 26.

SVNDECHOLDVS.

Sundecholdus, seu Sunzo, ab ineunte ætate in Fuldensi cœnobio enutritus, & in sacris literis probè institutus, Luitberti successor consecrauit Adalgarium Hamburgẽsem episcopum. Cranzius in Metropoli lib. 2, capite 19. contra Normannos exercitum ducit, & gladium sibi diuinitùs non concessum usurpat, ideoq; iustam mercedem reportat. Dum enim incautius pugnat, apud Vuromaciam cęsus est. Auno Domini 895. Sigebertus: Auentinus libro 4. annaliũ: Reginone libro secundo: Chronicon Saxoniæ annũ 899 annotat.

ADELHELMVS.

Adelhelmus ab Otgario educatus, diaconus ordinatur in Ecclesia Moguntina. Immemor uerò beneficij, patrono & nutritori suo malam reddit gratiam, ac conatur eum honore & dignitate sua proditione exuere. quod cum malè succesisset, pœnitentiam egit, ac pro eo Rabanus apud Otgarium in in epistola intercedit, ut ipsi ignoscat.

Vuormacienſes.

BERNHARDVS.

BErnhardus episcopus Vuormacienſis cum Adelberto abbate Corbeiensi Romam ad Leonẽ papam à synodo Aquisgrana ablegatur, anno Domini 809. ut eius sententiam de processione Spiritus sancti & alijs cognoscerent. Annales Francorum.

ROTHADVS.

Rothadus, seu Rotaldus, episcopus Suessionicæ urbis, Rabano abbati Fuldensi fuit familiaris: ut patet ex epist. eius. Hincmarus Remensis eum deposuit ab officio, & in carcerem coniecit. Cum appellasset Romanum pontificem, ab eo absolutus est. Liber pontificalis in uita Nicolai primi.

THEOTELAVS.

Theotelaus ibidem episcopus sub Arnulpho, subscripsit Synodo Triburiẽsi. Tomo 2 Concilliorum.

Herbipolenſes.

ARNO.

ARno, uel Arneo, episcopus Herbipolẽsis, sub Ludouico secũdo duxit exercitum cum Rudolpho Boiorum præfecto, & Sigehardo Fuldensi abbate, contra Bohemos. Auẽtinus libro 4. Annalium. Schuuartzachium cœnobium sibi subiecit, anno Domini 877. Bruschius in Chronologia. Sed postea cum Poppone Thuringorum duce contra Slauos progressus, occiditur: anno Domini 892. Regino lib. 2.

RVDOLPHVS.

Rudolphus, uir nobilis, sed indoctus & iners, ope Cũradi & Gebehardi Comitum Virtziburgensis episcopus factus, interfuit Synodo Triburiẽsi: ut patet ex actis. Pulsus est ab Adelberto. Regino lib. 2. Obijt anno Domini 908. Vrspergensis.

REGINBALDVS.

Reginbaldus alicubi episcopus: cõmendatur à Rabano à morũ grauitate, honestate locutionis, humilitate habitus, & hilaritate uultus. Consuluit Rabanum de aliquot quæstionib. quomodo pœnitentia multandi essent delinquentes ad quas binis literis respondet. Quantum conijci potest ex quæstionibus, doctrinã de uera pœnitẽtia ignorauit: & trãsgressiones traditionũ humanarum, ut si quis ante Pascha carnes comedisset, enormia scelera æstimauit

HADVBRANDVS.

Hadubrandus presbyter familiaris fuit Rabano, qui eum monet in Epistola, ne propter

propter improbos & odia uocationem suam deserat. In altera uerò epistola eundem grauiter reprehendit, quòd decimas à Christianis exigat: cum iureiurando, ne prius ad communionem admittat, quàm eas soluissent: nec infantes alio quàm Paschatis & Pentecostes tempore uelit baptizare.

HVMBERTVS.

Humbertus episcopus familiaris fuit Rabano, accum eo sæpe contulit de quæstionibus difficilioribus, ut patet ex Rabani literis ad eũdem. Fuit homo literatus, & scripta Patrum sedulò legit. Non planè uacuus fuit à stipulis huius seculi, præsertim de cultu reliquiarum & sanctorũ, ac de traditionibus humanis. Nam de pœnitentium ritibus ualde fuit sollicitus, somniãs ijs expiari peccata. Propagationem religionis Christianæ doctrina & uita sua promouit. Ecclesiasticorum fornicationes non probauit. Ite rationem baptismatis damnauit. Vtrum dies mortis singulis præstituta, sit an uerò tantũ Dei uoluntate, ignotis causis, uel uiuat, uel moriatur homo, dubitauit: ideoq; ea de re Rabanum cõsulit qui per epistolam docet, eum singulis à Deo certũ tempus mortis esse præfinitum ab æterno.

ERCHANBALDVS
Eistetenses.

Erchanbaldus Eistetensis episcopus, Synodo Triburiensi sub Arnulpho subscripsit. Acta tomo secundo Conciliorum.

BASILIENSES.

HAIDO.

HAido, seu Hatto, ex abbate diuitis Augię Basiliẽsis episcopus fuit, uir ingenio & corpore insignis, à Carolo Magno circiter annum Domini 811, Constantinopolim ad Nicephorum pacis confirmandæ gratia ablegatur, cum alijs quibusdam. Annales Francorum, & Regino lib. 2. Scripsit de eo itinere commentarium. Auentinus libro 4 Annalium.

FRINGVS.

Fringus Basilienſis episcopus, interfuit & subscripsit Synodo Triburiensi. Tomo 2 Conciliorum.

THEODVLPHVS CVRIENSIS.

Theodulphus Curiensis eodem tempore sub Arnulpho uixit, & Synodum Triburiensem ornauit, tomo 2 Conciliorum.

CONSTANTIENSES.

SALOMON.

SAlomon Baro de Rãschuuag, Rhetus, Notgeri auditor, uir eruditus in philosophicis & sacris literis, utroque genere stylo exercitatus, ex monacho Sangallẽsi episcopus Constantiensis factus est, circiter annũ Domini 850, sub Lothario. Trithemius de Viris illustribus.

Scripsit de septem artibus liberalibus lib. 1. & Dictionarium lib. 1. Epistolarum lib. 1. Sermones etiam multos, & alios quosdam tractatus. Trithemius, & Bruschius de monasterio Sangallensi.

Ludouicus secundus usus est eo legato ad Nicolaum pontificem, pro Bremensi & Hamburgensi ecclesia unienda, Cranzius in Metropoli lib. 1, cap. 39.

Docuit monachos octoginta in Sangallensi cœnobio. Interfuit Synodo Triburiensi, ut patet ex Actis. Coluit deos alienos. Romam enim multas reliquias sanctorum secum adduexit, quas ueneratus est. Mancipium auari ciæ egit. ab Arnulpho Imperatore duodecim prælaturas, ut uocant, scilicet episcopatus & abbatias, emendicauit. Bruschius.

Interfectus est à Normannis, circiter annum Domini 890. Regino lib. 2.

Salomon abbas Sangallẽsis, ab Arnulpho constituitur episcopus Constãtiensis, anno Domini 890. Regino libro 2. is capitur ab Arigenone, anno Domini 916, & obijt anno 919.

COLONIENSES.

HATTOBOLDVS.

HAttoboldus in Coloniẽsi archiepiscopatu successit Hildeboldo, tẽpore Ludouici: ac præfuit annis 22. Vitæ Colonienſium episcoporum.

GVNTHERIVS.

Guntherius uicesimus primus episcopus Colonienſis, frater seu auunculus Vualdradæ pellicis Lotharij. Fuit uir in sacris literis apprimè doctus, & animo magno ac forti præditus: quare munus archicapellani in aula Lotharij regis, ei commissum est.

Scripsit epistolam cum Thetgando ad Nicolaum pontificem, quæ extat in Auentini libro 4 Annalium.

Rectè sensit, Romanum pontificem esse Antichristum, lupum & tyrannum: ut patet ex epistola.

In Synodo Metensi unà cum alijs episcopis, Thetbergã Lotharij cõingem, (de qua testes affirmabant, quòd confessa esset de incæstuoso cum fratre suo concubitu) pronunciauit ius matrimonij uiolasse: ideoq; eam ab eius consuetudine abstinere in posterum debere, & pœnitẽtiam in canonibus præscriptã agere. Deinde in Synodo ad Aquas Grani neas fecit Regi potestatem, aliam ducendi uxorem, citans sententiam Pauli, Melius est nubere, quàm uri. Regino libro 2.

Cu-

Monasterienses, seu Mimigardeuordenses.

GERFRIDVS.

Gerfridus nepos Ludgeri, & successor in episcopatu, uir doctus & pius, miraculis etiam claruit. Cranzius in Metropoli lib.1, cap.25.

ALFRIDVS.

Alfridus successit præcedenti, quem beneè Ecclesiæ præfuisse scribunt. libro eodem, capite 25.

BERTOLDVS.

Bertholdus uir hypocrisi sanctus, quinetus fuit monasterienſis episcopus: peculiarem morbum, quo tum laborabant eius subditi, nimirum tumorem linguarũ, curauit, indicto ieiuno & celebratione litaniarum. Claruit sub Arnulpho Imperatore. Crantzius in Metropoli lib.2.cap.18.

DRVOGO.

Druogo Mimigardeuordẽsis episcopus, apud Coloniam, & postea apud Triburiam, interest Synodis sub Arnulpho. tomo 2 Cõciliorum.

Osnaburgenses.

MENGARDVS.

Mengardus, seu Meingerus, successit Vuithoni, & interfuit Synodo à Ludouico conuocatæ, in qua regulæ pro Canonicis secularib. cõscriptæ sunt. Præfuit annis 29. Cranzius in Metropoli lib.1.cap.24.

GESVVVINVS.

Gesuuuinus tertius Osnaburgensis episcopus, conspirationis filiorũ Ludouici aduersus patrẽ nõ modò approbator, sed etiã adiutor fuit. Quare cum Ludouicus imperium recuperasset, & in cõiuratos passim animadueerteret, ipse sibi malè conscius, in Fuldense cœnobium aufugit, ibiq; latitauit: ni si quòd aliquando clam in suã diæcesin excurrit, & quæ potuit cõstituit. Præbuit autẽ occasionẽ, ut res ecclesiæ à Cobbone comite partim Corbeiẽsi, partim Heruordẽsi cœnobio adscriberẽtur. Cũ præfuisset ecclesiæ annis 32, mortuus est circiter annũ Domini 866. Cranzius in Metropoli lib.1, cap.40.

GOSBERTVS.

Gosbertus, seu Gaudbertus, nepos & discipulus Ebbonis, Sueonum episcopus, ab Anſgario cõsecratus, & Simeõ dictus. Cranzius in Metropoli lib.1 cap.32. cum aliquot annos isthic prædicasset Euangelium, orta persecutiõe fugit ad Anſgariũ, aut Remberto comiti cõmendatus cum consensu Ludouici regis Germanorũ, episcopus Osnaburgensis designatur. Præfuit ecclesiæ ad annos decem. Cranzius illũ à Normannis cæsum esse in Ebberstorp somniat: libro eodẽ, cap.33. & lib.2 cap.17. Oblitus eius quod capite præcedenti de Drogone testatus est.

DROGO.

Drogo Osnaburgẽsis, in expeditione episcoporum contra Danos fuit, & unà apud Ebberstorp occubuit, anno Domini 876. Cranzius in Metropoli lib.2 cap.16.

EGILMARVS.

Egilmarus sub Arnulpho interest Synodo Triburiensi, tomo 2. Concil.

Mindenses.

HADVARDVS.

Haduardus in episcopatu successit Herimberto: sed cuius fuerit, & quid egerit, non est in literas relatum. Mortuum in die Euphemiæ, idib. Aprilis, Cranzius scribit in Metropoli libro 1, cap. 23, & lamentabiliter deplorat, quòd non sit locus annotatus, quo reliquiæ eius quiescant. O damnũ irrecuperabile.

THEODORICVS.

Theodoricus tertius Mindẽsis episcopus, familiaris fuit Marquardo Hildesheimensi, Drogoni Osnaburgensi, Dudoni Badebornẽsi, Anfredo Traiectẽsi, Remberto Hamburgensi, Erlulpho Verdensi, & alijs episcopis.

Pontificijs corruptelis infectus, existimauit sibi licere utrumq; gladiũ administrare. Quare cũ eo tẽpore Dani & Normãni in Saxoniam sese effunderẽt, & Ecclesias eorũ uastarent, ipse cũ alijs episcopis & ducib. exercitum cõtra eos duxit. Sed collatis signis in Ebberstorp, qui gladium acceperat sine Dei uoluntate, gladio unà cum alijs Ecclesiasticis uiris cæsus est. Cadauer eius Mindenses inter mortuos dinoscere non potuerunt, aliàs reliquijs eius diuinũ honorem impendissent: circiter annum Domini 876. Cranzius in Metropoli libro 2, cap.16.

Hildesheimenses.

GVNTHERVS.

GVntherus à Carolo Magno episcopus Aulicensis constitutus est: sed postea circiter annũ Dñi 816, à Ludouico Pio, q Hildesiæ templũ extrui curauit, eò trãslatus est cũ sua ecclesia, cui præfuit annis 13. Chronicon Saxoniæ: & Cranz. in Metrop. li.1. ca.10.

FREMBERTVS.

Frembertus successor Guntheri, anno Domini 835, paucos dies uixit: & propè Guntherum sepultus est. Chronicon Saxoniæ, & Cranzius lib. eodem, cap.27.

EBBO.

Ebbo natione Gallus, Rhemẽsis archiepiscopus, à Paschali põtifice & Ludouico Pio

imperatore, ad propagandã Christi religionẽ ad Danos missus, anno Dñi 823. Sed tantum ad fines eorũ accessit, & in æstate aliquot ad fidem uenientes baptizauit, indeq; in Galliam regressus est. Annales Francorũ. Socium habuit Ansgarium & Gandebertũ, cui Simonis nomen in ordinatione fecit.

Intestinum dissidiũ inter Ludouicũ & filios eiùs ipse cũ alijs episcopis excitauit, & strenuè adiuuit: ac Ludouicum ob cõnubiũ Iudithæ nõ modò excõmunicauit, sed etiã ab imperio remouit, unà cũ alijs episcopis & proceribus Francorum. Auentinus libro 4 Annalium. Sed postea cum Ludouicus pristinam dignitatem recuperasset in conuentu Ditenhofensi, Ebbonem & alios coniurationis socios ab officijs deponit, anno Domini 836. Sigebertus, Auẽtinus lib. 4. Annalium. Regino libro 2 annum Domini adsignat 839. & captum illum in Fuldense cœnobium misit, ac custodiri in carcere iussit: eundemq;, cum fama increbuisset, quòd Lotharius eum conaretur in Italiam ad nouas turbas euocare, & quòd ipse literas scriberet, quibus ecclesiam & rempub. denuò perturbaret, præcepit abbati per Adalbertum legatum suum, ut eum diligentius & accuratius custodiret, ut patet ex epistolis abbatis ad Drogonem, & ad Marquardum Prumiensem, & ad Iuditham.

Ex Fuldensi carcere siue dimissus, siue fuga elapsus, ad Ansgarium uenit: qui eius misertus, cum Hildesiorum antistes diem obiisset, effecit, ut ibi episcopus constitueretur. Assensit Ludouicus Imperator, propterea quòd in eo loco minus sibi uideretur obfuturus: & quòd propagationem uerbi ad Danos, ex uicino loco magis posset promouere. Cranzius lib. 1. ca, 27. & 30, in Metropoli.

Cœnobium Hirsaugiense unà cum alijs episcopis consecrauit, anno Domini 838. Trithemius.

Sed ille ad Danos non accessit, nec suam ecclesiam, ut par erat, gubernauit: uerùm ut homo turbulẽtus, Ludouico mortuo, inter filios eius fratres cruentũ concitauit bellũ. Quare à Gregorio quarto Hildesheimensi episcopatu priuatus dicitur, cum præfuisset annos 12. Libro eodem, capite 30, & 33. & Chronicon Saxoniæ. Romam adijt: & cum Ludouicus Lotharij filius cum Drogone & alijs episcopis isthic cum exercitu essent, & Os porci in ordinem nonnihil redigerent, petijt reconciliari Imperatori. Sed Pontifex eum unà cum Bartholomæo quodam damnauit, & tantum laicalem communionem ijs reliquit. Liber pontificalis.

ALTFRIDVS.

Altfridus monachus Corbeiensis, uir eruditus, & hypocrisi sanctus, quartus episcopus Hildesheimensis designatus, anno Domini 847, aut sequenti, non tã instituendæ plebi, quàm extruendo templo operã dauit. Ex duab. turribus, quarũ altera Salegenstadij, altera in Asuede erat, duo cœnobia, hic uirginũ, isthic monachorum fecit. Et postea anno Domini 852 cœnobiũ Brunesuisij instituit, quòd post annos 4 in Gandesheim transtulit: & Hatamodã Ludolphi Saxonũ ducis filiã, primã abbatissam cõsecrauit. unde certò cõstat, corruptelis Põtificijs eũ fuisse addictissimũ. Cũ Luitperto Mogontino episcopo, à Ludouico Coloniã ablegatus, Vuillebertũ cõsecrauit episcopũ, & Cartolo Caluo bellum denunciauit: ut narrat Auentinus lib. 4 Annaliũ. Cum præfuisset annis 28, mortuus est anno Domini 875. Ekkehardus in Lothario, cap. 72, & Chronicon Hirsaugiense, & Chronicon Saxoniæ, Cranzius in Metropoli lib. 2, cap. 12.

MARQVARDVS.

Marquardus abbas Prumiẽsis, ut uidetur, Altfrido successit. Cũ uix annũ episcopatũ rexisset, in bello aduersus Normãnos interfectus est. Cranz. in Metropoli lib. 2, cap. 14. Chronicõ Saxonię adscribit ei annos 5. Sed cum anno 875 ad ministerium accesserit, & anno sequenti clades illa in Ebberstorp facta sit, non conuenit numerus.

VVIGBERTVS.

Vuigbertus Hildesiẽsis episcopus, interest & subscribit Synodo Triburiensi sub Arnulpho, tomo 2 Conciliorum. Præfuit anno, successorem sortitus Vualbertũ. Chronicon Saxoniæ. Cranzius in Metropoli lib. 2, cap. 28.

Halberstadenses.

TIAGRINVS.

Tiagrinus abbas in aliquo loco, mortuo Hildegrino, in Halberstadensi episcopatu successit sub Ludouico Pio, circiter annũ Domini 817. Præfuit ecclesiæ annis 14. sepultus in æde Stephani. Chronicon Saxoniæ, & Cranzius in Metropoli lib. 1. cap. 25.

TIAGRIVS.

Tiagrius Halberstadensis episcopus, interfuit consecrationi cœnobij Hirsaugiensis, anno Domini 838. Trithemius.

HAYMO.

Haymo ex Anglosaxonũ genere & populo oriundus, non frater, sed consanguineus Bedæ, iuxta Balæum, discipulus fuit in Anglia Albini, & cõdiscipulus Rabani, ac contubernalis eius in cœnobio Fuldensi: abbas Hirsfeldensis: & postea Halberstadẽsis episcopus, circiter annũ Dñi 840. iuxta Chronicon Quedelburgense, designatus est. Instructus autem ad istas functiones accessit, scientia

scientia sacrarum & philosophicarum literarum, & facundia, authoritate, sanctitatisque opinione.

Scripta.

Scripsit Cõmentarios in Genesin lib. 1.
In Exodum lib. 1.
In Leuiticum lib. 1.
In Numeros lib. 1.
In Deutoronomium lib. 1.
In Iosue lib. 1.
In Iudicum lib. 1.
In Ruth lib. 1.
In Regum lib. 1.
In Paralipomenon lib. 4.
In Thobiam lib. 2.
In Esdram & Nehemiam lib. 1.
In Iudith lib. 4.
In Iobum lib. 1.
In Psalterium lib. 1.
In Cantica Canticorum lib. 1.
In Hester lib. 1.
In Esaiam prophetam lib. 1.
In Hieremiam lib. 3.
In Ezechielem lib. 1.
In Danielem lib. 1.
In minores Prophetas lib. 1.
In Matthæum lib. 12.
In Marcum lib. 1.
In Lucam lib. 1.
In Ioannem lib. 1.
In Paulum ad Romanos lib. 1.
Ad Corinthios lib. 1.
Ad Galatas lib. 2.
Ad Ephesios lib. 1.
Ad Philippenses lib. 1.
Ad Colossenses lib. 1.
Ad Thessalonicenses lib. 1.
Ad Timotheum lib. 2.
Ad Titum lib. 2.
Ad Philemonem lib. 1.
Ad Hebræos lib. 1.
In epistolas Canonicas lib. 1.
In Acta Apostolorum lib. 7.
In Apocalypsin Ioannis lib. 1.

Coloniæ ab Euchario anno 1531. sed non uidentur esse Haymonis Halberstadẽsis. Nam in primo lib. cap. 1. citat dictum Anberti Ambrosij, qui aliquot annis post eũ uixit sub Arnulpho Imperatore.

Homilias in Euangelia
Homilias hyemales lib. 1.
Homilias æstiuales lib. 1.
De uarietate librorum lib. 1.
De Christianarum rerum memoria lib. 3.
De sancta Trinitate lib. 1.
De amore cœlesti lib. 1.
De mundi uoluptate lib. 1.
Aliosq; tractatus & epistolas sine certo numero. Baleus Centuria 13, cap. 8. Trithemius de Viris illustribus.

Vsus est in exponendis Psalmis mira breuitate & simplicitate & perspicuitate, iuxta Erasmi censuram.

Collegit suos commentarios ex alijs patribus, quos etiam passim citat: ut Gregorium super 2 cap. Malachiæ. Augustinum super cap. 14, primæ ad Corinth. Iulianum Pomerium, quem uocat sanæ prudentiæ uirũ, cap. 12. secundæ ad Corinth.

Doctrina & næui eius.

Et si non prorsus fuit ab omnibus maculis & næuis huius seculi immunis, tamen de plerisq; capitibus doctrinæ multo synceriꝰ scripsit, quàm alij Pontificij, ut suprà in capite quarto ostendimus.

Nam opiniones quasdam peculiares habuit. ut dictum Genes. 3, intelligit de muliere conculcante caput serpentis, eamq; conculcationem exponit de abstinẽtia à uitijs.

In Psalm. 48.

Ioannẽ baptistã per discipulos suos quæsijsse, an debeat etiã in inferno agere præcursorem, & Messiæ aduentũ animabus denunciare. In euangelio Dominicæ 3. Aduentus.

Pœnitẽtia & bonis operibus somniat expiari peccata. 1 Corinth. 11.

Tot homines saluari ait, quot angeli in cœlo, post casum archangeli remãserint. li. 2. super 5 cap. Apocalypsis, & lib. 7, ca. 21 Apoc.

Martyres suo sanguine expiare peccata sua, nugatur in Psalm. 115.

Platonẽ, Aristotelem, cæterosq; philosophos fidẽ Domini suscepisse, & simplicem iusticiam piscatorum doctrinamq; sequi cœpisse. In 3 cap. Ionæ.

Paruulis in Baptismo, parentum sufficere fidem. Super Euangelia.

Iudæos per aduentum Eliæ & Enoch, sub finẽ mundi cõuertendos. In 11. cap. ad Rom.

Opera in functionibus.

Docendi & cõcionandi munere ipse perfunctus est, ut patet ex eius homelijs seu concionibus ad populum.

Sacras etiam literas in schola, suis canonicis & discipulis interpretatus est.

Refutauit hæreses ueteres, ut Pelagium, in 6 cap. ad Rom. & Priscillionistas, in Euangelio de Magis. Sed hæreticorũ sui temporis non meminit.

Curriculum.

Annis tredecim episcopatum gessit, mortuus est anno Domini 853. Halberstadij in templo Stephani sepultus: Chronicõ Quedelburgẽse, Bruschius, Trithemius in Chronico Hirsaugiensi.

HILDEGRINVS.

Hildegrinus quartus Halberstadẽsis episcopus ordinatur anno Domini 853. Præfuit annis 34. Chronicon Saxoniæ: Cranzius in Metropoli lib. 2. cap. 13

EVILPVS.

Euilpus, seu Emundus, succesit Hildegri no, & præfuit annis nou :m: fuit uir grauis moribus, & sanctitate hypocritica. Cranzius lib.2, cap.23. in Metropoli.

SIGISMVNDVS.

Sigismũdus succesit anno Domini 894. interfuit Synodo ad Triburiam, sub Arnulpho. tomo secundo Cõciliorum. Præfuit annis triginta. Chronicon Saxoniæ.

Hamburgenses.

HERIDAGVS.

HEridagus, seu Geridanus presbyter, uir pius & doctus, à Carolo Magno Hamburgẽsi eccleſiæ præfectus est, ut in eo loco sacra doceret, & uicinos Danos ac Vandalos ad fidem Christi inuitaret. Habuit Imperator in animo eam eccleſiam metropolin constituere, eiq́ue omnes prouincias boreales Danorum & Sclauorũ subijcere: sed morte Heridagi, & bello Danico impeditus est. Videtur antẽ Heridagus à Danis Hamburgum uastantibus interfectus, aut certè mœrore extinctus esse, circiter annum Domini 810. Helmoldus de Sclauis cap.3. Cranzius in Metropoli lib.1, cap.17, ex annalibus Saxonum: Erphordienſis.

ANSGARIVS.

Ansgarius natione Gallus, monachus Corbeienſis, cum alijs suis collegis ex Francia in Saxoniam, ad nouam Corbeiam ad Visurgum extructam, à Ludouico Pio translatus est. Cum aũt in eo cœnobio artium, linguarum & sacrarum literarũ traditione præpararẽtur discipuli, qui ad Aquilonares gentes, Danos, & Sueones propagarent religionem Christianã, ipse prę cęteris ob bonã ingenij indolẽ excelluit. Cranzius lib.1. cap.19.

Functiones.

A' Ludouico ex monasterio euocatus, & literis Paschalis instructus, cum Haraldo rege in Daniam missus, ad prædicandũ Euangelium paganis. Deinde in conuentu principum & episcoporum Vuormaciæ, anno Domini 833, à Ludouico Hamburgẽsis eligitur archiepiscopus, & cõsecratur à Drogone Metensi episcopo, Moguntino, Treuerẽsi, Vuillerico Bremensi, & Helingando Verdẽsi: eiq́; subijciuntur omnes populi, qui sunt ultra Albim in Boream, Vandali, Dani, Sueones, Norici, usque ad finem terræ Aquilonaris. Tertiò, cum post annos sedecim Hamburgensis eccleſia esset uastata à Danis, & Bremensis episcopus obijsset, Ludouicus rex Germaniæ eum Bremensi & Hamburgensi eccleſiæ simul iussit præesse. Helmoldus de Sclauis cap.4 & 5.

Scripta & doctrina eius.

Scripsit epistolas plures, tũ ad Episcopos sue diœcesi subiectos, tum ad reges Normanorum. Fragmentũ epistolæ eius ad epiſcopos, recitat Cranzius cap.42, libri primi Metropoleos: Deprecor, ut apud Deum interedatis, quatenus hæc legatio creſcere & fructificare mereatur in Domino. Iã enim Deo propitio & apud Danos, & apud Sueones fundata est eccleſia Christi, & sacerdotes absque prohibitione proprio fungũtur officio. Omnipotens Deus faciat uos omnes huius operis pia beneuolentia participes, & in cœleſti gloria Christo cohæredes. Scripsit etiam Summas in Psalmos.

Doctrinam pro huius seculi ratione, non planè incorruptam habuit. Nam Pontificiis næuis addictus fuit: & deos alienos, sanctos mortuos coluit, nuptias prohibuit, humanis traditionibus nimium tribuit, ut poſtea dicemus.

Opera in functione.

Munere docendi functus est, & fidẽ Christi etiam ad Trãsalbianos Saxones, Danos & Sueones propagare summo studio, non sine periculo uitæ contendit. Nam cum uenisset cũ Haraldo in Iutiã, ab exercitu eius in interiora loca regni ſeceſsit, & concionando plures ad agnitionẽ Christi adduxit. Ardo post menses aliquot, Corbeiã reuerſus, plures socios sibi adiunxit, per quos palsim Eccleſias instituit: & Sueciam ulq; excurrit, & in Byrca præfecto Herigario conuerſo, copiosam messem fecit per integrum biennium. Cranzius in Metropoli libro 1, capite 19. Deinde episcopus Hamburgensis factus, Danos & Sueones in fide confirmauit, ac subinde plures cõuertit. libro eodem, cap.20. Et regem Danorum Ericũ fecit Christianũ, cap. 36. Ac in Sueciã progreſſus, ab Olao rege ſuſceptus, in Byrca eccleſiam erexit, eamq́ue Eremberto presbytero commendauit, cap. 37. Ericum etiam iuniorem idola instaurantem, & Christianos perſequentem conuertit. cap. 41.

Prauas consuetudines abrogauit. Nam Nordalbingos Christianos uendéres correxit, Phrisios die Dominico laborare consuetos emẽdauit. Crãzius in Metrop. li.1, ca.41.

Claue ligante in contumaces usus est. eo pite eodem.

Sacraméta administrauit, multos enim in Byrca baptizauit. Cranzius lib.1, ca.19 & 35.

Ordinauit episcopos. Nam cum Eboue Gaudebertum episcopum consecrauit, eiq́; nomen Simonis fecit, & in Sueciam ablegauit. ca.32. & postea alios prædicatores in Doniam misit, & in Sueciam Hartgarium hereditum, ut perſecutione deſtructas instaurarent Eccleſias. Cap.34.

Visitauit

Visitauit ecclesias Saxonum Transalbianorum & Danorum, capite trigesimosecundo. Et Nordalbingos persecutione turbatos, in uiam reduxit, cap. 34.

Episcopos tam uoce quàm literis de suo officio monuit, & negligentes reprehendit. cap. 42.

Operas monasticas, hoc est scholasticas exercuit, & docendo & instituendo sibi idoneos præparauit ad propagationem uerbi ministros: idq; non tantùm in Corbeiensi cœnobio fecit ante episcopatum, sed etiam postea. Nam Imperator ei monasterium Turholdense in Flandria concessit: quò tempore persecutionis, & aliàs sæpius, excurrit, fratresq; uisitauit atque instituit, indeq; subsidium ad sumptus peregrinationis reportauit. Cranzius lib. eodem, cap. 20 & 32.

In Ramsola monachos fouit, & Bremis canonicos sub regula monastica uiuentes erudijt, & Brixmoniæ uirginum cœnobium instituit. cap. 41.

Curam librorum habuit. Testantur enim Annales, eum Hamburgi ecclesiam & claustrum & bibliothecã summo studio instructam habuisse: sed à Danis, capta urbe, combusta esse omnia. cap. 33.

Architectum monasterij in Ramsola egit, cap. 34. & ecclesiã in Sliasuuick oppido, ad Sliam sito, erexit, cum consensu Erici regis Danorum. cap. 36. & postea aliam in Ripa, quam Remberto commisit. cap. 41.

Legatione etiam perfunctus est ad regem Daniæ, Ludouici Cæsaris nomine. Helmoldus cap. 5.

Notas Antichristi habuit. Nam Romani Pontificis mancipium egit: & à Paschali cõmendaticias literas, & potestatem colligendi ecclesiam in Septentrione accepit, seq; obstrinxit ad Pontificios errores & ritus propagandos. ac postea accepit à Gregorio quarto pallium, & à Nicolao: legatusq; eius factus, ecclesias Christo acquisitas, iugo Pontificio subiecit. cap. 38. Cultui etiam deorum alienorum, nimirum mortuorũ sanctorũ, dedi. tus fuit. Nam reliquias Sixti & Sunnitij, ex Remensi ecclesia cum Ebbonis assensu Hãburgum transtulit: easq; postea, ut tutę essent à Danis, secum in Ramsolam trãsuexit. cap. 30. Vuillehadum in ecclesiam Petri transtulit. cap. 41.

Satanæ doctrinam de nuptiarum interdicto, re ipsa approbauit. Nam monasteria uirorum & uirginum constituit. capite 41.

Certamina.

Non est dubium, quin ei cum paganæ superstitionis patronis multum fuerit certaminis: sed quo pacto expugnarit eos, non est in literas relatum. Orando & prædicando eum uicisse, Cranzius libro 1, cap. 19 indicat. Deinde parum æquus ei fuit Ludouicus Bremensis episcopus, qui illi ad se uenienti non modò hospitium denegauit, sed etiam urbe expulit. Quæ autem fuerit causa simultatis, non explicatur. cap. 34.

Certamen etiam illi fuit cum Gunthario Colonienſi archiepiscopo. Is enim, quia Bremẽsis ecclesia in sua diœcesi esset, noluit ferre, ut archiepiscopi dignitate Ansgarius potiretur. Sed re ad Nicolaum pontificé relata, tandem pronũciatum ab eo est, Hamburgensem & Bremensem episcopatus in unũ redigi debere: ac Ansgarium archiepiscopũ, & omnes eius successores legatos & uicarios sedis Apostolicæ constituit in omnibus gentibus Danorum, Sueonum & Vandalorum. cap. 37 & 38.

Amici eius.

Noticiam habuit uirorum, ea ætate auctoritate & doctrina excellentium: ut Gaudeberti, qui comes ei fuit peregrinationis ad Danos: & Gislemari & Vuithmari, quos secum in Daniam duxit, & illum Haraldo reliquit, alterum in Suecia Byrcensibus præfecit. libro primo Metropoleos, cap. 32. Ebbonis Remensis episcopi, qui ei collega peregrinationis à Paschali adiunctus est: ut patet ex epistola eius. Drogonis Metensis, Vuillerici Bremensis, & Heligandi Verdensis episcopi. Item Romanorum pontificum, ut Paschalis & Gregorij quarti, qui pallium ei misit, legatumq; suum ad gentes Aquilonares designauit, libro eodem, cap. 20. & Nicolai, qui assensit ut Hamburgensem & Bremensem ecclesiam coniunctim administraret. capite 37. Remberti, quem adoptauit in filiũ, & successorem fore prædixit. cap. 32.

Carus etiam fuit Imperatori Ludouico Pio, & postea Ludouico filio eius, regi nimirum Germanorum, qui eum Bremensem fecit archiepiscopum, & Erico regi Daniæ, quem conuertit. estq; ab eo inter amicos & consilarios adscriptus. cap. 37.

Multas etiam miseras expertus est, ac aliquoties uix hostium manus effugit. ecclesiã, claustrum & bibliothecam eius, Dani incenderunt: Turholdense cœnobium ei Carolus Caluus eripuit. cap. 35.

Vitæ sanctimonia.

Sedulò sibi cauit, ne alijs præberet offendiculum. Cum Ludouicus eum cogitaret præficere Bremensi ecclesiæ, diu reluctabatur: nec prius assensit, quàm communi omnium consilio eò uocatus esset, ne uideretur suo grege deserto, alienum occupare. capite 36.

In pauperes peregrinantes seu exules, fuit bene-

beneficus. Nam Ebbonem pulsum in exilium, fouit. Cranzius cap. trigesimo. Xenodochia Bremis & in alijs locis instituit, captiuos redemit, afflictos consolatus est, domesticos erudijt, barbaris euangelizauit, foris apostolus, intus monachus, nunquam uisus est otiosus. cap. 41.

De donis.

Donum miraculorum etiam ei attribuũt. Nam aliqui ex Danis, cum essent ab eo baptizati, & animæ corporis ægritudines depo fuerunt: & ipse Bremis multos malè habentes, in xenodochijs uerbo & contactu curauit. cap. 41.

Prophetico etiã spiritu illum prædixisse, Rembertum adhuc puerum sibi succeſſurũ, idem cap. 32. autumat.

De curriculo eius.

Annos triginta quatuor in episcopatu exegit: nimirum septem Hamburgi, nouem in Ramsola, & Bremis duodecim ante impetratam Romæ ecclesiarum unionem, & postea septem. Mortuus est tertio nonas Februarias, anno Domini 865. ac sepultus Bremis, in basilica Petri ad altare Mariæ. Cranzius in Metropoli lib. 1. cap. 42. & Chronicõ Saxoniæ.

REMBERTVS.

Rembertus in Turholdensi cœnobio institutus, monasticũ habitum non sumpsit: sed inde ab Ansgario, qui indolem eius probabat, euocatus, in filium adoptatur.

Functiones.

In Corbeiensi cœnobio scholam rexit, & monachorum magister fuit. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi. Postea presbyter ab Ansgario ordinatus, præficitur ecclesiæ Ripensi. Cranzius in Metropoli lib. 1. cap. 32. & 41. Mortuo Ansgario, à populo & clero successor eligitur. ac à Lutberto Moguntino episcopo consecratus, uenit Corbeiam, ueste quę susceptt cum professione monastica. Ferulam pastoralem seu inuestituram feudalẽ à Ludouico rege Germaniæ, pallium uerò põtificale à Nicolao accepit. Venit autem ad episcopatũ, instructus eruditione & cognitione artium & sacrarum literarum. Chronicon Hirsaugiense.

Scripta.

Epistolas diuersas & pleraſq; ad uirgines Vestales scripsit: ac Gregorij sententias de eleemosynis collegit, cap. 11.

Doctrina & næui.

De synceritate doctrinæ eius parũ possumus dicere. Sed næuis & uanis opinionibus eum fuisse imbutum, ex historica narratione apud Cranzium, ex uita eius deprompta constat. Nam ieiunio animas defunctorum à tormentis liberari, à spectro delusus, existimauit, contra Scripturam.

Deinde traditiones humanas, somniauit esse cultus Dei: & uitam monasticam & uirginitatẽ adeò extulit, ut nuptiarum interdictum approbarit.

Opera in functione.

Non tantum in sua ecclesia gregem Domini uerbo Dei pauit, sed etiam studiũ propagandi doctrinam habuit ad gentes uicinas, suæ diœcesi pontificia autoritate subiectas. Nam tum ipse ad eas in Daniam sæpe excurrit, tum presbyteros ad eam rem idoneos ablegauit, qui docendo plures subinde lucrati sunt, & prius conuersos & afflictos confirmarunt. Cranzius in Metropoli lib. 2, cap. 2.

Pro uictoria Christianorum contra Normannos, in Frisa ad pagum Norduidam reportauit, & effecit ut decies mille, trecenti & septuaginta octo cæderentur. cap. 10.

Visitauit ecclesias suæ diœcesi subiectas, ut Slesuicensem. cap. 11.

Bonis ecclesiæ bene præfuit, & de sacris uasis diuenditis captos à Danis & Vandalis redemit, cap. 10. ac suo equo barbaris dato quosdam redemit. cap. 11.

Pauperum rationem habuit, & xenodochium Bremæ ab Ansgario cœptũ auxit, ac dicere solitus est: Non est hæsitandum cuiquam subuenire iure pauperibus: quia in quo sit Christus, seu quando ad nos uenit, ignoramus.

Non caruit notis Antichristi. Nam ad decreti diabolici propagationẽ de nuptiarum prohibitione, monasterium in Bucken condidit: & uirginitatem nimium comendauit, cap. 11. Et pro animabus defunctorum orauit, egregiè delusus à spectro, quod ipsius parens simulabat, se animam esse cuiusdam presbyteri defuncti: & petebat ut ieiunio suo ad dies quadraginta, se à tormentis purgatorij liberaret. Non attendit iste bonus uir, quòd Abraham dixit, non posse Lazarum aut diuitis animam redire, & concionanti pœnitentiam fratribus eius, & quòd non sit ueritas à mortuis scisitanda. cap. 11.

De donis.

Adscribunt ei etiam donum miraculorũ, quòd oratione sua sæpe maris procellosos fluctus composuerit, & cæco impositione manus pro more confirmationis, uisum restituerit, dęmoniumq; à regis Francorum filio expulerit: & quòd ipse sathan testatus sit de eius sanctitate, quòd digniori illud officium exorcizationis committi non potuisset. Cranzius cap. 10. Christianos aliquot à Danis cathena illigatos, & captiuos abductos, oratione liberauit prope Slesuicum. Fracta enim catena est, & ipse suum equum prodemptione eorum barbaris dedit.

Certamina & miseriæ eius.

In expugnanda gentilium superstitione, labores & dolores haud mediocres cæpit. Nam Normanni eius ecclesias, utpote uicinas, subinde infestarũt: ac insignis illa clades in Ebberstorp eius tempore accidit, anno Domini 876.

Amici eius.

Notus fuit Adalgario Corbeiensi abbati, & Lutberto Moguntino, & Theodorico Mindensi, & Nicolao papæ, à quo pallium accepit. Collegam habuit Adalgarium, quẽ moriens regi commendauit, ut successorem constitueret. Ludouico regi Germanorum charus erat, alijs q; Francorum regibus. capite secundo.

Curriculum eius.

Præfuit ecclesiæ annos uiginti & tres, ac mortuus est tertio idus Iunii, anno Domini 888, Cranzius in Metropoli libro 2, cap. 11. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, tãtum nouẽ annos ei in archiepiscopatu Bremensi assignat: ac post mortem inter diuos relatum autumat, pro istius seculi superstitione papistica.

ADALGARIVS.

Adalgarius monachus in Corbeiensi cœnobio institutus, Remberti socius, & in senectute adiutor, tandẽ ei successit in episcopatu: & accepta ferula feudali ab Arnulpho rege, pallio à Stephano sexto ordinatus est à Lindroldo Mogũtino archiepiscopo. Cranzius in Metropoli lib. 2, cap. 19.

Scripta & doctrina.

De scriptis eius posteritas nihil nouit: quare nec de doctrina iudicari admodum potest. Romanorum pontificum superbię & dominatui nõ uidetur fuisse satis æquus. Nam à formoso Romam uocatus, ad dicendam causam de suo iure in Bremensem ecclesiam, non uenit, neq; legatum eò misit: ut patet ex literis Formosi, cap. 20.

Opera in functione.

Studium habuit propagandæ religionis Christianę ad gentes Aquilonares, ad quem usum sacerdotum collegium aluit & instituit: unde idoneos presbyteros ad ecclesias illas uel plantandas aut gubernandas emisit, capite 19. Ipse etiam uerbum Dei prædicauit, ecclesias uisitauit, & episcopos ordinauit, dum ætate fuit integra: in senectute uerò per collegas suos idem fieri sua uice curauit. cap. 24.

Certamina eius.

In conuersione gentium non parum molestiarum & laborum cæpit: ac cum Normãni eo tempore in sua ecclesia tumultuarentur, multas uidit miserias. Sed auxit ei dolorem contentio, quam Hermannus Colonienſis archiepiscopus contra ipsum mouit de principatu & iure in Bremensem ecclesiam. Nam ad Synodum Vuormaciæ indictam, eum accusauit, quòd Bremensem ecclesiam Colonienſi subiectam inuasisset, & sibi præter ius & fas rapuisset, nec uellet se agnoscere suum primatem. Adalgarius eò quidem uenit, & priuilegia suæ ecclesiæ à Ludouico data exhibuit, & defendit. Sed Hermannus non acquieuit, uerùm ad Pontificem rem detulit. Pontifex Moguntino episcopo uices suas delegat: is in Synodo Francofordienſi rem inquirit, & ad Pontificem refert, omnes diœcesianos Colonienſi archiepiscopo subditos, nimirum Franconem, Tungrensem, Vuodebaldum Traiectensem, Vuoselmũ Mimigardeuordensem, Drogonem Mindensem, Egelmarum Osnaburgensem, testari, nullum ex Bremensibus episcopis hactenus contempsisse Colonienſis principatum, sed omnes inde ab initio fuisse ei subiectos. Hoc domesticorũ testimonio motus Formosus, Adalgarium Romam euocat ad iudicium: quò cum non satis maturè uenisset, nec legatum misisset, Pontifex sententiam pronunciat, ipsum quidem iam debere Bremensem ecclesiam obtinere, & non subiectione aliqua, sed fraternæ charitatis affectu, si à Colonienſi archiepiscopo nocetur, accedere, aut legatos mittere ad negocia expedienda. Sed ubi Hamburgensis ecclesia gentium couersione fuerit locupletata, tum ad Colonienſem debere redire ius ecclesiæ Bremensis. Hac sententia moti patres in Synodo Triburienſi, cum etiam Arnulphi accederet autoritas, priuilegia à Ludouico & Nicolao pontifice de coniunctione Hamburgensis & Bremensis episcopatus aboleuerũt: & Adalgarius qui archiepiscopus aduenerat, positus est in subsellio nouissimus. Annales: Cranzius cap. 19, 20, 21.

Adalgarius de hac sententia ad Stephanũ pontificem appellauit, cum cognouisset eũ omnia acta Formosi rescindere: qui Fulconi Remensi negocium commisit, ut Mogunti indicta Synodo ea de re tractaret: & postea Sergius priuilegia Hamburgensis ecclesiæ à Gregorio & Nicolao concessa renouauit & corroborauit. Sed Hermannus Colonienſis archiepiscopus, in aula Imperatoris carus, facilè obtinuit, ne uim aliquam decreta illa acciperent. cap. 24.

Amici.

Cum ob senectutem imbecillior esset ad sustinendum onus gubernationis, Hogerũ sibi adiunxit collegam, & Sergius ei Emundũ Halberstadẽsem, Vuigbertũ Verdensem, Bisonem Badebornensem, Bernarios duos, Minden-

Mindenſem & Oſnaburgenſem, ſocios dedit ad colligendá eccleſiá in Aquilone. c.24.

Curriculum.

Præfuit eccleſiæ annos uiginti, & mortuus eſt 7.idus Maij, anno Domini 909. ſepultus in baſilica Michaelis.capite 19 & 24. Trithemius in Chronico Hirſaugienſi.

LEVDRICVS BREMENSIS.

Leudricus natione, ut Cranzio uidetur, Gallus epiſcopatum Bremenſem inijt anno Domini 840. Fuit homo ſuperbus & inuidus. Annales in eo reprehendunt, quòd ſe aliquando cuſtodem, aliquando paſtorem gregis Bremenſis uocarit. In Metropoli lib. 1, cap.32. Erga Anſgarium exulem ſeſe inhumanum præbuit, dum illum urbe ſua expulit. Lib. eodem, cap.34. Cum annis 8 præfuiſſet, à Ludouico remotus eſt ab officio, ob ſuperbiam: nec ita multo pòſt mors eum cõſecuta eſt. Chronicon Saxoniæ.

HERBERTVS LINCOPIENSIS.

Herbertus à Carolo Magno ad Biorum Sueonum regem, unà cum alijs uiris doctis, & ad propagationem Chriſtianæ religionis idoneis miſſus, Lincopenſis eccleſiæ in Oſtrogothia, fundamenta iecit: ibiq; primus epiſcopũ egit, ſub Carolo Magno. Ioannes Magnus in Gotthica hiſtoria lib.17.cap.1.

ANGLIAE DOCTORES.

ASSERIVS SCHIREBVRNENSIS.

Aſſerius Britannus, & cõterraneus Ioannis Scoti, ac diſcipulus, ſcriba fuit Aſſerij ſenioris archiepiſcopi, & poſtea pædagogus filiorum Alphredi regis, ac tãdẽ archiepiſcopus Schireburnenſis factus eſt.

Scripta.

Edidit aurearum ſententiarum enchiridion lib.1.
Alphredi res geſtas lib.1.
Annales Britanniæ lib.1.
Commentarios in Boethium lib.1.
Homelias & epiſtolas lib.2.
Quædam Anglico ſermone reddidit.

Opera in functione.

Alphredo hortator fuit, ut Oxonienſem ſcholam prouentibus & ſtipendijs locuplepletaret.

Claruit ſub Alphedo Anglorũ rege, circiter annum Domini 890. Baleus Centuria 2, cap.25.

VEREFRIDVS.

Verefridus Vuigornienſis epiſcopus, iuſſu regis Alphredi tranſtulit dialogos Gregorij Magni in linguam Saxonicam, ad propagandas opiniones fanaticas de purgatorio. Ranulphus lib.6, cap.1. in Polychronico. Mortuus eſt anno Domini 911. Baleus Centuria 10, cap.29.

Vintonienſes.

ETHELVVOLPHVS.

ETheluuolphus Egberti Anglorum regis filius, ab Helmoſtano epiſcopo Vintonienſi inſtitutus, Suithunũ monachum eo tempore celebrem ob eruditionẽ & hypocryſin, ſortitur præceptorem: eiusq; præſtigijs faſcinatus, monaſticam uitam profitetur, & pro eius ſanctimonia Adelſtanũ procreat ſpurium. Ac inde diaconus, & poſtea Vintoniẽſis deſignatur epiſcopus, anno Domini 837. Mortuo parente eius, cum præter ipſe de regina ſtirpe nemo reſtaret amplius, proceres regni communi conſenſu regem illum expetũt: ſed obſtabat ſacra initiatio. Quare ad pontificem Gregorium quartum munera feruntur, quæ diſpenſationi & indulgentiæ uiam aperiunt. Ea accepta, Suithunus fit epiſcopus, & Etheluuolphus adminiſtrator regni Osburgã ducis uoxrem. lib.
Scripſit leges uectigales lib.
Et epiſtolam hæreditariam

Corruptelis doctrinæ de principatu Romani pontificis, deq; eius poteſtate figendi leges & refigendi pro lubitu, ac de traditionibus humanis, quaſi eſſent cultus Dei, merenturq; uitam æternam, & ſimilibus, fascinatus ea fecit, quæ mancipio Antichriſti maximè conueniunt.

Nam decimo anno regni ſui uoti cauſa Romam adijt: & eas inſulæ partes, quas pater imperio acquiſierat, pontifici Leoni uectigales fecit, imitatus exemplum Inæ & Offæ maiorum ſuorum.

Romam ingreſſus, Anglorũ ſcholam, hoſpitale Thomæ dictam, incendio conſumptam inſtaurari curauit. Quotannis trecentas auri libras eò miſit: quas in tres partes diſtributas unam ad luminaria Petri, alteram ad Pauli, tertiam pontifici elargitus eſt. Decimam regni ſui partẽ pro ſalute animæ ſuæ ſacerdotibus & monachis contulit, anno Domini 854.

Cum in epiſcopatu & regno uiginti annos exegiſſet, inter uiuos eſſe deſiit. Baleus Centuria 2, cap.20.

SVITHVNVS.

Suithunus in ſchola Ventanæ eccleſiæ inſtitutus, magnam ſibi comparauit eruditionis laudem. Etheluuolphi regis præceptor, monachus & epiſcopus Vintonienſis fuit. Mortuus eſt anno Domini 862, cum 45 annos in epiſcopatu exegeſſet. Baleus Centuria 10, cap.28. Vuilhelmus lib.2, cap.2. de Anglis. Ranulphus lib.5, cap.30.

DVMBERTVS ET DVNEuuolphos.

Hi duo ſibi inuicem in Vintonienſi eccleſia poſt Suithunũ ſucceſſerunt, & poſtre-

mus ex subulco ab Alphredo rege in scholas missus, uir doctus & episcopus euasit. Rainulphus lib.5.cap.32.& lib.6.cap.3.

DE MONACHIS.

Monachi Asiatici.

GEORGIVS ET FELIX.

GEorgius & Felix monachi de Israel, à Thoma patriarcha Hierosolymitano munera offerunt Carolo magno, & ab eodē ampla præmia reportant. Annonius lib.4. cap.93.de Francis.

IOANNICIVS.

Ioannicius in prouincia in Bithynię, in uico Marycati ex patre Myritzicio, & matre Anastasia natus, in puericia pascit porcos, in iuuenili ætate fit miles, & inter excubitores fortitur locum: & probat sententiam Iconomachorum, & damnat imagines.

Sub Irene & Constantino constituitur dux exercitus: & transiens per Olympum, à monacho quodam persuadetur, ut imagium cultum approbet.

Post annos sex, cū Bulgari Thraciā popularentur, & strenuè ac fortiter in bello sese gessisset, Imperatorq; eum in numerum suorum procerū referre institueret: ipse errore deceptus, quasi sibi peccatū illud quod imagines contempsisset, expiandū esset uita eremitica & monastica, renunciat officio ac honori suo: & ex militia, in qua annis 24. fuerat, discedit in solitudinem Olympi.

Cum uenisset ad Agaurorum monasterium, in consilium adhibet Gregorium abbatem, eique suum animum aperit. qui illū in monasteriū Vtotelas ducit: in eo cū literas didicisset, ascendit ad Antidij cœnobium: ubi duos annos cōmoratus, didicit 30 Psalmos Dauidis. Ac postea in uicū Helleponti abijt, & tres totos annos in silentio exegit, à pastore quodā uicino pane & aqua nutritus. Inde Continiam uenit: ubi cum duodecim absoluisset annos, monitus à cacodæmone, abiit ad Eriste monasteriū, ac induit habitum monasticum sub Stephano abbate: & in Critama sese ligat catena sex ulnas, longa. Post annos tres iterum enthusiasmo correptus, migrat ad Chelidonem, & sub Georgio ediscit totum Psalterium Dauidis. Post annos tres redit ad Antidii cœnobium, atq; inde ad montes Prusensiū abijt, & templum ac monasterium in honorem Mariæ condidit: ibiq; aliquādiu uersatus ut homo inquietus & superstitiosus, in monte Thraciæ cōmigrauit: inde ad monte Corui expaciatus, tādē redit ad Antidij monasteriū.

Scripta.

Scripsit ad Methodiū, eumq; monuit, ne ad communionem admitteret eos, qui non ueram orthodoxā amplecterētur doctrinā.

Opera.

Coluit deos alienos: adorauit Theophanis tabernaculum in Sigriana regione. multa templa extruxit & dedicauit. Enthusiasta & phantasta fuit, & Petrum quēdam abbatem in cœlum ferri uidit.

Valetudinem suam ieiunio læsit.

Certamina.

In mōtibus Prusensium Gurias, qui eius inuidebat hypocrisi & honori, uenenum illi propinat. quo necatus esset, nisi Eustathius martyr, seu diabolus potius, in somnis illi apparens opem tulisset.

Certamen ei fuit cum Antonio de imaginum cultu, ac tandem illum in suum errorem attraxit. Tempore Methodij simili more multos ciues Constātinopoleos imbuit

Epiphanius monachus ex inuidia arbores inflāmat, sperans eo incendio Ioanniciū interiturū: sed ille præscius futuri, secedit. Epiphanius ad dicendā causam inuidiæ suę uocatus, uirga acuta & ferro munita, uentrē illius uerberat.

Dona.

Donū prophetiæ etiā illi attribuit. Narrat enim, illū Nicephoro prædixisse diē obitus. & de Stauratio interrogatus, nū diu superstes futurus esset in regno? respōdit, Res est in acie nouaculi. Eustratio etiā scisciātati de Leonis uita, prædixit illius interitum. De Methodij etiam uaticinatus est episcopatu.

Et eijciendj dæmones facultatem habuit. Nam mulierem quandam ab ijs uexatam curauit, & in sese dæmones irritauit & uicit: ac puerum quem ad præcipitium noctu ducebant, ijs eripuit: antraq; quædam à dæmonibus purgauit.

Et curandi & inferendi morbos donum se habere finxit. Nam senatoris filium ægrotam sanat, & imaginum cōtemptorem oculis priuat. Eustratium absentem, in somnis illi apparens, grauissimo morbo liberauit.

Miracula.

Multa mirabiliter illi accidisse Metaphrastes fingit: ut quòd sicco pede aquam transierit, quòd templum Ioannis apertis portis illum sponte admiserit: quòd cogitationes libidinosas, à puella quædā collum eius amplexāte, in sese deriuarit: ac postea draconi se obiecerit, cuius attactu ei ademptus sit omnis libidinum æstus: quòd lapidum acer uos commouerit, recitatione Psalmorum Dauidis: dracones & serpentes occiderit: quòd orans in altum eleuatus pepēderit in aere: quòd amissam uirgam oratione impetrarit, per aerem ad sese reuerti: quòd captiuos ex carcere liberarit, quòd inuisibilē sese reddiderit: quòd ad cognatū suū noctu

in

in carcerē uenerit, eumq; cū socijs eduxerit: quæ quidē omnia testantur, cū fuisse magū.

Curriculum.

Quinto anno Imperij Michaelis, qui fuit Domini 861 tertio Nouembris obijt. Metaphrastes tomo 5, in uita eius.

THEODORVS.

Theodorus frater Teophanis, in Moabitide regione Palestinæ alicubi natus, in monasterio Sabæ à presbytero instituitur in artibus & monasticis disciplinis: in quibus cum profectum mediocrem feciſſet, ordinatur presbyter in eodem cœnobio.

Scripta.

Edidit aliquot libros de imaginum adoratione. Scripsit etiam epistolam de crudelitate Theophili in se & fratrem suum, quæ extat apud Metaphrasten to. 5. in uita eius.

Doctrina eius.

Imagines colere & adorare censuit ingēs opus esse pietatis, & indicium nostri in Christum desiderij & confessionis de eius humana natura.

Mariam in afflictione sua inuocat, & abipsa petit auxilium.

Opera.

A patriarcha Hierosolymitano missus, Leonem Imperatorem grauiter obiurgauit, quòd imaginum adorationē prohibuisset. ac nugatus est, eam ob causam Saracenos potiri uictoria aduersus Romanos: & conatur rationibus suam sententiam confirmare, & Imperatoris refellere. sed cum parum se proficere animaduerteret, suis sæuis dictis & fulminibus uerborum Imperatorem protelare instituit. Quibus ille exacerbatus, eum unà cum fratre eius Theophane flagris cædi, & in exilium deportari iussit. Mortuo Leone reuertuntur Constātinopolim, ac à Michaele, & postea à Theophilo iterum affligun-40 tur, propter peruicacem defensionem idololatriæ imaginum, & in Aphusiam insulam deportantur. Sed inde reuocatis in faciem lambi inscribuntur, quibus falsę doctrinæ & apostasiæ insimulantur: & denuò Apameam Bithyniæ reducuntur, ubi in carcere Theodorus expirat. Metaphrastes tomo 5, in uita eius.

Monachi Europæi.

PLATO.

PLato abbas Sacundionis, seu Saccidionis, fuit uir integer & constans in religione: & diligenter sibi cauit, ne communicaret peccatis alienis. Quare cum Tarasius Cōstantinum Imperatorē, qui repudiata, & in monacham attonsa coniuge, aliam duxerat, recepisset ad cōmunionem: & præcepisset Iosepho cuidam abbati, ut sua uice Theodaten nouam nuptam Constantini corona-60 ret Augustam, molestè ac acerbè tulit ira labefactari disciplinam Ecclesiæ, & loco suæ confessionis à Tarasij communione recessit, apertè præ se ferens, non matrimonium esse principis, sed adulterium. Accusatus apud Imperatorem, in carcerem Palatinum conditur, & collegæ ac monachi eius in exilium Thessalonicam relegantur. Sed mater Imperatoris eum defendit, ne interficiatur. Zonaras tomo 3, & Paulus Diaconus lib. 23. in uita Constantini. Postea cum Nicephorus ad Imperium uenisset, & mortuo Tarasio ecclesiasset patriarcham Nicephorum quēdam, locretarium suum, hominem laicum, cœpit rum cum alij suis socijs sese opponere ection, propterea quòd contra canones esset, neophytum & laicum, scientia rerum sacrarum uacuum, designare episcopum. Imperator id ægrè ferens, congregat Synodum quæ in gratiam sui domini damnat illum exilio adiudicat, uim suam obtinente calu nia, quòd ipse eam dignitatem affectasset deoque quia sibi non cōtigisset, turbas ista excitasset. uerùm Zonaras negat Imperatorid decretum esse executum, in carcerem tamen denuò abditus est cum suis assensoris in eo usque ad Michaelis Rangabis Imperi detentus: ac tandem facta reconciliatione cum Nicephoro, dimissus est. Zonaras tomo eodem.

THEODORVS.

Theodorus abbas monasterij Studiensis frater Iosephi Thessalonicensis archiepiscopi, à Nicephoro Imperatore in carcerem conie-ctus, ob dissidium de ordinatione Nicephori patriarchæ excitatum: tandem à Michaele liberatur, instituta reconciliatione. Zonaras to. 3.

Monachi Italiæ Cassinenses.

GISVLPHVS.

GIsulphus ex nobili familia ducum Beneuentanorum ortus, constituitur abbas Casinensis in ordine decimus tertius, anno Domini 797.

Coluit Deum alienum Maosim. Nam in germani honorem ecclesiam condidit: & Benedicto, Martino, Michaeli & alijs fictitijs numinibus altaria fecit. Monasterij ecclesiam renouauit, pluresque cellas extruxit, in quibus ignaui & libidinosi porci saginarentur.

Doctrinam dæmoniorum de interdictis nuptijs, non modò approbauit, sed reipsa obseruauit.

Regna huius mundi, & gloriam eius, ob adorationem Satanæ accepit. Nam demeritatos reges & nobiles Beneuentanos urbibus, agris, domibus, & alijs bonis emunxit.

Cum annis 21 præfuisset, abijt ad fratres suos,

suos.19.Calend.Ianuarij.Hostiensis lib.1.capite 19 & 20.

APOLLINARIS.

Apollinaris successit in abbatis munere, anno 818.ac ea gessit,quæ mancipium Antichristi decebant,superstitiones & errores propagando, doctrinam dæmoniorum exercendo,deos alienos colendo,ac regna huius mundi & gloriam eius acquirendo. Hinc est quod Leo Hostiensis commemorat,quæ bona ab Arniperto Compano,& a lijs, huius abbatis tempore sancto Benedicto sint oblata.

Vidit Deum,per Saracenos in Siciliam irrumpentes,signa iræ suæ proponere aduersus idololatriam & impuritatem monasticam:sed securus,in utramuis aurem dormijt.

Radelchi Campsano comiti persuasit, ut in suo monasterio cathena ceruicetenus uinctus,cædem Grimoaldi expiari incepret,ac finxit signum mendax, quasi diabolus illi pœnitentiam tam asperam inuidēs, noctu uociferaretur, Heu heu Benedicte, cur me ita persequeris?nō sufficit tibi, quòd hic me expulisti: quid & fideles meos tibi undique uendicare non desinis?

Lirin fluuium,cum naue careret,sicco pede miraculosè transisse narratur.

Annis undecim præfuit,tempore Paschalis & Eugenij pontificum. Obijt 5. calend. Decembris. Leo Hostiensis lib.1. cap. 21. 22. 23.in Chronico Casinensi.Post mortem diabolus eius larua abusus, apparuit Bassacio abbati.lib.eodem,cap.29.

DEVSDEDIT.

Deusdedit,decimusquintus abbas,Sicone principem emunxit bonis suis, uana persuasione de salute per Benedictum. Sed filius eius Sicardus, ut illa recuperaret, abbatem carceri inclusit: in quo etiam perijt. Leo Hostiensis libro eodem, capite uigesimoquarto.Bergomensis dicit, eum ob eruditionem clarum fuisse, & multa scripsisse, libro 11.

Sortitus est successorem Ildericum, qui post dies septendecim inter uiuos esse desiit.

AVTPERTVS.

Autpertus decimusseptimus abbas,scripsit nonnulla opuscula & sermones. A' Lothario Francorum rege impetrauit confirmationem bonorum omnium, quæ hactenus cœnobio Benedicti superstitiōe & fraudibus erant acquisita. Persuasit etiam alijs quibusdam, ut ad cultum Dei Maosim sua bona profunderent. Præfuit annis tribus. Leo Hostiensis libro eodem, capite uigesimoquinto.

BASSACIVS.

Bassacius decimusoctauus Casinensis abbas,uestigia suorum maiorum secutus, superstitione auxit bona sui cœnobij. A' Gontario abbate Modesti,ecclesiam sanctæ Mariæ cum bonis suis ab Autperto abalienatam,redemit. A' Nicolao pontifice priuilegium accepit. Cultor deorum alienorum fuit.Nam cum à Saracenis immineret periculum monasterio eius,cum monachis Benedictum inuocauit: & in somnis ab Apollinari abbate oraculum tulit, de Benedicti præsenti auxilio. Leo libro eodem, capite 26 & 29.

Ludouico imperatori supplices libellos obtulit,quibus petijt ut in Italiam ueniret, & à Longobardorum Saracenorumque iniurijs se & suos liberaret: quod etiam impetrauit circiter annum Domini 851. Capite trigesimoprimo.Ac postea cum iterum afflige retur à Saracenis Italia, in Franciam ad Ludouicum redijt: eumq; exorauit, ut secundò hostes propulsaret. capite 32. Ecclesiam Saluatoris & altaria renouauit. capite 33. Præfuit annis 19.

BERTHARIVS.

Bertharius discipulus Bassarij, fuit homo doctus,& scripsit tractatus, sermones & uersus in laudes sanctorū. Ité περιπέμενον de plurimis ueteris & noui Testamenti quæstionibus. Et libros aliquot de grammatica.Duos libros de medicina collegit:& uersus ad Angelbergam Augustam,aliosque amicos edidit.

Auro,argento, & hymnis coluit deos alienos . Codicem Euangeliorum auro & gemmis ornauit.Calicem aureum & alia uasa sacra fabrefieri curauit. Monasterium muro cinxit, & bona illa artificijs superstitionis auxit.Seodam Saracenorum ducem tribus millibus aureorum placauit. capite 37. Ludouicum tertiò in Galliam euocatum, excepit cum pompa, & emunxit argento. capite 38.

Certamen ei fuit cum Capuanis, & pontifice Romano,de episcopo coniugato.capite quadragesimotertio.

A' Saracenis monasteriū occupantibus, ad altare Martini trucidatur, anno Domini 884.cap.46.cum præfuisset annis 27. mensibus 7. tempore Nicolai, Adriani & Ioannis octaui pontificum.Leo lib.eod.cap.35.

ANGELARIVS.

Angelarius ex præposito fit abbas uigesimus, is cum monachis suis Teanum fugit, cœnobio Casinensi à Saracenis direpto & incenso: ac post biennium opera Stephani quinti & Formosi pontificum, & principis Beneuentani auxilio, monasterium Saluatoris instaurat. Leo libro eodem,capite 48.

Mendicatione & superstitiose bona quædã acquisiuit suo cœnobio, capite 49. Tandem Theanensis episcopus designatus est, cum præfuisset abbatiæ annis sex.

RAGEMPRANDVS.

Ragemprandus 21 abbas, bona cœnobij auxit, infatuando nobiles, ut spe uitæ æternæ redimendæ, in S. Benedictum essent liberales. Priuilegium à Ioanne nono pontifice petijt, & accepit. Anno eius septimo Teanense cœnobium, iusto Dei iudicio contra superstitiones, conflagrauit, unà cum regula Benedicti manu exarata, & priuilegijs, & donationum formulis: libro eodem, capite 50 & 51. Præfuit annis nouem, mensibus decem.

CONSTANTINVS.

Constantinus natione Afer, monachus Casinésis, Latinè, Græcè & Arabicè doctus, philosophiæ & medicinæ potius quàm Theologiæ operam nauauit. & scripsit dietas uniuersales libris 5. dietas particulares libris 3. de ponderibus medicinalibus libro uno, de urinis libro uno. Claruit circiter annum Domini 890.

Monachi Galliæ.

HILDVINVS.

Hilduinus in philosophicis studijs exercitatus, uersib. & soluta oratione scribendis æquè industrius, uitæ monasticæ addictus, abbas ad S. Dionysium Parisijs factus, in aula Ludouici archicapellani officium sortitus est.

Scripsit ad Ludouicũ utroq; genere styli, uersu & libero sermone, uitam Dionysij lib. 2. & alia quædam. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, & Spanheimẽsis de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Erroribus pontificijs de cultu reliquiarũ, & humanis traditionibus, & de nuptiarum interdicto plenus fuit.

Inspectorem plurium monasteriorũ, ex Ludouici gratia, & auaricia sua, egit ut cœnobij nobilis in prospectu urbis Suessonũ, & Vincentij in suburbano Parisiorum. Annonius lib. 4. cap. 113. de Francis.

In conuentu Vuormaciensi Ludouici & episcoporũ decretum promulgauit, quòd omnibus liceat in uniuersis parochijs titulos ad sese pertinentes, cum episcopi assensu proprijs presbyteris commendare. Epistola Rabani ad Otgarium.

Fuit cultor deorum alienorum. Nam monachos ad Eugenium pontificem misit, & ossa Sebastiani martyris amplis muneribus ab eo redemit, quæ ad urbem Suessonum in basilicam Medardi reposuit, ut signis mendacibus superstitionem confirmarent: anno Domini 825. Sigebertus & Vrspergensis.

Interfuit consecrationi cœnobij Hirsaugiensis, anno Domini 838. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi.

Carus fuit Imperatori Ludouico, cui etiam dedicauit suos libros de Dionysio. Sed postea contra eundem filios suos excitauit, unà cum alijs. Auentinus 4 Annalium. Rabanus ei commentarios suos in 4 libros Regum inscripsit.

EBOLVS.

Ebolus, seu Ebulo, Gosino in abbatia Pirisiensi successit. bellator strenuus fuit, & in Aquitania in expugnatione castri cuiusdam lapide ictus perit: anno Domini 893. Regino libro secundo. Annonius libro 5. capite 41, de Francis.

HILDVINVS II.

Defuncto Ebroino abbate, successit Hilduinus secundus, anno Domini 858. Annonius lib. 5. cap. 20. de Francis.

MILO.

Milo natione Gallus, monachus S. Amandi, laruam Benedicti gerens, scripsit carmine ad Carolum Caluum de sobrietate lib. 1. & uitam Amándi lib. 1. & epistolas ad diuersos lib. 1. Claruit sub Carolo Caluo, anno Domini 879. Sigebertus, Spanheimensis, & Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, Platina, Sabellicus Enneadis nonæ lib. 1.

HVGBALDVS.

Hugbaldus natione Gallus, nepos & discipulus Milonis monachi ad S. Amandum in Eluonensi cœnobio laruam Benedicti induit, in poesi, philosophia & musica exercitatus. Scripsit 136 uersus, in quibus omnia uerba ab una litera incipiunt, de laude calorum, ad Carolum Caluum. & de arte musica lib. 1. Gesta Lebuini lib. 1. Epistolarum lib. 1. Vitas sanctorum, & cantus in honorẽ eorum, dulci & regulari melodia composuit, circiter annum Domini 890. Trithemius de Scriptoribus. Sigebertus meminit eius in anno Domini 879.

MICO.

Mico monachus Richarij, uir doctus, utroque genere styli uales, scripsit librũ diuersorũ Grammatũ lib. 1. & excerpta poetarum, & ænigmata. Claruit circa annũ Domini 860. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi.

Epternacenses.

ADO.

Ado quartus abbas Epternacẽsis, prius fuit annis uiginti sub Carolo Magno & Ludouico: obijt anno 817.

SIGOALDVS.

Sigoaldus Spoletinæ urbis episcopus, ex auaricia abbas etiam factus, annis nouem

nouem præfuit, & moritur anno 827.

THEODGAVDVS.

Theodgaudus, cum quinq; annis eã administrasset functionem, Treuerẽsis archiepiscopus designatus est, ut uidetur, anno Domini 832.

HETTINVS ET HIERONYMVS.

Hettinus Treuirensis archiepiscopus, Esternacensi abbatiæ profuit annis sex, sub Ludouico Pio, usq; ad annum 838. Quem secutus Hieronymus, abbatẽ egit usq; ad annum Domini 857.

ADELARDVS.

Adelardus comes Lotharingiæ canonicos introduxit, eisq; præfecit Hilrgerũ prępositum, & postea Guntranũ. Sedit annis 9. sub Lothario Imp. usq; ad annum 856.

HATTO.

Hatto simul episcopum & abbatem egit annis octo, eo tempore quo Lotharius fuit à Nicolao excõmunicatus, & Theodogaudus depositus, anno 864.

REGINERVS ET CAROLOMANNVS.

Reginerus septem annis, & Carolomannus Caroli Calui filius oculis ob desertionẽ uitæ clericorum priuatus, itidem septem præfuit.

ADELARDVS II.

Adelardus secundus, comes & abbas, un decim annis. Et Robertus Lotharingiæ comes, tribus annis: Rabodo archiepiscopus Treuirorum quatuor, usq; ad annum Domini 896. præfuerunt. Bruschius in Chronologia.

Corbeienses.

PASCHASIVS, RATBERTVS.

PAschasius abbas Corbeiensis, Græcè & Latinè doctus, scripsit de Sacramento altaris ad Ratbertum Placidum lib. 1. uitam Adelhardi lib. 1. In Threnos Ieremiæ lib. 1. & quædam græca latina fecit. Trithemius de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Eius tempore mota est quæstio à Fredeuardo equite aurato, de cœna Domini, an uerè corpus & sanguis Christi, quod ex Maria natum esset, & in cruce pependisset, & effusus esset: aut non uerè, sed figuratè & typicè in cœna Domini exhiberetur. Ad hãc quæstionem respondet satis benè in suo libro, ac demonstrat iuxta uerba Christi, uerè corpus & sanguinem exhiberi, sed tamen non physico more, ut Capernaitæ somniabant, uerùm modo insensibili. Inquit enim: Quapropter ô homo, quotiescunque bibis hunc calicem, aut manducas hunc panem, non alium sanguinẽ te putes bibere, quàm qui pro te & omnibus effusus est in remissionem peccatorũ: neq; aliam carnẽ, quàm quæ pro te & pro omnibus tradita est, & pepẽdit in cruce: quia sic ueritas testatur, Hoc est corpus meum quod pro uobis tradetur. & de calice: Hic enim sanguis meus est, qui pro uobis effundetur in remissionem peccatorum. cap. 43 & 44. Videtur ergo Bertrami librum, qui eodem tempore ad eandẽ quæstionem responderat, legisse, & quædam ab ipso minus benè dicta quasi corrigere uoluisse. Baleus Centuria 2. cap. 27. in Appendice, ex Tisingtono contra Vuiclefum.

Claruit circiter annum Domini 890. sub Carolo Caluo Imperatore.

BERTRAMVS.

Bertramus monachus & presbyter alicũ bi in Gallijs, uir ingenio & doctrina clarus.

Scripsit de prędestinatione lib. 1, & de corpore & sanguine Domini lib. 1. Collegit sua ex alijs patribus: ut ex Augustino, Isidoro, Ambrosio, Hieronymo & Fulgentio, quos citat in libro dẽ corpore & sanguine Dñi.

De doctrina eius suprà est dictum. Rectè quidem sentit in cœna non fieri transubstantiationem, ut uocant: sed panem & uinum manere, & cum ijs inuisibiliter corpus & sanguinem Christi distribui, quæ non ratione & sensibus percipiãtur, sed fide accipiantur. Sed tamen interdum minus commodè loquitur, ut uideatur non uerum corpus & sanguinem Christi in cœna relinquere, sed tantum mysterium, signum, similitudinem & imaginem eius. ac ad esum corporis Christi male accõmodat dictum, Caro nihil prodest, spiritus est qui uiuificat.

Familiaris fuit Ioanni Scoto, ut Baleus indicat Centuria 2. cap. 24. Carolus etiã Caluus magni eum fecit. Quæstionem illam de cœna Domini motam, an uerum uel typicũ corpus & sanguis Christi exhibeantur, proposuit ipsi, ac responsum postulauit: ut patet ex præfatione eius.

Claruit sub Lothario, & fratre eius Carolo Caluo, circiter annum Domini 870. Trithemius de Scriptorib. & in Chronico Hirsaugiensi.

CHRISTIANVS.

Christianus, qui & Druthmarus dicitur, natione Aquitanicus, sed cõuersatione Germanus, monachus & presbyter Corbeiensis, Latinè & Græcè peritus. Scripsit ad monachos Stabulenses & Malmondarienses, in Euangelium Matthæi lib. 1. Sermones & homelias lib. 1. & in alios Euangelistas. Claruit sub Ludouico Pio, ut uidetur, anno Domini 830. Trithemius de Viris illustribus Germaniæ, & de Scriptoribus.

HEINRICVS.

Heinricus, seu Ericus, monachus Antisiodorensis, aut ex uicinia, heroico carmine uitam Germani sex libris comprehen-

sam Carolo Imperatori obtulit, anno Domini 877. Sigebertus. Scripsit etiam homilias lib.1. Sermones & epistolas plures. Claruit anno Dñi 880. sub Carolo Caluo & Crasso. Trithemius. Notus fuit Vualloni episcopo. Idem in Chronico Hirsaugiensi.

Prumienses.

TANCRADVS ET MARcuardus.

TAncradus, secũdus abbas Prumiensis, obijt anno Domini 829. sub Ludouico & Marcuardus uir astutia & hypocrisi clarus succesit, præcepto Caroli Ludouici filij: ut patet ex epistola abbatis Fuldẽsis ad eundem. Regino lib.2.

VVANDELBERTVS.

Vuandelbertus natione Germanus, ingenio & eloquentia clarus, in sacris & philosophia eruditus, utroque genere styli, uersu scilicet & oratione excellens, monachũ & diaconum egit in Prumiensi cœnobio: mancipium superstitionum pontificiarum. Scripsit ad Marquardum abbatem de uita Goaris lib.1. Et de miraculis eiusdem lib.1. Martyrologium meretricè lib.1. Claruit sub Lothario, anno Domini 850. Spanheimensis, & Trithemius de uiris illustrib. & in Chronico Hirsaugiensi.

EGIL.

Egil monachus Prumiensis, à Throtone Fuldensi abbate missus est Romam ad Nicolaum pontificem, ut Damasi librum de uitis pontificum adferret: ut patet ex epistola Throtonis ad Nicolaũ. Postea abbas in suo cœnobio factus est, anno Domini 853. Regino libro 2. Quod munus cum aliquandiu obijsset, spontè Ansbaldo resignauit, anno 860. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, & Regino lib.2.

ANSBALDO.

Ansbaldus abbas Prumiensis, in monastica disciplina frustra Deum colens, paucos ad Christum adduxit, mortuus est anno Domini 886. nactus succesorem Sarabertum. Regino lib.2. Chronicon Hirsaugiense.

ANGELOMVS.

Luxouiensis.

Angelomus sectator Benedicti in cœnobio Luxouiensi, uir eruditus Latinè, Græcè & Hebraicè, iussu Drogonis episcopi Metensis scripsit in libros Regum lib.4. & in Cantica lib.1. De diuinis officijs lib.1. Trithemius de uiris illustribus: & in Genesin, ut ipse testatur in 5 cap. libri 2 Regum. Scripsit uersus de argumento sui commẽtarij in libros Regum.

Stylus etsi nõ usq; adeò purus est, ut ipse agnoscit in præfatione, & in calce libri, tamen non est prorsus barbarus.

Fuit homo multę lectionis, ut appareat ex citationibus autorum. Nam passim meminit Ethnicorum scriptorũ, tum Græcorum: ut Herodoti, in 19 cap. lib.4. Regum: Homeri, Platonis, Socratis, in 1. ca. li.3. Regum. tum Latinorum, ut Virgilij, in 5 cap. lib.3. Reg. & Sedulij in 23 cap. lib.4. Reg. Et scriptorum Ecclesiasticorum, ut Iosephi cap.32. libri 2. Regum. Augustini, cap.7. libri 1. Gregorij pæ, cap.2. libri 1. Regum, Hieronymi, capit. 1. lib.3.

Diligenter contulit exemplaria Bibliorum Græca & Hebraica, ut apparet ex cap.1. libri primi Regum. Et uarias uersiones, ut Aquilæ, 18. capite, lib.4. Symmachi & Theodotionis, in 20 capite lib.4. Regum. Et tertiũ quis interpretis meminit, in lib.2. capite 5. Regum.

Occasionem scribendi in Genesin amici ei præbuerunt, & maximè Drogo: qui animarunt, ab alijs non esse plenè expositos libros Regum: & quosdam opinari, non alia in ijs contineri, quàm prælia regũ, & historias, ut patet ex præfatione.

De modo expositionis suæ in præfatione inquit: Iuxta iugitatem triplicis diuisionis studuimus primùm historicam, quæ gesta depromit, tangere: deinde allegoricá lignificationẽ, quæ ñdem ædificat, pandere: ad extremum quoq; mortalitatem, quæ uitá hominũ neſtam componit, subnectere. Plerag; ex allijs collegit, sicut in eadem præfatione fatetur: Sciendum est, quia quibusdam in locis totam sententiam, prout à doctoribus est expositа, digessi: quibusdã enim eorum sensum sequens, compendioso sermone multa inserui, & ex multis ad unum perduxi: quibusdam quoq;, quod in libris tractatorum non reperi, sicut a magistro aure accommodante didici, proprijs intuli uerbis. Nonnulla quippe, licet pauca, quæ legenti patent, stipulata exemplis propria inserere præsumpsi, & in libelli modum Christo duce finire decreui. Meliora monentibus sese iuuenire decreui. Meliora monentibus sese iuuenire decreui. Meliora monentibus sese iuuen

ritò operum tribuit iusticiam, & fidei unà cum operibus adscribit salutem, in 17 caput libri 4 Regum: quod repugnat sanæ doctri næ prophetarum, Christi & Apostolorum. Scripturę explicationem septiformem esse, prodigiosè demonstrat in præfatione.

Refutat etiam ueteres hæreses, ut Sabellij, Arij, Eutychij, Nestorii, & aliorum: in 13 caput lib. 1. Regum.

Claruit sub Ludouico, & Rothario, anno Domini 830. Trithemius

ALBERTVS.

Floriacensis.

Adrevaldus, seu Albertus monachus Floriacensis, scripsit de miraculis superstitiosis & mendacibus Benedicti, in id cœnobium furto trãslati, lib. 1. & alia. Claruit sub Arnulphõ, anno Domini 890. Trithemius de uiris illustribus, & in Chronico Hirsaugiensi.

ALMANNVS.

Almannus monachus & sectator Benedicti, in cœnobio Altuillarensi, utroq; genere stylj industrius, scripsit lamẽtationes de monasterij sui & Galliæ desolatione per Normannos, lib. 1. uitam Rinardi lib. 1. uitã Syndulphi lib. 1. uitam Helenæ augustæ lib. 1. & translationes eiusdem lib. 1. Fuit mancipiũ corruptelarum pontificiarum, de cultu imaginum & reliquiarum. Claruit sub Carolo tertio, anno Dñi 890. Trithemius, & Chronicon Hirsaugiense.

BONOSVS.

Bonosus custos gregis Dominici alicubi fuit: nam neq; de nomine loci, neq; de officio eius satis nobis constat. Fuit argutus disputator. Legit Rabani scriptum ad Humbertum, quota generatione matrimonia cõtrahere liceat: ac inde sumpsit occasionem cum autore conferendi, ac opposuit ei, quòd ista neteri quidem testamẽto, sed non huic tempori & religioni conuenire uidentur quæ ab eo scripta essent. Quare Rabanus prolixa epistola ei respondet, tum de nuptijs, tum de altera quæstione, an magicis præstigijs & incantationibus, hominibus possit uerè noceri, uel non.

ADALVNGVS.

Adalungus abbas cœnobii Vedasti à Ludouico Romam ablegatus, ut cognosceret an uerus esset rumor, qui de Paschali pontifice ferebatur, quod consensisset in necem eorum qui partes suas defenderant: anno Domini 823. Annales Francorum, Auentinus 4 annalium.

Monachi Fuldenses.

RATGARIVS.

Ratgarius in Fuldensi abbatia successit Gãgolpho, anno Domini 789. fuit cultor alienorum deorum, & in honorem eorum tẽpla & cœnobia dedicauit, accusatus à monachis officium deposuit, cum præfuisset annis 16. Dñi 805 & priuatus in monte Mariæ uixit usq; ad mortem, quæ eum sustulit anno 826. Bruschius, & Muntzerus.

EYGILO.

Eygilo cognatus Stormionis, ex Norico oriundus, diis alienis templa struxit, & sibi sepulchrum suis manibus adornauit, mortuus anno 824. præfuit 19. Quem Rabanus secutus est. Bruschius de monasteriis, & Valentinus Muntzerus in Chronographia.

HATTO.

Hatto, seu Vualdo, filius ducis Francorũ Rabano surrogatur, anno Dñi 847, in cœnobio Fuldensi. fuit uir mediocriter eruditus. Scripsit aliquot epistolas ad Rabanum, ad Leonem papam, ad Bernhardum comitem Italiæ, ad Orgarum Moguntinum archiepiscopum, ad Ludouicum Imp. & alios.

Stipulas huius æui plurimas habuit, de peregrinatione uersus Romã, de principatu pontificis Romani, & similibus. In hoc tamen rectè sensit, quòd iudicauit neminem debere inuitum fieri monachum: ideo que Godeschalcum pronunciauit à uinculo illo immunem, cum probasset, se à Robano coactum suscepisse cucullam.

Fuit custos librorum. Sic uitam Bonifacii & epistolas pontificum de monasterii sui fundatione sedulò custodiit, ut ipse indicat in epistola ad Leonem.

Suos monachos Leoni commẽdauit, & bona sui cœnobii auxit, ut Mũzerus indicat.

Familiaris fuit Rabano, Otgario, Leoni & Ludouico, ac Bernhardo: cui omnia sua bona quæ in Italia habebat, cõmisit per epistolam. Contraxit amicitiã per literas cum Angilberto Mediolanensi episcopo, ut constat ex Thiedonis epistola ad Dodonem.

Præfuit annis 11. iuxta Munzerum: aut 15, iuxta Bruschium.

THIOTO.

Thioto, seu Thiedo, uir doctus, successit Hattoni. Scripsit aliquot epistolas, quas nobis uidere contigit, ad Benedictum papam. & ad Nicolaum pontificem, ad Carolũ Moguntinum, Adalgarium, Dadonem Mediolanensem episcopum.

Magnifecit peregrinationem ad loca sancta: coluit mortuos sanctos, Bonifacium, & alios. Fuit mancipium Antichristi: nimium enim laudat Romanam sedem, quòd ab omni hæresi semper immunis fuerit.

Librorum aliquam curam gessit. Nam à Nicolao papa Damasum de pontificum uitis petit, in epistola.

A Ludouico Romam ablegatus ad Nicolaum, honorificè exceptus est. Festum Bonifacii celebrauit. Pro malefico quodam, qui

confugerat ad Bonifacij sepulchrum, intercedit ad Ludouicum: & pro Albino, qui inscius uulnus inflixerat Carolo, Nicolaum deprecari petit. Porticum fabrefecit.

Cum annis octo præfuisset, accusatus est de contemptu mandatorum regis: eamque ob causam dignitate priuatus, & paulo pòst mœrore extinctus est, anno Domini 869. Bruschius.

SIGENHARDVS.

Sigenhardus succesit Theodoni iussu Ludouici. Scripsit epistolam ad Gebehardũ episcopum, & ad Luitpertum archiepiscopum Moguntinum, quę non satis latina est. Vt monachi sacras literas discerent, & regulam suam obseruarent, diligenter prouidit. Architectum lapidei pontis & aliorum ædificiorũ egit. In Boiemos unà cum alijs Francis exercitum duxit, & collatis signis uictoriã quidem adeptus est: sed multos ex suis desiderans, & commeatu destitutus, domũ regressus est. Auentinus lib. 4. annaliũ. Præfuit annis quinq;, mortuus 874. Bruschius & Munzerus.

HOIGERVS.

Hoigerus, seu Hugo, præcedenti surrogatus, fortem bellatorem egit aduersus Normannos. Coluit deos alienos. nam feretrũ, in quo erant Bonifacij reliquiæ, auro, argento, & gemmis exornauit. Præfuit annis 26. Munzerus & Bruschius in Chronologia. obijt anno Domini 900.

RVDOLPHVS.

Rudolphus monachus & presbyter Fuldensis, uir literatus, & bonus poeta, scripsit epistolam ad Otgarium Moguntinum archiepiscopum, & aliam ad Theodoricum.

Dicit, Christum tantum ob fornicationem admisisse diuortium: ac monet Otgarium, ea in re dissidentem à Romano pontifice, ut abiecto errore, ad unitatem Ecclesiæ reuertatur.

Theodorico misit uascula potatoria, ad sui memoriam renouandam. Mortuus est anno Domini 865.

Augienses.

STRABVS.

STrabus natione Germanus, seu ut Bergomensis & Vincentius uolũt, Gallus uel ut Baleus autumat, Anglosaxo, Bedæ cõsanguineus, Albini & Rabani abbatis discipulus & notarius, uir in omni scientiarũ genere excellens, tandem Augiensis abbas factus est, iuxta Hermannũ Cõtractum. Scripsit in Genesin lib. 1. In Exodum lib. 1. In Leuiticum lib. 1. Chronicon Hirsaugiense incæpit, quod postea alij continuarunt. Et in Numeros lib. 1. In lib. Regũ lib. 4. In Iudith li. 4. In Hester li. 1. In librũ Sapientiæ lib. 3. In Ecclesiasticum lib. 10. In Ieremiam lib. 1. In Machabęos lib. 3. super Actus apostolorũ li. 1. De officio Ecclesiæ lib. 1. Ad Ludouicũ Imp. lib. 1. Bergomensis lib. 11. In apocalypsin li. 1. Homelias lib. 1. Baleus Centuria 13 cap. 9. Imitatus est Bedam, Haymonem & Rabanum: sed breuius omnia tractauit, quàm illi.

Primus cœpit glossam ordinariã in sacra Biblia, ex patrum commentarijs colligere, & conscribere. Claruit sub Ludouico circiter annum Domini 840. Trithemius de uiris illustribus, & in Chronico Hirsaugiensi, Martinus in Chronico annum 850. assignat. Sed Hermannus. Contractus eum anno Domini 849. obijsse scribit.

VVETTINVS.

Vuettinus monachus Augiensis multas uisiones habuit, quas edidit. Claruit sub Ludouico, anno Domini 828. iuxta Vrspergensem. Mortuus est anno Domini 838. iuxta Baleum Centuria 2, in Appendice, capite duodecimo.

RVTHARDVS.

Ruthardus auditor & discipulus Rabani & Strabi, monachus Hirsaug. uir doctus, & utroque genere styli exercitatus, primus in cœnobio suo diuinas scripturas & seculares literas, more Fuldensiũ legere cœpit: in magna auditorũ frequentia. Ludouico Imp. postulanti, ut post Haymonem Halberstadensem suscipiat episcopatum, respõdit: Dabo episcopatũ alteri, qui sit idoneus: ego quietę uitæ regularis, & studium Scripturarũ, omnibus diuitijs & honoribus mundi incomparabiliter duxi præferendam.

Scripsit passionem Bonifacij heroico carmine lib. 2. Primus commentarios fecit in regulam Benedicti. Scripsit de musica, geometria, arithmetica, & cæteris artibus plura opuscula. Familiaris fuit Otfrido, Hermondo, Notgerio. Mortuus est anno Domini 865. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi.

LVIDBERTVS.

Luidbertus, uir nobilis, frater Brunonis abbatis Hirsfeldensis, à Rabano ad Erlafridum comitem missus, primus abbas Hirsaugiensis constitutus est, anno Domini 838.

Non Christi doctrinam, sed Benedicti traditiones propagauit: & monachos ad cœlibatũ, iuxta cacodęmonũ hæresin obligauit. Deos alienos, hoc est, mortuos Sanctos coluit, baalismum instituit: & mercedem idolatrię, regna huius mundi & gloriam eius uenatus est, emungens argento & bonis nummatiores homines, uana persuasione, summum Deo præstari cultum liberalitatis in sanctos mortuos & seruos eius.

Præfuit annis sedecim: mortuus est sub Lothario, anno Domini 854. ætatis suæ anno 76.

no 76. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi.

GERVNGVS.

Gerungus in Fuldensi cœnobio præceptorem habuit Strabum, & audiuit Rabanum, ac in literis plurimùm profecit. Cum Luidberto in Hirsaugiense cœnobium uenit, ac ei mortuo per legitimam electionem & ordinationem suffectus est, anno Domini 854.

Etsi autem literarum sacrarum aliquod studium habuit tamen ad traditiones Benedicti suos assuefecit: & stipulas illas pontificalis de operum meritis, de sanctorum intercessione & inuocatione, de missis & similibus nugis, super fundamentū fruſtra & inutiliter coaceruauit.

Auariciæ studuit, & plura bona cœnobio isti acquisiuit fascinatis opulentioribus.

Strabus ei dedicauit librum de arithmeticis dimensionibus, appellans eum reuerendissimū meritò patrem, ætate filium, litera discipulum, gratia magistrum. Præfuit annis 32. & moritur anno Domini 885. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi.

REGINBODO.

Reginbodo natione Bauarus, ex nobili familia ortus, ab ineunte ætate bonis præceptorib. usus, euasit uir doctus in omni scientiarum genere. Canonicus in Constantiensi Ecclesiā factus, cumulandis nummis & alijs studijs non bonis occupatus est ad tempus: tandem conscientię stimulis excitatus, cum falsò opinaretur cucullā monasticā omnia peccata delere, Hirsaugiam uenit, & laruam Benedicti induit, sub Gerūgo abbate ac quieti sese tradidit, uacans orationi & lectioni sacræ Scripturæ. Mortuo Gerungo à monachis constituitur abbas. In eo munere fecit, quæ par erat.

Discipulo instituit, & scholæ cœnobij Richbodonem presbyterum præfecit.

Sanctos mortuos coluit. Nam cum Eduuidus tyrannus monasterium eius infestaret non à Deo, sed ab Aurelio petijt opem. Liberalis in pauperes fuit, & ieiunijs sese macerans, suum demensum alijs distribuit. Cum nondum sex annis eo munere perfunctus esset, id resignauit, & reliquum tempus uitæ uigilijs, ieiuniis & aliis contriti cordis exercitijs consumpsit, uana opinione deceptus, quasi eo modo possit sua delicta expiare, & uitam æternam promereri. Interrogatus aliquando à fratribus, quare sese adeò affligeret, qui tamen nullum enorme peccatum in religione commisisset: respondit: Etsi gratia Dei me protegente, ex eo die quo monachus factus sum, nullum enorme peccatum (sicut dicitis) commisisse me memini, multa tamen interea boni operis exercitia negligenter omisi: & ex eo maximè tępore, quo abbas esse cœpi, maioribus me negligentiis inuolui. Afferre enim plures negligentias, quàm uirtutes, nostris diebus prælatura consueuit. Oportet ergo nos fratres, quamdiu uiuimus, pœnitētiam agere, & usq; ad mortem à bonis operib. non cessare. Trithemius in Chronico Hirsaug.

HARDERADVS.

Harderadus, ex honestis parentibus in Frācia natus, in adolescentia in Hirsaugiensi cœnobio institutus, fuit adeò placidis moribus, ut ab omnibus alter Placidus uocaretur. Cum autem in monastica hypocrisi & literis multum profeciſſet, scholæ in eo cœnobio cōstitutus est gubernator: & post biennium, licet uix haberet annos ætatis triginta, abbas & successor Reginbodonis eligitur, anno 890.

Vt monachi in sacris & philosophicis studiis exercerentur, curam adhibuit mediocrem. Nam scholæ præfecit Luithelmū doctissimum monachum: unde plures episcopi & abbates prodierunt.

Pro deo suo, nimirum S. Aurelio, ualde solicitus fuit: eumq; in testudinem subterraneam abdidit, unà cum aureis calicibus & thesauris Ecclesiæ, ne à Normannis, qui à Deo missi erant, ut deos istos alienos exaltarent & probarent, uim aliquam pateretur.

Interfuit Synodo Triburiensi, unà cum multis aliis episcopis & abbatibus.

Abbatiam administrauit annis 28. mortuus anno Domini 918. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi.

Campidonenses.

AGAPITVS.

AGapitus de Duro cornu, abbas Campidonēsis, añ. Domini 719 electus, collegit insignē bibliothecā, quæ ex negligētia per cādelā accēsa cōflagrauit. unde ille mœrore animi extinctus est, anno Dñi 817. Cum præfuisset annis 21. Brusch. in Chronologia.

GOTHARDVS.

Gothardus Kaltenbergius Aquisgranensis, tertius abbas istius cœnobii, præfuit sub pōtifice Paschali 1. Eugenio 2. Gregorio 4. Valentino 1. annis 23. Fuit mācipium superstitionum & traditionum humanarū, & iaculator. obiit anno 840. Bruschius.

ADELBERTVS.

Adelbertus nepos Hattonis episcopi Frisingensis, eiq; in episcopatu successit: & sacra fame auri excitatus, abbatiā etiā Cāpidonēsem ambiuit & cōsequutus est. Hactenus abbates episcopi facti erāt: nūc uerò episcopi, opimiores abbatias cœperūt acqrere, & simul abbates & episcopos agere ppter uentē. Prefuit annis 11. obiit anno Domini 854.

CONRADVS DORN.

Conradus Spina nobilis de Kalbaugusta Adelberto succesit,homo superstitiosus & auarus. Condidit plurima templa & sacella:& fodiens puteum, inuenit arcam ferreã numismatibus aureis ac argenteis, ornamẽtisq; plenam,unde deum suum Maosin auctiorem & splendidiorem reddidit. Præfuit annis 7.obijt anno Domini 861.

GERVNGVS.

Gerungus Ambergus,uir magis strenuus & Martius,quàm religioni deditus, plerunque sedit in arce Heimertingensi:tres ministros sigillorum & diplomatũ corruptores curauit interfici.Præfuit annis undecim. Obiit 872.

LANDEFRIDVS.

Landefridus doctus quidem, sed non facundus, monetam cudit:& Campidonensem urbem cinxit muro, digna abbate opera præfuit annis 24.Obiit 892.

FRIDERICVS.

Fridericus Gremlichius Landefrido succesit,& doctrinam dæmoniorum de interdicto nuptiarum adeò obseruauit,ut ex nobili scorto,quod tam sancto uiro nõ erat turpe,tres filios susceperit.Hic uirum sese præstitit.Obiit uerò 910.Bruschius in Chronologia de monasteriis.

Schuuarzachienses.

BENEDICTVS.

BEnedictus primus abbas Schuuarzachiensis,eligitur à Megingando fundatore,anno Dñi 815.Bibliothecã instruxit per monachum Treutgarium.Præfuit annis 28.

MADELBERTVS.

Madelbertus à Gosboldo Herbipolensi episcopo abbas consecratur, anno Domini 843,Operã dedit ut eiusdem ordinis, Benedicti nimirũ,cœnobiũ puellarũ in uicinia institueretur,quo fratres haberent consolatrices in propinquo.Præfuit annis 24.

HARDOVIGVS.

Hardouigus sub Ludouico secundo præfuit.Arnto Herbipolensis episcopus eo tempore cœnobij illius ius & potestatem.S. Chiliano acquisiuit,donatione regis.

EBBO.

Ebbo præfuit sub Arnulpho, Ludouico tertio & Conrado primo. Familiaris fuit episcopo Herbipolensi Rudolpho, à quo pagos aliquot accepit ad cœnobii istius usum. Bruschius in Chronologia.

Ottenburrenses.

TOTTO.

TOtto comes Ilergouiæ, filius Sylachi fundatoris,abbas primus Ottenburæ cœnobii designatur, anno Domini 764. ac præest annis 53.

MYLO.

Mylo uir nobilis & hypocrita, succesit Tottoni, anno Domini 817.ac præest 47 annis.

NEODEGARIVS.

Neodegarius abbas ad episcopatum Augustanum translatus,cesit de omnibus bonis huius cœnobii.

VVIGGARIVS.

Vuiggarius abbas cõstituitur anno 864. & cum præfuisset 24 annis, Augustanus fit episcopus, anno Domini 888. & nihilominus cum episcopatu abbatiam administrat ad annos quatuordecim.moritur anno Domini 902.

EGINHARTVS.

Eginhartus natione Germanus, in aula Caroli magni enutritus, uir Latinè & Græcè doctus,in utroque genere styli exercitatus, magister epistolarum,seu à secretis Imperatori aliquandiu fuit:cui ipse tandem, cum uidisset eum noctu à filia sua in gyneceum deportari humeris, ne uestigia in niue animaduerterentur, filiam suam tradidit uxorem.

Mortuo Carolo circiter annum Domini 822.Ludouicus de eius consilio monasterium Salingstadii supra Moguntiam condidit:ipsumq;, qui uitã monasticam cæperat profiteri,pro istius seculi superstitione abbatem constituit.

Scripsit compendium Psalterii Gallicani, & plurimas epistolas in uariis negocijs & causis,cum in aula esset. De uita Caroli lib. 1.& historiam de gestis Germanorũ & Francorum lib.1. Trithemius de uiris illustribus, & in Chronico Hirsaugiensi.in uiuis adhuc fuit circiter annum Domini 840.

OTFRIDVS.

Otfridus natione Germanus, in Fuldensi cœnobio Rabanum audiuit: ac postea ad Vissenburgense monasterium transijt. uir in artibus,poesi,philosophia,legibus,sacris que eruditus & disertus. Exemplo Caroli Magni conatus est linguam Germanicam regulis Grammatices adstringere, & pedes numerosque in Germanicis uersibus obseruauit.

Scripsit in Euangelium opus insigne,item lo Grammatheotiscæ, lib. 5. Ad Ludouicum regem lib.1.ad Salomonẽ lib. 1. ad monachos sancti Galli lib. 1.In Psalterium lib. De iudicio extremo lib. 1. De gaudijs regni cœlestis lib.1.Carminum lib. 1. Epistolarum lib.1. Claruit circiter annum Domini 870. Spanheimensis de Scriptoribus Ecclesiasticis, Trithemius de uiris illustribus,& in Chronico Hirsau giensis.

Sangal

Sangallenſes.

VVERDO.

VVerdo ſacerdos laicus, abbas S. Galli ab Eginone epiſcopo conſtitutus, prę fuit 24 annis. obijt 811. Bruſchius in Chronologia.

VVOLFLERVS.

Vuolflerus monachus Sangallenſis, ad epiſcopatum Conſtantienſem adhibitus, illã etiã abbatiam ſibi per uim ſubiecit, & malè adminiſtrauit ad annos quatuor. Idem.

GOSBERTVS.

Gosbertus homo doctus, abbas Sãgallenſis conſtituitur ſub Ludouico Pio, anno Domini 816. ut monachi in literis philoſophicis & ſacris inſtituerentur, ſedulò effecit. bibliothecã collegit, bona monaſterij ſui mendicatione auxit, quæ ope Ludouici à Cõſtantiẽſibus epiſcopis recuperauit. Coluit deos alienos. nam ex humili cella Galli Baſilicam in honorem Othmari ſeptem annis fabrefecit. Cum annis 21 præfuiſſet, munus reſignauit, & quieti ſeſe tradidit.

BEREVVICVS.

Bereuuicus ſuccedit anno 837. Sed poſt annos tres à Ludouico Germaniæ rege exautoratur.

ENGELBERTVS.

Engelbertus à Lothario Ludouici Pij filio, anno 840. præficitur. Sed anno ſequenti à Ludouico fratre Lotharij pulſus, ſacellano eius locum cedit.

GRIMOBALDVS.

Grimobaldus ſacellanus Ludouici, munus illud ſuſcipit anno 841 & ſcholã celebrẽ habuit, in qua principũ & nobiliũ liberi operam literis nauarunt. Curauit multos libros ſcribi magnis ſumptibus. Bona monaſterij auxit largitione Ludouici. Templũ & abbatiam extruxit. Præfuit annis 31. obijt 872.

HARDMVNDVS.

Hartmũdus Rabani olim diſcipulus, Græce, Latinè, Hebraicè & Arabicè doctus, Grimobaldi adminiſtrator, Domino ſuo mortuo ſuccedit à fratribus electus, & à Ludouico Auſtraſiæ rege cõfirmatus, anno 872. Scripſit quædã ſuper Biblia, & Sermones, canones, hymnos & epiſtolas ad diuerſos. Trithemius de uiris illuſtribus. Cõmendatur ab eruditione, & librorum ac bibliothecæ cura. A Ludouico ſecundum Mecklungum, & à Carolo Caluo montem uictoris precariò ac munere abbatis in aulam uocatur à Carolo Imperatore, cum annis 12. præfuiſſet. cepit. A Bruſchius, & Auentinus lib. 4. annalium.

VVERENBERTVS.

Vuerenbertus monachus Rabanũ in Fuldẽſi cœnobio audiuit, & poſtea apud S. Gallũ ſuperſtitioni Benedicti inſeruijt, uir Latinè & Græcè doctus in ſacris & prophanis ſtudijs.

Scripſit ſermonũ lib. 1. Epiſt. lib. 1. Epigrammatũ lib. 1. In Euangelia. li. 4. Hymnos in honorẽ Chriſti & ſanctorũ. Claruit ſub Ludouico II. anno Domini 870. Trithemius de uiris illuſtribus, & in Chronico Hirſaugienſi.

BERNHARDVS.

Bernhardus nobilis iuuenis, à monachis eligitur abbas cũ aſſẽſu Caroli Craſſi, anno 883. Fuit ei certamẽ cũ Hattone Moguntino archiepiſcopo: à quo malè uexatus, reſignauit munus ſuũ Salomoni epiſcopo Cõſtãtienſi. Bruſchius, & Auentinus lib. 4 annalium.

VALAFRIDVS.

Valafridus natione Germanus, abbas S. Galli: niſi fortè idem ſit qui Strabus, cum Baleus eum Valafridum Strabum appellet.

Scripſit uitam Galli, utroq; genere ſtyli lib. 2. & de officijs diuinis lib. 1. Epiſt. plures. Errat Trithemius, qui eũ uixiſſe circiter annum Domini 700 putat. Hoc errore factum eſt, ut ſuperiori cẽturiæ à nobis ſic inſertus. Sed conſtat ex eius cap. 8. de initijs rerum Ecclesiaſticarũ, quod poſt Ludouici & Claudij Taurinenſis tempora uixerit.

De pleriſq; capitib. doctrinæ cœleſtis ſyncerius ſenſit & ſcripſit, quàm alij huius ſeculi doctores, præſertim de ceremoniis & ritib.

Imagines neq; colendas, neq; adorãdas, neq; tamen prorſus abijciendas eſſe docet: in lib. de officiis cap. 8.

Orationem dicit breuem eſſe debere, puram, ardentẽ, & nõ multiloquio conſiſtere, non debere eſſe clamoſam. taxat tuſionem pectoris & oris: taxat & melodiam nimiã, idq́ue de Auguſtini ſententia ex lib. confeſ.

Horas canonicas longo tempore poſt apoſtolos eſſe inſtitutas, aſſerit cap. 26.

Agni paſchalis benedictionem dicit eſſe Iudaicam ſuperſtitionem, cap. 19.

Sacra in ignota lingua celebrari non probat, & demõſtrat adhuc ſua ætate apud Scythas & Tomitanos, ea uulgari Germanico ſermone peragi, cap. 7.

De miſſa ſcribit, quod eam Apoſtoli & eorum diſcipuli ac ſucceſſores, ſolummodo cũ oratione Dominica & uerbis cœnæ peregerint: nec habuiſſe eos canonem, nec dixiſſe Offero, &c. Sed poſtea apud Græcos & Latinos, alios alias ſibi miſſandi formas prolubitu compoſuiſſe. cap. 23.

Item quòd cõmuni indumento ueteres, & quidam adhuc in Oriente, in ligneis calicibus cœnam adminiſtrarint: cap. 25.

Oſtendit etiam, ueteres raras ſolitos eſſe facere miſſas. Alios enim tantum in anno, alios ſingulis Dominicis diebus aut ſabbatis liturgiam celebraſſe: idq́; tum in Oriẽte, tũ in Occidẽte. ſed poſtea maiora feſta & minora

nora sanctorum adiecta esse. cap.20.21 & 23.

De templorũ extructione inquit: Videndum ut ex iustè partis extruantur, idq; moderatè.& multum inculcat, longè satius esse pauperib.subuenire, quàm parietes templorum ornare.Citat quoq; exemplum Gregorij,quem dicit non in templorum extructione & ex ornatione, ut alios papas, laborasse,sed in doctrina & eleemosynis.cap. 14.

De formis ecclesiarum asserit, ueteres nõ admodum solicitos fuisse, in quam partem uel templũ uel altaria essent conuersa, quòd ubiq; Deum esse scirent.Sed recẽtiores tantum ad Orientem conuertisse.cap.4.

Campanas dicit nouum esse inuentũ, olim nõ adeò necessariũ: eo quòd tam multiplex cõuentuum assiduitas apud eos non fuerit,sed tantum statis temporibus ad conciones conuerint, quæ res etiam sine campanis notæ erãt.cap. 5. In Catalogo testium ueritatis.

BERNO.

Berno ex comite abbas cœnobij in Burgundia, ad pagũ Masticensem à Guilielmo Pio Aquitaniæ duce extructi,ad annum Domini 895.Condidit cœnobium Cluniacense.Sigeberrus,& Platina in Adriano tertio, & Trithemius in Chronico Hirsaug.

CELSVS.

Celsus abbas cœnobij Mauri fuit, sub Ludouico Pio,circiter annum Domini 824. Bibliothecam,quæ unà cum cœnobio conflagrauerat,instaurauit. A' Drogone episcopo Metensi reliqas Cœlestis & Autoris accepit. Bruschius in Chronologia de monasterijs.

Monachi Angliæ.

GILDAS.

GIldas quartus,ex parẽte Scoto Hybernienſi in Cambria genitus,à iuuentute uiros doctos secutus,studuit alicubi in finibus Scotorum Hybernienſium,& professione monachus fuit.

Pro ornandis Hyberius & Scotis, historiam quandam Britanorũ nomine, ex Galfridi & aliorũ scriptis incæpit anno Dñi 829. quã (teste Lelando) splendidis mendacijs, anilibus fabulis,& prodigiosa barbariè confudit.Edidit breuiarium lib.1.De mirabilib. Britaniæ lib.1.De primis habitatoribus lib. 1.De rege Arthuro lib.1. De sepulchro eius incognito lib.1.De esse periculoso lib.1. Demilite Leonis lib.1.De milite quadrigæ lib. 1. De Perceuallo & Lanceloto lib.1. de Galguano & alijs lib.1.

Hic est ille Gildas, quem Polydorus impostorem,& alij Scriptores Fabulatorem cognominant.

Claruit adhuc senex, circiter annum Domini 860.Baleus Centuria 2,cap.21.

IOANNES ERIGENA, *seu Scotus*

Ioannes Erigena natione Britãnus, licet à pleriſq; Scriptorib. appelletur Scotus, in Meneuia urbe Demetarum natus, Athenas usq; profectus,& Græcas, Chaldaicas, Arabicasq; literas didicit:atq; omnia philosophorum loca & studia,ipsumq; oraculũ Sophis,quod Aesculapius olim cõstruxerat, inuisit.Inde in Italiã & Galliã reuersus, Carolo Caluo & postea Ludouico Balbo acceptus fuit,ac Dionysij libros de hierarchia Latinos fecit,anno Domini 858. Profectus illicò in Britanniam,in Geneuensi monasterio monachũ induit. Alphredus rex inde euocat,& sibi ac suis liberis præceptorem, & aliquanto pòst professorem in Academia Oxonienſi constituit.Fuit uir perspicacis ingenij,& facundus.

Edidit de immaculatis mysterijs lib.1
De fide contra Barbaros lib.1
De copore & sanguine Domini lib.1
Pro instituenda iuuentute lib.1
Versiones D.Dionysij lib.9
In moralia Aristotelis lib.4
In hierarchiam commentarios lib.1
In theologiam mysticam lib.1
Periphrasticos tomos lib.1
Dogmata Philosophorum lib.1
Epistolas ad diuersos
Homilias quoq;

Et adhuc alia.Aristotelis moralia de secretis secretorũ, seu recto regimine principũ, è Græco trãstulit in Chaldaicam,Arabicam & Latinam linguam.

In cœnobio Malmesburienſi,quò recreationis gratia se contulerat, à quibusdam discipulis,quorũ fortè uitia taxauerat, interlegẽdum,monachorum impulsu, stylis interfectus est,anno Domini 884.& in eodem cœnobio sepultus,cum epitaphio:

Clauditur hoc tumulo sanctus sophista Iohannes,
Qui ditatus erat iam uiuens dogmate muro.
Martyrio tandem,Christi conscendere regnum.
Quo meruit,sancti regnant per secula cuncti.

Vuilhelmus Malmesburienſis lib. 2. cap. 16.Ranulphus libro 5.capite 2 in Polychronico.Vincentius libro 24.capite 42. ex Helinando.Baleus Centuria 2.cap.24. Trithemius de Scriptoribus.Erphordienſis,Platina, Robertus Gaguinus,& reliquum uulgus Historicorum.

DE HEREMITIS.

BVRCHARDVS.

BVrchardus Anglus patria Dorcestrius, ordine clericus, pertæsus hominum,in eremium abijt,quæsiturus isthic Christum & salutem,contra illud Matth. 24. *Si dixerint,Ecce in eremo est,nolite credere.Superstitionis*

sitionis sue nactus est comitem Fremundū, Algari Occidentalium Anglorum ducis filium: qui neglecto regno, cum ipso in eremo delirauit. cuius uitam Burchardus latinè conscripsit lib. 1. Claruit senex anno domini 870. sub Ethelredo Anglorum rege, Danis Britaniam uastantibus. Baleus Centuria 2. cap. 22.

NEOTVS.

Neotus Adulphus cum in Glasconiensi cœnobio aliquandiu monachum egisset, & uideret collegas suos uentri magis quàm sacris literis & ueræ pietati studere, cum præceptore suo & libris in Cornubię solitudinē recessit, ibiq; ad septenniū sacris literis operam nauauit: atq; inde reuersus, passim doctrinam Euangelij populo prędicauit. Scripsit ad Martinum III. pontificem, pro gymnasij Oxoniensis confirmatione, epist. 1. & exhortationes ad regem lib. 1.

Carus fuit Alphredo Anglorum regi: eique hortator & autor fuit, ut Oxoniensem scholam institueret, anno Domini 873. propositā mercede omnibus, qui illic bonas artes profiterētur. Mortuus est anno Domini 883. & sepultus Einesburniæ. Baleus Centuria 2. cap. 23.

MONIALES.
Gandersheimenses.

HABVNDIS.

Habundis Leutolphi ducis Saxonū filia superstitiōe parentis & episcoporum huius seculi falsa doctrina persuasa, in Gandersheimensem abbatissam primam sese uelari & cōsecrari, ab Alfrido Hildesiorum episcopo passa est, anno Domini 852. ac præfuit annis 18. Obijt 870. Bruschius.

GEBIRGA

Gebirga, altera abbatissa, soror Habundis, ab eodem uelata, præfuit annis tredecim: obijt 883.

CHRISTINA.

Christina tertia, filia Leutolphi, soror prędecessorum, in officio successit Gebirgæ, consecrata à Vuigberto. Bruschius.

CAPVT XII.
DE HAERETICIS.

Dauci hoc seculo annotati sunt hæretici. uerùm pleriq;, orthodoxorum titulum retinentes, in multis doctrinæ Christianę capitibus egregiè hæretisarunt, ut sic dicamus: qua de re suis in locis monuimus. Quæ uerò de illis dignum est scire, qui palàm pro hæreticis cogniti & damnati sunt, suprà in capite de Hæresibus expositū est. Progredimur igitur ad sequentia capita.

CAPVT XII.
DE MARTYRIBVS.
SABINVS ET VALENtinianus.

Sabinus episcopus Ambianensis, & Valentinianus discipulus eius, martyres celebrātur in Epitome mundi, sub Carolo Magno.

FRIDERICVS.

Cum Fridericus in episcopum Traiectī esset consecratus, & in prandio Ludouicus Pius ad dextram ei assidens, monuisset illū, ut recentis professionis memor, sine ullius personæ respectu, ius Dei in sua uocatione administraret: respondit ille. Rectè me mones Imperator: sed quæso tua maiestas dicat utrum piscem hic appositum honestius sit à capite, an à cauda aggredi? Ille statim inquit: Caput præstantius membrum est, in de fiat initium. Episcopus ergo ait: Benè dixisti. Sic fides Christana te primùm de tuis erratis compescat, ne subditi audeant spernere, quod te uideant tolerasse. Renuncia igitur incæsto matrimonio: quòd cum illa Iuditha contraxisti. Hoc sermone Imperator motus, uxorem à se dimittit. Re ad Pontificem Romanum delata ex scrinio Antichristi alia pronunciatur sententia: quòd nimirum pœnitentia præstia, quæ erat satisfactio aliquot millium aureorum, Imperator cum uxore deinceps legitimo possit uti connubio. Iudith indignè ferens episcopi libertatem in ueritate dicenda, per sicarios eum in templo ad arā curat interfici. Ranulphus libro 5. capite 29. & Chronicon Hirsaug.

CYRILLVS.

Cum Agareni Cretam occupassent, Cyrillum Gortynes episcopum, propter confessionem Christianæ religionis interfecerunt. Zonaras tomo tertio, in uita Michaelis Balbi.

CRATERVS.

Craterus Theodorus irriserat Agaremū, in ludis Circensibus bina hastilia inter equitandum usurpantē. id Imperator Theophilus molestè ferens, inquit: Tu effœminate, tale aliqd præstabis? Ille uerò inquit: Binis hastilibus uibrandis me non exercui, quod in prælio nō luditur, sed res seria agitur. una uerò hasta, Deo annuente, eum prosternam. Imperator ob ea uerba furore percitus, per se ipsum iurauit, se statim eum occisurum, nisi euestigiò illum prostrauisset. Ibi Craterus nihil cūctatus, hasta sine ferro Agaremū equo deiecit. Idem postea Amorij, unà cum quadraginta duobus Christianis ab Amermomne Saraceno, ob fidei constantem confessionem interfectus est. Zonaras tomo 3.

GAD-

GADMVNDVS.

Gadmundus rex Angliæ, ob defensionẽ Christianę fidei contra Danos bella gerens, ab ipsis tandem uictus,& martyrio affectus est,anno Domini 274. Epitome mundi, Bergomẽsis libro 11, Schedelius ætate sexta. Caput eius inter fruteta occultatum, quærẽtes ad sese uocauit.Ranulphus libro quinto cap.32.

SVNDEROLDVS.

Sunderoldus ex monacho Moguntinus episcopus,Vuormaciæ à Normannis martyrio affectus est,anno Domini 895. Sigebert. Trithemius in Chronico Hirsaugiensũ, quatuor annos minus habet.

VVISTANVS.

Vuistanus circa annũ Domini 849, à Bertolpho Merciorum rege occiditur. Ranulphus lib.5.cap.31.in Polychronico.

DE PSEVDOMARtyribus.

DOlendum est tam negligentes fuisse huius temporis Scriptores, in uitis uerorum martyrum describendis.nam propemodum nullos alios martyres celebrant, quàm eos qui pro idololatrica imaginum adoratione,& peruicaci inobediẽtia aduersus pia Imperatorum edicta,quibus publica idolomania prohibebatur,pœnas & suppliacia sustinuerũt.Inter hos sunt, Methodius, qui ab Imperatore Michaele Balbo carceri est inclusus in Acrita,& postea in Panormũ deportatus in monumento duorũ latronũ ad septimum annum fuit,& postea in regiã reductus est.Et Euthymius, quem Theophilus flagris cæsum interfecit.Et Lazarus monachus,qui cum imagines pinxisset contra Imperatoris edictũ, incarceratus ac manib. uulneratus est.Et Theodorus ac Theophanes,imaginũ cultũ sine autoritate uerbi diuini defendentes,ab eodem Theophilo carcere & facierum laceratione afflicti sunt. Zonaras tom.3. & Metaphrastes tom.5. in Decẽbri.Et Saluius, qui cum in uasis & uestitu aureo sacra fecisset, à Vuinigardo spoliatus & interfectus est,non quidem odio religionis,sed ob sacram famem auri. Sigebertus, & Vincentius lib.24.cap.24.

MEGINRADVS.

Meginradus monachus Augiensis, uana opinione de sanctitate uitæ Eremiticæ deceptus,in Nigram syluam concesit,ibiq; se se macerauit.Cum autem duo latrones sperarent se apud illum magnam pecuniæ uim inuenturos,tuguriolũ eius effringũt,eumq; interficiunt.Hinc martyr celebratur à Scriptoribus.Reliquiæ eius Augiam translatæ, fabulosa & mendacia ediderunt signa , ad deceptionem superstitiosorum, Anno 856. Sigebertus: Trithemius in Hirsaugiẽsi chronico, Vrspergensis,& alij.

CAPVT XIII.

DE MIRACVLIS ET *Prodigijs.*

SOlet Deus insignes mutationes,tum in Ecclesia, cũ in regnis huius mundi, subindè prænũciare,ne temerè & fortuitò accidere uideãtur:& ut piorum animi ad operum Dei considerationẽ,ardentem inuocationẽ,& diligentiam in regendis suis morib. excitẽtur. Quare hæc ętas multis motibus & turbis obnoxia fuit,ut suo loco indicamus:ita etiã signa,prodigia,& portenta calamitatũ miseriarumq; quasi oracula & uaticinia habuit non leuia, neq; pauca,quæ mediocri breuitate perstringemus.

DE REBVS ADMIRABILIbus *sub imperio Caroli Magni.*

CVm Carolus post inaugurationem uenisset Spoletũ,pridiè calend. Maij, hora noctis secunda,terræmotus maximus totam Italiã grauiter concitat,& tectũ de basilica Pauli apostoli cum trabib.deijcit, atque in quibusdã locis montes & urbes subruit, anno imperij Caroli primo. Annales Francorũ:& Annonius lib 4.cap. 88. Aliquanto pòst etiã quædã loca circa Rhenũ & in Galliã contremuerũt,ac propter hyemis mollitiẽ & intemperiẽ pestis passim grassata est.

Circa palatium Caroli Aquisgrani, & in uicinis partibus terræmotus accidit, quem pestis subsecuta est anno Domini 803. Annales Francorum,& Regino libro 2.Annonius libro 4.cap.89.

Eclipsis solis 3 idus Februarij,hora 6,anno Dñi 805:sed postea anno Dñi 806,quarto nonas Septẽbris fuit eclypsis lunæ. Tũc stabat sol in 16 parte uirginis,luna in 16 parte piscium.Hoc autẽ 2. calendas Februarij fuit luna 18.quando stella Iouis quasi per eam transiit uisa est.Et tertio idus Februarij fuit eclipsis solis media die, stante utroq; sidere in 25 parte Aquarij. Iterum quarto calendas Martij fuit eclipsis lunæ, & apparuerunt ecies eadem nocte miræ magnitudinis,& sol stetit in 11 parte uirginis. nam & stella Mercurij,16 calendas Aprilis uisa est in sole quasi parua macula nigra, paululum superius medio centro eiusdem sideris, quæ à nobis octo dies conspecta est. sed quando primùm intrauit uel exiuit, nubibus impedientibus minimè notare potuimus.Iterum mense Augusto 11.calendas Septembris eclipsis facta est, hora noctis tertia, solenosito

sto in 5 parte uirginis, & luna in 5 parte pisciũ. Sicq; ab anni superioris Septemb. usq; ad anni præsentis Septembrẽ, ter luna obscurata est, & sol semel. Annales Frãcorum, & Adon Viennensis ætate 6. Regino lib. 2. Annonius lib. 4, cap. 93.

Anno sequenti hyemis lenitas & discrasia, pestilẽtiq; causam præbuit. annales Francorum. Luna rursus ad 7. Calendas Ianuarij obscuratur, anno Domini 809. Annales Francorum.

Anno uerò sequenti binæ eclipses cõspectæ sunt. Nam sol 8. idus Iunij, & rursus 11. Calend. Decembris: luna uerò 11. Calendas Iulij, & 18. Calend. Ianuarij deliquium passi sunt. ibidem. Et secuta est magnum boũ clades & pernicies. Regino lib. 2. Annonius libro eodem, capite 96.

Locustæ gregatim ex Africa in Italiã euolant, omniaq; depascunt, anno Domini 811. Palmerius in Chronico, & Lycosthenes.

Puella lunatica in gynecæo Imperatoris, solebat in paraxismo uociferari ad Michaelem Rangabis: Descende, alienis cedito, ac interrogata, uaticinata est Leonis Imperio. Zonaras tomo 3.

Eclipsis solis apparuit in duodecima parte Tauri, quarto Maij die, anno Domini 813. Anno altero, quo Carolus Magnus obijt, sol obscuratus est, & luna pallorem recepit: terræmotus accidit, cometa exarsit, & alia dira prodigia conspecta & audita sunt in terris. Vnde Eginardus in uita eius inquit: Post tres continuos, uitæq; termino proximos annos, & solis & lunæ creberrima defectio, ac in sole macula quædam atri coloris septem dierum spacio uisa. porticus, quam inter basilicam & regiam operosa mole construxerat, pie Ascẽsionis Domini subita ruina usque ad fundamentum collapsa. Ganguinus pilam è templi fastigio fulmine delectam esse scribit. Et Zonaras tomo 3. in uita Michaelis Rãgabis: & Paulus Diaconus libro 24. rerum Romanarum, meminit stellæ crinitæ, quæ subinde formam mutarit, & aliquando in hominis sine capite figura uisa sit.

SVB IMPERIO LVDOVICI Pij.

NOnis Februarijs luna hora noctis secunda defecit: & cometes in sagittarij signo apparuit, anno Domini 817.

Anno sequenti sol ad 18. Iulij rursus deliquium patitur. Post biennium propter iuges pluuias, & aerem humore nimio resolutum, magna incommoda contigerunt. nam & hominum & boum pestilentia, tam immanè longè lateq; grassata est, ut uix ulla pars totius regni Francorum, ab hac peste immunis & intacta posset inueniri: Frumenta quoque & legumina imbrium assiduitate corrupta, uel colligi non poterãt, uel collecta computrescebant. Vinũ etiã, cuius paruus prouentus eodem anno fuit, propter caloris inopiam, acerbum & insuaue fiebat. In quibusdam uerò locis ex inundatione fluminum, aquis in plano stagnantibus, autumnalis satio ita impedita est, ut penitus nil frugum ante uernum tempus seminaretur, Luna defecit 8. calendas Decẽbris, hora noctis secunda. Annales Francorum.

Autumnalis satio iugitate pluuiarum in quibusdam locis impedita est. cui hyems in tantum prolixa successit, & aspera, ut non solum minores riui ac mediocres fluuij, uerùm ipsi maximi amnes, Rhenus uidelicet, ac famosissimi Danubius Albisq; ac Sequana, cæteraq; per Galliam atq; Germaniam Oceanum petentia flumina, adeò solida glacie stringerentur, ut 30. uel eo amplius dieb. plaustra huc atq; illuc commeantia, uelut pontibus uincta sustinerent: cuius resolutio non modicũ uillis. iuxta Rheni fluenta constitutis, damnum intulit. Annales Francorũ, anno Domini 821.

In Turingia ad quẽdam fluuium, cespes longitudine pedum quinquaginta, & latitudine quatuordecim, altitudine sesquipedali, de terra sine manibus auulsus, euolando spacium pedum uiginti quatuor emensus est. Et in parte Orientali Saxoniæ, quæ Soraborum finibus contigua est, terra in deserto loco iuxta lacum Arnseo, in modum aggeris intumuit: & limitem unius leucæ longitudine porrectũ, sub unius noctis spacio, absque humani operis molimine, ad instar ualli sustulit, anno Domini 822. annales Francorum, Sigebertus, Vrspergẽsis, Honorius in Chronico: Annonius libro quarto, capite 109.

In Tullensi territorio, non procul ab Augustoduno, iuxta uillam Cammeracum, puella annorum duodecim, post communionem sacram à sacerdote susceptam, per decẽ menses pane, & deinde omni cibo & potu per triennium abstinuit: quo euoluto, ad cõmunem hominum uitã redijt. Annales Frãcorum, & Sigebertus: Regina libro 2. Martinus & alij narrant, eam studio ieiunij ita abstinuisse, & nihilominus tamen cœna Domini frequenter usam esse.

Aquense palatium terræmotus infestauit. In Frichsazio Saxoniæ pago, tres & uiginti uici fulmine afflati conflagrarunt, fulgura cœlo delapsa præter solitum, domus de cœlo tactæ, homines & pecora extincta sunt, grando frugum calamos comminuit, lapidibus pluit. Sigebertus anno Domini 823. In Burgundia circa solstitium æstiuale

cruſta glaciei longa pedes quindecim, lata ſeptem alta duos, de cœlo ruit: peſtis per totam Franciam graſſata eſt. Sigebertus, 824.

Niuem in die Mercurij cadentem, per 29. ſeptimanas, uſque ad Paſcha duraſſe, & iumenta & homines extinctos eſſe, & lunã defeciſſe ad 3 nonas Martias: Annales Frãcorum. Martinus in Chronico annotat, ſub 10 annum Ludouici.

Popielus Poloniæ rex, uita & moribus infamis, cui parens imprecatus fuerat, ut à muribus abſumeretur: quam imprecationem ipſe etiam ſæpe uſurpabat: cũ patruos & proceres ſuos uxoris ſuæ conſilio ueneno necaſſet, à muribus enatis ex cadaueribus appetitur, dum in conuiuio cum uxore & liberis gulæ & crapulæ indulget. Cum ſatellites ſuum dominũ fruſtra tuerentur, focus inſtruitur ad mures abigẽdos: ſed nihilominus per ignem mures ad eos mordendos tranſeunt. conſcendit nauem, uerùm illi per aquas ſequuntur: & nauibus arroſis, nautæ ſubmerſionem metuẽtes, ad littus nauem ducunt. ille in turrim ſe cum ſuis includit: ſed mures inſecuti, eum cum uxore & liberis iſthic conſumunt. Chronicon Poloniæ libro 2, in uita eius, & Lycoſthenes in prodigijs.

Grando in Gallijs pecora & nonnullos homines interfecit, Anno Domini 825. In Vaſconia pluit de cælo annona, frumento ſimilis: ſed grana breuiora habuit. Alibi immenſi acerui & omnis generis granorum reperti ſunt in campis: quæ ſi pecus guſtauit, eueſtigio perijt: farina inde facta, ſub manibus euanuit. Sigebertus anno Domini 828. Luna Calend. Iulij, & poſtea 8. Calendas Ianuarij obſcurata eſt. Annales Francorum.

Terræmotus paucis diebus ante Paſcha Aquiſgrani factus eſt: & uehemens tempeſtas domorum & templorum tecta deiecit, anno 829. Annales Francorum. Poſt annos quatuor ſol & luna eclipſin patientes, Ludouico depoſitionem ab Imperio deſignaſſe uidentur. Sigebertus. Cometa in libra apparuit, anno Domini 828. Et alius ſequenti anno in arite conſpectus eſt, & per aliquot dies plurimi inſtar ſtellarum igniculi per cœlum diſcurrere uiſi ſunt. Sigebertus: & Annonius libro quinto, capite 17. Et uentorum uiolentia, multa ædificia euerſa eſſe, Chronicon Quedelburgenſe memorat. Eclipſis ſolis quarto nonas Maij, hora nona accidit, quàm Ludouici mors ſecuta eſt, anno Domini 840. Annonius libro quinto, capite 19. Leo Imperator Nadberto & Liconio legatis Ludouici retulit, menſe Auguſto Conſtantinopolim per dies quinq; ſuſtinuiſſe terræmotum, & perijſſe multa ædificia cum incolis. In Gallijs Santonas ciuitas tremuit menſe Septembri. Rhenus imbribus auctus, ultrà modum exundauit. Annonius lib. 4, capite 101.

SVB IMPERIO LOTHARII.

FVlmen hominẽ quendam afflans, conſumpſit, ueſte tamen eius illæſa: & nocte quadã nubes, quarum una ab Aquilone, altera ab Oriente, tertia à Meridiæ ſterne, inter ſeſe ſpiculis igneis dimicant, & tandẽ quaſi exercitus in prælio ſeſe confundunt. Panes triticei in fornace cocti, atramento nigriores fiunt, anno Domini 841. Honorius in Chronico, Erphordienſis ſub Lotharios, eodem anno.

Herbipoli uicies terra tremuit: grandine, turbine, inſoluta cœli intemperie homines, pecudes, agri afflicti ſunt, templũ Chriſtiani fulmine inflãmatũ, interijt nonis Iunij. Mirros deinde 6 idus eiuſdẽ mẽſis uentus euertit, & ſolo æquauit. Lycoſthenes de prodigijs. Mnntzeri chronologia.

Cometa in aquario conſpectus, portendit inteſtinum bellũ inter filios Ludouici, quo omnes Francorum uires debilitatæ ſunt, ut poſtea hoſtibus propulſandis eſſent: impares. Sigebertus, 842. Eodem anno ſol eclipſin paſſus eſt. Regino lib. 2.

Beneuentanã ditionẽ concuſſit terræmotus: & Iſernia tota corruit, populum & lacertos perdidit, ad monaſteriũ quoq; Vincentii plures domus ſubuerſæ ſunt, anno Domini 847. Chronicon Caſinenſe lib. 1. cap. 30.

Ferũt hoc tẽpore in ciuitate Padeburnenſi, uiſos circulos duos ad ſolem, quorũ interior eccleſiæ magnitudinem, exterior urbis cõplexus fuerat latitudinem. uix dum euanuerant, exortũ eũ incendium, & urbs penè tota cũ eccleſia cõflagrauit, uerſaq; eſt dies meridiana in nocte. Lycoſth. in prodigijs.

Fames grauiſsima afflixit Germaniã. Quidam à Rheno cum uxore & filio ſuo puero in Thuringiã, ubi remiſsior erat annonæ caritas, proficiſcens, in itinere cum uxore de puero mactando & comedendo deliberat. Mater tãtum facinus marito diſſuadet. cum autem ille famis non diuitus ferre moleſtiam poſſet, & iam gladium in puerum ſtringeret, conſpicit duos lupos ceruam dilaniantes, eosq; continuò abigit, & carne cruda ſe à fame uindicat, anno Domini 851. Sigebertus, Mutius, Chronicon Hirſaugienſe, Nauclerus.

Quędã mulier edidit partũ monſtroſum ſpecie hominis & canis integerrimè corporibus coniunctis, dorſo connexis, ac dorſis ſpina ſolidiſsimè conglutinatis, circiter annum Domini 854. Lycoſthenes. Quo anno Ioannes 8 ſummus pontifex, ſeu meretrix Babylonica, ad aram, inter cultum Dei Mar-

In

In die ascensionis Christi, Constantinopoli terræmotus uehemens factus est, sub Imperio Michaelis. Zonaras to. 3. Idē etiā in alijs locis accidit, & turbines, tempestates, grandines ac fulmina multis passim mortalib. pniciosa fuerūt, an. Domini 855. Sigebertus.

Eodem tempore Chiliani ecclesiam Heribipoli fulmine consumptam esse, Vrspergēsis & alij annotant.

Cum infans esset Basilius, ac parentibus messe occupatis, sub sole dormiret, aquila prope terram circūuolans, expansis alis umbram ei faciebat. Zonaras to. 3.

Tēpore Leonis quarti, Romæ basiliscus in cauernis latitans, accedētes necabat: quē pontifex suis adiurationibus magicis abegit. Platina, & Erphurdiensis.

SVB IMPERIO LVDOVICI Secundi.

APud Treuiros in æde sacra & sella episcopi, atercanis uisus, subitò dispa-ruit. Mogunti calendis Ianuarij urbis muros, & Vrbani templum terræmotus discit, anno Domini 856. Lycosthenes.

Cum tempestate Coloniæ orta, ciues in basilicam Petri confugissent, eius imploratori auxiliū: Deus illam idololatriā exosus, subitò fulmen ignei draconis forma immittit, & basilicam discindit, ac tres homines diuersis locis constitutos uno ictu perimit: alijs sex eodem impetu prostratis, sed tamē interfectis, anno Domini 857. Sigebertus, Auentinus 4 annalium.

Tempore Nicolai Tybris exundās, Laurentij templum, & monasterium Syluestri humectauit. Platina, Liber pōtificalis: Simoneta lib. 5, capite 11.

Dæmonium Moguntiacam ciuitatē per triennium miserè afflixit. Desertor ac perfugas spiritus multa miracula edidit, circulatorias præstigias lusit, incolas infestauit. primò umbra ferialis, à nemine quidem cōspecta, lapides in homines iactare, pulsare fores cœpit. Mox sub humana specie pestilens ac nequissimus ille genius delitescens, responsa reddidit, furta prodidit, criminatus quosq; cunq; nota infamiæ asperſit, discordias, simultates excitauit. Paulatim horrea, casas omnes succēdit atq; exusit: sed uni molestior accidit, perpetuò eius lateri quocunq; diuerteret hærens, atq; domū cōburens. Et ut uicinia uniuersam in necē innocētis concitaret, ob scelera illius hunc locū infamem ac deuotū esse, prauus mendaciorū faber iactabat. Coactus est homo sub dio manere, ab omnibus enim quasi lemurib. nocturnis facer tecto arcebatur. Atq; ut ille cōfinibus satisfaceret, candens ferrum manibus portauit: ac cum non uiolaretur, infontē se comprobauit: nihilominus tamen in agris frumenta eius in aceruos compositos, idem lar contaminatus ac perditus cōbusit: & cum odiosus indies magis atq; magis esse pergeret, coacti pagani rem ad pontificē Moguntinū deferūt. Sacerdotes missi, agros, uillas, sacris ac cōprecationibus solēnibus, lustrali aqua, saleq; lustrico expiāt atq; colluſtrāt. Praua ac conturbata mens primò quidē retinebatur, ac lapidibus quosdam uulnerauit: uerùm diuinis carminibus incantatus, efficacibusq; supplicamentis adiuratus, tādem cōticuit, nec usquā gentilium apparuit. Vbi discesserunt mystæ, spiritus alter atq; pestilens rursus adest interim: Dum illi, inquit, caluastri sacrificuli, nescio quid inmurmurarent, sub lineo amiculo sacerdotis (nominatim hunc notabat) qui meo suasu filiam hospitis sui superiore nocte cōpressit, delitui. atq; hisce relatis, ingenti edito eiulatu, umbra ferialis ex illis migrauit sedibus loca ritè lustrata reliquit, tenuesq; euanuit in auras, anno Domini 858. Lycosthenes, Sigebertus, Martinus, Chronicon Hirsaugiense, Antonius, & plures alij.

Hyems præter solitum longa & aspera fuit, niue sanguinea pluit, anno 864. Lycosthenes.

Ventus uehemens multa ædificia passim destruxit, anno 867. Chronicon Quedelburgense. Anno sequēti fames ualida, tam Germaniam quàm cæteras Europæ prouincias afflixit. ibidem. Terræmotus etiā accidit, & cometa apparuit. Sigebertus in Chronico.

Grandines, fulgetra crebra, homines fruges, pecudes affligūt. Templum Petri apud Vangiones igne de cœlo inflāmatur, tertio nonas Decembris: terræmotus Moguntiacum euertit, anno Domini 870.

Nubes in aere quarto idus Augusti, uelut exercitus uibratis inuicem igneis spiculis, concursare uisæ sunt, anno Domini 871. Lycosthenes.

Aestatis feruor nimius & siccitas perdidit fruges, anno Domini 872. Chronicon Quedelburgense.

Vuormacia ictu fulminis cōbusta est anno 873, iuxta Marianum Scotum.

In Italia tribus diebus & noctibus, sanguine de cœlo pluit, & locustæ Galliam depopulantur innumerabiles, cæteris locustis maiores, sena alarum regimina, sex pedes, duos dentes lapide duriores habētes, ut castrorum acies turmatim uolantes: duces cū paucis itinere unius diei mittentes, ad metenda loca uenturæ multitudini, circa horā nonam ad locum præuisum ueniētes: ibiq; solis ortum expectantes, per spacium unius diei aerem uelabant, ipsum solis radium ob nubilātes, ore lato, extenso intestino, omnia uiridia in herbis & arboribus uastabāt, spa-

cium diurni itineris quatuor aut quinque millibus extẽdentes. Hoc mirabili ſpectaculo uſq; ad mare Britannicum peruenientes, tandem flatu uentorum in profundum maris demerſæ ſunt: ſed æſtu Oceani ad littus reiectę, ex putredine ſua aere corrupto, multos perire fecerũt. Secuta fames ualida, multos cõſumpſit inedia, ut penè tertia pars hominum conſumpta ſit, anno Domini 874. Sigebertus, Regino lib. 2. Otto Phryſing.

Hyems ſolito aſperior & prolixior fuit: nix & gelu à calendis Nouembris, uſque ad uernale æquinoctium durauit, anno 875. Sigebertus.

Cometa ſolito rutilantior effulſit, quem ſubita & nimia aquarum copia ſecuta eſt in Iunio: quæ in Saxonia Aſchoprunnam uillam, cum hominibus & beſtijs, & arboribus & ædificijs abſorpſit, & nullum ueſtigiũ loci habitabilis reliquit, anno Domini 876. Sigebertus & Lycoſthenes.

SVB IMPERIO CAROLI *Calui & Caroli Craſſi.*

DIra lues iu boues ſæuijt, maximè circa Rhenum, ubi in agro Vangionum, haud procul ab Ingelheim, in pago Vualſheim canes uillatici omnes cadauera laniatum, ut fit, conuenerũt. Deinde uno die una ſimul cohorte, nemo ſcit, quónam gẽtium, ex hiſce finibus migrarũt, nec uiui nec mortui cuiuſquam ueſtigium poſtea inuentum eſt, anno Domini 878. Sigebertus, Honorius. Auentinus lib. 4. Annalium.

Sol hora diei nona obſcuratur adeò, ut ſtellæ in cœlo apparerent, anno 880. Sigebertus. Moguntum terræmotu afficitur tertio calendas Ianuarij: & cometa 15. calẽdas Februarij uiſus eſt, anno 882. Lycoſthenes. Italia fame adeò laborat, ut frumenti libræ centum quinq; drachmis auri ſint emptæ, anno 883. Palmerius, Palatina, & alij. Albáni templũ terræmotu interiit Mogunti, anno Domini 885. Mũtzerus in Chronographia. Luna 16. Octobris, & ſol eodem menſe, die 28 circa horam nonam obſcuratur. Regino lib. 2, anno 888.

SVB ARNVLPHI IMPERIO.

ROmę capiendæ Lepuſculus occaſionẽ attulit. Nam cũ Arnulphi milites eum uerſus urbem fugientẽ inſectati eſſent, cum clamore: Romani timore exanimati ſeſe de muro deijciunt, & hoſtibus per factos acernos murum aſcendendi locum faciunt, anno 900. Sigebertus,

De ſignis mendacibus, pro ſtabiliendis Antichriſti erroribus.

NOn ceſſauit ſatanas, ſuis præſtigijs hominum mẽtes faſcinare, ut erroribus & ſuperſtitionibus Antichriſti aſſentiẽtur: quarum quaſdam aſſignamus.

Præſtigiæ diaboli pro Mariæ cultu aſſerendo.

Mater Leonis Imperatoris, qui imaginũ cultum publicis edictis & ſupplicijs abolebat, ſomniat ſe in templo Mariæ Blachernis eſſe, & audire Mariã ad duos adoleſcentes dicere: Date matri Imperatoris uas plenum ſanguine. quod cum illa renuiſſet accipere, reſponſum eſt: At filius tuus eos qui meuerant, ſanguine implet: neq; intelligit, ſe & Deum, & filium meum ad iram cõmouere: Zonaras tomo 3.

Præſtigiæ diaboli pro opinione, quòd ſancti ulciſcantur ſuos hoſtes ſeu contemptores.

Taraſius cultus, ſanctorum & imaginum patronus, uiſus eſt in ſomnis Michaelem quendam inclamare, & excitare ad occidendum Leonem. Zonaras tomo 3. in uita eius. Ita ſanctus diabolus eſt autor homicidiorũ.

Numeneus Britonum rex aſcenſurus equum, uidit Maurilionem epiſcopum roſeo uultu prope ſeſe ſtantem, ſeq; increpantem, deſine iã crudelis prædo eccleſias Dei uaſtare. & baculo ferientem, icto illo exceptо procidit: & domum deportatus, uitam cum regno amiſit. Regino lib 2. & Phryſingenſis anno Domini 862.

Saraceni in Myra Nicolai tumbam cum reliquijs eius diſperſerunt, & ſacra uaſa diripuerunt, indeq; diſcedentes naufragium fecerunt. Id Paulus & alij ſuperſtitionũ magiſtri, uirtuti ſancti Nicolai adſcribunt, lib. 24 in uita Nicephori.

Præſtigia diaboli pro opinione, quòd ſancti à calamitoſis inuocati, ſuppetias ferant, & ægrotis priſtinam ualetudinem reſtituant.

Conſtãtinus Leonis filius, cum amiſiſſet loquendi facultatem, frequẽter accelsit ad ſtatuã Gregorij Magni, ac petijt ſibi reſtitui uim dicendi. prẽſto fuit dæmon inuocatus, & in ſomnis iuſsit eum ſurgere, & legere Ieſus meus. Quòd cum ille feciſſet, citrà impedimentum uocis in eccleſia legit. Zonaras to. 3. in Michaelis Balbi uita.

Manueli extremè ægrotãti, monachi promittũt uitam, ſi imaginũ cultum approbet: quòd ubi feciſſet, ſtatim ſanitatem recepit. Zonaras tomo 3, in uita Theodoræ.

Dionyſium Areopagitam, cum Pariſijs libri eius eſſent exhibiti, nouendecim ægrotos noctu curaſſe, Sigebertus annotat.

Quidam mercenarius, qui annis ſeptem mutus fuerat, ad baſim colũnæ in Benedicti eccleſia obdormijt, cũ alij cantarent laudes Deo. Apparuit aũt ei Benedictus, & inquit: Surge protinus, & tribuas in terram uicibus expue. Id cũ uigilans feciſſet, recepit loquẽdi facultatẽ. Chronicõ Caſinẽſe lib. 1. ca. 36.

Cum

Cum Martini reliquiæ essent Altisiodorum translatæ, ob Normannorum metum: monachi disceptarunt inter sese, utrum illa ecclesia de Martino, an de Liborio, qui prius isthic cultus fuerat, esset denominanda. Ad litis istius compositionem, leprosus in medium collocatur: & fiunt preces, ut sancti suas exerceant uirtutes. De Martini igitur arca uox inquit: Iam te ex una corporis parte quo: semper enim sunt hospites honorandi. conuersus ille ad Liborij, etiam ex altera parte curatur. Platina in uita Stephanis. Flores temporum. Nugæ sunt monasticæ, quas uetustiores fide digni scriptores planè ignorant.

Præstigiæ diaboli, quòd sancti mortui in somnis appareant, & futura reuelent.

Cum Basilius inops & pauper Constantinopolim uenisset, & ad ædem Diomedis obdormijsset, ædituo ter apparuit Diomedes, iubetq; Imperatorem introduci. Ille egressus dormientem excitat, & hospitio exceptum benè lauteq; tractat. Zonaras to. 3.

Nottingo Aurelium apparuisse, & ei indicasse, quòd uelit suas reliquias in Germaniam transferri, sibiq; monasterium ædificari in eo loco ubi cæcus uideatur illuminatus. Idē postea cæco apparuit, eiq; promisit alterō die restitutionē. Chronicon Hirsaugiēse.

Aelfredo regi Anglorū exulanti, in somnis apparuit Chutbertus, inquiēs: Ego sum Chutbertus: misit me Dominus, ut tibi prospera nunciem. Anglia iamdudum peccatorum suorum pœnas luit, modò tandem indigenarum sanctorum immeritis à Domino respecta est: tu miserabiliter regno extorris, post paucum tempus in solio glorioſè reposcatores tui, magnam multitudinem piscium cotribus euehentes. quod mirū est, cum gelante aqua fluminis nil tale speretur, sed & tempus frigidum omnem artem piscātium eludit. Tunc fortunæ secundę compos, memento liberatoris tui, & eius nuncij. Hoc idem uisum est per somnium matri suæ. Experrecti ambo, somnia sua referebant, & ecce piscatores adueniunt cum magna piscium copia. Vincentius lib. 24, cap. 40. ex Helinādo. Et Vuilhelmus lib. 2, cap. 14. de gestis Anglorum, & Ranulphus lib. 6. cap. 20.

Præstigiæ diaboli, pro errore & efficacia reliquiarum.

Ossa Sebastiani inhumata, in loculo ad Medardi tumulum posita, multa admirabilia feciſſe, annales Francorū testantur: anno Domini 826, sed qualia fuerint non indicāt.

Capellanus Ludouici Pij reliquias de lacte Mariæ, in sylua de arbore suspendit in uenatione: ac eas oblitus, in Aulicensem ecclesiam uenit: inde reuersus ad arborem nō potuit de trunco reliquias auellere. quare Imperator isthic sacellum extruxit. Cranzius in Saxonia lib. 2. cap. 26. Chronicon Saxoniæ narrat, imaginem Mariæ fuisse. & uocē de cœlo auditam, quòd in eo loco Imperator debeat templum ædificare per id spacium, quod niue iam cassura comprehendatur, ac inde Hildeshne loci nomen esse factū. Sed, ut fit, in nugis & fabulis rarò consentiunt authores.

Cum Saraceni in insula Lipara Bartholomæi ossa dispersissent, noctu apparuit monacho Græco & nugaci, qui fuerat eius ecclesiæ custos: ac præcipit ei, ut ossa sua colli geret. Cum autē ille primū id recusaret, eo quòd is non defendisset suos cultores contra hostes: respōdit dæmō ille, se multos annos patrociniū illi insulæ præstitisse, sed malitiam eorum tādem exuperasse suam apud Deum autoritatē. Monachos itaq; ossa noctu Lucentiæ inuenit, & Beneuentū trāsportauit. Sed non ita multo pòst Saraceni & illam regionem infestarūt. & sic iusto Dei iudicio, idololatriā eandē similes sunt secutæ pœnæ. Sigebertus, anno 831. Vincentius lib. 24, cap. 11, assignat annum Domini 808.

Ciues Carnetenses camisiam Mariæ, per Carolum Caluū eò ex Constantinopoli aduectam, loco uexilli de muro suspenderunt: quæ Rollonem Danum cum suo exercitu cæcitate percussit, indeq; abegit. Ranulphus lib. 6. cap. 2.

Præstigia diaboli pro errore, ad statuas sanctorum admirabilia fieri.

In uico Grabadona, ad ciuitatem Cumetensem Italiæ, in Ecclesia Ioannis Baptistæ, imago Marię gestantis Iesum depicta in absside, & ob uetustatem obscurata, per triduū magno splendore effulsit. Vrspergensis in Chronico. Annonius lib. 4. cap 110, de Francis. Formosum ad Petri ecclesiam deportatum, sacræ imagines salutauerunt. Luitprandus lib. 1. cap. 8, de rebus Europæ.

Præstigiæ diaboli, quòd res grata præstetur sanctis, si conferantur nummi ad templorum ædificationes.

Dionysius à Carolo rogatus, ut ueniā delictorum impetraret omnibus in Hispania mortuis, accepit hoc responsum à cacodæmone: quòd omnibus illis, qui nummos cō tulissent ad templi sui ædificationem, uenia sit impetrata. Vincentius lib. 24. cap. 22.

Præstigiæ diaboli pro errore, quòd per templorum dedicationem maligni spiritus abigantur.

Cū Colonię ecclesia esset à tribus metropolitis Lotharingię cōsecrāda, nocte precēdēte uoces malignorū spirituū auditæ sunt, querulātiū quòd de sedib. suis propulsandi sint, anno Domini 871. Sigeb. in Chronico.

Præstigiæ diaboli pro errore, quòd defunctorum animæ reuertantur, & petant officia pro suorum peccatorum remissione & quiete.

Ludouico regi Germanorum apparuit in somnis parens suus, adiurans eum per nomen sanctæ trinitátis, ut eum eriperet à tormentis, quibus detinebatur, ut tandem ęternam requiem adipisceretur. Quare ad diuersa monasteria eleemosynis missis, filius obnixè succurrit patri, anno Domini 875. Sigebertus. Sed quàm facilè fuit, monachos artis magicæ peritos eiusmodi spectra efficere ad res monasticas amplificandas?

Caroli Calui animam reuersam Ercengario apparuisse, ac iussisse cadauer suum in Dionysij ædem inferri, Vincentius libro 24, capite 43 nugatur.

Præstigiæ diaboli pro errore, quo asseritur monachorum & sacerdotum preces mortuis impetrare ueniam.

Theodora uxor Theophili Imperatoris, patriarchã, aliosq; sacerdotes & monachos instanter rogauit, ut communibus precibus à Deo peterent ueniam marito suo defuncto, qui imaginum & sanctorum cultum improbasset: ac fabulati sunt illi, Deum preces istas exaudijsse, & Theophilo ignouisse. Zonaras. to. 3.

Cum mortuus esset Lotharius, dæmones & angeli de anima eius certarunt. Sed monachi qui præstò erant, precibus suis subueniunt angelis, ut uictis dæmonibus anima potirentur. O imbecilles angeli & diaboli. Ranulphus libro 5, cap. 31. in Polychronico, Flores temporum, Martinus in Chronico sub Lothario, Erphordensis, & similes nugatores.

Præstigiæ diaboli, quòd missis & eleemosynis subueniri queat animabus defunctorum.

Turpinus fabulatur, se cum celebrasset missam pro defunctis, in ectasi constitutum, uidisse turmam militum quasi prædam ferentem: ac interrogasse, quid ferrent. respon sumq; tulisse: Nos Marsirium portamus ad infernum tibicinem uestrum cum multis Michael fert ad supera. Vincentius libro 24, capite 20.

Præstigiæ pro opinione, de pœnis purgatorij & inferni pro eleemosynas redimendis.

Miles Romaricus cõsanguineo suo equũ tradidit, ut se mortuo uenderet, & pauperibus daret. Sed ille equum uendidit, & sibi pecuniam retinuit. Post dies autẽ triginta, anima eius reuersa inquit: Triginta diebus fui in pœnis tartari: sed tu, qui non pauperibus quod iusseram dedisti, hodie eò uenies, me in paradisum translato. Eodem die dæmones illum rapuerũt, & in altissimo monte, post 12. dies cadauer illius est repertum Vincentius lib. 14, capite 8.

Præstigiæ diaboli, quòd homines saluentur meritis & patrocinio sanctorum.

Turpinus inquit: Eram apud Viennam in ecclesia, ante altare orans: & cum raptus in extasin, psalmum Deus in adiutorium, cantarem, uidi terrorũ spirituũ agmina innumera, quos præterire, & tendere in Lotharingiá: quos omnes quidam similis æthiopi longi, insequebatur lento gradu. Cui dixi: Quò tendis? Aquisgranum, inquit, ad mortem Caroli, ut eius spiritum ad tartara rapiamus. Tũc ego: Adiuro te per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut peracto itinere ad me redeas. Tũc modicũ morati, uix expleto psalmo, ad me redierũt eodem ordine. Et dixi nouissimo, cui primũ locutus fuerã, Quid egisti? Galecianus, inquit, sine capite tot & tantos lapides & ligna innumera basilicarũ statuas in sua statera suspendit, quòd magis appenderunt bona eius quàm mala: & idcirco animam eius nobis abstulit. Et his dictis euanuit. Vincentius lib. 24. cap. 25.

FABVLOSA.

Methodius de stupro accusatus, purgatus autem de causa, narrat, se, cum Romæ fuisset, nimio ueneris æstu concitatũ, oratione Petrum & Paulum, ut sibi occurrerẽt, ne de castitate periclitaretur. ac noctu eos compa ruisse: & attrectatis pudendis, omnem libidinis appetentiam sustulisse. Sed quis non agnoscat fabulam? Quod scortorum malitia passus est, Petro & Paulo adscripsit. Zonaras tomo 3.

Sanctum Amandũ post annos centum & quinquaginta duos, adhuc integro corpore, apud cœnobium Eluonense inuẽtum esse, ac capillos & ungues habuisse, & dentibus eius euulsis sanguinem profluxisse, Sigebertus in Chronico nugatur: quasi uerò non alius fuerit recentiùs sepultus.

Apud Vincentium libro 24, capite 49 & 50. extat uisio Caroli Crassi, cuius etiã meminit Chronicon Saxonię anno 888. in qua multæ de inferno & paradiso nugæ cõtinentur: ac eò tendit omnis scopus, quòd missis & oblationibus, orationibus & psalmodijs, uigilijs & eleemosynis, sanctorumq; intercessionibus, animæ mortuorum ex purgatorij pœnis eripiãtur. Sed quis nõ persentiscat, à monachis talia esse conficta & suppositа, ad simpliciores decipiendos?

De Guelphonum origine talis narratur fiue historia fiue fabella: uidisse dominam Irmentrudin, quòd paupercula quędã ciuis adiacentis oppiduli Altorffensis, uno & eodẽ partu tres filios ederet: quibus uisis, dixisse eã, impossibile esse ut sine adulterij macula

tot filios ex uno marito fœmina simul excipere potuerit: uerè esse adulteram, & adulterij pœna dignã. Ibi sequente anno etiam illam grauidam factam, simul edidisse absente marito, duodecim infantes admodũ parvulos. Timore itaq; ac metu perculsam, ne & ipsa iam adultera esse existimaretur, iussisse, ut relicto uno tãtũ filio, reliqui in proximum fluuiũ deportati abijcerentur. Hos dum ancilla in præterfluentẽ riuum Schercium portat, uenit casu, aut Dei potius ordinatione accitus, princeps Altorfensis, infantum uerus pater, quærens quid ferat ancilla? Quę cum responderet, catulos esse: Videamus quæso (inquit princeps) uideamus amabo, si qui nobis ex illis placerent, quos tolleremus. Ancilla ostensuram sese negãs, ecquid istas sordes intueri uelit, principem increpat. Is uerò instat, puerosq; undecim uidens, paruulos quidem, sed egregia formã cõspicuos, mox cuius sint inquirit? Audiens uerò & discẽs ab ancilla totam rei seriem, & quare expositum traditi essent causam: puellos siue catulos istos (quos nos Germani materna nostra lingua Vuelphen uocamus) molitori cuidam in ea ipsa uicinia habitanti alendos & educãdos tradidit: ancillam ad heram, cui abiectos infantes diceret, redire iussit. Postea elapso sexennio pulchrè uestitos pueros in arcem suam asferri princeps iubens, coniugem ecquid agnoscat hos? quærit. Ibi ipsa deportatorum infantũ memor, mox ad genua mariti procidens, ueniam commissi petit. Maritus ignoscit, & gratitudinis ergò pro diuinitùs seruata tam numerosa prole, in ipso Altorfensi oppidulo cœnobium monialium instituit. Hanc istius monastici loci originem, hoc uerum exordium esse, non ex illis quidem ueteribus scriptis (quid enim annotarunt? quid non potius neglexerunt somnolenti & ignaui illi superiorum temporũ scriptores? sed ex multorum senum qui eadem sese à suis parentibus & maioribus audisse narrabant) non falsa relatione comperiuisse habemus. Bruschius, de monasterio Vineatum.

Solem cœlo fixum, stetisse spacio dierum trium, cum Carolus Hispanos ulciscereturob cædem Roldi: nugatur Turpinus apud Vincentium libro 24, capite 20.

sine ullius ex ueteribus assensu.

CAPVT XIIII.

DE REBVS IVDAICIS externis.

IVdæorum gens, etiam hoc seculo passim dispersa fuit. Nam Phrygia & Amorium, Iudæorum Attinganorũ hospes fuit: & Michael Imperator Constantinopoli inter domesticos præceptores Iudæum habuit. Zonaras tomo 3. Sedechiæ Iudæi & medici Mantuæ meminit Sigebertus, anno Domini 878. In Hispanijs inter Saracenos etiam Iudæi fuerunt, ut patet ex annalibus Francorum, anno Domini 801. & sequenti, & Carolus Magnus Iudæum misit ad regem Persarum. Regino libro secundo.

Opera eorum contra religionem Christianam.

Iudæi Attingani persuaserũt quibusdam Christianis, ut præter baptismũ, etiam Mosaicas ceremonias obseruarẽt, atq; ita chaos quoddam religionis conficerent. Zonaras tomo 3. Quidam Iudæus Michaelem Imperatorem instituit, eumq; quasi sentinam sectarum effecit. Zonaras tomo eodem.

Oblata occasione etiam in pios uim exercuerunt, ac facinus sanè audax fuit, quod Ezechias Iudæus, Carolum Caluum ueneno occidit. Saracenos autem & gentes in Christianos sæuientes non modò inflammarũt, sed etiam strenuè adiuuerunt.

Confirmarunt eos in sua peruicacia Imperatores, qui eorum opera usi sunt. Sic Michael Rangabis Iudæum domesticum pædagogũ habuit. Zonaras tomo 3. Et Ludouicus Imperator Zedechia Iudęo usus est medico, Chronicon Hirsaugiense. Et Michael Balbus Iudæis addictus, sabbata ieiunari iubebat. Zonaras tomo 3.

Et alij Christiani, sectam eorum amplexi. Nam puto Diaconus palatij, Iudaismum suscepit: ut Marianus Scotus indicat.

CAPVT XV.

DE ALIIS RELIGIONIBUS extra Ecclesiam.

DE IVDAISMO.

PIniones Iudaicæ, de quibus mentio fit in authoribus huius seculi, hæ ferè sunt.

De libero arbitrio.

Gloriabãtur, se sine adiutorio diuino, humana sufficiẽtia legẽ implere posse. Angelomus in 2 cap. primi lib. Regũ.

De Meßia.

Meſsiam adhuc expectant Iudæi. Haymo ſuper primum caput Haggæi.

De ceremonijs & ritibus eorum.

Ceremonias & ritus Moſaicos pleroſque mordicus retinuerunt,

Diabolo ſeſe quidam ex illis tradiderunt, & artem magicam eius opera exercuerunt: inter quos fuit Sedechias, qui ludos coram Ludouico Imperatore & alijs principibus fecit. Homines armatos cũ equis & armis deuorauit, uehicũlũ fœni cũ equis & auriga abſorpſit. Capita & pedes hominib. præcidebat, & cũ ſanguine in peluim ponebat. Volabat per aerem, uenaticos clamores excitabat, & ſimiles ludificationes multas. Chronicon Hirſaugienſe.

Solebant etiam ſacrificijs & incantationibus uti, ad abigẽda pericula. Sic Iudęi Attingani pro Nicephori uictoria cõtra Bardanium, taurum in loco quodam ferreo palo cornibus ad terram alligatum, mugientem interfecerunt, eiusq; ueſtẽ in mola molunt, & incantationes addunt. Paulus libro 24 rerum Romanarum.

Qui ſe Iudæis oppoſuerint.

Eorum deliria, doctores Eccleſiæ uerbo Dei refutarunt, & abiecerunt. Haymo ſuper Oſeam inquit: In omnib. gentibus nunc Iudæi, non Dei, ſed diaboli ſerui cõprobãtur. Idem ſuper 1 Haggæi: Iudæi huius tẽporis, pro Chriſto Antichriſtũ expectant, & dicũt nondum eſſe tempus Eccleſię, quia nõdum uenit Chriſtus. Angelomus docet, Iudæis nullũ amplius eſſe ſacerdotem ſecundũ ordinem Aaron: in caput 2 lib. 1 Reg. Et Hamulum ſcripſiſſe librum contra Iudæos, indicat Spanheimenſis in uita eius.

DE GENTILISMO.

GEntilis ſuperſtitio in multis locis adhuc uiguit: ſed horum tãtum mentio fit in hiſtoria huius Seculi.

IN EVROPA.

Bulgari adhuc idola colebant, ut indicat Paulus libro 24 rerum Romanarũ. Et Roſſi. Zonaras tomo 3. Et Poloni, Sclaui, Moraui, Boiemi: ut Sigebertus in Chronico. Saxones, Sorabi, Vilſij, Dani, Sueones: ut patet ex Chronico Saxonię, hiſtoria Gothica, & Helmoldo. Et Britones, qui Gallias afflixerunt: ut in capite de Mutationibus commemorauimus.

CAPITA OPINIONVM *Ethnicarum.*

DE DEO.

Alij negabant eſſe Deũ, omnia caſu contingere aſſerentes. Remigius in Pſalm. 31.

Alij uerò alios pro dijs habuerunt, & uenerati ſunt. Rugiani ſancto Vito primatum deitatis ſpecialiter attribuerũt. Helmoldus in Chronico Sclauorum, capite 6. Sclaui & Poloni Iouem, Martem, Plutonem, Cererẽ, Venerem, Dianã: quos Ieſſam, Ladum ſiue Ladonem, Niam, Marzanam, Ziziliam, Zieuanam & Zieuoniam uocabant. Chromerus in Chronico Poloniæ libro 3.

De dæmonibus.

Dæmones cruore & ſacrificijs delectari ſentiebant, ijsq; uim prædicendi futura adſcribebant: ut patet ex Rabani epiſtola ad Bonoſum abbatem.

De artibus magicis.

Artes magicas, diuinationes: incantationes magnificiebãt: & in morbis aut alijs neceſsitatibus conſtituti, inde petebant auxilia: ut patet ex epiſt. Rabani ad Bonoſum.

De regimine ſacro.

Habuerunt ſuos ſacerdotes & templa: ut patet ex Helmoldi capite 6 de Sclauis, & Chromeri libro 3 de Polonis.

De ceremonijs & ritibus eorum.

Dijs ſuis ſacrificia offerebant. Sic Crunus rex Bulgarorum, Conſtãtinopolim obſidens, dæmonibus ſuis ſacrificia celebrat, in prato penes mare ſito. Paulus libro 24 rerum Rom.

Et libabãt, & delubra ac ſimulachra dedicabãt. Chromerus lib. 3. in Chronico Poloniæ. Feſtos dies epulis, choreis, plauſibus, canticis, luſibus uarijs indulgentes, agebant Poloni. Chromerus lib. 3.

Vngari & Moraui gentiles, totum caput tondere ſolebãt: ut teſtatur Theodomarus Iuuauienſis epiſcopus cum alijs Bauaris, in epiſtola ad Ioannem pontificem.

Pro imprecationis formula dicere ſolebant: Tam turpiter moriaris, ut magiſter ille Chriſtianorum, uel ut Laurentius. Remigius in Pſalmum 43.

Amici mortuorum accipiebant panem & uinum, & ſedentes in ſepulchro, inuocabãt nomina mortuorum, ſuo uentri ſeruientes. Et in anniuerſarijs conueniebãt ad domos, ut inebriati nomina mortuorum inuocarẽt. Remigius in Pſalmum 48.

Ritus circa nuptias.

Eo tempore ex uetuſtiſsimo more obſeruabatur, ut uirgines quanto illuſtriori ſanguine natæ erant, tanto maiora pericula aut difficiliores labores ſubire cogerentur, quo ad earũ amplexũ peruenire uoluerunt. Alijs enim fortiſsimi gigantes & pugiles duello ſuperandi opponebantur: cum interim alijs exacto militaris diſciplinæ experientia, aut glorioſum aliquod facinus pro ſalute Reipubl. peractum expeteretur. At huius ſpecioſiſsimæ Regis filiæ thalamum, dum immanes beluæ, fortiſsimis uiris formidabiles obſeratũ tutabãtur, quę ante expugnã eranț

dæ erant, quàm ad uirginis nuptias peruenendum. Ioannes Magnus Gotthicæ historiæ libro 17, cap. 5.

De idololatria Viti.

Rugiani ui Vitum pro Deo colunt, in templo, in eius honorem extructo, & sacrificia ei offerunt: ac mercatores non prius permittunt isthic emere aut uendere, quàm libaue rint, & dona obtulerint suo idolo. Oracula ex omnibus Sclauorum prouincijs ab eo petuntur, flaminem eius nõ minus quàm regem uenerãtur. Helmodus capite 6. de Sclauis: & Chronicon Saxoniæ anno 875.

De idolo Solis.

In Soltueddel, idolum Solis statua erat, referens formam dimidij hominis, & uultus; manibus ante pectus gestabat, totam ex facibus ardẽtibus compositam: caput uerò amplum, & radijs plenum erat. Chronicon Saxoniæ.

GENTILISMI PROPVgnatores.

PAtroni errorum gentilium erant sacerdotes & magi, qui Dei permissu elemẽta concutiunt, & mentes hominum turbãt, minus in Domino confidentes: & sine ueneni haustu, uehementia tantum carminis homines interimunt. Rabanus in Epistola ad Bonosum.

Necromantici, qui cruore ad cadauera fuso, precationibus uidebantur mortuos suscitare, & ex ijs futura quærere. Rabanus in eadem epistola.

Hydromantici, qui sanguine in aquã effuso, umbras dæmonum euocant, & ab eis responsa accipiunt. Rabanus ibidem.

Incantatores, qui uerbis compositis diuinationes exercent.

Arioli, qui ad aras idolorum nefarias preces faciunt, & funesta sacrificia offerunt, & dæmonum responsa accipiunt.

Aruspices exta pecudum inspiciũt, & inde futura prædicunt, & dies & horas eligunt.

Augures, qui uolatus auium & uoces obseruant, & inde signa colligunt de futuris euentibus, ijdem & aruspices uocantur.

Astrologi, qui ex astris futura prædicunt.

Genethliaci, horoscopi, seu mathematici, qui ex siderum positu in hora natiuitatis de moribus, fortuna, & morte hominis uaticinantur.

Sortilegi, qui per sortes sanctorum diuinationis scientiam profitentur, aut quarũcunque scripturarum scientiæ inspectione futura promittunt.

Salisatores, qui, dum eis membrorũ quęcunque partes salierint, aliquid sibi exinde prosperum seu triste significari prædicunt.

Ligatores, qui characterib. aut alijs rebus suspendendis, arte dæmonum aliquid perficiebant. Rabanus in epist. ad Bonosum.

Reges & magistratus. Nam Michael Balbus Imperator Cõstãtinopolis, resurrectionem mortuorum non credebat, eoq; futura bona figillabat, & Prophetas irridebat, dæmones esse pernegabat, sortationem peccatum non iudicabat, & per Deum omnium iurare iubebat. Inde salutem ominabatur, pascha alio tẽpore celebrari affirmabat. Zonaras tomo 3.

Impij Christiani ad paganos deficientes, seu fratres suos Christianos ui ablatos paganis uendentes, ut Rabanus indicat in epistola ad Raginbaldum: aut cum paganis compotantes & conuiuantes, ut patet ex Rabani libro de nuptijs consanguineorũ cap. 24.

Et ethnicas consuetudines obseruantes. Sic Theodorus monachus cognomine Santabarenus, artibus magicis effecit, ut Basilio filius suus Constantinus mortuus equo insidens occurreret, & ab eo exosculatus euanesceret. Zonaras tomo 3. Et Rabanus in epistola ad Bonosum scribit, non modo gentiles, sed etiam perfidos Christianos, artibus magicis & superstitionibus ethnicorum deditos esse. Idem ibidem dicit, falsos Christianos magicas artes, incantationes & superstitiones diuersas in diuinationibus suis sequi.

Aut Christi religionem in paganismum commutantes: ut feciſſe Ranos, seu Rugianos, qui pro Christo Vitum coluerunt, Helmoldus indicat capite sexto, in Chronico de Sclauis.

A' quibus, & quomodo pugnatum sit contra illos errores.

Tota panoplia Dei, in gentilium uanitatibus de struendis fuit occupata. Nam sacerdotes & doctores, cum magno periculo deueritate cœlesti homines instituerunt, & ab idolorum cultu abducere conati sunt. Remigius in Psalmum 9 ait: gentes non solum in futuro manifestè damnabũtur, sed etiam modo damnatæ sunt in occulto iudicio. Rabanus in Epistola ad Bonosum: Incantatores, aruspices, hariolos, augures, astrologos, genethliacos, sortilegos, salisatores, ligatores, nigromanticos, hydromanticos, geomanticos, pyromanticos, aeromanticos refutat, & eorum diuinationes & operas in utroq; testamento prohibitas esse, ac dæmonum præstigiis fieri indicat: & horratur prælatos maiores & minores, ac plebem, ut sibi caueãt ab istis diabolicis fraudibus, easq; extirpare iuuent. Haymo in 2 caput Abacuc: Væ æternum erit ei, qui materiam ligni uel lapidis, siue cuiuscunque metalli pro Deo colit, & inuocans dicit: Expergiscere, cum forma tantum sit inanimata. Eugenius

pontifex

pontifex in epistola ad Rathfredum Fauianensem episcopum & alios, & ad Moimarum Huniæ ac Morauiæ ducem monet, ut plures constituant episcopos & sacerdotes, qui reliquam gentem ab errore gentilitatis, ad ueritatis cognitionem adducant. Paschalis pontifex Ebonem episcopũ Remensem, & Halitgarium cum consensu suæ ecclesiæ, in regiones aquilonares misit, ut gentes nimirũ Danos & Sueones ad agnitionẽ Christi adducerent, ut patet in epistola eius. Rabanus in epistola ad Raginbaldum modum pœnitentiæ illi præscribit, qui Christianum furatus erat, & uendiderat paganis.

Et magistratus. Nam Carolus Magnus apud Saxones in Soltuueddel destruxit idolum solis, anno Domini 807. Chronicon Saxoniæ. Ludouicus cõuersionem Danorum & Sueonum per Ansgarium adiuuit, ut patet ex Helmoldo. Zuentibaldus dux Morauis deuictis, episcopũ Vuichindum dedit: ut Theodemarus episcopus Iuuauiensis testatur in epistola ad Ioannem pontificem. Et Ericus rex Daniæ, non modo permisit, uerũ etiam præcepit, ut sui Christiani fierent, & idola abijcerent. Cranzius in Metropoli libro 1, capite 36.

Et monachi. Rex Bulgarorum monachus factus, cum uideret filium suum, cui tradiderat regnum, gentilium superstitiones instaurare, militiæ cingulum recipit, & filium captum oculis priuat, anno Domini 865. Sigebertus.

DE MAHOMETISMO.

SAracenorum & Mahometanorum impia & blasphema religio, simul cum potentia eorum in multas orbis terrarum partes diffusa, longè lateq; propter eius ueneni uim & ἐνέργειαν serpit. Loca uerò, quorũ mentio fit apud authores, adscribimus.

In Asia.

Samosatis, Adatæ in Syria. Zonaras tomo 3. Tyanæ. Paulus Diaconus lib. 24. in uita Nicephori. In Syria, in Arabia, Melietne, in Germanicia, in oppido Adara. Zonaras tomo 3. In Mesopotamia, Tephrica metropolis eorum fuit, & Tarsi. Zonaras eodem. Et Damasci. Paulus libro 24 rerum Romanarum. In Persia. nam Saraceni bellum cũ Persis gesserunt, anno Domini 870.

In Africa.

Saraceni totam Africam hoc seculo obtinuerunt, ac uidetur eorum lues omnia loca repleuisse, nam inde in Italiam irruptiones fecerunt. Leo Hostiensis libro 1, capite 29, de Chronico Casinensi. Et Carthaginensium Saracenorum meminit Zonaras tomo 3. in uita Basilij.

In Insulis.

In Cypro, Creta, Sicilia, Cephalenia, Zazyntho, Rhodo, & insulis Cycladibus, Sardinia, Corsica, & alijs, Saraceni suos Impios cultus instituerunt, postquã ijs potiti sunt: ut patet ex capite de Mutationibus.

In Europa.

Tarenti. eam enim urbem cæperunt anno Domini 843. In Hetruri & Latio: nam ibi prædas fecerunt post annos duos. Beneuenti, Capuæ, Caietæ: ut patet ex lib. 1. Chronici Casinensis.

In Hispania. Inde enim Amermumnes dux, coloniam exijs in Cretam duxit. Zonaras tomo 3.

CAPITA ERRORVM MAhometistarum.

De opinionibus eorũ, nihil authores huius seculi literis mandarunt. Sed non est dubium, quin in pristinis erroribus & superstitionibus perseuerarint.

De Ceremonijs & ritibus eorum.

Dediti fuerunt futurorum inquisitioni. Cum Adata esset obsessa, & ciues negligenter sese defenderent, imperator interrogat senem, cur id faciant? ille respõdet, quia certò sciant non esse in fatis, ut ab illo urbs capiatur. Zonaras tomo 3.

Loca ubi sanctorum reliquiæ colebantur, nõ tam ob odiũ istius superstitionis, quàm propter thesauros, & aurea argentea q; uasa ac statuas, & alias res pretiosas uehementer appetebant, & occupata subuertebant, iuxta Dei iudiciũ etiã inscijs aduersus idololatriam illam exercentes. Sic Saraceni in Myream illapsi, arcã Nicolai cõminuunt & diripiunt. Sigebertus anno 807. Iidem in Lipari insula Bartholomæi ossa huc illuc q; dispergunt. Sigebertus anno 831.

A quibus & quomodo propugnatus Mahometismus.

Sacerdotes & pseudoprophetæ illa uenena propagabat, simul q; reges & duces eorum. Nam eam ob causam bella gesserunt contra Christianos, ut uera religione abolita, suam instituerent. Aaron dux Arabum Tyana occupata, domum blasphemiæ suæ ædificauit. Paulus lib. 24. in uita Nicephori. Et Christianos in potestatẽ suam redactos, cogebat abiurare fidem Christi: ut patet ex Zonaræ tomo 3, in uita Theophili.

Et hæretici. Nam Pauliani & Manichæi uim metuentes ab imperatrice, sese cum Saracenis coniunxerunt, & arma in Christianos uerterunt. Zonaras tomo 3.

A quibus & quomodo repugnatum.

In Saracenismo refutãdo, doctores huius seculi ualde negligentes fuerunt, quamuis ex scriptis eorũ iudicari potest. nam rarò eorũ falsæ religionis mentionem faciunt. Videas Romanos, præsertim pontifices, altum somnum dormitantes hac in re, cum tamen in Sici-

in Siciliam & Italiam infusi, & ipsam Romam infestarint. Vicarius Petri armis potius, quàm errorum refutatione contra eos pugnauit. Leo tamen collectam fecit in Ecclesijs contra eos cantandam. Ranulphus libro 5, capite 31.

Quomodo autem Christiani magistratus in ijs propulsandis laborarint, in Capite sequenti exponemus.

CAPVT XVI.

DE MOTIBVS ET MUTATIONIBVS Politicis.

SVB CAROLO MAGNO.

AQuila Romana in duo capita, statim in initio huius seculi diuisa est. Nã Carolus Magnus à Leone Pontifice, cum cõsensu senatus & populi Romani, Imperator Occidentis solenni ritu inauguratur Romanæ, anno Domini 801. Causas autem istius mutationis Romani prætendebant, quòd à dignitate Romani imperij alienum esset, Irenẽ fœminã ei præesse: & quòd sperarent Irenem in nuptias Caroli consensuram: & quod Carolus à Longobardorum atq; Græcorum dominatu, nõ modò eos liberasset, sed etiã bona illa, quæ Longobardi de imperio occupauerant, multosq; annos obtinuerant, põtifici Romano donasset: & paratus esset iureiurando fidem dare de ijs defendendis atque propugnandis, contra omnes hostes suos: neque quisquam alius in toto Occidente esset, qui uirtute sapientia, & fortitudine magis excelleret, & amici gã sanctũ Petrum religiosior esset. Sigebertus, & alij. Frãci ergo, qui sub Iustiniano prius Italiam inuaserant, ac sub Leone Isauro à Gregorio põtifice amici eorum facti erãt, iam tandẽ sub Leone Italia uniuersa, & ipsa Roma potiti sunt. Zonaras tomo tertio.

Porrò in istam Imperij diuisionem, cum mutare non possent imperatores Cõstantinopolitani, quodãmodo cõsenserunt. Nam Nicephorus cum eo fœdus iniit, anno Domini 805. Sigebertus. Et postea Michael de pace & nuptijs filij sui Theophylacti, legatos ad eũdem misit. Paulus libro 24, rerum Romanarum.

Feliciter autem Imperium in Occidente administrauit Carolus Magnus, per annos tredecim. Sigebertus. Quo tempore Nicephorus annis 8. Staurarius 1. & Michael duobus, & Leo uno, Constantinopoli imperarunt. Qua tempestate hi insignes euentus acciderunt, qui ab historicis memoriæ proditi sunt.

In Asia.

Nicephorus ad Arabes seu Saracenos profligandos, in Phrygiã cum exercitu progressus, ad Gasson urbem uincitur: ac uix ex hostium manibus ipse, à suis quibusdam satellitibus liberatur, anno imperij sui secundo. Paulus libro 24.

In Perside seditio oritur: in qua compescenda dum Arabum dux occupatur, Nicephorus Ancyram Galatiæ, Thebasan & Andrasum munit, atq; copias in Saracenorum ditionem ad prædandum emittit, quæ ab hostibus passim attritæ parum effecerunt. Hac re irritatus Aaron dux Arabum, anno sequenti colligit exercitum trecentorum millium, ex Maurophoris & Syris: Tyanamq; transiens, capit Heraclium castrum ualde munitum, Thebasan, Malacopam, Sydropelum, Andrasum, & Euchaitarum metropolin. infestat etiam Ancyram, sed ab ea recedit. Nicephorus ei ob uiam progressus, cum uiribus imparem se intelligeret, pacem ab eo petit, ac paciscitur ei annuatim trecenta millia numismatum, & tria numismatum in tributũ capitis sui, ac tria pro capite filii sui pendere. Conuenit etiam inter eos, ne castra destructa ædificarentur, anno Nicephori quarto. Paulus libro 24. Domini uerò 803. Sigebertus: Zonaras tomo tertio. Arabibus regressis, Imperator pactum uiolat, castraq; instaurat ac munit. Quare hostis etiam pacem dissoluit, & Thebasan recuperat: exercitumq; in Cyprum mittit, ecclesias destruit, & Cyprios in alia loca transfert. anno eodem.

Mortuo Arabum duce in Perside, Mahumet & Habdallas fratres de regno dimicãt, anno Nicephori 7. Et post annos quatuor Mahumet ab Habdalla uincitur, & regnum inuitus cum fratre diuidit, ita ut ipse Gabdam, alter uerò Aegyptum & Africam acciperet. anno Domini 813. Sigebertus, Paulus libro 24.

In Africa.

In Aegypto & Africa turbæ sunt, dum Mahumet & Habdallas fratres de regno de certant. Nam duos partitos esse Aegyptum & Africam, testatur Paulus libro 24 rerum Romanarum, sub Imperio Michaelis.

In Europa.

Nicephorus Irenẽ ab Imperio excutit, & in Lesbum relegat, ubi paulo pòst moritur. Paulus lib. 24. Bardanes à legionibus Orientis Imperator salutatus, fuga sibi consulit: & à Nicephoro contra datam fidem, per Lycaonienses subornatos, in Prota insula in suo

in suo monasterio per insidias interficitur, anno secundo imperij Nicephori.

Imperator in Bulgaros mouet, anno imperij sui 5. Sed suorum perfidia & seditione impeditus, re infecta redit.

Anno sequenti, seditiosi quidam Arsabirum quæstorem & patricium, uirum pium & prudentem, Imperatorem designant: sed Nicephorus eum cum sua factione opprimit. Paulus libro eodem.

Ad Strymonem fluuium, dum stipendia militibus imperatoris soluuntur, Bulgares ex improuiso in eos irruunt: ac prætorem, proceres, milites q; cædunt: & totum ærarium, in quo erant millæ & centum libræ auri, diripiunt: ac paulo pòst dolo urbem Sardicam capiunt. Imperator contra eos ducit exercitum: cum autem à suis exigeret pecuniam ad Sardicam instaurandam, eos q; qui ex Bulgarica clade superstites erant, in graciam recipere nollet occasionẽ seditioni prębet, quam ægrè sedauit, anno imperij sui 9. Paulus libro eodem.

Leoni Armeniacorum prætori, talẽta sedecim & libras mille trecentas, quas ferebat in prouinciam, ad stipendia militibus distribuenda, Saracẽni eripiunt: anno eodem.

Imperator in Bulgariam cum exercitu uenit, ac Crunnum in maximas angustias redigit, crudeliter q; etiã in infantes sæuit. Hostis pacem petit: quæ cum ei non daretur, extrema experiri coactus, imperatorem ex improuiso obruit, & uictoria potitur. Paulus libro eodem.

Stauratius Imperator, dum conatur malis artibus uxori suæ imperium tradere, & Bulgaros in Christianos concitare, ac Michaelem sororis suæ maritum priuare oculis: id q; consilij cum Stephano præfecto, & patriarcha Nicephoro communicat, per eosdem ab imperio deturbatur, Michaele succedente, anno Domini 811. Paulus & Sigebertus.

Crunnus ad Michaelem legatos mittit, eiq; conditiones pacis offert, ut certum tributum soluat, & profugos sibi restituat. Imperator cum suis ea de re deliberat. Sed consiliariorum uariant sententię. Alij sentiunt, posse conditiones illas suscipi: alij uerò negant cũ pietate cõgruere illos, qui à Bulgaris ad Christianos profugissent, * reddere ad afflictionem, cum scriptum sit: Eum qui ad me uenerit, non eijciã foràs. Interea Bulgari Mesembriam capiunt. Imperator ad Reip. administrationem & bellũ gerendum iners, consiliarios rerum imperitos audit, & legiones ex omnibus prouincijs euocat in Thraciam. Leo & alij fortes uiri, de Mesembria expugnanda consulunt: uerùm ille aliorum ignauorum & imperitorum sequi tur rationes, & ociosus in castris agit. Crunnus copias suas educit, quæ initio facilè caedi potuissent, sed Leo & alij prohibẽtur eas aggredi. Tandem ad Adrianopolim cum eo set cum hoste confligendum, Leo Imperator rem ob ignauiam criminatus, suas legiones sequi iubet, & fugam capessit, aciemq; turbat. Alij trepidj etiam in fugam sese conijciunt. Hostis initio id excompositò fieri ratus, tardius in eos mouet: sed tandem recognita festinantius illos sequitur, & sine negocio plurimos prosternit, castraq; spoliat. Imperator Constantinopolim fugit, & rebus desperatis imperio sese abdicat, monachi habitu assumpto, anno Domini 813. Sigebertus, Paulus Diaconus libro 24 rerum Romanarum, Zonaras tomo 3.

Leo imaginum & sanctorũ mortuorum cultor, ad Imperium uocatus, Constantinopolin præsidio firmat: sed Crunnus Adrianopolin obsidet, & capit. Paulus libro 24.

In Italia Theate ciuitas à Frácis capitur, anno Domini 801. Et Ostoria ac Luceria deditionem faciunt, anno 803. Saraceni Sardiniã depopulantes, à Pipino superantur 807. Venetias idem, irritatus ducum perfidia occupat: quas tamẽ Carolus Nicephoro Imperatori reddit, anno 809. Annonius libro 4. capite 96. Mortuo Pipino Bernhardus filius, rex Italiæ à Carolo constituitur. Sigebertus. Mauri Cẽtumcellas Tusciæ oppidũ, & Niceam in Narbonensi prouincia uastãt, anno Domini 813. annales Francorum. Populonium Tusciæ oppidum Græci Orabitæ uastant. Annonius lib. 4. cap. 95.

In Hispaniis Barcinona à Francis expugnatur, anno Domini 801. Sigebertus & Eginhardus in uita Caroli. Et Dertosam Ludouicus obsedit, sed frustra. Annonius libro 4, cap. 95. Et ex Hispania Mauri in Corsicam irrumpunt, anno Domini 813. annales Francorum.

Auares & Hunni Francorum uirtute domantur, anno Domini 804. Et à Sclauis mexati, inter Sabariam ac Charuntum locum habitationis accipiunt: abiectoq; nomine regni, sub Francorum potestate sese esse fatentur. Et Boiemani à Carolo iuniore uincuntur: qui cum altero anno Sclauorum auxilio freti, rebellare tentassent, denuò superantur. Sigebertus: Annonius libro 4, capite 91. Soraborum dux Mileduochtus, interficitur à Carolo iuniore. Annonius lib. 4. capite 92 de Francis.

Saxones trans Albin habitantes, in Francorum ciam è Carolo transferuntur: & pagos eorũ Abroditæ accipiunt, anno Domini 803. Sigebertus, & Chronicon Saxoniæ.

Godefridus Danorum rex, Thrasiconem Obotritorum regẽ bello infestat, & pacem à Carolo

à Carolo petit anno sequenti: sed eam paulo pòst uiolat, quam tamen reemmingus fi-lius eius renouat. Mortuo autem illo, duo fratres de regno dimicant, & in acie undecim millia Danorum occumbunt. Sigebertus, & annales Francorum: Regino libro 2. Normanni ducentis nauibus in Frisiã irruunt, ac tribus prælijs uictores euadunt, centumq; libras auri pro tributo exigũt, anno Domini 810. Regino lib. 2. Eginhardus: Annonius lib. 4. cap. 96.

In Britannia etiam motus fiunt. Nam Egbertus quatuor regna Britaniæ in unum redegit, & regnare cœpit anno Domini 800. Vuilhelmus libro 2, capite 1, de gestis Anglorũ. Et Eardulphus Nordanymbrorũ rex, patria & regno pellitur: sed Carolus Magnus eum restituit, anno Domini 808. Et Normani in Hyberniam ingressi, prælio commisso, à Scotis repelluntur. Regino libro secundo, & annales Francorum.

SVB LVDOVICO PIO.

CArolo Magno ætatis suæ anno 72, è uita sublato, successit Ludouicus, à patre, & post annum à Stephano papa Remis ante biennium corona imperiali insigni tus, & post annum à Stephano papa Remis coronatus. Imperauit autem annis 26. quo tempore Constantinopoli dominati sunt Leo Armenius annis 7, Michael 9, Theophilus 10. Turbis autem & mutationibus uarijs etiam id spacium æui obnoxium fuit: quod paucis perstringemus.

In Asia.

Thomas dux legionis fœderatorum, cognita cæde Leonis, præ se fert uindicãdi studium, quo occulter imperij desiderijs: & copijs coactis, uniuersas Orientis prouincias occupat. ac Saracenos, qui audacius passim populabantur agros, profligat. tandem que cum eis pacẽ init, facta promissione, quod si imperium obtineat, cessurus eis sit de Romanis prouincijs in Oriẽte. Antiochiæ à patriarcha lobo, Imperator de more inauguratur. Parebant ei omnes prouinciæ Orientis, præter Opsicianam & Armeniacã, quarũ prætores ei reptugnabant. Michaelis copias contra se missas, in Asia passim cœdit. Zonaras tomo tertio.

Theophilus imp. Agarenos in Asia Romanas prouincias uastantes, primò uincit sed paulo pòst iterum aggressus, parũ feliciter pugnat. & uix à Manuelæ seruatur, ne in hostium manus ueniat. Manuel paulo pòst falsò delatus, quòd affectaret imperium, ut euadat periculum, fugit ad Saracenos, & ab ijs suscipitur sine adiuratione religionis. ac dum inter illos est, cõtra Persas sese præclarè gerit: sed tandem à Theophilo reuocatur. Saraceni, quarrò cõgressi cum Theophilo, cæduntur, & magna pars Syriæ uastatur, ac Sozopetra Amermumnis patria capitur. quod ille molestè ferens, ad Amoriũ Theophili patriã exercitũ ducit: & obsidione cinctam, proditione tandẽ capit. Zonar. tom. 3.

In Africa.

Nec Africa quieta fuit. nam Euphemius inde Agarenos in Siciliã euocauit. Zon. tomo 3. Qui cũ nõ possent Sicilia expelli, Ludouici exercitus, duce Bonifacio ex Italiã in Africã irruit, magnamq; stragẽ edidit, Afris prælio uictis: anno Dñi 828. Sigebertus, Annales Francorum. Ea calamitate moti, ex Sicilia Saraceni ad Africam defendendam discesserunt. Nauclerus generatione 28.

In Europa.

Leo ad Bulgarũ legatos pro pace mittit. uerùm ille oẽs cõditiones respuit pugna inita, Græci in fugã uertũtur. Imp. ex loco editiore agnoscens Barb. ros sine ordine dispergi ad persequendum, suos à fuga reuocat: & impressione facta, ingentẽ stragẽ edit, ac uictoria potitur. Crũnus sagitta ictus de equo decidit, & ægrè à suis est protectus atq; abductus. Zonaras tomo 3, anno Domini 815. Sigebertus, Paulus libro 24.

Michael Balbus, unus ex aulicis, cupiditate regni, cum alijs plurimis de cæde imperatoris cõspirat. Re aũt prodita, cũ accusatus & conuictus esset de crimine, ac ad ignẽ duceretur, uxor Imperatoris petit, ut differatur suppliciũ pòst festũ natiuitatis Dñi. Ducitur ergo in carcerẽ. interea socij cõiurationis, metuentes ne & ipsi indicati supplicijs afficiantur, moliuntur extrema: ac per insidias Leonem in templo inter cantores clara uoce sacros hymnos sonantem, aggressi interficiunt: & Michaelẽ ex uinculis eductũ, Imperatorem salutant. Zonaras tomo 3.

Thomas in Thraciã irrumpens, terra marique turbas ciet: & Michaelis classes atq; exercitus uincit, ac Cõstantinopolin obsidet, eamq; oppugnat aliquoties. quam cepisset nisi mortagon pulgarorũ princeps, cũ exercitu Imperatori suppetias tulisset. Ab eo enim fractę sunt eius uires: & Michael fugientem insecutus, Adrianopoli obsidet: ubi ciues inopia annonę uicti, tyrannũ illum capiunt, Imperatoriq; tradunt: qui eum manib. & pedibus trũcatum, in asinum locat, ignominiosoq; triumpho circumducit.

Paniũ, & Perinthus seu Heraclea, Thracię ciuitates maritimæ, odio Imperatoris partes Thomæ, etiã illo sublato, tuẽtur: sed Paniũ terræmotu mœnib. collapsis, Heraclea uerò mari expugnatur. Zonaras tomo 3.

Saraceni ob angustiam loci, ex Hispanijs colonias educunt: & passim Romanas insulas populãtes, in Cretã ferũtur, eãq; occupãt subactis incolis, classe imperatoria uicta, & Cratero duce cũ suis poculis uacanti cæso.

In Sicilia motus funesti excitantur ob nuptias monialis uirginis. Nam cum Euphemius,unus ex principibus,monacham duxisset:prętor,homo superstitiosus,id ingẽs scelus esse putat,& ad suppliciũ illum quęrit:qui elapsus in Africam, à Saracenorum Amyra copias impetrat,eisq; Siciliã prodit.

Dalmatia Romani imperij iugum excussit,imperãte Michaele Balbo:quod oraculo prædictum fuisse Zonaras tomo 3. innuit.

Luiduitus dux Pannoniæ inferioris,à Ludouici fide recessit:& Tomitianos, ac Guduscanos,qui à Bulgarorũ societate desciuerant,petebãtq; se recipi à Ludouico,abalienauit,& cõtra Cadoloch ducẽ Foroiulienſem arma cępit, ab imperatore aliquoties bello petitus,& tandem profligatus est. Annales Francorum.

Italia etiam suas clades experta est. Nam Bernardus rex Italiæ rebellionem cõtra Ludouicum meditatur:& læsæ maiestatis condẽnatus,oculis & regno priuatur, anno Domini 819. Pontifex & ciues Romani, Lotharium regem & imperatorẽ designãt,& cum eo quasi contra patrẽ eius cõspirant. Quare quidã ex nobilibus interficiuntur,& pontifex se de eo crimine excusat, & iureiurando purgat,anno Domini 823.

Saraceni à Romanis ex Babylone euocati, Italiam & suburbiũ Romæ infestant crebris incursionibus, anno Domini 830. ijdẽ post annos septem,cum ad portum Romanum appulissent,põtificijs & Neapolitanorum armis & turbine fugantur, Apuliamq; transitu populãtur.Martinus in Chronico.

In Gallijs hoc tẽpore motus plures fiũt. Nam Vascones ab obedientia Ludouici recedunt,sed uicti sub iugũ redeũt: & Lupus rex eorum in exilium deportatur,anno 819. Sigebertus: Annonius lib.4.cap. 102. Lotharius à Paschali papa coronã regni & nomen Imperatoris atq; Augusti accipit, anno Domini 823.

Hyldouinus Dionysiarius, Vala Corbeiẽsis, abbates,Ebbo Remorũ episcopus,Hugobertus Lugdunẽsis,Bernardus Viennensis, ac quidã alij episcopi, & Machofridus, Hugo,Landbertus,alijsq; Celtarum principes,Ludouico ob uxoris suæ Iudith libidines & tyrannidem abrogant magistratũ,& Lotharium ac Pipinum Cęsares designant. Imperator Neomagi in cõuentu copijs Germanorum adiutus,cõspirationis authores partim exilijs,partim bonis multat,& filijs suis ignoscit.Sed paulo pòst seditionẽ ijdẽ renouant:quam Gregorius põtifex Romanus,in Gallias aduolans,strenuè iuuat.Sparso enim rumore,quòd Ludouicũ excõmunicasset,pleriq; illũ deserunt. Qua re motus pater,in potestatem filiorum sese tradit.Episcopi & monachi, statim Iudith uxorẽ eius ab ipso separãt,ac in monasteriũ recõdunt. Abrogant etiam Ludouico imperiũ: quem Lotharius circumductum, Augustę Suelſonum in monasterium Methardi abdit,an nõ Domini 832.Sed biennio nondũ exacto, Ludouicus Bauarus, & proceres Germanię,ui Lotharium cogunt dimittere parentem:eiq; arma,imperiũ & uxorẽ restituunt. Ac tãdem omnis faba cuditur in episcopos & monachos,istius seditionis authores. Ebbo Remorũ archiepiscopus & socij eius, ab officijs remoti,in exilia pellũtur,anno Dñi 835.Sigebertus. Et Ludouicus soléni ritu à uinculo anathematis,quo iniustè ligatus erat,absoluitur à septẽ archiepiscopis. Aucti nus libro 4. annaliũ. Et Lotharius suppleto ad patrem ueniens,ei reconciliatur, eiq; dignitatem imperij & regni coronã attribuit, anno Domini 839.

Comites Narchæ Hispanicæ,trans Sicorim fluuium, in Hispaniã profecti, uastatis agris & incensis cõpluribus uillis,cum magna præda reuersi sunt.Annonius lib.4.capite 109.Sed postea Aeblus & Asinarius ad Pampilonem excurrentes,capiuntur. libro eodem,capite 111.

In Germania etiã non usq; adeò res quietæ fuerunt.Nam præter turbas,quas intestinum bellũ filiorũ aduersus piũ parentẽ excitauit,Moraui regi Boiorũ rebellãt,à Rathomaro & Brynnone Venedorũ rectoribus,exactati.Cõtra eos Boius exercitũ mittit,à quo Rathomarus interficitur:Brynno uerò fugatus sibi consuluit.sed tamen paulo pòst ad Ludouicum Bauarum sese recipit,& ueniã impetrat.Auentinus libro quarto.

Sorabos etiam rebelles,Saxones & Francis,ciuitate eorũ expugnata, ad obedientiam reducunt.Annonius lib.4.capite 102.

Nordomanni Frisiam insulã, Oceani Germanici oram inuadũt:& Antuerpiam acbicolam emporium,iuxta ostia Rheni & Mosæ incendũt: Doroſtadiũq; expugnãt, & uicinas urbes sibi subijciũt,anno Dñi 837.Anno sequẽti Valachaũ insulam uastant, tributumq; exigunt.Ludouicus re cognita,contra eos exercitũ conscribit:quod cum Nordomanni audijssent,pedem referunt.

Dani Harioldũ regẽ pellũt,q ad Ludouicũ cõfugit,& restitutionẽ petit,anno 815.Quare sequẽti anno exercitum in eos mittit,& obsides de obedientia & quiete Danos dare coegit.

Claomir Abroditarum princeps à fide imperatoris descisit,& cum Danis sese cõiungit:sed Harioldo restituto ille,capitur,& in exilium deportatur,anno Domini 820.

In Britannia Murmanus affectat dominatũ; sed à Ludouico Britones uincũtur, regeillum

illo interfecto, anno Domini 819. Annonius libro 4, capite 111.

In Anglia Bernulphus rex Merciorum, ab Eberto uincitur apud Hellendunum, anno Domini 826. Danorum manus piratica Egbertum primò in fugam uertit, sed postea superatur ab eadem. Vuilhelmus libro 2, capite 1. de Anglis. Burthredus Britones oppugnat, & Danorum piratas impugnat, anno Domini 837. idem.

SVB LOTHARIO.

LOtharius à Ludouico, contra fratrum suorum ac Germanorum uoluntatem designatus Imperator, annis 15 regnat in Occidente, dum Constantinopoli Theophilus 5, & Michael & Theodora 11 imperant. Eo autem temporis interuallo, hi mem orię proditi sunt insignes euentus.

In Asia.

Paulitiani hæretici, quos legati Theodoræ minis potius quàm erroris refutatione, & ueritatis demonstratione, ad imaginũ cultum reducere conabantur, ex impatiętia & metu periculorũ populũ omnẽ, inter quos erant in Oriente, ad defectionem sollicitát: & cum Ismaelitis coniuncti, multas clades Romanis intulerunt. Zonaras tomo 3.

In Europa.

Theophilus ob Amorium expugnatum, & pręstantissimos duces partim occisos, partim in captiuitatem abductos, cum de redemptione eorũ spem non haberet, in morbũ incidit: & Theophobũ, quẽ habebat suspectum de regni inuasione, interfici iubet, eiusq; caput amplectens inquit: Iam neque ego Theophilus sum, neque tu Theophobus, atque ita expirat. Succedit autẽ Michael filius eius adhuc puer, & Theodora mater ipsius. Zonaras tomo 3.

Rex Bulgarorum per legatos denunciat Theodorę bellũ. Cũ aũt illa respõdisset, fore ipsũ ignominiosum, siue uincat, siue uincatur, propterea quòd cum fœmina pugnasset: à bello abstinuit. & paulo pòst Christianam fidem amplexus, regionẽ illã quę Ferrea dicitur, ac prius Romanos & Bulgaricos fines distinguebat, & Debeltum interiacet, accepit habitandam. Zonaras ibidem.

In Italia Mauri, seu Saraceni, ex Africa erumpentes, grassantur: & inter alia oppida, Beneuentum occupant, anno Domini 844. Romæ Benedictus & Anastasius, de sede pontificia litigantes, turbas dant sanè funestas: quas Lotharius cõpescit, anno Domini 854. Sigebertus.

Inter alias insignes mutationes, fortè nõ postremum locum habet, quòd Romanus episcopus Ioannes octauus in meretricem mutatus, cũ sacra perageret, puerũ peperit: quare Deus hominũ oculis subiecit, Romã sedẽ meretricis Babylonicæ esse, Apocal. 17.

Gallia turbis sub hoc Imperatore satis est uexata. Nam uidit funestũ illũ cõflictũ quatuor fratrum Ludouici, Catoli, Lotharij & Pipini, in pago Antisiodorensi ad uillã Fontanedum: in quo maxima strage Frãcorũ facta, uires eorũ ita debilitatę sunt, ut ad fines suos defendẽdos, cõtra exteros nõ amplius sufficerẽt: uictoriã tamẽ Carolus & Ludouicus obtinuerũt, anno Dñi 842. ac coactus est Lotharius cum ijs partiri imperium. quod ita factũ est, ut Carolus Occidẽtis regiones, à Britãnico Oceano usq; ad Mosam fluuiũ: Ludouicus Orientis, scilicet omnem Germaniã, usq; ad Rheni flumẽ & ultra: Lotharius uerò Italiam, Romã, Lotharingã & Burgundiam, cum nomine & dignitate imperatoria, & Pipinus Aquitaniam acceperit, anno Domini 844. Sigebertus: & Helmoldus in Chronico Sclauorum, capite 4.

Normanni etiam Gallias populantur, & Parisios usque nauibus excurrunt, anno Domini 846. Sigebertus.

Post annos septem, alia manus Normannorum per mare Britannicum ostia Ligeris ingressa, urbẽ Nannetũ inuadũt, & Andegauiã atq; Turoniũ occupát, ac ueluti sęua tẽpestas omnia diruunt. Sed tandẽ cum annis 20 Franciã uexassent, in patriã suam reuersi sunt: & in sese inuicẽ mutuis cædib. adeò sæuierunt, ut de regia stirpe tãtum unus puer manserit superstes. Sigebertus.

Pipinus & Carolus, filij Pipini, Carolo regi Francorum turbas in regno suo excitantes, capiuntur, & in monachorum ordinem rediguntur, anno Domini 852.

Nec Germania tranquilla ubique fuit. Nam Obotriti defectionem moliuntur: sed Ludouicus occiso rege eorum, ad fidem & obedientiam eos reducit: ac principes, qui ius illis dicant, constituit.

In Saxonia liberti conspirátes cõtra dominos suos, in cœtum coeunt, armaq́ue capessunt, freti occasione intestini belli inter Francos: sed Ludouicus reb. in Gallijs non nihil pacatis, in eos exercitum ducit, atque capitali supplicio seditiosos afficit, anno Domini 843. Sigebertus.

Frisij cum Normannis ter prælium committentes, bis uincunt, sed tertiò superantur, anno Domini 846.

Dani classe piratica per Rhenum subuecti, coloniam obsident, & ad Albim Hamburgum excindunt. Helmoldus in Chronico, capite 5.

Bohemi rebelles, cũ Francis manus cõserunt, & uictores euadũt, anno Domini 850.

Britones etiam arma aduersus Carolũ sumunt: quibus ille dum occurrit, parũ feliciter pugnat. Sigebertus.

SVB LVDOVICO SECVNDO.

LVdouicus filius Lotharij, à Sergio rex Longobardorum consecratus, imperator à Lothario, in prumiese monasteriũ se se conferente ad expiandam impietatẽ, qua aduersus patrem suum fuerat usus, designatus, annis 21 præest Occidenti, dum Michael 13, & Basilius 7 Oriẽti. Quo tempore has in regnis mundi turbationes, miseri experti sunt mortales.

In Asia.

Michael Saracenis bellum infert: & dum ad Samosatam circa Euphratẽ castra negligentius locat, ex improuiso ab hostibus obruitur, & uix fuga elabitur, omnibus suis rebus direptis. Secundò cũ ijs congressus, rursus uincitur. Sed postea Petronas exercitũ contra eos ducens, uictoria potitur, interfecto duce illorum Amer. Zonaras tomo 3.

Contra Saracenos & Manichæos, in Oriente, puincias Romanas incursantes, egressus Basilius, urbes multas capit: & traiecto Euphrate, terras eorũ populatur, ac prædas agit. Eo aũt abscedente, Chrysochirus princeps illorum uindictæ cupidus, uicissim in Romanas excurrit prouincias, & prædatur, qui ab exercitu imperatoris exceptus interficitur. Zonaras tomo 3.

Non multo pòst, imperator Syriæ bellũ infert, & quædã castella expugnat, quędam per deditionem capit. Deinde Germanicia am inuadit, & Adaram suburbijs exustis obsidet, sed re infecta discedit. Zonaras tomo eodem.

Tarsenses & Melitinæi Saraceni ab Andrea duce profligantur, Esmas autem Amiras eorum, classe Euripi urbem impugnat, sed frustra. ex uulnere enim perit, & copiæ eius dissipantur.

In Europa.

Michael annis pueritiæ absolutis, cõsilio Bardæ auunculi Theoctistũ occidit: & matrem ab imperio remotam, in monasterium cum sororibus abdit.

Rossi, gens Scythica, Tauri mõtis accola, classe pontum Euxinũ transit. agros Byzantios depopulatura, diuinitùs impeditur, ut re infecta pedem referat. Zonaras tomo 3.

Saraceni Cretẽses Cycladas insulas infestãt. Basilius Macedo, cõtra Cretẽses Saracenos expeditionẽ suscipit: sed ab ijs uictus pedem refert: & Christophorũ affinẽ suum secundò mittit, qui de uictis triumphat. Zonaras tomo 3. sub Basilio. Sed postea ijdem per nauarchum Romanorum Nicetam patricium nauali pugna uicti, Peloponnesum & uicinas insulas uexant: & paulò pòst ad portum Cenchrearum classes eorum partim captæ, partim igne absumptæ, partim submersæ sunt.

Maxima pars Siciliæ, sub Michaele Carthaginensibus Saracenis erat tributaria facta. Segart Beneuẽtanorum dux occiditur, & Saraceni in urbẽ recipiũtur. Adon Vienen sis ætate 6. Iis Ludouicus Imperator cũ Lothario fratre occurrit, anno Domini 867. Sigebertus, & Regino libro 2. Chronicõ Calsinense libro 1. capite 38. Adon ætate 6. Rogusium autem ab ijsdem obsessum, petitu xiliũ à Basilio imperatore, qui centũ nauebellicas eis subsidio mittit. De aduẽtu earũ certiores facti, obsidionẽ soluũt, & Longobardiã inuadũt, urbẽq; Bareos capiũt, ibiq; propugnaculũ sibi parãt. Cæteræ ciuitates similiter à Basilio petunt auxiliũ, eiusq; imperio sese subijciũt. Cũ aũt ille legiones misisset cõtra Saracenos, petijt à rege Frãcorũ, ut ijs præesset. Ille cũ hoste cõgressus, uictoria potitur: & Sultanũ eorũ seu Adalgisum ducẽ Beneuentanorũ captũ, Capuam ducit. Post biẽniũ cum nõnihil ei carcere mitigasset, Adalgisus consulit Ludouico, ut si uellet pacatum in istis urbibus habere dominiũ, proceres transferat aliò. Bonum consilium esse ille ratus, parat uincula ferrea. Interea uerò Adalgisus ea de re ad ciues refert. quæ cognita, illi Ludouico urbem egresso portas claudunt, & Adalgisum dimittunt, qui paulo pòst Capuanis & Beneuentanis bellum infert. Zonaras tomo 3. Sigebertus uerò narrat, Adalgisum à Græcis seductũ, Ludouico rebellasse, & multas Italiæ urbes ab eius fide abduxisse: quamobrem Imperator rem Beneuẽtum & Capuam cepisse, sed deinde eius circumuentum dimisisse exercitũ, & postea coactũ iurare quòd nunquá fines Beneuentanorum ingredi uellet. ideoq; Senatum Romanum, eum maiestatis reum & hostẽ publicũ iudicasse. Verùm illũ cum bellum cõtra se decretũ cognouisset, in Corsicã aufugisse, anno Dñi 873. Chronicon Calsinense lib. 1. capite 38. Regino libro 2.

In Gallijs Franci nouas turbas exeitant. Nam Carolum crudelitatis accusant ad fratrem suum Ludouicum: eumq; petunt, fratre pulso ipse suscipiat principatũ. quod ille insatis imprudenter facit. nam occupato fratris regno, proditoribus iterum ad Carolum deficientibus, ipse cum dedecore alienis finibus excedere coactus est, anno Domini 858. Sigebertus. Regino libro 2.

Istud intestinũ dissidiũ, suã arbitrãtes fortunã Britones, Gallias inuadunt, & usq; ad Pictauos omnia uastant: Carolum regẽ sese prosequentẽ cædunt. ob quam cladẽ ille cũ Britonum rege Heruspoo fœdus init, eisq; locum habitationis in Gallijs cõcedit, anno Domini 861. Sigebertus. Regino libro 2.

Normãni etiã, quos suprà diximus ex Gallijs regressos, redeunt: & Nannetum, Andegauenſium

gauensium, Pictauorum, & Turonensium fines populantur: & Ranulphum Aquitaniæ ducem, ac Robertum cõtra sese exercitum ducentes cædunt, anno 866. Regino lib. 2, Auentinus lib. 4.

Carolus rex Francorũ filium suũ Carolomannũ, quẽ inuitũ fecerat clericum, cum ea professione abiecta regnũ affectãret, & collecta manu ecclesias uastaret, cepit & oculis priuauit. Eam impietatẽ Deus ulcisces, filiũ eius alterũ cũ Albino milite cõgressum, occidi permittit, anno Dñi 872. Regino lib. 2.

Normanni uerò Andegauium occupant, & sedem habitationis ibi figunt: quos Carolus copijs coniunctis cum Britonibus aliquandiu obsidet. tandem uerò pecunia accepta, eis exitum concedit: quæ res illis occasionem præbuit ad maiores clades Galliæ inferendas, anno Domini 875. Regino lib. 2. Ganguinus, Mutius & alij.

In Germania Ludouicus rex in Sclauis domandis occupatus fuit: ac tandem post multa prælia, Rastricem principem eorum captum, propter uiolatam fidem oculis priuat, anno Domini 859. Sigebertus, & Regino lib. 2. Et postea iterum uario euentu cum ijsdem ab exercitu Ludouici pugnatur, anno Domini 873.

Normanni etiam Germaniam infestantes, tributũ exigunt: sed Ludouicus rex exercitum contra eos ducit, atque ex finibus suis pellit, anno Domini 874.

Ethelwulphus cum duxisset Caroli Calui filiam, & in Angliam esset reuersus, coactus est cum filio regnum partiri, partemq; deteriorem accipere. Vuilhelmus lib. 2, cap. 2. de Anglis. Et postea circiter annũ Domini 860, piratæ Hamtimam & Vintonium populantur: & in Thanato insula hyemantes, Cantios affligunt. Sed tandem ab ijs expelluntur. Vuilhelmus lib. eodẽ, cap. 10. de Anglis. Post annos septem Dani cum duce Oleg apud Esendunũ, per Elfredum & Ethelredũ acri prælio cæduntur. lib. eodẽ cap. 12. Vix quinque annis elapsis, Elfredus iunior cum nouẽ annis cum hoste bellum gessisset, tandem eò inopiæ est redactus, ut uix tribus pagis in fide manentibus, in insulam Adelingiam profugerit. lib. eodem, capite 14.

SVB CAROLO CALVO, ET *Carolo iuniore, seu Crasso.*

SVb Carolo Caluo, qui duobus, & Carolo iuniore, qui duodecim annis Imperium Occidentis administrarunt, hæc accidisse scribuntur.

In Asia.

Arabes ex Mesembria, cognito Romanæ lassis ocio, nauibus aduecti, Phœniciæ & Syriæ oram infestant. Zonaras to. 3.

In Europa.

Saraceni ex Aphrica nauibus sexaginta erumpunt: & Romanas insulas usq; ad Cephaleniã & Zacynthum populãtes, à Narsa classiũ præfecto reprimũtur, qui etiã urbes ab ijs in Sicilia occupatas impugnat. Syracusanis etiã subsidiũ Basilius misit cõtra Saracenos, sed parum profecit. Zonaras to. 3.

Leo filius Basilij, Imperator à parẽte designatus, à Santabareno mago persuasus, pugionẽ fert in calceo, dum uenatum abit. Magus aũt parẽti eius indicat, filiũ suũ insidias ei struere, & pugionẽ in calceo gerere ad necem suã. Basilius calumniatori fidẽ habet: & pugione reperto, filiũ in carcerẽ duci curat. in quo cum diu fuisset, senatus sua intercessione uix eum liberat. Zonaras tomo eodẽ.

Italia multis obnoxia fuit turbis. Nã Hugo dux Longobardiæ, cognita Basilij morte, fœdere Romano sublato, omnẽ sibi prouinciã uẽdicat. Quare Leo Imperator Mensæ prẽfectum, cum Occidentalibus legionibus contra eum misit: qui prælio uictus, ferè omnibus quos deduxerat amissis, ægrè fuga elapsus est. Zonaras tomo eodem.

Bosonem Germanum Carolus Caluus regem Longobardorum fecit, data ei nepte sua in uxorem. quod molestè ferẽs Carolomannus & Carolus, exercitum contra eum ducunt: quo cognito, Carolus Caluus in Gallias fugiturus, in itinere à Zedechia iudæo medico per potionem necatur, anno Domini 878. Sigebertus, & Regino lib. 2.

Carolus fratre suo Carolomãno mortuo, Germaniẽ regnum, Longobardorum fines, & totã Italiã occupat: Romamq; ingressus, à pontifice & senatu Imperator designatur, anno Domini 881. Regino lib. 2, Sigebertus.

Grassati etiã passim sunt Saraceni, quos ex Agropoli Docibilis dux Caietanorum euocauit, cõtra Pandenulfum Capuę ducẽ. Licet aũt pontifex Docibilẽ promissionib. sibi reconciliasset, & ut in Saracenos arma uerteret effecisset: tamen coactus est Garilianum illis concedere habitationis locum, unde infestarunt uicinos. Chronicon Casinẽse lib. 1. cap. 45.

Nec Germania expers calamitatum fuit. Nam Ludouico Imp. mortuo, Carolus Caluus rex Francorum Romã abit: datisq; muneribus, à Ioanne papa creatur Imperator. Frater eius Ludouicus rex Germaniæ id indignè ferẽs, statim ei bellum parat, eo quòd se inconsulto fratruelis partes occupasset. sed antequam res ad prælium ueniret, Ludouicus moritur, relictis tribus filijs, Ludouico, Carolo & Carolomãno. Ea occasione fretus, cũ 50 millib. aut eo amplius Aquisgranũ & Coloniã uenit, regno filios fratris priuaturus. Verùm Ludouicus iunior exer-

citum ex Saxonia, Thuringia, & Orientali Francia conscribit, eiq; obuiam procedit: & ad pagum Meginensem non longè ab Andernaco, collatis signis dimicatur. & licet numero pauci essent, qui cum Ludouico uenerant: tamen Dei auxilio & causæ bonitate freti, numerosas illas copias Caroli cædunt, eoq; fugato tres illi fratres regnũ partiuntur, anno Domini 876. Regino lib. 2.

Carolomānus cõtra Sclauos multa prælia fecit: in quibus omnibus uictoriã reportauit, & regnũ suum ampliauit. Regino lib. 2.

Gallia tumultibus plena fuit. Nam in ea grassantur Normāni: de quibus tamẽ à Francis quinq; millia cædũtur, anno 879. Ludouico Balbo rege Francorum mortuo, dissensiones fiunt de successore. alij Bosonem, alij Ludouicum & Carolum Balbi filios ex pellice natos uolunt. Boso cum exercitu statim adest, & Burgundiam occupare conatur: uerum Hugonis abbatis industria & studio, Ludouicus & Carolus regnũ obtinent, Bosonemq; reprimunt. Alter Ludouicus, qui Austrasijs imperabat, Mosam traijciens, etiã uenit occupatum Burgundiam: sed illi ipsi duo adolescentes, ei cum ualida manu occurrũt. Intercedentibus autem proceribus Francorum, à conflictu abstinetur: & Ludouicus accepta parte regni Lotharij, & abbatia Atrebatis Vedasti recedit: & ex obuijs Normannis iuxta syluam Corbonariã, plures quàm nouem millia cædit, filio tamen suo Hugone amisso, anno Domini 880. Sigebertus, & Regino lib. 2.

Normāni adiunctis sibi Danis, Franciam & Lotharingiam peragrantes, Ambianam, Atrebates, Corbeiam, Cameracum, Taruennam, fines Morinorum, Menapiorum, Brachatésium, omnemq; circa Scaldũ fluuium terram, monasterium Vualarici & Richarij ferro & igni uastant: & Valam fluuium ingressi, Batuam totã & Neomagum palatiũ occupãt. Ludouicus cum exercitu aduolat, atq; obsessos cogit in conditiones de exitu consentire: quas tamen illi non integrè seruant. Nam palatiũ egressi, & munitionẽ incendunt, & hostia Rheni repetũt, anno Domini 882. Sigebertus, & Regino lib. 2.

Eodem & sequenti anno Godefridus & Sigefridus Normannorũ reges, magna multitudine peditũ & equitũ ad Mosam, in loco Haslou considentes, finitima loca populantur: & Leodium urbẽ, Traiectum castrũ, & Tungrense oppidũ Vulcano sacrificant. Deinde in fines Repuariorũ effusi, cædibus, rapinis & incendijs omnia infestant. Coloniam Agrippinam, Bunnã, Tulpiacum, Vilipiacum, & Nuem, palatium Aquis, monasteriũ Stabulaus, Malmudariũ, Indam, Prumiam in cineres redigũt: & eius regionis homines pro defensione suorũ arma capientes, more pecudũ mactant. Regino lib. eodem.

Hugo etiam filius Lotharij ex Valdrada pellice, & Boso, in Lotharingia grassantur eodem temdooe.

Interea Ludouicus Francofordiæ moritur. quo cognito, Normāni Treuirim expugnant, & flammis consumunt, ac Mediomatricũ tendũt. Cum autẽ Valam & Bertolphũ episcopos, cũ Andalhardo comite obuios habuissent, ac pugna inita uictores euasissent, cæsosq; spoliassent, cũ ingenti præda ad classem sunt reuersi, anno Domini 882. Sigebertus, & Regino lib. eodẽ. Carolus ex Italia euocatus, copias adducit ex Longobardis, Boiarijs, Alemannis, Thuringis, Saxonibus: Frisijs, Normannosq; oppugnat: sed parũ feliciter, propter iram Dei, quæ populum suũ affligebat, ob idololatriã sanctorũ mortuorũ. Tandẽ autẽ Godefridus Normannorũ rex de pace agit, & Frisia prouincia atq; Gisla Lotharij regis filia accepta, discedit ab armis. Sigefridus etiã acceptis muneribus cũ Normannis abit: sed paulo post reuersus, à Carolomanno pro pace duodecim annorum, duodecim millia puri argẽti exigũt: ijsq; acceptis, funes à littore soluũt, & in Daniã reuertuntur, anno Domini 884. Sigebertus & Regino lib. eodẽ. Mortuo autẽ Carolomãno, cohors ista Normannorũ reuersa denuò prædas agit: admonita autẽ de uiolato pacto, respondet, se cum rege, & nõ cum populo fœdus inijsse: ac nisi nouus rex tantundẽ tributi pendat, nõ fore eius regnũ pacatum. Galli his minis territi, Carolo regi Francorũ sese subijciũt, ob spem præsidij & defensionis. Normāni uerò duplici agmine incursant Franciã. Nã alij ex Danemarca per missu Godefridi, per Frisiã ad Rhenũ ascendũt, & Dinsburgũ oppidũ capiunt: ibiq; in hybernis agũt. Sed tamẽ ab Heinrico duce, ab excursionib. arcẽtur. quare uere nouo re infecta, ad maritima loca sese recipiũt. Alij uerò à Sono fluuio egressi, Louanium obsidẽt. Carolus copias contra eos mittit semel atq; iterum, sed nihil laude dignum efficit. anno Domini 885.

His accedit alia calamitas. Nam Hugo filius Lotharij ex pellice Vualdrada, seditionẽ cõmouet cõtra Carolũ, sperans se regno Lotharingię potiturũ: ac promissionib. largis Godefridũ in societatẽ belli attrahit. Sed Imperator per Heinricũ ducẽ, & Vuilberũ Coloniæ episcopũ, in Batua, quæ nunc Hollandia uocatur, simulantes pacis actionem, Godefridũ nil tale suspicantẽ, cũ suis interficit: & Hugonem in uilla Gendulphi eadẽ fraude cõtra fidẽ datá cepit, atq; oculis priuatũ monachũ effecit, socijs eius & amicis oppressis, an. Dñi 886. Sigeb. & Regino li. 2.

Nor

Normanni autem Louanio digressi, Parisios obsident: contra quos cum Heinricus cum exercitu uenisset, & castra eorũ speculatorus excurrisset, incidit in foueas, quas hostis effoderat, & paleis compleuerat: itaque trucidatus est anno Domini 887. Sigebertus, & Regino libro secundo. Imperator ipse non multo pòst adest cum immenso exercitu: sed cum Normannorũ copiæ essent ad triginta millia uirorum fortium, nec uideretur sine magno discrimine cædi posse, pacem cum ijs facit: qui regiones illas, quæ ultra Sequanã sunt, Neustria dictas, quarũ incolæ iugum Imperatoris excusserant, occupant: ibique considentes, Normanniam appellant, anno Domini 888. Sigebertus, & Regino.

Imperator anno sequenti Luiduardũ episcopum Vercellensem, cũ uxore sua Richardem familiarius quàm oportebat conuersantem, ob adulterij suspicionẽ expellit, & uxorem in cœtu aulicorũ accusat: ac disertè indicat, se cum ea in toto isto decennio, quo sibi nupta fuisset, non concubuisse. Illa uerò sese purgat de obiecto crimine: atq; ab ipso separata, in monasteriũ abit. Altero anno in concilio deficiunt, eo quòd non grauius animaduertisset in Normannorũ duces captos, sed cum muneribus eos dimisisset in perniciem reipublicæ: atque Arnolphum Caroloman ni filium Imperatorẽ designant. Ille ab omnibus desertus, uictum ab Arnolpho petit, eiq; filium suum Bernhardum commendat. Regino libro 2, Helmodus capite 7, in Slauorum Chronico.

Hastingus Anglia pulsus, Gallias uastat, anno Domini 879. Vincentius libro 23, capite 40 & 44.

Dani grauissimo bello uicti, Anglia excedere coacti sunt, circiter annũ Domini 882, præter eos qui Christiani fiebant. Nam & illi manserunt, & Gormo rex eorũ Northumbris ab Elfredo est præfectus. Vuilhelmus libro 2, cap. 14. de gestis Anglorum, & Polydorus, Funcius, & alij. Post annos quinq; Rollo Danus, magno iuuẽtutis numero sibi adiuncto, sedes nouas quærẽs, Angliã inuasit.

SVB ARNVLPHO.

Arnulphus annis 12 administrat Imperium in Occidente, Constantinopoli Leone regnante: quo tempore hæc accidisse scribuntur.

IN ASIA.

Agarenos Asiam populãtes Andronicus uincit, & Cabalã castellũ nõ procul ab Icornio expugnatũ munit: atq; ad Imp. delatus sibi metuit, & ad Saracenos deficit: qui interceptis literis Imperatoris, p quas reuocabatur, illũ in carcerẽ conijciunt, quo perijt.

IN EVROPA.

Simeon Bulgarorum rex, Leoni bellũ infert, propter uectigalia à suis mercatoribus iniustè exacta per auariciã præfectorũ: & Imperatoris copias cædit, captosq; uasis pręcisis Byzantiũ remittit. Leo Turcos Istrũ accolẽtes, qui & Vngri uocãtur, munerib. in Bulgaros cõcitat, & ipse terra mariq; eos aggreditur. Turci Bulgaros uincunt, & plurimos capiũt, quos Leo ab illis redimit, anno Domini 889. ut ex Reginonis li. 2 colligitur. Interea Bulgarus simulatè pacẽ petit, si capti restituantur. uerùm nec illis redditis, ab armis discesit. Quare Leo omnibus legionibus suis coniunctis, in eum mouet: sed uictoria penes Bulgarum fuit. Zonaras to. 3.

Imperator uana opinione dementatus, quasi ædificatione templorum possent expiari delicta, gnauiter in ea re laborat. Nautis autẽ ædificationi destinatis, uacant classes. Quare Saraceni Lemnũ & Taurominiũ leui opera occupant, multosq; Christianos interficiunt. Zonaras to. 3. in uita Leonis.

In Italia motus funesti excitati sunt à Berengario & Guidone, de principatu contendentibus. Carolo regnãte duo isti duces inter se clã partiti fuerãt regnũ, & cesserat Berengario Italia, Guidoni Frãcia. Mortuo ergo illo, Guido Romam abit, unctionemq; à pontifice accipit: Berengarius uerò interea Italiã occupat. Dum aũt abest Guido, Franci Odonẽ regẽ designãt: qui rebus potitus, Guidonẽ ex Italia aduentantẽ reprimit. Ille Francis se imparẽ fore existimãs, de Berẽgario expellẽdo init consiliũ: & contractis copijs Italiã inuadit, Berẽgariũ bis uincit, anno Domini 892. Sigebertus & Luitprandus lib. 1, cap. 6. de rebus gestis in Europa. Victus ab Arnulpho Imperatore, cui promisit regnũ Italiæ, auxilium petit & accipit: sed collatis signis Guido iterum uictoriam reportat, anno Domini 897.

Anno sequẽti Arnulphus cum multis copijs Longobardiam ingressus, Pergamenũ urbem capit, & comitẽ eius Ambrosium de laqueo ad portam suspendit. ea re territę cæteræ urbes, deditionem faciunt. Paulo pòst cum exercitu Romã accedit, à pontifice Formoso accersitus propter seditionẽ ciuiũ. Cũ aũt nõ intra urbẽ admitteretur, expugnatis muris eam capit, & hostes Formosi capitali supplicio afficit, an. Domini 899. Postea cõtra Guidonẽ mouet, sed is fugæ sese cõmittit. uxor eius obsessa, corrũpit ministros Imperatoris, qui poculũ ueneno infectũ ei prębent: unde lethargo correptus, post triduũ uix excitari potuit, ac ægrotus recesit, anno Domini 901. Luitprãdus lib. 1. à cap. 6. usque ad 9. Sigebertus. Molestabant etiam Saraceni Italiam, capto Fraxineto. idem.

Gallia

Gallias uerò & Francia multas insignes mutationes est experta. Nam Radulphus in Burgundia regnum constituit, anno Domini 890. quod multos annos postea durauit. Regino libro 2. & Sigebertus.

Normanni cum frustra Parisiorum mœnia oppugnassent, in Burgundiã recedunt, & Senonensem urbem simili modo tentãt: sed repulsam passi, per Macronem fluuium Trecas urbem incẽdunt, & uicinas, usq; ad Viridunum & Tullum cuncta populantur, anno Domini 892. Sigebertus, & Regino libro 2. Inde iterum Parisios aggressi propulsantur: quare Britonum fines incessunt, freti eorũ intestino dissidio. & primo prælio uictores, secundo conflictu succumbunt, duo decim millia ex suis desiderantes, anno Domini 894. Pro ea uictoria Alanus rex Britonum decimas Deo & sancto Petro Romã misit. Regino lib. 2.

Anno sequenti in Lotharingia circa Leodium pugnã cum Christianis committunt, & uictores euadũt: ac Vuormaciã usq; progressi, Sunderoldum Moguntinum episcopum trucidant. Regino lib. 2. Arnulphus igitur Imp. cum ualido & numeroso exercitu cõtra eos uenit: & ad fluuinm Tiliã cõmisso prælio, illam barbarorum colluuiẽ adeò cõcidit, ut uix superessent qui ad classem eorum nuncium ferrent. quæ postquam stragem suorũ cognouit, Mosam transijt, & Ribuariam & Arduennam spoliauit, ac transmare aufugit, anno Domini 895.

Franci neglecto Carolo Ludouici Balbi filio, Odonem sibi præfecerant regem, anno Domini 890. qui Danos ad Axonã fluuium uicit, & Vualtharium seditionẽ machinantem oppressit, atq; illas suas partes strenuè tutatus est cõtra hostes: sed malam gratiam pro isto beneficio recepit. Nam cum in Aquitania abesset, & Ramnolfum & fratrem eius, Ebulonem, & alios rebelles domaret, Franci Carolum Ludouici filium in regnum paternum reuocant, atque à Falcone Remensium episcopo regem inũgi curant. anno Domini 894. quę res nouas turbas dedit. Nam contra Odonem Carolus arma capit: qui ex Aquitania adueniens, eum cõ fugat. quare ab Arnulpho copias auxiliares impetrat, quæ Odonẽ aggredi non sunt ausæ, anno Domini 806. Illo autẽ mortuo, ad Carolum Francorum regnum redijt post annos tres.

In Gallia turbas auxit Zuenteboldus, Arnulphi filius. Cum enim pater eum regem Lotharingiæ creasset, anno Domini 890. ut xta Sigebertum (Regino annum minus numerat) copijs contractus Lugdunum obtinuit. sed inde recessit, cum cognouisset Odonem ex Aquitania sibi occurrere. Non multo pòst idem Treuerim occupauit.

Turcæ seu Vngari in Bulgariam à Leone euocati, ceperunt Pannonias, & postea Carantanos & Marahenses crebris incursionibus diuexare. Quare ut ijs propulsandis par esset Zundebaldus Sclauorum Marauenorum rex, Arnulphus Imperator ei ducatũ Boiemorum, qui hactenus à principe eius gentis administratus fuerat, concessit. uerùm ille immemor beneficij fretus suis uiribus, tributa Imperatori reddere denegat, & iugum eius excutere parat. Arnulphus re cognita, copias contra eum ducit: & gentem Vngarorum, fractis munitionibus, quas Claudas uocant, in auxilium uocat: atq; ita Zuentheboldum Marauorum regem domat. Luitprandus lib. 1. cap. 3. de rebus Europæ, anno Domini 893. iuxta Sigebertum. Regino libro 2, tres annos minus habet. Vngari litum & cõmoda regionis obseruantes, post mortem Imperatoris reuersi, maximis cladibus affecerunt Germaniam & Italiam, ut suo loco dicetur.

FINIS NONAE CENTVRIAE.

DEO SOLI GLORIA.

LOCORVM SCRIPTVRAE S▸ QVI IN NONA ECCLESIASTICAE HISTORIAE CENturia explicantur, INDEX.

Prior numerus paginam, secundus uersum significat.

Gen.1. Faciamus hominem ad imaginem nostram 65.3
Exod.3. Congrega mihi 70 uiros de senioribus Israel 407.20
Psal.2. Filius meus es tu, &c. 49.20
Psal.21. Ego autem uermis sum, & non homo 46.4
Psal.41. Abyssus abyssum inuocat 56.47
Psal.50. Et in peccatis concepit me mater mea 111 10
Psal.55. Eruisti animam meam ex inferno 46.59
Psal.67. Principes Iuda, duces eorum principes Zabulon, &c. 46.40
Psal.80. Cœli enarrant gloriam Dei 116.51
Psal.90. Priusquam montes fierent, aut formaretur terra 103.22
Psal.94. Hodie si uocem eius audieritis, &c. 128.20
Psal.110. De torrente in uia bibet 46.14
Esaiæ 6. Sanctus, sanctus, sanctus 65.20
Esa.38. Dispone domui tuæ, &c. 89.44
Esa.39. Non fuit uerbum in domo mea, &c. 52.43
Esa.45. Formans lucem, & creans tenebras 93.14
Esa.56. Speculatores eius cæci omnes 53.34
Ionæ 3. quis scit, si cõuertatur, & ignoscat Deus 48.58
Oseæ 13. Ego cognoui te, &c. 48.35
Matt.5. Diligite inimicos uestros 46.50
Matt.11. Regnum Dei uim patitur. ibid.23
Matt.12. Omne peccatum & blasphemia. ibid.20
Matt.16. Tu es Petrus, & super hanc, &c. 221.46
Matth.13. Proferens de thesauro suo noua & uetera 55.33
Matt.27. Velum templi scissum est 57.40
Matt.28. Baptizantes eos in nomine, &c. 64.10
Luc.10. Infundens uinum & oleum 46.30
Ioan.6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. 47 10
Ioan.19. Et continuò exiuit sanguis & aqua 46.10
1. Timoth.1. Iesus Christus uenit in mundum peccatores saluos facere 46.45
2. Pet.2. Vobis relinquens exemplum 47.23

RERVM ET VERBORVM IN NONA ECCLESIASTICAE HISTORIAE CENTVRIA, præcipuè memorabilium INDEX.

Abbas Fuldẽsis à latronibus uexatus 26.35
abbates à monachis electi 269.47 item à pontificibus. ibid.54 à regibus & imperatoribus 56 abbates legationibus functi 270.51 pluribus sæpe monasterijs præfecti 269.24
abbatibus ab episcopis ad concilium prouocare concessum 271.32
abbatibus sine principum consensu peregrinari interdictum 271.42
abbatum munus 270.3. & inde
abbatum contractus de rerum emptione aut commutatione facti, sine regum assensu irriti 277.14
abbatissarum officia 271.13. & inde. & 399.12
de Abbatissarum munere canon Cabilonensis synodi 271.14.
abbatissis monasterium sine episcopi consensu exire interdictum 271.25 &
Abdiæ sepulchrum 277.56
Abraamus Hunnorũ regis filius ad Christi fidem conuersus 14.54
absolutionis ritus 242.21 finis 146.40
acceptio personarum apud Deum nulla 59.48
apud Acciniacum Synodus 443.47
accipitres alere, episcopis interdictum 302.30
Achab regis pœnitentia 129.10
acoluthi 251.51 & 293.37
Adalbertus comes à Dillingen & episcopus Augustanus 542.44
Adalbertus Morinensis episcopus 530.10
Adalgarius abbas S. Viti 258.59
Adalgarius Brumensis episcopus 12.60
Adalgarius Corbeiensis episcopus 569.27 eius amici 570.55 certamina 569.57 curriculum uitæ 571.4 eius opera infunctione. ibid.45 item scripta & doctrina. ibid.35
Adalgarij Hamburgensis, & Hermanni Colonienſis episcoporum dissidium 451.10
Adalgisi hypocrisis 287.5
Adalouinus Reginoburgensis episcopus 361.56
Adalperus Augustensis episcopus 11.24
Adelbertus Frisingensis episcopus & abbas Campidonensis 297.50
Adelbertus Morinensis episcopus 9.40 eius confessio ad Hincmarum scripta 34.12 & 252.16 & inde
Adelberti reliquijs lignea ecclesia ædificata 228.45
Adelhardus Corbeiensis abbas 362.27
Adelhelmus diaconus Moguntinus 549.53 eius insidiæ Otgario structæ ibid.56
Adeluinus Reginoburgensis episcopus 11.33 & 539.28 eius mors 539.34
adiaphora 181.30
Adolramus Saleburgensis episcopus 539.10 eius mors 539.16
Adrianus II. pontifex Rom. 507.20 ab Hincmaro Remensi episcopo reprehensus 524.24
Adriani II. certamina 507.56 & 509 inde. eius doctrina. ibid.1 40 legatio ad Bulgaros 508.2 liberalitas in pauperes 509.2 mors. ibid.15 eius opera in functione. ib 44
Adriani scripta 507.36
Adriano II. quæ miraculo scripta 509.10
inter Adrianum pontificem & Carolum

rolum Caluum dissensio 356.40 & 357.inde
Adrianus III. Pontifex Rom. 511. 6 eius opera ibid. 10 & mors ib. 34
Adogerus episcopus 266.51
Aduentius Metensis episcopus 313. 44
adulteræ à Christo absolutæ exemplum, malè intellectum 262.16
aduersarij à ueritatis ministris quomodo refutandi 172.21
ægroti ab episcopis benedici soliti 262. 47
ægrotos oleo inunctos 262.51
ægrotos uisitandi munus penes quos situm fuerit 262. 27 & 297. 59
Aegyptiacorum sacerdotum miracula 180.52
Aegypti ecclesiæ 6.2
Aelfredus Anglorum rex 5.54
Aeneas episcopus Parisiens. 9.32
afflictiones cur immittantur 174.12 cur patienter ferendæ 173. 13 & 177.20 in impijs quid operentur 178.23 & 179.22
afflictiones piorum mulieri parturienti comparatæ 173.50
afflictiones pijs occasio mutuæ charitatis 177.10
afflictionum breuitas & momentanea duratio 177.57
afflictionum & crucis causæ finales 87.16 & 175. 8 & 179.18
afflictionum necessitas 173.4 species 173.55 utilitas 176.25
afflictiones à Deo immitti 174. 41 non esse signa irati Dei 175.20
ad afflictiones præparatio quomodo fieri debeat 173.28
per afflictiones carnem mortificari 176.4
per afflictiones odium & contemptum mundi & rerum terrenarum oriri 177.36
in afflictionibus pij Christo conformes futuri 174.40
in affligendis pijs cur impiorũ opera utatur Deus 177.1
Africæ ecclesiæ 6.12
Agabardus Lugdunensis coepiscopus 313.37
Agapetus Pontifex Rom. 511.2
Agarenorum principis studium discendi 282.26
Agnus Dei ter cantari à Sergio institutum 497.42
Aichostadiensis ecclesia 11.37
Aistulphus Moguntinus episcopus 543.10 eius mors ibid. 17
Alahardus abbas Corbeiæ 10.31
albæ baptizatis indui solitæ 236.50
Albani Britonum regis uotũ 337.22
Albani monasterij dedicatio 267.21
Albinus Nitrauensis episcopus 11.57
Albuini fortitudo 285.1
Aldelingiense monasteriũ 266.40
Aldricus Cenomanensis episcopus 9.29
Alexius Mesoles ex Imperatore fit monachus 348.52
Alexandriæ ecclesiæ 6.7
Alexãdrini martyris reliquiæ Vualberto missæ 265.26
Alfredi manualis liber 346. 32
Alfridus Hildesiorũ episcopus 267. 23.& 292.47
Alfridus Monasterienſis episcopus 557.10
aliem filij in scripturis qui 48.4
alienigenarum coniugium 477.40
allegoriæ in sacris literis quando cõ miniscendæ 55.20
Alphredus Angliæ rex ab Hadriano Pontifice coronatus 507. 50 eius frugalitas 283.35
Alstanus Schireburensis episcopus 233.1
altaria quibus ritibus consecrata 229.55
altaria tegendi ritus 230.23
altaria & ecclesias dedicare episcoporum munus 292.35
Altendorffensium principum arx 268.24 in gymnasium conuersa ibid.27
Altmannus quidam ob ductam com matrem excommunicatus 450. 48
Altergerius Carnotensis episcopus 534.20
Alfridus Corbeiensis monachus 559.58
Aluredus Oxoniensis scholæ fundator 13.40
Aluredi Anglorum regis pietas 281. 30
Aluredi Anglorũ regis ossium trãslatio 264.5
Aluredo s. crucis particula dono missa 326.2
Amalarius Treuirensis episcopus 536.4 eius mors ibid.31. eius scripta & doctrina ibid.10
Amalricus Cumensis episcopus 7.50
Amandi ossa à Lantharto eleuata 264.30
Amboricus Reginoburgensis episcopus 539. 4 eius infœlix pugna contrà Boiemos & Moranos ibid.45 eiusdem mors. ibid.51
Ambricus præses Rheginoburgensis 11.34
Ambrosius Lucensiũ episcopus 82. 49.29
ambulare Dei
Ameras Saracenorum dux propter blasphemiam in filium Dei punitus 30.39
Amorium superioris Phrygiæ urbis receptaculum & lerna turpissimarum hæresium 226.51 24.39
Amorij excidium 280.47
anachoritæ monachi
Anastasius Ecclesiæ Rom. Bibliothecarius 513.58 eius scripta 514.
Anastasij & Innocentij martyrum cultus in cœnobio Gandesbergensi 270.38
anathemata Pontificis Rom. ab episcopis irrisa 339.54 7.24
Ancialis ecclesiæ 266.24
Andagium cœnobium in Ardana structum 279.20
Andaldus monachus 267.20
Andelouiense cœnobium 301.48
Andeoli ossa reperta 12.59
Andulfus abbas Verdinensis 578.54
Angelarius Cassinẽsis abbas 94.9
angelus quid
angelus peculiaris an unicuiq. homini attributus 96.3
angeli quando creati 93. 50. unà omniscij 96.38
angelorum bonorum officium erga Deum & homines 95.42
angelorum bonorum perseuerantia 95.20
angelorum appellationes 93. 30 locquela 96. 47 ministerium 95.44
angelorũ inuocatio prohibita 332.30
angelorum opera quomodo & cur utatur Deus 95.63
angelorum ordines nouem 93. 58 & seq.
angelos deificatos esse, Haymonis error 205.24
angelos esse corporeos, eiusdem error 205.55
angelos esse adorandos error Haymonis 205.27
angelos locis & hominibus præsidere 96.12
angelicam naturam cur Christus nõ assumpserit, sed humanam 71.10
Angelmarus Bathauensis episcopus 540.2
Anglia Romanæ sedi tributaria facta 337.187.& 502. 25
Angliæ

Angliæ pro rege missas celebrari mandatum 348. 29
Angilbertus Mediolanensis episcopus anima pro uita 518.15
anima in homine imago Trinitatis 48.10 106.12
anima mori quomodo dicatur 106.1 110.30.183.30.
animæ facultates 106.16 significata 53.10
animam unam & non duas esse in homine 105.30
per animam sæpe totum hominem intelligi in scripturis 49.50
de anima erroris Rabani & Remigij 206.23
animarum immortalitas asserta 105.50
animæ quando creatæ soli Deo notũ 105.20
animalis homines natura 107. 12.
Anno Vetuatensis episcopus 11. 58
annulus ordinandis dari solitus 255.4
Ansgardis Ludouici Balbi uxor 286.16
Ansgarius Corbeiensis monachus 563.34 ad Gothos informandos missus 15.52 eius amici 566. 20 certamina 565. 57 dona 561.8 functiones ibid.43 mors 567.20 opera in functione 564. 22 uitæ sanctimonia 566.52 eius scripta & doctrina 564.2
Ansgarius Hamburgensis episcopus 13.11 & 325.26 in Daniam missus 6.3 relegatus 25.47
Anshelmus Mediolanensis episcopus 303.2 & 518.6
Ansegisus Senonensis episcopus 521. 54 primas omniæ ecclesiarũ Galliæ constitutus 530.44 eius scripta 522.3
antichristus tyrannidem suam ubi & quam latè extensurus 164.30
antichristi aduentus 163.48 appellationes 163.43 crudelitas 165.4 descripto 164.7 effectus 165.60 miracula 164.18 opera ibid. 10
de antichristi natiuitate & ortu opinio Haymonis 216.13
contra antichristum qui pugnaturi 166.4
antiphona quid
Antiochiæ ecclesiæ 245.37
Antonius Cassimatas 5.10 487.17
Antonius Cauleas patriarcha Constantinopolitanus 490.7
Antorpij à Nortmannis afflicti 12. 55
Apocalypsis Ioannis quãdo & quo tempore conscripta 20.17
apocryphos libros legere et habere prohibitum 345.12
apocrypha quæ 199.50
Apollinaris abbas 577.4
appellandi à Romano sede, nemini liberum 326.18
appellandi ad sedem Romani, omnibus liberum permissum 326.5
appellationis ordo inter clericos 419.26
apostolorum genera quatuor 166. 20.
aqua pro persecutione 49.56
aqua calida innocentiæ indicio destinata, quomodo consecrari solita 288.10
aqua pura in cœna usurpata 248. 18
aquæ significata 54.46 & 45.42
aquæ in baptismo mystica significatio 137.10
aquila Romana in duo capita diuulsa sub nono seculo 2.11
Aquileiæ ecclesiæ 8.30
Aquileiẽsis archiepiscopatus 312.34
Aquilonares gentes sub Pontificiũ iugum redactæ 324.40
Aquisgrani ecclesia 10.53 423.18
Aquisgranensis synodus 362. 24 405.20 & 423.18
Aquisgranensis bibliotheca 306.54 & 347. 20
Aquisgranensium monachorum statuta 272.23 & inde.
archangeli 94.10
archicapellani 313.18
archiepiscopatus 312.16
archiepiscopi occidentis mancipia & Quæstores Rom. Pontificum 318.33
archiepiscopi & episcopi Pontifici Rom. iureiurando obstricti 323. 58
inter archiepiscopum seu metropolitanum & prouincialem episcopum quid differat 317.55 & 318. inde
archiepiscoporum electio 313.23
archiepiscoporum suffraganei 313. 12 tituli 312.48
archiepiscoporum & metropolitanorum officium 314. 2 & 315. & inde
archiepiscoporum interse consociatio & mutua officia 318. 40 & 319 inde
archiepiscopos ordinandi & confirmandi potestatem sibi soli uendicat Rom. Pontifex 323. 25
arcus nomine uaria in scripturis intelligi 44. 22.
Arduenna à Danis afflicta 28. 26
Arelatensis ecclesia 8.53
Arelatensis synodus 8.53 & 401. 2
Arelatensis synodi capita 461.10
argentiunciarum duodecim millia pro interfectorũ animabus pauperibus distributa 263 50
Argentinensis ecclesia 11.3
arioli 198 43
Armeniæ ecclesiæ 5 50
Arno archiflamen Boiorum 361 55
Arno uel Arneo Herbipolensis episcopus 530. 30 eius interitus in bello 9. Slauos ibid. 36
Arno episcopus Vuirzburgensis 12. 3 in pugna contra Slauos cæsus 302. 44
Arnonis ecclesiæ 5.26
Arnoldus Mersburgensis episcopus à Maronis interfectus 12.14
Arnolphus imperator occidentis 27.56
Arnolphus Carolamãni filius à Formoso Papa coronatur 512. 57 Nortmannos & Danos prælio uincit 30 40
Arsabirus patricius 344. 16
Arsabiri contra Nicephorum conspiratio 302.60
Arsenius Ludouici Imp: episcopus & Rom. sedis legatus 514.14
Arsenius Pontificius legatus 324.23
Arserius Schireburnensis archiepiscopus 751 30 eius scripta & opera in functione ibid. 47
artes liberales in scholis traditæ 307.34
aruspices 198.47
Asiæ ecclesiæ 5.29
aspectus Dei 54 5
astrologi 198.58
astrologia prohibetur 197.34
assumptians Mariæ festum à Leone IIII institutum 258.50 347 43
asyla 372.30
asyla in templis reis aperta 230.28
Athanasius Neapolitanus episcopus 517 5
Athingani Manirhei 226. 1 à Nicephoro Imp. damnati & exilio mulctati 226. 30 à Nicephoro defensi 347.56 à Michaele damnati 344. 6

Athinganorũ hæresis 23..107.227.9
Athinganorum religio confusa 226. 20
Atto Fruxuenensis episcopus 11.46. & 361.36
Auares à Sclauis & Bohemis religionem uexati 20.5
Auarum contra Francos expeditio 20.1
audire & auribus percipere differunt 48.40
augures 198.53
Augustæ Vindelicorum ecclesia 11. 24
Aurelius à Nottingo inuocatus 265.12
Aurelij cœnobium 268.56
Aurelij sepulchrum 249.39
Aurelij reliquiæ Mediolano Vercellas translatæ 516.10
Aureliæ ecclesia 9.1
aurum & sericum gestare militibus à Ludouico II. Imperatore interdictum 344.46
auri & argenti in Scripturis significatio 44.26
Autpertus Cassinensis abbas 577. 50

B

Baal Baalim 47.56
Baalismus 279.47
baculus ordinandis cur traditus 255.4
Baduradus Badebornensis episcopus 556.27
baltheus pontificius 231.31
Baldrammus Argentinensis episcopus 11.3
Baldrammus Saleburgensis episcopus 539.20
balsamum consecratum 236.60
baptismus Ioannis 137.20
baptismus infantum asseritur 140. 10
baptismus lingua Romana administratus 236.30
baptismus pœnitentia & regenerationis sacramentum 142.4
baptismus quod nobis testificetur 137.10
baptismus reiteratus 300 30
baptismus symbolum est remissionis peccatorum 138. 10 & 142.45
baptismus unus tantum est nec sæpius iteratur 139. 40 & 236.57
baptismi administratio uiris & mulieribus in primitiua Ecclesia cõcessa 137.42 & 234.20
baptismi administratio certo tempori non alligata 141.13
baptismi aqua benedici seu consecrari solita 236.34
baptismi excellẽtia & dignitas 141. 47 forma 137.59 materia ib.51
baptismi typi aliquot 141.33 usus 141.50
fundamentum Christus 139.53
baptismum Paschatis Pentecostes tantum tempore administrãdum decretum 464.6
ante baptismum adulti ex animari solili 234.56
circa baptismum casus uarij 237.28
de baptismo error Haymonis & Rabini 211. 55 & inde
baptizare in mortis periculo an Laico concessum 140.40
baptizari igne & spiritu sancto quid 137.23
baptizandi duo certa tempora in anno instituta 234.40
baptizandi munus penes quos situm fuerit 234.12
baptizandi prius exorcizati & cõsecrati 235.16
baptizandi ter aquis immersi 236. 40
baptizãdi uerbũ quid scilicet 136. 40
baptizandi & docendi officium in primitiua ecclesia cõmune fuisse 137.42 & 291.3
baptizandi exterioris tantum signi ministri, Christus interioris gratiæ author 139.3
baptizati ab hæreticis an rebaptizandi 138.23
in baptizatis peccatum remanere 141.40
Bardas Cæsar ab Ignatio patriarcha propter incæstum in crepatus 296.4 ab Ignatio à communione exclusus 238.33 & 488.34
Bardas auunculus Michaelis imperatoris, tyrannidis iustas luit pœnas 30.12
Bardæ excæcatio prædicta 303.50
Bardanes captus & in monachum attensus 5.33
Bardæ incæstus 286.4
Bartholomæi ossa in Lipara insula cultа 265.4
Basilius Imp. Constantinopolitanus 17.28 Photium patriarcham Constantinopolitanum ab officio iniustè remouet 26.6
Basilius Michaelis parricida à Cœnæ cõmunione prohibitꝰ 244.52
Basilius Pontifex Rom. 511.36
Basilij filiæ quatuor in Monasteriũ regium detrusæ 350.20
Bassacius Cassinensis abbas 573.2 10.59
Basilienſis ecclesia
Basilienſis episcopatus à Carolo M. institutus 17.25
Batauensis episcopatus in quinq; diuisus à Ioanne IX Pontifice Rom. 19.10
Batauõsis episcopatus in quinq; partes diremptus 323.48.324.2
Bathuricus Rheginoburgensis episcopus Boiemos in fide christiana informat 15.17
Baturicus Ratisponensis episcopus 539.36 11.5
Bauariæ ecclesia 361.47
Bauarica synodus
Bellator presbiter quando claruerit 520.30 eius scripta ibid. 53
belli tempore letaniæ indictæ 250. 18
Benedictus III Pontifex Rom. 398. 2 & 502.34
Benedicti scripta ibid. 42 doctrina & errores 46 opera ibid. 50
mors 504.6 279.17
Benedicti cœnobium
Benedicti regula confirmata 495. 23
Bernhardus comes bona sua ecclesiæ legat 205.5
Bernhardus Italiæ rex 316.55
Bernhardus Ludouici Imp. filius in Fuldensi cœnobio institutus 268. 50
Bernhardus episcopus Vuormatiensis 11.19 & 362.27 & 550.8
Bernhardus episcopus Viennensis 8.46
Bernhardi Comitis de Saxonia liberalitas erga Fuldenses monachos 349.50
Bertuanus Gratianopolis episcopus 8.50
Berno comes Burgundiæ Cigniacensis cœnobij autor 266.16 7.24
Beroes ecclesiæ
Bertharius Cassinensis abbas 573. 26 eius scripta & mors ibid.50
Bertharius abbas cœnobij Cassinensis ad altare Martini trucidatus 27.4.6
Bertholdus Monasteriensis episcopus 557.14 296.38
Bertrada Caroli M. filia sit uestalis 350.21
Bertulfus Treuerensis episcopus 313.43
Bethlehem ecclesiæ 5.6 bibliotheca

bibliothecæ 306 43
bibliothecarum cura quibus cõmissa 307.2
bibliothecarij 207.4
bigami & neophisti in clericorum numerum non assumendi 252.3
Bilibaldus quidam Damus conuertit 16.36
binarus numerus frequenter in malam partem accipitur 52.10
Biornus rex Sueonum & Gothorũ 13.26
Biorni Gothorum & Sueonum regis legatio ad Carolum M. pro mittendis christianis episcopis 15.42
Biso Vadellonens. episcopus 12. 41 & 556.45
Bithingus Morauorum episcopus 540.8
Bithyniæ ecclesiæ 5.32
Bituricensis ecclesia 8.52
blasphamia in filium Dei punita 30.26
Bohemi à Carolo M. debellati 20.8
Boiemorum duces quaduordecim opera Ludouici Germaniæ regis baptizati 15.10
Bonifacius Pontifex Rom. 513.10
Bonifacij Pontificis cadauer exhumatum et in Tiberim proiectum 513.30
bona ecclesiastica in quatuor portiones diuisa in Salisburgensi synodo 362.1
bona ecclesiastica in sumptus bellicos collata 306.30
bona ecclesiarum ad hæredes transferri prohibitum 306.33
bona et mala à Deo creata esse, quo modo intelligendum 93.14.
Bononiensis schola 307.18
Brabantiæ ecclesiæ 12.54
brachium Leonis Papæ Anseglisso Senonensi, dono missum 325.59
Bremensis & Hamburgensis ecclesiæ in unum Episcopatum redãctæ 324.2
de Bremensi ecclesia diffidium inter Adalgarium & Hermannum colonensem episcopum 361.5
Britanniæ ecclesiæ 13.30
Britonum in christianos sæuitia 20.30
Bruno Saxoniæ episcopus uocatus 27 38
Brunsuuigensis ecclesia 12.23
Brunthesbusij cœnobium 267.36
Brunuuardus abbas 348.15
Brutus Sergij Pontificis Rom. frater 326.57
Bulgari antichristi charactere insigniti 18.40 & 324.56 & 505.26
Bulgari ad fidem Christi quando & qua occasione conuersi 13.50
Bulgari Debeltum expugnant 21.22
Rom. iugum excutiunt 508.1
Bulgarorum rex à ueritatis cognitione ad ethnicas abominationes defecit 26.24 idem propter defectionem à fide christi exoculatur ibid. 26
Bulgarorũ rex magistratu se abdicat & fit monachus 348.45
Bulgarorum regis expeditio contra filium suũ 280.17 eiusdẽ legatio ad synodum Constantinopolitanam octauam 440.20
Bulgarorum cum Romanis pax & fœdus 25.18
Bulgarorum seditio ob mutatam religionem 13.50 & 25.14
de Bulgaris, controuersia inter Romanos & Constantinopolitanos episcopos 440.10 & inde
Bulgaricum bellum christianis exitiale 28.1
Bulgaria à christianismo ad gentilismum deficit 354.40
Bulgariæ ecclesiæ 7.30
Burdegalæ ecclesia 9.21
Burgus schola Anglorum 493.50
Byrca ciuitas Sueciæ 16 16

C

Cabillonensis ecclesia 8.43
Cabillonensis synodus 8.43 & 387. 14 eiusdem synodi capita ibid. 20
cadauera mortuorum lauari & condiri solita 262.60
cædes christianorum exulum grauiter uindicata 29.46
Cæciliæ uirgini templum ædificatũ 228.42
Cæsarij reliquiæ muneribus à Pontifice Rom. redemptæ 334.55
Cæsareæ Cappadociæ ecclesiæ 5.46
Caietæ ecclesiæ 7.55
calamitatum publicarum tempore ieiunia indicta 257.38
calamitatum omnis generis potissima causa quæ 108 55
calicis nomine plerunq; passionem denotarij 49.16
Calixti Papæ corpus in Franciã trãslatum 264.57
Cameraci et Lauduni ecclesia 10.20
cãpanarum pulsu ecclesiastici conuẽtus denotati 232.31
Campidonensis bibliothecæ conflagratio 306 50
candelabra candelæ ad imagines in templis collocatæ 230 57
candentis ferri & feruentis aquæ iudicium christianis prohibitum 512.7
canes alere episcopis interdictum 302 31
Canon missæ à Paschasio approbatur 214 40
canonicorũ & canonissarum habitatio in uno eodẽq; cœnobio 267.50
de Canonicorum stipendijs & disciplina, Ludouici Imp. liber 268.4
canonicis stipendia designata 268.5
cantilenæ lugubres 263.7
cantorum officium 293.45
Cantuariensis ecclesia 13.37
Capanus seu Caganus Hunnorum & Auarum rex fit christianus 14.46
capellanus 291.20
Cappadociæ ecclesiæ 5.40
Capuæ ecclesiæ 7.54
Capuanensis episcopatus diuisus 323.50
Capuana ecclesia duobus episcopis contra canones data 510 5
carnis significata uaria 51.37
Carolomannus filius Caroli regis Francorum à patre contra uolũtatem clericorum ordini ascriptus 256.3 29035
Carolomãnus Caroli regis filius plurimorum monasteriorum abbas 269.34
Carolomannus à patre Carolo captus & excæcatus 284.50
Carolus Aquetaniæ dux filius Pipine regis, archiepiscopus Moguntinus 548.34
Carolus Caluus Imperatoris nomẽ largitionibus à Pontifice Rom. adipiscitur 332.1
Carolus Caluus à Ioanne IX Papa inauguratus 510.10
Carolus Crassus auxilio nobilium quorundam Romanorum regiũ adipiscitur 335.28
Carolus Crassus à senatu Romano quæ Pontificis uoluntatem imperator designatur 342.37
Carolus Crassus uxorem cur repudiarit 260.13
Carolus M. ab Aquisgranensibus defletus 262.56
Carolus M. Francorum rex in Imperatorem

ratorem à Pontif. Rom. creatus 19 25 331.26
Caroli Craßi diuortium cum uxore 267.14 eius patientia 281.19 ſtudium erga religionem 281.20
Caroli M. filij ex Hildegardo monachi facti 530.20
Caroli M. inauguratio in imperium 288.55
Caroli Magni decretum ſumptuarium 316. 28 eius elogia 19. 26 largitiones 304.34 tumulus 263. 23 teſtamentum 336.23 Virtutes 19.30
Caroli M. legatio ad Michaelem Conſtantinopolitanum Imperatorem 536.20
Caroli M. hiſtoria à Turpino multis fabulis deformata 523.1
Caroli Francorum regis ἀσωτία 284. 47
Caroli Galliæ regis flagitioſa uita 284.35
Caroli Imp. donaria in baſilica Petri oblata 229.2
Caroli diligentia in annotandis rebus memoratu dignus 282.30
Caroli Imp. ſtudium diſcendi 282. 21.
Caroli legatio ad Michaelem Conſtantinopolitanum de pace 317.1
Caroli legati à Pontifice Rom. duriter excepti 331.1
Caroli Craſſo imperium abrogatũ 284.52
inter Carolum Caluum & Rauennatem clerum diſſenſio 359. 30
caſula ſacerdotale indumentũ 231. 51
caſus circa monaſteria 280.16 circa nuptias 260.12 circa ordinationẽ 256. 2 circa orationes 250. 50 circa ſepulchra defunctorum 263.57
Caßini eccleſiæ 8.25
Caßinenſe cænobium à Saracenis occupatum & direptum 27. 46
Caßinenſis cænobij priuilegia confirmata 267.46
caſtellum ad S. Loth à Nortmannis captum 28 9
Caſtoris corpus confluentiam tranſlatum 536.43
catechumenorum duo genera 291. 50
Ceciliæ corpus inuentum 322 1
Cephaleniæ eccleſiæ 7.1
Ceremoniæ & ritus Eccleſiæ noni ſeculi 227.54
Ceremonialis lex cur populo Iſraelitico data 113.55
ceremonias Pontifex Rom. pro ſuo lubitu Eccleſijs obtrudit 327. 37
Cerneliẽſe cænobiũ Angliæ 348.56
Ceuilo Verdenſis epiſcopus 555.35
Cigniacenſe & Cluniacenſe cænobio à quo extructa 266.15
cibo & potui cur uerbum Dei comparetur 39.53
circa cibos qui ritus obſeruati 257. 55
Cherubin 94.40
Cherubim duo, figura teſtamenti utriuſq; 202.1
chirographo presbyteri ordinandi fidem dare coacti 252.12
chorepiſcopi 292 50
Chrimnus Bulgarorum rex 7.43
chriſma conficere, epiſcoporum munus 292 40
chriſma in baptiſmo adhibitũ 236. 10 & 44
chriſmate inungere, epiſcoporum munus 237.3 69. 42 ei Chriſto rex æternus 78.10 ὁμοούσιος patri 69.34 mediator 77.54 peccati expers 72. 1 quomodo minor patre 33. 40 quomodo creatus & genitus 71.48
Chriſtus hominibus inhabitare quo modo dicatur 78.31
Chriſti appellationes 67. 43 & inde
Chriſti diuinitas 68. 23 deſcenſus ad inferos 82.15 humanitas 704.3
Chriſti apparitio, Plegili presbytero facta 248 22
in Chriſto naturæ duo 74.10
chriſtiani captiui, à Dnais & Vandalis redempti 306. 22
chriſtiani à Carolo M. protecti 20. 31
chriſtiani in Paleſtina & Syria à ſaracenis afflicti 5.3 item à Liuonibus Hunnis Sclauis & Britonibus 20.11
chriſtiani furto ablati & Paganis uenditi 286.14
chriſtianorum mores 281.5
Chumeid dux Saracenorum 20. 45 eiuſdem expeditio in Rhodum ibid.
Chumeid Sacenorũ dux dat pœnas tyrannidis 29. 38
ciuitates & uillæ nonaginta octo in Sicilia à Saracenis euerſæ 23. 50
claudi & mutilati ad eccleſiaſticam dignitatem non euehendi 47. 50
Claudius Taurinenſis, adorationis imaginum acerrimus impugnator 297. 13 8. 18
Claudius Thaurinẽſis epiſcopus primatum Põtificis Rom. impugnat 338. 30 adorationem imaginum quib. argentis contra Ionam Arelianenſem impugnarit 220. & inde quãdo claruerit 520. 28 eius doctrina ibid. 54
Certamina contra Paſchalem Pontificem Rom. 519.16 & 520 inde eius opera in functione & ſcripta ibid 40
claues eccleſiæ datæ ad remiſſionem peccatorum impartiendam 146. 5 238. 40
Clauium abuſus
clauium poteſtas in quibus ſita 146. 21
clauium poteſtate inexiendis decimis abuſum 238. 40
circa claues qui ritus obſeruati 238. 12 24. 35
circa claues uarij caſus
ob claues non rectè adminiſtratas diſſidium 351.40
Clementis reliquiæ Romam deportæ 301.6 351.50
clericus
clericus homicida quomodo puniendus 463.30
clerico ſpectaculis intereſſe, interdictum 260.1
clericum iniuria afficiens, banno punitus 462.10
clericũ qui uulnerauerit, excommunicandus 462.12
clerici à carnibus proſus abſtinentes damnati 258.2 471.30
clerici ne militent 471.60
clerici omnes cœlibatus uoto aſtricti 290.10
clericorum translatio ex uno loco in alium prohibita 471.60
de clericorum uita Canon Moguntinus ſynodi 365.40
clerici arma geſtare interdictum 411.46
clericis aurum & argentum geſtare interdictum 496.15 iiſdem germarum indigitus ornata interdictum 496.13
clericis ueſtitu præcioſo interdictum 496.10
clericos in ius non uocandos 330. 40 364.38
Clunenſe cænobium

coccinio ueſtitu clericis interdictum 496 15
codex Euangelij in ignem coniectus inuiolatus manſit 14.30
codices ſacri in templis cuſtoditi 230.12
Cæleſtis & Autoris reliquiæ tranſlatæ
Cælestinus Papa 355.13
cæmiteria 244 10
cœna ægrotantibus data 262.35 item pueris 249.15 ſub utraq; ſpecie laicis data 244.26
cœna reuerenter tractanda 154.7
cœna cur ſic dicta 147 45
cœna Domini nonnullis in cibũ ſuũm, nonnullis uerò in uenenum uertitur 148 50 & 155.7
cœna non niſi à ieiunis ſumpta 245.7
cœnæ appellationes 147.43 materia 148.29 partes 154.20
cœnæ legitimus uſus & fructus 152. 55 & 155 55
cœnæ Domini myſterium incompre henſibile 150.40 & 152.10 & 154.37
cœnæ qui participes eſſe poſſint 152. 55
à cœnæ Domini participatione qui prohibiti 244.47
in cœnæ doctrina quomodo erraſſent doctores noni ſeculi 212.13
cœnam qui indigne ſumant 153 47
cœnam ſingulis diebus dominicis administrare, à ſynodo Aquisgranẽſi ſtatutum 243.25
circa cœnã qui ritus obſeruati 243 8
circa cœnam uarij caſus 247. 28
à cœna qui arcendi 153.1
in cœna cur panis & uinum ſumenti bus inſtituta
cœnobitæ 149.50
coepiſcopi 280 4.6
cogitationes non eſſe in hominis po teſtate 318.27
contra cogitationes prauas remedia 107.26
collecta Gregorij 39 50
collectæ in eccleſijs inſtitutæ 249.45
Coloniæ eccleſia 233.17
Colonienſis archiepiſcopatus 10.56
Colonienſis ſynodus 312. 37
Colonienſi archiepiſcopo qui epiſcopi ſubiecti 443.16 447. 34
ob commatrem ductam Alimannus 313. 54
quidam excommunicatur 450. 48
commatres 261 50
commentarios in ſacra Biblia ſcribere abbatum munus 270.36
cõpatriatus an matrimonij obſtaculum 261.5 & 374.20
Compoſtellenſis ſynodus 361. 24
Concordia eccleſiæ 7.59
confeſſio auricularis approbata 300 4
confeſſio auricularis à concilio Cabilonenſi ſtabilita 211.47 item à Rabano aſſerta 215.43
confeſſio nominis Dei 147.35
confeſſio peccatorum 131.27
confitendi peccata mos præliaturis uſitatus 240 58
confirmatio papiſtica 237.10
circa confirmationem ritus 237.15
Confluentiæ monaſterium ab Hettone conſtructum 536.37
congregationes aquarum pro mari idioma ſcripturæ 45.26
congreſſus ſacri quibus ritibus celebrati 228.10
in congreſſibus eccleſiaſticis quæ facta ſint 232.42
coniugum quid 131.37
coniugium epiſcopis præsbyteris & diaconis interdictum 290.10
inter quos prohibitum 181.48
coniugium ob religionem dirimere à Nicolao Papa conceſſum 260. 30
coniugium cum conſecratis initum, excommunicatione puniri mandatum 469.40
coniugium ſacerdotum pro fornicatione damnatum 450 50
coniugij cauſæ finales 181.40
coniugij uinculo infantes à parentibus non copulandi 260.35
coniugum in cõſenſu potiſſimũ conſiſtere 260.23
circa coniugium uari caſus 477.8 & 478.20
conſanguinitatis gradus 181.48 & 262.10
conſecratã ducẽs excõmunicari iuſſus 469.40
circa conſecrationem cœnæ, qui ritus obſeruati 244 3
conſecrationum & dedicationum ritus 229.36
conſenſus matrimonij uinculum 260.35
conſequentias cantari à Nicolao Põtifice inſtitutum 232.53
Conſtantienſis eccleſia 11.8
Conſtantinus Caſſinenſis monachus 579.18
Conſtantini ſepulchrum noctu apertum 286.57
Conſtantinopolitana ſchola 307.17
Conſtantinopolitana ſynodus 413. 20 425.54
Conſtantinopolitana ſynodus octaua generalis appellata 426. 47 eius actiones 427.1 & inde
Conſtantinopolitani doctores 485. 40
contricio circa pœnitentiã qualis requiratur 131.14
contricio hypocritica 131.11
Corbeiæ cœnobium 10 31 266.26
Cornelij monaſteriũ apud Cõpendiũ 347.30
cornu pro fortitudine 52.5
coronæ duæ aureæ in altari D. Petri oblatæ 229.3
ob coronationem Cæſaris diſſidium Romanum 360.16
coronandi imperatores ius Pontifex Rom. ſibi aſcribit 331.42
corpus Chriſti tripliciter uſurpatur 54.17
de corpore & ſanguine Chriſti diſſenſio ſub Carolo Caluo 355.13
corpora piorum ex merito ſancta eſſe, Haymonis error 206.1
Corſica in S. à Mauris uexata 20.24
Cortila Verdenſis epiſcopus 555.30
ex cranio regis deuicti poculum factum 29.50
creatio animarum ſoli Deo nota 105 20
creaturas aliquot cœleſtes à Chriſto redemptas, Haymonis error 205.16
Crede mihi frater, monachorum Aquisgranenſium iuramentum 272.34
Cretæ eccleſiæ 6.44
de criminum purgatione Canon ſynodi Vuormacienſis 247.51
Crunnus Bulgarorum rex 282.54 Nicephorũ Imp. prælio uincit 29.50
crux Chriſti adorata 249.41
crux magni ponderis & æſtimationis B. Petro oblata 230.37
S. crucis particula Aluredo regi miſſa 326 2
ad crucem Præces factæ 249.40
de cruce Chriſti error Ionæ Aurelianenſis 207.27
crucibus aureis & argenteis templa ornata 230.35
Cumarum eccleſiæ 71.50

Curiensis ecclesia 11.7
Cycladæ insulæ à Saracenis depopulatur 25.34
cycladarum insularum ecclesiæ 6.31
Cypriani Carthaginensis martyris corpus in Franciam allatũ 264.41
Cypri ecclesiæ 6.24
Cypri incolæ à Saracenis subacti & abducti 20.40
Cyrillus Sclauorum episcopus 306.6 791.44 eius mors, & sepultura ibid. 50
Cyrillus & Methodius Ecclesiarum apud Sclauos & Polonos plantatores 18.44

D

Dado Mediolanensis episcopus 518.23
Dado Viridunensis episcopus 10.51 & 554.38
dæmonium in pago Camonti non procul à Bingio quomodo profligatum 256 59
Dalmatiæ doctores 490.30
Dalmatiæ ecclesiæ 7.40
dalmatica uestis sacerdotalis 231.47
damnatorum pœna 193.10
damnatio impiorum æterna 192.10
ex Damnasciturum Antichristum opinio Hincmari 216.20
Danckuuort dux Saxoniæ 12.23
Dani & Sueci maximo labore ad Christum conuersi 16.4
Dani à Francis debellati 16.30
Dani aliquot à Bilibaldo conuersi 16.36
Dani Saxoniam uastant 27.36
Dania quo tempore fide Christi imbui cæpta 13.20
Daniæ ecclesiæ 13.20
Daniæ ecclesiæ à Pontifice Agapito formari cæptæ 19.4
Dauentriæ ecclesia 9.49
Debelti expugnatio 21.36
in debitis exigendis clauium potestas adhibita 238.44
decimæ sub excommunicationis pœna exactæ 450.47
decimæ in tres usus conuersa 465.6
decimarum statutum 418.12
decimas poßidens laicus sacrilegij damnatus 465.10
de decimis ritè oblatis, iusiurandum exactum 301.42
decreta Pontificis Rom. sub anathematis pœna non frangẽda 329.7
pro defunctis præcationes habitæ 233.13
desperatio pœnitentiæ aduersatur 128.53
Deus est æternus 58.54 incorporeus 60.34 immortalis 59.3 immutabilis ibid. 20 impoßibilis 60.10 incomprehensibilis 59.40 inuisibilis 59.36 iustus 60.58 liber 61.23 misericors 61.4 omnipotẽs 59.47 omniscius 60.1 perfectus 61 57 summum bonũ 60.53 uerax 60.3 mutationi non obnoxius 60.12
Deus hominem quomodo tentet 88.30 hominibus inhabitare quomodo dicatur 53.48 & 54.12
Dei appellationes apud Hebræos 57.50 et seq. proprietates 58.54 & inde
Dei inuestigatio qualiter fieri debeat 59.43
Dei omnia præsentia 60.8 86.58
Deum esse unum 62.40
de Deo cogitare, quærere & loqui in & per uerbum oportet 59.40
de Deo phrases aliquot, noni seculi doctorum 87.50
Deus dedit abbati 577.40
dextera Dei 55.1
diabolus autor peccati 109.20
diabolus cur cælo deiectus 98.10
diaboli malitia non ex creatione sed ex deprauatiõe prouenit 97.30
diaboli opera 99 42
diaboli quibus armis resistendum 101.10
diaboli an aliquando soluandi iuxta Origenem 187.11
diaboli peccatis delectantur 98.54
diaboli quomodo dicantur inhabitare homines 101.26
diaboli utrum internas animi cogitationes hominum norint 99.34
diabolorũ appellatio 96.50 lapsus causa 97.40 laquei 101.10 ordines 98.30 proprietas ibid. 24
diabolorum ante lapsum status 100.16
diaconorum munus 293.15
in diaconorum & subdiaconorum ordinatione qui ritus usitati 255.35
diaconissæ 293.35
ad diaconatus officiũ minor quam 25 annorum nõ recipiendus 251.57
dicere uaria in scripturis significat 52.38
digitus Dei 543
diabolus nulla spes salutis amplius superest 97.56 & 101.34
diluuium baptismi figura 142.10
Dionysij Areopagitæ de Hierarchia libri Ludouico Imp. iussu uersi 345.20
Dionysij Ariopagitæ Ratisbonum translata 349.20
de disciplina ecclesiastica canones synodi Romanæ 401.40
dissensio inter Carolum Calum & Rauennatem clerum 359.6 30
dißidium sub Arnulpho 360.30 sub Carolo Caluo 355.13 item sub Carolo Crasso 360.16 sub Lotharingio 353.20 sub Ludouico Pio 352.38 sub Ludouico secundo 351.28 dißidium ob Imperatoris scelera reprehensa 353.38
diuinatores non consulendi 198.28
diuinationum genera duo 197.40
diuitiæ in scripturis quomodo & cur laudentur 54.40
diuortia non temerè facienda 260.45
diuortia contra uerbum Dei à Pontifice Rom. approbata 328.34
docendi ministerium neglectum 299.2
docendi munus in ecclesia omnibus commune quando fuerit 234.30
doctores Angliæ 571.30 Arelatenses 521.21 Asiatici 484.20 Augustani 540.30 Aurelianenses 524.56 Badebornenses 556.20 Basilienses 551.30 Batauri 539.1 Bituricenses 530.20 Coloniẽses 552.10 Constantinenses 551.56 Dalmatiæ 490.30 Fringenses 540.38 Gallicani 521.10 Germaniæ 539.1 Halberstatenses 560.38 Hamburgenses 563.12 Herbipolenses 550.28 Hildesheimenses 538.48 Hollandi 554.40 insularum maris mediterranei 485.14 Italiæ 492 Leodinenses 551.16 Macedoniæ 485.6 Metenses 534.44 Mindenses 558.14 Moguntini 542.52 Monastericenses seu Misnigardeuordenses 557.4 Osnaburgẽses ibid. 28 Parisienses 534.30 Patauien-

scopus 557.22 12.45
Druogo presbyter 447. 46
Dudo Badeburnensis episcopus à Danis trucidatus 27.42
Dumbertus Vuintonienſis episcopus 572.77
Duneuuolphus Vuintonienſis episcopus 572.57

E

Ebbeckſtorp pagus Saxoniæ 27. 36
Ebbo ab episcopatu deiectus & restitutus 418.30
Ebbo monasterio incluſus 272.20
Ebbo Rhemensis archiepiſcopus 558.58 ab officio remotus 344. 20
Eberhardus comes à Rabano' officij admonitus 295.34
Eberhardus Senanensis archiepiſcopus 9.4
Eberhardus Parisienſis metropolita 308.18
Ebolus ſeu Ebulo Parienſis monachus 580.12
ebrietas 386.12
ebrietas pro ſaturitate 25.20
de ebrijs excommunicandis canon ſynodi Moguntinæ 373.24
Ebroicenſis eccleſia 9.26
Ebroinus Sylua nectenſium paſtor 10.26
Ebulo abbas Dionyſij in expugnatione caſtri lapidis ictu interit 271.8
eccleſia afflictionibus creſcit 176. 43
eccleſia per quod medium colligatur 158.12
eccleſia quomodo ſancta ſit 161. 24
eccleſia uera calumna & firmamẽtum eſt ueritatis 160.3
Eccleſiæ appellationes uariæ 157. 36
eccleſiæ caput fundamentum Chriſtus 159.31
eccleſia Dei ſanctitas 161.24
eccleſiæ deſcripto 158.12
eccleſiæ diſciplina ab epiſcopis neglecta 299.45
Eccleſiæ facies ſub nono ſeculo qualis 1.15
Eccleſiæ propagatio & locus 4.3
de Eccleſiæ ruina, Idiotæ quærela 4 40
eccleſiæ ſtatus ſub Carolo M. & Ludouico Pio 2.33
eccleſiæ ſtatus ſub finem mundi triſtiſſimus 163.20
eccleſiæ typi aliquot 162. 50
eccleſiarum uiſitatio, metropolitanis mandata 314.52
eccleſiæ unitas 126.6
eccleſiæ uniuerſalis deſcriptio 161. 6
eccleſiam bonis & malis permixtã eſſe ad finem uſq; ſeculi 161.4
eccleſiam perſecutionibus deleri nõ poſſe 163 16
eccleſiam perſecutoribus orare 161. 35
ab eccleſia tota miniſtri electi & uocati 250.56
Eccleſiæ per Africam 6.1 per Aſiam 4.58 per Europam 7. 16 per inſulas maris medi terranei 6.23
eccleſiæ quinquaginta quinq; à Nortmannis in Hollandia deſtructæ 13.5
eccleſiarum cauſas diſceptare & dijudicare, archiepiſcoporũ munus 314.5
eccleſiarum uiſitatio epiſcopi mandata 412.30
eccleſiaſticorum gradus 291.1
eccleſiaſtica bona in quos uſus deſtinata 306.1
eccleſiaſticorum bonorum cuſtodes 305.27
eccleſiaſticorum bonorum uſus 306. 27
ἐνσκοπὸς prophetiæ genus 41.18
Edilbaldus Traiectenſis epiſcopus 266.56
Eduulphus Anglorum rex fit eremita 348.54
Egila Brumienſis monachus Romã oratum proficiſcitur 249. 55
Egilmarus Oſnaburgenſis eccleſiæ præſes 12. 37
ob electionem diſſidium Romanum 360.52
eleemoſynæ nomine quid ſignificetur 125.4
eleemoſynarum abuſus 306. 20 fructus 124. 50
Eliſæi mauſoleum 265. 52
Engadi fons, typus baptiſmi 143. 9
Engiltruda Buſonis uxor excommunicata 423.54 & 514. 30
Engiltrudæ iuramentum Nicolao Pontifice præſtitum 487. 42

30 Patauenſes 540.2 Portuenſes 515.40 Ratiſponẽſes 539.26 Remenſes 522.34 Romani 492.1 Saliſpurgenſes 539. 4 Semonenſes 521.54 Sueuia 540. 30 Thraciæ 485.40 Treuirenſes 556 Verdẽſes 554.50 Veſtphaliæ 554.50 Vormacienſes 550.4
doctrinæ inclinatio ſub nona ætate 205.1
dogmata approbãdi aut improbãdi poteſtatem ſibi arrogat Rom. Pontifex 321.42
Dominarum monaſteriũ in ſiniſtra Limagi 266.45
dominationes angelorum ordo 94. 38
de Dominici diei obſeruatiõe decretum ſynodi Moguntinẽſis 258. 12
domus gloriæ quid 91. 46
domus iuſticiæ 91.50
Donatus epiſcopus laderæ 7. 40
donaria eccleſijs offerre ſolitum 228.54
Donatus Hoſtienſis epiſcopus 427. 36
Donatus laderæ epiſcopus 490. 34
Donatiſtarum hæreſis 227. 38
donec, uariè accipitur 52. 48
dorſum tranſeuntibus calcandum præbere, monachorum in Thebaide mos 270.20
Drogo metenſis epiſcopus 298.1
Drogo Caroli M. filius expellitur & epiſcopus Metẽſis 9.56 534.47
Drogo Ludouici ſummus imperatoris Capellanus 291.20
Drogo Ludouici Imp. frater diaconus 290.42
Drogo Metenſis epiſcopus 340. 18.
Drogo Oſnaburgenſis epiſcopus à Danis necatus 27.41 & 558.6 eius interitus ibid. 16
Drogo in bello Ludouici quæ filios captus 355.1
Drogonis amici & familiares 355. 41 eius certamen contra Sergiũ Pontificum Rom. 355 30 item cõtra Gregorium 1111 Pontificem Rom. 355.16
Drogonis opera in functione 534. 55
Druogo Mimigardeuordenſis epi-

Engeltrudæ excommunicatio reno nata 324.20
episcopus absq; 72. testibus ne damnetur 450.40
episcopus non nisi à 12 episcopis deponendus 463 12
episcopi ciuilibus & politicis negocijs dediti 301. 60 item ebrietati & crapulæ dediti 303.30
episcopi & monachi seditiosi à Michaele exilio mulctati 344 .16
episcopi metropolitanis subiecti 312.10
episcoporum munus 292.17
episcoporum ordo triplex 291.32 in episcoporum & presbyterorũ numerũ quos assumere prohibitũ 256. 42
episcopis arma ferre interdictum 298.42 item bella gerere 302.40
episcopos abbatum munere functos 269.36
episcopos à clero & populo eligi à Carolo concessum 251.8
episcopos conflictibus bellorũ interfuisse 302.40
episcopos duos in una ciuitate esse, prohibitum 294.4
ab episcopis abbatias quoq; administratas 297.50
episcopatus precio uenditi 301. 38 largitionibus empti 326.57
Ephod Bad ornatus sacerdotalis 231. 28
epitaphia 263.21
Epternacensis abbas 536. 54
equitatu more principum, episcopi usi 302 40
Eberhardus Senonensis metropolitanus 522. 30
Ebradunensis archiepiscopatus 9. 18
Erchanbaldus Eistettensis episcopus 11.37 & 551.30
Erembertus Bituricensis episcopus 530.36
eremitæ 280.51
Ericus Danorum rex idololatriam regno propulsat 343.42
Ericus Danorum rex causa conuersionis Suecorum 16. 10 eius edictum pro christianis 17. 3 eiusdẽ in christianos sæuitia 24.46
Erlafridus comes 267. 27
Erlafridus Hirsaugiensis cœnobij fundator 266. 35
Erlulphus Verdensis episcopus 556. 1 à Danis interfectus 27 43
Ermundense cœnobium 266. 55
Ethelwulphꝰ Angliæ rex 247.15 ire centas marcas Romanæ ecclesiæ legat 305.7
Ethelwuolphus ab Helmenstamo, diaconatu abdicatus & in regem designatus 328.15
Ethelwuolphus monachus rex Angliæ creatus 500 15
Ethelwuolphus Wintoniensis episcopus 572.3
Ethelwuolphi Anglorum regis largitio 306.13
Ethelwuolphi tributum B. Petro Romanæ oblatum 337.4
Eua ex costa Adæ cur cõdita 102.50
euangelij finis 114 44 significata ibid.1
euangelij & legis discrimen 114.50
euangelica doctrina inter Rhossos quo miraculo confirmata 14. 30
Eigenuus II Pontifex Rom. 494.50
Eugenij I I Rõ. idololatria 495. 3 eius liberalitas in pauperes ibid.12 mors ibid. 27
Euilpus seu Emundus, Halberstadensis episcopus 563.2
Euphemius Saracenus Siciliã prodit 30.10
Euphemij principis Siciliæ miserabilis interitus 30.9
Euphemiæ monasterium 350. 20
Eusebij & Potentiani martyrum corporæ Gallicanis donata 325. 57
Euthymius Sardium archiepiscopus imaginum defensor, in exilium relegatus 484. 44 23.4
Euthymius Singelus 490 22
excommunicationis finis & usus legitimus 146. 45
excõmunicationis necessitas 147. 7
excommunicationis forma sub nono seculo qualis fuerit usitata 239. 30
excommunicationis fulmine contra innocentes abusi pontifices 300. 32
excommunicatione ad exigenda debita abusum 238.40
ab excõmunicatione absoluẽdi, ad auricularem confessionem cogebantur 240.36
excommunicati iniustè, publicè absoluti 240.28
excommunicati, à consortio hominũ excluſi 240.16
excommunicati in missa prima Pontificis Rom. in ecclesiam recepti 255.28
excommunicati quando in ecclesiam recepti 240.22
de excommunicationis recipiendis canon synodi Cabilonensis 24. 24 381.10
exempla uirtutum 328.10
exite gentes exite populi canto à Theophilo imp. musicis concretibus ornata & in ecclesia cantata 232.56 & 346.20 350.15
exomologesis 293.40
exorcistarum munus 292.
in exorcistarũ ordinatione quæ ritus obseruati 295. 46
exorcizatio quibus prohibita 296. 56 54.
extraneus in scriptura quis 26 58.10

F

Facies Dei 14.8
fames seu pestis Burgundiæ christianismi occasio 197.40
fatum inter christianos locum habeat 227.20
Felicianorum hæresis 265.5
feretra 257.
ferre candentis consecratio 55
ferro candenti innocentiam testari Francis usitatum 287.30
feruor meridiani solis quid significet in Scriptura 43.20
festa sub nono seculo quæ & quatenus obseruata 258.10
festa instituendi potestas à Pontifice Rom. usurpata 332.27
de festorum obseruatione Canon synodi Moguntinensis 250.10 121.40 122.25
fides
fides ficta quid
fides gratuitum Dei donum est 122.1
fidei definitio generalis 121.41 effectus 122.16 fundamentum de fide error Hincmari & Rom. 209
figura increpantis prophetis usitata 43.42 67.43
filij Dei appellationes & inde 26.18
filiastri
Flandriæ ecclesia 57
Floriaci ecclesia 30
Floriacense cœnobium
Foroulij ecclesiæ
Formosus Pontifex Rom. 20
Formosi mors 513.5 opera 512.52 scripta
Formosus Purtuensis episcopus Ro-

mam & episcopatum abiurare coactus 509.50 à Pōtifice Rom. in Bulgaricam missus 18. 40 episcopatu priuatus 323.22
formicatio cum alterius uxore uiuẽte marito quomodo puniri mandata 482.3
formicatio uirginum consecramur quomodo puniri 469.40
propter formicationem unusquisq; &c. dictum Pauli, à Pontifice Rom. male detortum 541. 50
de formicatoribus decretum 261. 60
fortitudinis exemplum memorabile 283.3
Fortunatus Gradensis patriarcha 520.36 eius fuga in Dalmatiam ibid.
Fortunatus Polanæ Ecclesiæ præses 458.33
Fossacense cœnobium 279.11
Franco Leodiensis episcopus 532. 15
Franco Tungrensis episcopus 9. 41
Franconis doctrina 532.30 eius opera in functiõe ibid.37 scripta ibid. 20
Franci Pontificium iugum excutiũt 341.42 & 342. inde
Fraci ab Hunnis & Auaris infestati 20.1à Nortmannis afflicti 25.37
Francorum iusiurandum 287. 38
Francorum regum cõflictus, christianis exitiales & funesti 27.28
Francorum principum ingratitudo erga Carolum Crassum Imp. 284.56
Franconiæ ecclesiæ 12.2
Francia synodus 423.45
Francofurtẽsis ecclesia ad Mœnum 12.7
de fratricida aut paricida pœnitentia, canon synodi Vuormacien sis 242.20
Frauuenmunster monasterium ad Limagum 266.46
Freculphus Lexouiensium episcopus 10.24
Freculphus Rotomagensis episcopus 521.40
quando floruerit ibid.50 eius scripta 921.52
Fremberius Hildesheimensis episcopus 558.54
Fridericus Traiectensis episcopus 295.47 iussu Iudithæ Ludouici uxoris interfectus 348. 4 idem insidijs Imperatricis circumuentus, perit 24.40
Fringus Basilienſis episcopus 11.1 & 551.48
Frisiæ ecclesiæ 12.60
Frisones à Nortmannis infestati 25. 37
Frotarius Pictauiensis episcopus 530.42 dignitate priuatur 531.10
Froto Damnorum rex qua occasione christianus factus 17.50
Fulco Remorum episcopus 524. 46 à Vuinemaro satellitæ interfectus 524. 50
Fuldensis bibliotheca 306.51
Fuldensis ecclesia 12.5
Fuldensis cœnobij schola 268.29 sub Rabano abbatæ cælebris 269.3
Fuldensi cœnobij bona 268.1
Fuldensi monasterio oliuetum à Ludouico Imp. donatum 270. 57
Fuldensi monachi à Bernhardo comite ditati 305.3 ijdem Leoni Papæ commendati 319.20
Fuldensium monachorũ interceßio pro Bernhardo Ludouici Imp. filio 279.20
funambuli 181.17
furibus & latronibus pœna de oreta 473.20
pro furibus suspensis an missus celebrandæ, in synodo Vuormaciensi disputatum 458.52
Furfandus Britonum dux 282. 3 eius fortitudo ibid.5
futura in præterito effari, prophetis familiare 43. 52

G

Gabriel angelus 95.3
Galacienum cœnobium 490. 17
Galatiæ ecclesiæ 5.36
Galecianum Iacobitemplum in Italia consecratum 522.56
Galliæ Narbonensis ecclesiæ 8. 42
Galli à Nortmannis uexati 25.37
Gallarum ecclesiæ 8.37
Gallicani doctores 521.10
Galliciæ ecclesia 10.39
Galliciæ rex ad fidem christi conuersus 10.39
Gandersheimense monasterium 266.53
Gaudebertus, in consecratione Simonis nomen retulit 255. 25
gemmarum usu clericis interdictum 496.17
genethliaci 198.59
genua flectere in Pentecostes hebdomada, monachus Aquisgranensibus interdictum 273. 10
genibus in terram fixis orandum, in synodo Turonensi decretum 250.1
gentium uocatio 163.27
Gregorius, insulæ maris Mediterranei sacerdos 485. 15
Gregorius & Felix monachi de Israel 573.9
Gefridus Monasterienſis episcopus 12.30 557.4
Germaniæ ecclesiæ 10.41
Germaniæ archiepiscopatus 312. 38
Gesuuuinus Osnaburgensis episcopus 557.35
Gilbertus Neumanensium episcopus 10.19
Gilberta puella ad Pōtificatum quo modo euecta 500.40
Gisla Caroli M. filia uestalis uirgo 350.21
Gisulphus Casinensis monachus 931.534.40
gladius spiritus 38.29
gladij utriusq; potestas à Pontifice Rom. falso usurpata 498.50
Gloria laus & hymnus, à Theodulpho Aurelianensi episcopo compositus 525.10
Gloria laus & honor in die palmarũ cani institutum 232. 46 & 244. 14
Gloria in excelsis missæ additum 505.36
Godefridus rex Nortmannorum 17.37
Godefridi Nortman. regis fœdus cũ Carolo III eiusdem nuptiæ cum Gisla Lotharij filia & conuersio ad Christum 17.40
Godescalcus Berni Saxonum comitis filius monachus 543.30
Godescalcus Belgæ Moguntiæ confutatus & damnatus 225.42
Godescalcus Belga 224.50
Godescalci Belgæ hæresis 224.
Gosbertus seu Gaudebertus Osnaburgensis episcopus 557.50 507
Gorgonij cadauer translatum 496. 27
Gotricus seu Godefridus Danorum rex acerrimus christianæ fidei persecutor 19. 44 & eiusdem fœdus cum Carolo M. Imp. 19 50

Gozzolinus Parisiensis episcopus 931.534.40
Gualo Metensis episcopus 9.55 in prælio cæsus 302.41
gubernatorum ecclesia peccata 299.2
Guntharius Galliæ episcopus 303. 57
Guntharius archiepiscopus Coloniensis 10.56 & 313.18
Guntherius Colonienſis episcopus 552.38 eius scripta 552. 44
Guntheri Colonienſis, & Thietgaudi Treuerensis archiepiscoporũ consultatio de diuortio inter Lotharium regem et Toietbergam permittendo 319.30
Guntherus Hildesheimensis episcopus 558.46
Gũtherij certamina 553.2 mors ibid. 28
Gurundus seu Gormo Frotonis Daniæ regis filius, ab Elfredo Britanniæ rege captus, & cum 30 proceribus & maxuna turba satellitum baptizatus 17.56
Gradensis archiepiscopatus 8.26 312.35
gradus coniugij prohibiti 181. 50 & inde
graduum ecclesiasticorum officia 292.1
gratiarum actione prosequẽda, quæ cunq; de manu Dei beneficia suscipimus 134.43
gradualæ papisticum 245. 47
Gregorius Syracusanus damnatus 428.12
Gregorius IIII alias Leoquartus Pontifex Rom. 495.46
Gregorij 4 arrogantia 496.42 doctrina ibid. 2 eius exempla Ottgarium Moguntinum archiepiscopum 495.57 hypocrisis ibid. 47 idololatria 496. 26 mors 497.14
Gregorij M. decretum de sacerdotũ cælibatu reuocatum 542.12
Gregorij M. caput in ecclesiam Petri apud genonas translatum 522.10 264.27
Gregorij collecta 249. 45
Gregorij pastorale 310.31
Gregorij caput Ansegisso Senonensi dono missum 325.57
Gregorij papæ reliquiæ in Medarbi basilicam translatæ 231.10

H

Hadebertus Syluanectensis episcopus 251.2 & 315 42 & 30.3
Hadduardus Mindenſis episcopus 12. 44 & 558.16
Hadubrandus presbyter 550. 60
Hadenulphus Laudunenſis episcopus 315.46
hæresis quæ sub nono seculo grassatæ sint 218.15 & inde
hæresis in ecclesia grassari cur Deus permittat 219. 14
hæresibus quomodo obuiam eundũ 170. 50
hæreticus à catholico quomodo differat 169.34
hæretici pœnitentes per episcoporũ manus impositionem in communionem recepti 256.17
hæreticorum nostra sophismatibus uti 218.38
hæreticorum nota peculiaris 218.58
Hædo seu Hatto Basilienſis episcopus 10.60 551.37
Halberstadij ecclesia 12.16
Halitgarius Cameracenſis episcopus 10.21
Hallenſis synodus 362.16
Hamburgum à Normannis incensum 25.46
Hamburgum occasio propagati Euangelij in ecclesias Slauorum & Danbrum 13.12
Hamburgenſis ecclesia 13.10
Hamburgenſis bibliothecæ conflagratio 306.45 & 316.12
Hamburgenſis ecclesia priuilegia abolita 512.47
Hamelenſis ecclesia 12.34
Hamulus Lugdunenſis episcopus 521. 14 eius scripta ibid. 18
Hanto comes de Andechs Augustanus episcopus 540 30
Harimarus Badebornenſis episcopus 556 23
Harioldus seu Eueldus Damia electus 16. 38 Mogunti baptizatus 16.46
Harruchus Verdẽsis episcopus 555. 40
Hatto archiepiscopus Moguntinensis 11.13 & 234. 14
Hattobaldus Colonienſis archiepiscopus 552.32
Hatto Lauriacenſis episcopus 361. 57
Hatto episcopus Treuirensium 10. 46
Hatto abbas Augiensis in episcopũ Moguntinũ consecratus 289.30 301.10
Hatto presbyter
Haymo Halberstadensis episcopus 12.16 & 560.52
Haymonis doctrina & nænia 562. 18 eius opera in functionibus 561. 40 mors 562. 50 scripta 561.5
Heimricus Sabonensis episcopus 361.56
Helena Bulgariæ regis soror fide christi imbuta 14.
Helenæ corpus translatum & Bri cis cultum 265.
Helles Regnerum Danorum regem uincit 30.47
Heligandus Verdensis episcopus 2.50 555. 44
Helisaschar presbyter & abbas 297.20 7.38
Heracleæ ecclesiæ
Herbertus Lincopiæ episcopus 45 & 571.22
Herpertus ostrogothiæ primus episcopus 12.28
Herchinradus Parisiensis episcopus 534.30 534.39
Herchinradi scripta
Heridagus seu Geridanus Hamburgensis presbyter 562.19
Hermannus cognomento siue Colonienſis episcopus 554. 16 eius mors ibid. 32 349.34
Hermetis reliquiæ
Hermetis martyris reliquiæ in Gallias missæ 270.7
Hetto mediolanensis episcopus ibid. 35
Hettonis idololatria 536. 37 mors ibid. 46 somnium ibid. 40
de Hieronymi uersione iudicium Rom migij 204.14
Hierosolymitani doctores 434 20
Hilarius Theanæ episcopus 8. 22
Hildegarius Tridentinus episcopus 521.5
Hildegrinus Halberstadensis episcopus 562.10
Hildebaldi sacri palatij archiepiscopus 362.20
Hildegarius Meldæ episcopus 8. 58
Hildeschalcus Tridentinorum episcopus 8.15
Hildesiensis ecclesia 12.20
Hildesiæ ecclesia Mariæ erecta 228.30
Hildesheimensis episcopatus à Ludouico institutus 347.1

Hilduinus abbas Dionysij 269.30 et 325.52
Hilduinus abbas Parisiensis eius q; liberalitas in monachos 268.13
Hilduinus archicapellanus 291. 24
Hilduinus Galliæ monachus 579. 30
Hilduinus Colonien sis episcopus 556.9
Hillionum seu Liuonum in christianos sæuita 20.31
Hilpericus rex Ariana hæresi infectus 226. 40 eiusdem edictũ pro Arianis ibid. 43
Hincmarus Laudunensis episcopus 290.32 524.1
Hincmarus Laudunensis clauium potestate contra quos abusus 238. 40
Hincmarus Laudunensis episcopus in synodo apud Acciniacum accusatus 443.50 Pontifici Rom. se opponit 338. 10 excæcatus dignitati restituitur 447.22
Hincmarus Romensis archiepiscopus 523.13
Hincmari Rem. episcopi certamen cum Hinc maro nepote suo de iure & priuilegio suæ diæceseos 523.10
Hincmari doctrina 523. 40 mors 524.40 næui 523. 44 eius opera in functione ibid. 53 scripta 523. 20
Hincmari & Romani Pontificis dissensio 356.4
inter Hincmarum Remensem & Hincmarum Laudunensem episcopos dissidium 355. 40
Hirsaugiense cœnobium in honorẽ reliquiarum Aurelij conditum 226.35
Hirsaugiense cœnobium priuilegio ornatum 267.40
Hirsaugiensis monasterij dedicatio 267.25 319.56 267.25
Hirsaugiensis cœnobij donatio confirmata 267 33
Hirsfeldensibus monachis priuilegia à Ludouico data 350.25
Hircarius Leodiensis episcopus 531. 45
Hispaniarum ecclesia
Histriæ ecclesiæ 10.32
Hitto Fruxinensis episcopus 540. 20
Hodo Beluacensis ecclesiæ rector 10.12
Hollandiæ ecclesiæ 13.4
Holsatiæ ecclesiæ 13.9
homo quid 102.4
homo ad imaginẽ Dei creatus quomodo intelligendum 103.32
hominis generatio duplex 136. 40
hominis significata in Scripturis 101.56
hominis lapsus 104.10 materia 102. 34 origo ibid.16 partes ibid.8
hominis nondum lapsi cõditio 103. 32
homini cur exitium suum ascribendum 104.10
hominem ex nihilo creatum Idiotæ error 205.57
hominem quomodo renasci oporteat 107.50
homines non creationis uitio sed naturæ prauitate mali 103. 40 & 104.10
homini naturalis malitia 104. 45
homines debere fieri angelos, Hincmari error 205.46
homicidia fortuita 482.14 pontanea ibid.34
hora pro tempore 52.34
horologium æncũ Carolo Magno à rege Persiæ missum 231.15
horologia in templis collocari usitata 231.15
horoscopi 199.5
Hostiæ ecclesiæ 7.52
Hubaldus monachus & musicus 232 50
Hucberti abbatis cõtra Lotharium seditio 285. 41
Hucberti corpus in Andagium monasterium translatum 264. 50
Huldericus Augustanus episcopus 540. eius elogium ibid. 46
Hulderici certamina cum Pontifice 341.2 eius doctrina 540. 47 libertas in redarguendo de Nicolao primo Pontifice, coniugium sacerdotum prohibente 541.2
Humbertus Bitaricensis episcopus 530.26
Humberti episcopi querela de magistratus negligentia in administranda iustitia 584. 30
humilitas hypocritica 131. 11
humanæ uitæ fragilitas 105.1
Hundeus Nortmannorum rex consilio Caroli fit christianus 18.13 28.22
Hunnorum contrà Francos expeditio 20.1
Humorũ in christiãos sæuitia 20.30
hydromantia quid 198.30
hymni Notgeri Leodiensis episcopi approbati 532.7

I

Iacobi ecclesia Cõpostellis à Carolo fundata 343. 36
Iacobi ecclesia à Carolo M. bibliotheca ornata 231.19
Icosa post abrogatum sibi imperiũ fit monacha 272.9
Ibbo Remorum episcopus in Dania Euangelium spargit 17.10
Iconolatræ 22.17
Iconolatrarum hæresis 219.20
Idiota Italus & Romanus sacerdos 514. 42
Idiotæ doctrina 515. 4 errores de Maria 515.20 scripta 514.58
Ido Pardebornensis clericus 514.50
idololatriæ uariæ exempla 284.1 & inde
Ignatius episcopo Constantinopolis 353. 29
Ignatius, Michaelis Rangabis filius episcopus designatur 290. 48
Ignatius à Barda afflictus 348. 6 dignitate priuatus 424. 58
Ignatius episcopus à Barda in exilium relegatus 25.22 353.34
Ignatij certamina & calamitatis 488.40 curriculum 489. 1 eius opera in functione 488 34 opiniones ibid.30
Ignatij depositio à Pontifice Rom. improbata 425.37
Ignatij Patriarchæ libertas in reprehendendo Barda 216.4
ignis pro tribulatione 54.34
de iecinore rabidi canis medicamentum dantes puniti 242.4
ieiunium triduanum belli tempore indictum ibid. 30
ieiunium quadragesimale 257. 14 de ieiuniorum temporibus canon synodi Moguntinensis 257. 25
ieiunia calamitatum publicarum tẽporibus indicta 257.38
ieiunia ecclesiastica dissoluentes, anathematis nota percussi 300. 14
ieiunia loco satisfactionis pœnitentibus indicta 257.42
Ieron presbyter Hollandiæ 554. 42 eius martirium ibid. 46

Iesu Christi monumentum Hierosolymis 265.57
Iesse Ambianensis episcopus 10. 13
Caroli M. legatus 531.16
Icthi Treuitensis episcopus 297. 60
illegitimi ad sacerdotium ne admittantur 410.1
illiterati ad ecclesiasticas functiones à rege Aluredo non admissi 343.8
imaginum adoratio in Constantinopolitana synodo cõfirmata 425. 10. & 433.18
imaginum cultus à Pontifice Rom. approbatus 328.57 299.17
imaginem cultus à Leone sublatus 22.20 & à Carolo M. improbatus 19.30 item sub Lothario 24.54
imaginum cultus nonum seculũ dedissimum 218.30
imaginum cultui contradicentes à Michaele Imp. afflimi 21.31
imagines formosi Pontificis Rom. cadauer salutasse 533.2
de imaginum uenerationedissidium sub Carolo magno 351.8 & 352.58 & 353.20
immunitas ab oneribus publicis, ministris data 344.59
Imperatores qui sub nono seculo comprehendantur 1.10
imperatores quibus ritibus inaugurati 288.34 & 316.50
Imperatorum Græcorum uestitus 289.20
Imperatorum & regum filij in clericorum & sacerdotum numerum cooptati 290.34
Imperatores confirmandi & consecrandi ius, quando à Pontifice Rom. sibi uendicatum 331.40
pro imperatoribus preces fieri decretum 295.44. & 296.46
imperium à Germanis ad Gallos translatum 331.25
imperium orientale à Saracenis afflictum 2.14
imperij Rom. ruina sub nono seculo 2.12
imperij dignitas precio uendita 332.1
imperium transferendi potestatem sibi uendicat Papa 331.25
impiorum damnatio æterna 192. 10
impiorum felicitas in occasionem impatientiæ non arripienda 180.1
impiorum opera Deus cur utatur in castigandis pijs 177.1
impositionum manuum 237.16
incantatores 198.41
incarnationis Christi utilitas & effectus 72.10
inclinatio doctrinæ huius noni seculi 205.1
incœstus punitus 242.50
Indiæ ecclesiæ 5.54
indisciplinati qui 54.21
infantum submersorum 6000 capita in piscina inuenta 541.10
infernus quid 191.30
inferni locus 193.47
de inferno error Haymonis 216. 58
in inferno nulla spes ueniæ 191. 40
infirmitates sanctorum à spiritu sancto cur reuelentur 45.3
Inger monachus & episcopus Nicenus 484.50
inimicorum dilectio 46.50 124. 40
Innocentij Papæ corpus Romam in Saxoniam translatum 349.37
Innocentiæ, Seueri Rauennatis episcopi filiæ, cadauer Moguntiam deportatum 264.47
innocentiam testandi ritus 287. 50
Insularum maris mediterranei doctores 485.15
intercessio sanctorum quibus argumentis à Iona Aurelianensi asserta 223.20
inuocatio sanctorum sub nono seculo recepta 210.6
Ioannes abbas in Adelingia 269. 60
Ioannes Arelatensis archiepiscopus 521.24
Ioannes Cyzicenæ episcopus 485. 8
Ioannes VIII. Pontifex Rom. mulier & scortum 332.58 in isto lenni processum peperit 340. 333.11 & 337. 30 & 500. 40 doctrina ib. 33 libidines ibid. 31 partus insolenni processu & mors ibid. 40
Ioannis IX. Pontifex Rom. 19.10 509.16 & 360.16
Ioannis VIII scripta 501. 10
Ioannis IX. Pontificis uictoria contra Saracenos 510. 20 eius certamen cum senatu Romano, de coronatione Ludouici Balbi 510.28 510 22 mors 510.28
Ioannes, metropolitanus Cæsareæ Cappadociæ 484.36
Ioannes patriarcha propter impugnatum imaginum cultum diuersis plagis cæsi 25.10
Ioannes Rauennas archiepiscopus dignitate priuatus 323.19 & 423.59 quibus conditionibus Pontifici Romano fuerit reconciliatus 326.43 eius certamina cum Nicolao Pontifice Rom. ibid. 14 item cum Imperatore ibid. 40
Ioannes Syluæ candidæ episcopus & Paschalis Papæ legatus 531. 52
Ioannes Syngelus, Theodoti Melissæni successor 487.22
Ioannis Baptistæ Nausæolum 265. 53
Ioannicius monachus Asiæ 574. 10 eius certamina dona, ib. 27 mors 575.3 opera 574.3 575.30 eius scripta
Ioannici epistola de excommunicandis imaginum impugnatoribus 488 20
Ioannico quæ miracula ascripta 574.45
Iobus patriarcha Antiochenus 5. 15
Ionas Aurelianensis episcopus 521. 15 quibus argentis & ratione imaginum ad orationem asserere conatus sit 222.40 523.
Ionæ Aur. doctrina & næui 30 eius certamen cum ecclesiasticis sacerdotibus Laudunẽsibus 519. 20 item cum Claudio imaginum impugnatores 527.20 eius scripta 525.20 142.
Iordanis typus baptismi 20
Iosephus Thessalonicẽsis episcopus 485.30 53. 54 & 55.6
irasci Dei 60.18
Irene Alexij Comneni uxor monasteria intrusa 58 287.18 patientia 281.30
Irenes iuramentum
Irmingatius comes Emporitanus 6.51
Isaac Lingonensis episcopus 9. 12
Isingerus Verdensis episcopus 535. 35

Israel
Isuardus monachus 48.25
Iudæi aliquot largitionibus & missionibus Basilij Imp. Constantino politani Christo adducti 17.30
iudicij extremi certitudo 188.1 forma 289.25 finis 190.42 locus 190.34 ministri 188.32 tempus. ibid.23
iudicij extremi recordatio quàm utilis & necessaria 190.52
iudicio extremo qui obnoxij 188.9
iudicia Dei iusta 61.1
iudicia politia in templis fieri prohibitum 234.4
iudicijs publicis interesse, episcopis interdictum 302.22
Iudith Ludouici Imp. uxor 328.30 & 348.4
iuramenta annihilandi potestas à Pontifice Rom. usurpata 332.31
iuramenta quibus ritibus fieri solita 287.18
iustitia Christi sola Dei conspectum sustinere potest 115.30 & 118.40
iustitia fidei quid 115.19
iustitia fidei à iustitia humana quid differat 121.14
iustitia ex fide gratuita 118.7 & 53.ibid.
iustitia humana mera apud Deum iniquitas 119.10
iustificatio in solo Christo consistit 115.26
iustificatio operibus malè ab Haymone scripta 208.10
iustificationis doctrina à doctorib. nostri seculi quomodo deprauata 207.53
iustificationis causæ impulsiuæ 117. 1 fructus 121. 9 materia 116.1 de Iustificatione error Idiotæ Haymonis, Rabani, & Angelomi 207.55. & inde
Iuuauensis seu Salisburgensis ecclesia 11.46
Iudæi Amorrhæorum & Cethæorũ filij quomodo & cur appellati 51.13

L

Lactis in scriptura sanctificatio 47.56
lachrymarum uallis 104.23
laicus in presbyterio ne stet sub missarum celebratione, à Leone IIII. decretum 247.3
laicis sub missæ celebratione chorum ingredi, interdictum 499.44
laicis in ecclesia sepelire prohibitum 466.40
Lampadusa à Saracenis subacta 20.16
Lambertus Spoletanus dux excommunicatus 508.45
Landenolfus Capuanorum episcopus uxoratus 290.20
Landulfus Capuæ episcopus 7.54 & 323.50
lapides duodecim in Iordane erecti figura 12 Apostolorum 166.50
lapsos post baptismum, recipiendos 126.41
latini sermonis usus in ecclesiis Bauariæ sublatus 18.60
Laudunensis episcopus à Carolo Caluo iniustæ excõmunicationis admonitus 343.57
Laudenolphus nobilis & episcopus Capuanus 51.6
Laudunensis episcopi crudelitas in consacerdotes suos 303.8
Lazarus monachus & pictor 277.30
Lazarus monachus pseudomartyr 24.26
lectorum munus 293.44
in Lectorũ ordinatione qui ritus obseruati 255.56
lectiones in ecclesia fieri à Carolo Magno mandatum 233.26
Lefdradus Lugdunensis episcopus 9.10
legati Imperatorum à Pontif. Rom. duriter tractati 331.1
legationibus episcopi functi 311.38
Leidradus Lugdunensis episcopatu se abdicat 300.56
Lemnus insula à Saracenis expugnata 28.2
Lemni ecclesiæ 6.37
Leo Imp. ob quartas nuptias excommunicatus 490.12
Leo nomenclator decollatur 322.46 exoculatur 494.30
Leo philosophus scholæ Constantinopolitanæ 307.30
Leo III. Pontifex Rom. 254.35 & 498.40
Leonis IIII. Pontif. Rom. somnium 299.40
Leonis imperatoris cædes grauiter uindicata 230.3
Leonis IIII. doctrina & opiniones 498.48
scripta 498.44
Leonis Papæ prædia à Romanis direpta 342.46
Leoni imperium prædictum 486.54
Leonis Papæ brachium in ecclesiam Petri apud Senonas transportatum 522.12
inter Leonem abbatẽ & Gibertum Neumosensem episcopum dissidium 360.28
contra Leonem Papam à Romanis seditio mota 352.28
Leodij ecclesia 9.51
Leodolphus dux Saxoniæ 266.54
Leonina seu Gregorianopolis à Gregorio IIII. Pontifice Rom. extructa 497.10
Leopolis urbs à Leone quarto in propugnaculum contra Saracenos consecrata 247.23 & 332.23
Leopramus Saleburgensis episcopus 539.16
Lesbi ecclesiæ 6.34.
letaniæ 245.37 250.18 & 371.12
letaniæ ab Episcopis equis insidentibus celebratæ 250.50
letaniæ triduanæ ante ascensionis festum à Leone institutæ 250.23
letanias celebrare tribus diebus ante ascensionem Domini, à Leone institutum 250.22
letanias peragere discalceatis pedibus in synodo Moguntina decretum 250.50
Leuculfus Saxonum dux 349.37
Leudricus Bremensis episcopus 571.9
lex cur data 113.17
lex naturæ 113.42.
legis officium 113.16
à Lege quomodo per Christũ simus liberati 113.37
liberum arbitrium miserum nisi gratia Dei adiuuetur 106.57 & seq.
liberum arbitrium in homine post lapsum quale 106.54.
liberum arbitrium quomodo amissum 106.40
liberum arbitrium in homine ante lapsum quale 106.30
liberi arbitrij uis in quo consistat 107.1
liberi arbitrij doctrina sub No-

Nono seculo prorsus obscurata 207.30
liberi cum liberta coniugium 477.8
de Libero arbitrio error Haymonis & Rabani 207.30 & inde
Liborij cadauer translatum 264.58
liber uitæ 91.8
libri apocryphi 204.35
libri qui pro ueris aut apocryphis hac Nona ætate habiti sint 199.43
libri sacræ Scripturæ ab Hebræis quomodo diuidantur 200.12
libri contra ambitionem Romanæ ecclesiæ scripti, à Pontifice cremati 321.47
librorum tam sacrorum quàm prophanorum descriptio quibus mãdata 277.30 & 307.8
ligneorum uasorum usus in administratione cœnæ prohibitus 467 40
Lindauiense cœnobium canonissarũ nobilium 267.9 eius priuilegia ibid.10
lingua Domini 54.53
lingua uernacula inter Sclauos & Polonos sacrâ instituta 15.4
lingua populari sacra peragi à pontifice Roman. Sclauis & Polonis prohibitum 18.46
Lipparæ ecclesiæ 7.12
literæ Synodicæ ad pontificẽ Rom. missæ 318.54
Lithiæ & Myræ in S. ecclesiæ 6.42.
Liudo Augustudunensis episcopus 9.12
Lobiensis abbatia 532.50
loca sancta Hierosolymis à Saracenis euersa 21.43
longanimitas Dei 128.7
longanimitas Dei in puniendis peccatoribus 179.56
Longobardiæ ecclesiæ 8.16
Lotharius rex in monachum attonsus 348.47
Lotharius apud pontificem Roman. accusatus 329.40 & sub prætextu uoti castitatis diuortium cum uxore facit 301.47 de adulterij crimine sese purgare à pontifice Roman. iussus 247.33.
Lotharius omnesq; ipsius satellites uno anno extincti 508.34.
Lotharij diuortium cum Thietberga 285.57 & 423.2
Lotharij flagitiosa uita 205.57 obitus 247.48
Lotharij nuptiæ secundæ cum Vualdrada 423.26
Lotharij nuptiæ secundæ ab Otgario archiepiscopo Moguntino contra Pontificis sententiam approbatæ 33.88
Lotharij Imp. anima à cacodæmonum raptu precibus monachorũ liberata 263.43
Lotharij & Thietbergæ diuortium à pontifice Roman. approbatum 328.34
Lothario pontifex Rom. excommunicationis fulmen minatur 329.48
Lotetaneus Spirensis episcopus 11.21
Lucensium ecclesiæ 8.2
Ludolphi Saxonum ducis filiæ in monasterium abditæ 350.28
Ludouicus Arnulphi Imp. filius baptizatus 542.44
Ludouicus Balbus Francorum rex à Ioanne IX. coronatus 510.12
Ludouicus Balbus Ansgardin uxorẽ repudiare coactus 286.10
Ludouicus Pius Imper. Occidentis 22.1 à Friderico Traiectensi episcopo officij admonitus 24.40 & 295.47
Ludouicus Imp. Adalgisi insidijs circumuentus 287.4
Ludouicus Imper. in Metensi ciuitate à septem archiepiscopis absolutus 240.30
Ludouicus Imp. à iureiurandi obligatione absolutus 332.40
Ludouicus Imper. in casa aurea ecclesiam in honorem sanctæ Trinitatis extruit 228.21
Ludouicus II. Imperator Occidentis 25.56
Ludouici Germaniæ regis opera, quatuordecim duces Boiemorũ baptizati 15.10
Ludouici Germanorum regis beneficentia erga legatos pontificios 350.48
Ludouici II. elogium 25.58
Ludouici Germanorum regis eleemosynæ pro patris demortui anima ad diuersa monasteria missæ 349.27
Ludouici II. erga Christianos in Africa & Asia beneficentia 6.12 eiusdem de conuertendis Gothis consultatio in Synodo Aquisgranensi 15.50
Ludouici secundi filius à cacodæmone obsessus 257.3
Ludouici Imp. filij, à pontifice Roman. contra patrem arma sumere iussi 281.41
Ludouici Imp. mansuetudo 282.10 iusiurandum 281.42 283.1
Ludouico Pio imperium ab episcopis abrogatum 302.1
inter Ludouicum Pium et filios ciuile dissidium 496.42 9.28
Lugdunensis ecclesia 400.20
Lugdunensis Synodus 400.20 ad Luminaria Petri & Pauli mutuo trienda, ducentenæ marcæ datæ 306.13 521
lunæ significata 521
Luidbertus primus abbas Hirsfugiensis 269.57
Luitpertus archiepiscopus Mogontinus 254.32 & 256.52
Luitpertus Moguntinus archiepiscopus, pontificis Romani tyrannidem accusat 337.57 eius bellum contra Lotharingios 540.30 616
Luthardus Ticinensis episcopus 517.52
Luitharius Badebornensis episcopus 516.58
Luituualdus Vercellensis episcopus 8.14 Carolo Crasso proprium adulterium cum uxore suffectus 260.13 267.
Lupoldus Saxonum dux 37 8.2
Lupus Theanæ episcopus 432.
Lupus Seruatus presbyter 12 432.
Lupus Seruatus presbyter & episcopus Theanensis 516.57 eius scripta. ibid.30 mors & opera 47
Lupus Seruatus presbyter hæreses Godescalci Belgæ acerrimus impugnator 225.42 616
Lybiæ ecclesiæ 5.12
Lycaones quidam ad interficiendum Bardanum subornati 520 518
Lycaoniæ ecclesiæ
Lydiæ ecclesiæ

M

Macedoniæ doctores 48.30 Macedoniæ ecclesiæ 7.17 447.56
Macrensis Synodus 198.20
magi qui magiæ

magicæ artis ſpecies uariæ 198. 20
magicarum artium deteſtatio 197. 53
magiſtratum politicum non eſſe à Deo ordinatum, error Rabani 216.47
Mahometo templum in Thyana à Saracenis erectum 20.41
Maioricæ eccleſiæ 6.51
Manaſſis pœnitentia 129.20
Manichæi à Michaele Imperatore damnati 21.16
manus Domini 51.54
manuum in aquam calidam immiſſio innocentiæ indicium 287.52
per manus impoſitionem lapſi in eccleſiam recepti 256.17
mappula ſiue mantile ſacerdotis indumentum 231.35
Mariæ baſilica aquiſgrani à Carolo ædificata 228.30
Mariæ ſtatutæ oculi euulſi 25. 10
de Maria matre Chriſti error idiotæ 210.10 & 206. 48
mare rubrum baptiſmi typus 143.1
maris ſignificatio 48.30
Marci Euangeliſtæ corpus ex Alexandria Venetias deportatum 265.9
Marci Euangeliſtæ templum Venetijs ibid.10
Marcellini & Petri corpora in Franciam deportata 264.56
Marinus pontificiæ ſedis diaconus 427.38
Marquardus Corbeienſis epiſcopus 560.22
Marquardus Hildeſiorum epiſcopus à Danis cæſus 27.40
Martinus II. pontifex Roman. 510. 30 quibus artibus ad pontificatus dignitatem aſcenderit 510.35
Martini II. mors 510.60 ſuperbia & ambitio ibid.57
Martini cadauer effoſſum 264. 33
Martini cultus apud Turonenſes 249.53
Martini templi Turoniæ conflagratio 25.42
martyres 291.47
martyrum baptiſmus 137.30
martyrij genera duo 173.55
martyrio peccata expiari, error Rabani 212.4 item Huinonis 216.33
Martisburgenſis & Zycenſis epiſcopus à Carolo Magno inſtituti 17.20
mathimatici 199.4
matrimonij obſtacula 261.5
matrimonia ſub prætextu uoti pietatis & caſtitatis diſſoluta 301. 47
matrimonialium cauſarum dijudicatio quibus commiſſa 317. 38
Maurelianus Andegauenſis epiſcopus 9.20.
Mauri corpus in Burgundiam deportatum 279.10
Mauri dant pœnas crudelitatis 29. 36
Maurorum de Patalaria inſ. in monachos 60 graſſatio 20.22 eorundem in Corſicam irruptio ibid.22
Maximiliani & felicitatis reliquiæ in templum Vtinenſe collocatæ 231.12
mediator humani generis cur Deus & homo eſſe debuerit 71.12
medicina animæ uerbum Dei 40.8
Mediolani eccleſiæ 8.13
Mediolanenſis archiepiſcopus 312.30
Megingandus comes Schuuarzachienſis cœnobij fundator 266. 22
Meginradus Augienſis monachus 280.55
Meinulphus Badebornenſis archidiaconus 556.52
Mico Richarij monachus 580.47
Meldæ eccleſia 8.57
Meldenſis ſynodus 406.20
Meldenſis ſynodi canones 406.24
melius eſt nubere quàm mortis occaſionem præbere Gregorij dictum 542.24
membra Deo quomodo & cur tribuantur 88.1
memoriæ mortuorum 263.33
Mengardus ſeu Meimgerus oſnaburgenſis epiſcopus 557.30
Mengardus Oſnaburgenſis eccleſiæ rector 12.37
menſa aurea Romam ad Baſilicam D. Petri menſa 229.6
mercaturæ diebus Dominicis prohibitæ 295.30
Mersburgenſis eccleſia 12.13
Meſembriæ expugnatio Chriſtianis funeſta 21.35
Meſſias quomodo promiſſus 76.30 meſſiæ beneficia 78.46 officia 77.4
Methodius Cõſtantinopolitanus patriarcha incarceratus, & exilio mulctatus 487.38 accuſationem de ſtupro quomodo refutarit 488.6
Methodius imaginum acerrimus aſſertor 25.8
Methodius Speculijulienſis epiſcopus 11.57
Methodius Illiricus Morauorum luliomontanorũ epiſcopus 490.43
Methodij Illiricizelus in propagan da Chriſti doctrina 496.50 eius certamina 488. 6 curriculum 488.24 doctrina 487.46 eius opera in functione 487.50 ſomnium 488.10
Methodij Illyr. diſputatio Romæ cũ epiſcopis habita 490. 54. eiuſdem certamina & peregrinationes 491.10
Metenſis ſynodus 423.1
metropoles 312.16
metropolitani 312.58
metropolitanorum electio 313.23
metropolitanorum munus 508. 1 & inde officium 313. 10
Michael archangelus 95.10
Michael Balbus Imp. 22.38.226.52
Michael Balbus fautor & propugnator ex hæreſis 21. 20 & 227
Michael Balbus poſt abrogatum imperium, unà cum procopia liberis monaſterium ingreditur 272. 4. & 348.58
Michael Balbus crudelitatis pœnas luit 30.3
Michael Imp. à Plotio excommunicatus 489.20
Michael Imp. in templo ſub odis matutinis à ſicarijs interfectus 249. 21
Michael Rangabin malè cum Bulgaris pugnat 29.54
Michaelis Balbi confuſa religio 23. 10 eius exitus miſerabilis 227. 22 eiuſdem hæreſis 227. 20 interitus 30.20
Michaelis Balbi inſidiæ Theodoto ſtructæ 22.44
Michaelis Imp. cadauer à Leone exhumatum & in S. Apoſtolorum ædem honorificè translatum 264.5
Michaelis Imp. erga monachos in cypro beneficeutia 2. 52
Michaelis Imp. luſus ſcelerati et horrendi 248. 10 in ſynodo Conſtantinopo-

tinopolitana damnati lusus & abrogati ibid. 17
Michaelis Imperator liberalitas 282.41 eius pædagogus 307.53 profusiones 349.43
Michaeli archangelo templa extructa 349.18
militibus aurum sericumq; gestare interdictum 344.45
Milo S. Amandi monachi 580.25
millenarij muneri usus in scripturis 45.16
minister auditorum rationem habeat 170.4
ministri alligati uerbo 168.42 non deterrendi minis 169.10
ministrorum uerbi officium 167.28 dignitas 172.43
ministrorum falsorum pœna 172.54
ministrorum uita doctrinæ quã profitentur, respondeat 169.30 & 172.40
circa ministrorum ordinationem qui ritus obseruati 250.56
ministros eligendi & uocandi penes ecclesiam 250.56
ministris quibus armis contra hæreticos pugnandum 170.50
ministerij appellationes 166.10 author 167.14
miraculum Euangelici codicis non combusti 14.30
miracula Christi & Apostolorum duplicia 180.34
miracula diabolica 180.50
misericordiam facere quid 121.20
missa Ambrosiana, à Carolo Magno abrogata 348.20
missa super obsessos celebrata 257.5
missæ forma nono seculo qualis obseruata 245.23
missæ celebratione & communione de criminibus purgationem fieri decretum 248.2
missæ sacrificium à Rabano approbatum 210.23 item à Paschasio 213.18
sub missæ celebratione, Christum Plecgili presbyterio apparuisse 248.22
missæ pro Angliæ rege & proceribus celebratæ 247.15 & pro bellatoribus ibid.18
missæ millæ pro rege Francorum & eius exercitu celebratæ 279.47
in missa prima Pontificis Rom. excommunicatos recipere usitatum 255.28
in missæ celebratione uini & aquæ oblatio mandata 467.54
missificandi uariæ rationes obseruatæ 246.53
missionis duplex in scriptura significatio 44.11
Moguntina synodus 362.42 quando, à quibus & qua occasione celebrata 362.46 & 412.57 413.9 443.10 449.50
Moguntinæ synodi decreta 363.20
Moguntinensis archiepiscopatus 312.38
Moguntinensis ecclesia 11.13
monachus fatidicus 303.44
monachus quidam propter defectionem à Christianismo mulctatus 31.10
monachi bellis & conflictibus interesse coacti 271.6
monachi aliquot à Mauris capti in Hispanias asportati & uenditi 6.55
monachi quidam indicta causa damnati & Constantinopoli electi 21.4
monachi 60 in Hispaniam abducti & uenditi 20.21
monachorum ordines uarij 269.16 & 280.46
monachorum uestitus 278.42
monachorum fugitiuorum pœna 471.1
monachorum in insula Patalana cædes uindicata 29.36
de monachorum & monachorum fornicatione & quærela Humberti episcopi 278.22
in monachorum ordinem reges & principes assumpti 328.8
monachis crapula interdictũ 496.20
monachus præceptores præfecti 270.40
monachus Linusfarnensibus uinum & cereuisiam libere permissum 277.1
monachus artificia manuaria calluisse 277.27
monachatus à Pontifice Rom. supra modum commendatus 327.58
monachismus pro summo cultu habitus 304.4
monachia illicita 285.10
monasteria Angliæ à publicis oneribus liberata 343.24
monasteria dedicari solita 267.20
monasteria imperatorum & regum authoritate confirmata 267.40
monasteria magno numero extructa cœpta 266.10
monasteria à Pontificibus Rom. consecrari solita 265.32
monasteriæ in Pontificis Rom. potestatem redacta 328.17
monasteria loca carcerum & exiliorum fuisse 271.18
monasterium redditus 267.34
monasteriorũ inspectio quibus data mandata 397.10
monasterijs abbates præfecti 269.15
monasterijs scelerati inclusi 270.55
in monasterijs philosophiam & dicendi artes traditas 268.22 item theologiam 298.28
monialium leges & statuta 277.40
moniales uelare, episcoporum munus 292.47
monialibus uirorum & monachorum commertio interdictum 277.40
monastica uita baptismo æquiparata 350.53
monasticam disciplinam custodiendi quibus commissum 351.1
ad monasticam uitam nemo legendus, à Leone IIII. sancitum 280.22
monasticarum superstitionum lucra temporis multitudo 278.60 & inde
matrimonium quid significetur 45 & 54.36
Morani Zuentibaldi ducis opera Christiani fiunt 11.17
Moraui ecclesia
Morauorum à fide Christi ad Hungaros defectio 28.38
Morauorũ Ecclesiæ à Ioanne IX. Pontifice Rom. quomodo restitutæ 19.20
morborum remedia à quo & ubi quærenda 198.10
mors quid 182.46 unde 184.48

mors triplex 183.9
mors pijs cur non horribilis 185. 57
mors temporalis pijs quàm utilis 185.21
mortis consideratio ad quid prosit 185.37
contra Mortem consolationes unde petendæ 185.57
moriendi necessitas omnibus incumbit 12 109. 6 & 183. 1.185.
morum inspectio metropolitanis mandata 314.42
multi in scripturis quid significent 53.42
mundus, carcer miseriæ 91.58
mundi autor 91.40
mundi uariæ in scriptura significationes 50.46
mundi tempora in octo partes distributa 533.47
mundum crematum iri 23 191.
mundum relinquere quid 20 568.
Myndensis ecclesia 12.44
Myra à Saracenis occupata 20. 46

N

NAaman Syrus imago uocationis gentium 144.30
Nanneti episcopus baptizãs in templo trucidatur 25 36
naues sacerdoti abscissæ 27 450.
naturarum duarum in Christo unio 74.10
naturarum in Christo proprietas non confundenda 75.8
Nauarri Saracenorum sectæ fautores, ad fidem Christi reducuntur 13.15
naufragio, Saracenorum crudelitas punita 30.58
inter Necessitatem & coactionẽ distinguendum 42.58 & 43.5
necromantici 198.26
Nectarius patriarcha Constantinopolitanus 429.9
nescire Dei 48.33
Nibridius Narbonensis episcopus 8.42
Nicephorus Imperator auaricia & crudelitatis pœnas luit 29.45
à Crunno Bulgarorum rege capite plectitur 29.50
Nicephorus patriarcha propter imaginum defensionem in exilium relegatus 22.30
Nicephorus ex laico constantinopolitanus episcopus factus 485. 46
Nicephorus patriarcha & Plato reconciliati 345.8
Nicephori arrogantia 286 37
Nicephori hypocrisis 287.1
Nicephori idololatria 283.48
Nicephori iniustæ exactiones 286. 17
Nicephori erga episcopos inhumanitas 347. 52 eius obstinatio 284.7 obtrectationes 286 37
Nicephori pseudomartyrium 486. 36 perfidia 284.14 tyrannis & crudelitas 284. 16 & 285.44
Nicephori Imperatoris magnitudo animi 281.59
Nicephori ad Aaronem Saracenorum ducem legatio 311. 37
Nicephori patriarchæ erga Christianos exules beneficentia 21. 55
contra Nicephorum conspiratio episcoporum 302.60
Nicolaus Constantinopolitanus patriarcha 490.12 eius opiniones ibid.14
Nicolaus eremita 280.53 ob imaginum cultum damnatum, afflictus 21. 27 palinodium canere coactus ibid.30
Nicolaus Pontifex Rom. 504.8
Nicolaus Papa Vualdradam pellicem Lotharij excommunicationis nota ferit 239.7
Nicolaus Papa propter tyrannidem ab episcopis Belgicis acriter obiurgatur 338 40. & seq.
Nicolai Papæ legatio in Galliam 325. 17 eius certamina 506. 34 mors 507. 12 scripta 504. 30 doctrina 504. 48 opera 505.2
Nicolai ecclesiæ à Saracenis uastata 20.47
Nicolai reliquiæ uneratæ 265.1
Nicolao Papæ Pontificatus dignitas prædicta 504.12
nobilium puellarum monasterium in Heruorda 267.1
Nodbertus Rhegiensis episcopus 516.58
Noegerius monachus S. Galli consequentiarum auctor 232.53
Noegerij sequentiæ 347. 48
nomina mutare in electione Papis usitatum 255.12
nominum in Papis mutatio, quando incœperit 497.50
nonum numerum raro in bonã partem accipi 52.18
sub nono seculo qui Imperatores comprehendantur 1.10
noctis significata 51.50
Norici ecclesia 11.28
Nordalbingorum regio ferro & igni uastata 25.50
Nordbertus Gradensis ecclesiæ fundator 8.28
Nortila Verdensium episcopus 555. 17
Nortmannus quidam ab Adriano Papa iniustè excommunicatus 326.27
Nortmanni excommunicatio reuocata 443.40
Nortmanni ab Arnulpho Imp. profligati 28.20 ab Hybernis propulsati 13.44.
Nortmanni in Hamburgenses grassantur 25 46
Nortmanni & Dani sub Carolo Caluo, ethnicarum superstitionum sæui uindices 27.30
Nortmanni urbem Nannetum expugnant, in episcopum clerum & populum grassantur 25. 36
Nortmannorum sæuitia in Frisones, Gallos & Francos 25. 37
Nortmannorum & Danorũ Vuormaciam usque excursio 28. 11
Nortmannorum & Danorum in Gallijs, Burgundia ac Lotharingia grassatio 28.6
Nortmannorum & Danorum centum millia cæsa 30.42
Norduidensis ecclesia 13.1
Notgerus ex abbate, Leodiensis episcopus factus 531.50
Notgeri hymni à Nicolao Pontifice approbati, & in ecclesia cantari iussi 532.7
Notgeri mors 532.10 scripta 531.57
notoriè impij ab ecclesia excluſi 238.14
Nottingus Erlafridi comitis filius episcopus Vercellensis 516.8. 266.37 eius furtum & idolatria horrenda 516.10

numerus senarius pro perfecto in Scripturis cur habeatur 50. 1
nuptiæ à Pontifice Rom. prohibitæ 328.24
nuptias quadrigesimali tempore celebrare prohibitum 261.1
nuptias secundas & tertias fugere, ab Haymone approbatum 216. 40
circa nuptias qui ritus obseruati 259.28
à nuptijs non exemptæ monachæ cœnobiæ Lindauiensis 267. 9
de nuptijs consanguineorum canones concilij Vuormacienſis 241. 40
nuptialia conuiuia 259. 58

O

Obedientiam presbyteri chirographo promittere coacti 252.12
Obotriti Christiani & Caroli M. socij 13.15
oculi Domini 49.33
oculorũ Dei in Scriptura sanctificatio 44.4
oblationes apud sepulturas mortuorum 263.37
oblationum ritus noni seculi 229. 10
de oblationibus synodi Triburiensis decretum 233.50
obliuio in Deum non cadit 45. 52
obsessi ad sepulchra sanctorum & loca sacra ducti 265. 47
Oddo Ottonis Imp. filia 259. 36
Odogerus Aichostadensis episcopus 322.13
Odgerus Eichstettensis episcopus 11.37
Odibaldus Traiectensis episcopus 9.46 & 532.57
œconomi ecclesiasticorum bonorum ab episcopis constituti 305. 46
offensionem idola uocare, scripturæ usitatum 45.36
offertorium 245.51
Olaus Sueciæ rex per Ansgarium Hamburgensem episcopum conuersus 16.10 & inde
oleum in baptismi administratione adhibitum 235.49
Omnium sanctorũ festum à Gregorio Papa institutum 322.30 & 327.36 350.10
Omnium sanctorum festum in Calendas Nouembris translatum 496.30
onus in scriptura plerunq; pro miseria ponitur 49.10 & 53. 25
opera quæ facienda 123.8
opera bona in sanctis unde 122. 50
opera bona quæ Deo accepta sint 123.38
opera bona à quibus fieri possint 123.15
opera trinitatis inseparabilia 88. 33
operum bonorum laus soli Deo ascribenda 123.6
operum fiducia à iustificatione excludenda 122.53
operibus bonis promissionum fructus assignatur 123.58
operibus iustificatio & salus, contra uerbi Dei mentem à scriptoribus noni seculi attributa 209. 24
oratio quæ Deo accepta 133.1 quæ inefficax 132. 40
oratio ad quem dirigenda 132. 20
oratio pro mortuis approbata 299. 27
oratio piorum multis maculis aspersa 134.1
orationis effectus 134.40 forma 134.20
orationis locus & tempus 132. 51
ad orationem qualis humilitas requiratur 133.41
in oratione perseuerandum 133. 14
circa orationes casus 250.50
circa orationes qui ritus obseruati 249.20
ordinandi, iurare quòd digni essent coacti 256.23
circa ordinationem casus 256. 2
organa in templis collocari solita 232.15
organis aureis templum Constantinopolitanum à Michaele Imp. donatum 232.17
ostiarij 293.50
Osnaburgensis ecclesia 12.37
Otto Venedorum episcopus 539.12
Otulfus Trecasensis episcopus 7. 34
Osuualdus Venedorum episcopus 491.31 & 539.18, eius epistolæ binæ ad Pontificem Rom. ibid.35
Os porci, Sergius Pontifex Rom. 255.14 & 497.17
oscu'ari inuicem in conuentibus ecclesiasticis usitatum 237. 40
Ottgarius Moguntinensis episcopus 11. 13 & 267. 26 & 543. 30
Otgarij doctrina 543.37
Otgarij exilium 543.50
Orgarij mors 543.60 eius contentio cum Pontifice Rom. 543. 40
Oxoniensis ecclesia 13.40
Oxoniensis schola 307.34

P

PAdelbornensis ecclesia 12. 41
Palestinæ ecclesiæ 4.39
pallium pontificale 332.3
pallium conferendi ius Pontifex Rom. sibi soli uendicat 325. 23
pallij usus 439.40
pallio uti quibus concessum 247. 7
panis azymus 243.55
Panthaleonis caput in Franciam allatum 264.43
Pannoniorum ecclesiæ 7.45
Pannonia à Morauis misere afflicta 28.28 7.14
Panormi ecclesiæ 307.28
Papiensis schola 24
Paschalis I. Pontifex Rom. 50 & 324.25 & 493.20
Paschalis Pontifex Rom. homicidij accusatus 222. 50 & 341. 17
Paschalis Papa inscio Imperatore intronizatus 330.15 eius epistolæ duæ ibid. 30 idolatria 43.30 resgestæ 40.30 mors 494.48 somnium 494.8
passionis Christi fructus & finis 80 30 310.51 5.31
pastorale Gregorij
Parisiorum ecclesia 307 18 scholæ 36.35
Parisiensis schola dus 36.35
Parisiensis & Ticinensis academia à Carolo M. institutæ 39.43 patri

Pater fons & origo Trinitatis 32.34
pater diuinitatis origo 67.40
patientiæ fructus 175.1
patriarchatus 312.48
patrimi 261.28
patrimi in baptismi administratione qui admissi 236.27
patrinorum officium 402 52
Patto Verdensis episcopus 554.54
Paulicii Manichæi 226. 1 hæreseos damnati & exilio mulctati 226. 30
Paulicianorum & Athinganorum hæresis quo tempore & ubi grassata 226.6
Paulicianorum religio confusa 226. 29 eorundem hypotheseos 226. 14
pauperum cura episcopis denondata 297.52
pauperum cura decretum synodi Turonensis 305.40
pedes Dei 49.25
pedum nomine quid intelligatur 52. 24
peccatum in homine unde 108. 56
peccatum, omnium calamitatũ causa primaria 174.20
peccatum originale, hæreditarium 110.14
peccatum originale unde 111.1
peccatum in regeneratis regnare non habitare desinit 113.10
peccatum in spiritum sanctũ quid 112.21
peccati autor Deus non statuendus 109.42
peccati autor diabolus 109.10
peccati originalis effectus & fructus 112.10
peccati proprietates 110.50
species 108.46
peccati omnes homines obnoxij 11. 26
inter peccatum & iniquitatem quid differat 108.28
peccata hominum liberè & grauiter arguere, presbyterorum munus 295.7
peccatorum reliquiæ in renatis cur hærent 90.26
peccandi licentia non capienda ex misericordia Dei 126.26
pecunia homines emunge, omnium monachorum regula 270. 54
peregrinationes ad loca remota orandi gratia inlitatæ 249.51
peregrinationes ad loca sacra sub nono seculo usitatæ 265. 30
peregrinationes ad sanctorum sepulchra refutatæ 221.34
Perontia & Eschla imf. à Saracenis afflictæ 20.20
Perontiæ seu Patalariæ in ecclesiæ 6 55
persona tertia pro prima posita 53.1
personæ trinitatis quomodo non cõfundendæ 33.10 & 66.2
personarum acceptio apud Deum nulla 59.48
perturbationibus Deus non obnoxius 60.20
Petrus Centumcellensis episcopus 516.1
B. Petri ecclesia Colonia dedicata 229.37
Petri ecclesia Coloniæ extructa 228.34
Philomilium 303.48
Philippi brachium in templum Vtinense translatum 231.11
Philippopulis ecclesiæ 7.24
Photius Constantinopolitanus patriarcha 489.8 ex laico episcopus factus 424.58 damnatus 427. 60 anathematizatus 434.1
Photius cum suis asseclis excommunicatus 426. 30 ab officio iniustè remotus 26.6 tertiò damnatus 432.1
Photius patriarcha Basilium ab ecclesiæ communione arcet 238. 30
Photij in administrandis clauibus libertas 425 54
Photij certamina cum Ignatio & eius asseclis 489.30
Photij opera 489 20
Photij patriarchæ liber contra Pontificis Rom. ambitionem 340. 26 & 425.45
Phothij liber à synodo approbatus, à Pontifice Rõ. crematus 321. 50 & 426.37
Photij electio à Rom. Pontifice improbata 425.44 & 426.1
Photij orator excommunicatus 426.20
phrases quædam scripturæ ex doctoribus noui seculi excerptæ 47.54
Phrygia & Lycaonia Paulicianorum hæresi infecta 226.7
Phrygiæ ecclesiæ 5.23
Picardus Leodiensis episcopus 531. 40
Plato Sacundionis abbas 575. 52
Plecgilis presbyter 248.22
eius oratio submissæ celebratione & usio ibid. 30
poculum ex cranio Nicephori Imp. factum 29.50
poculorum uitreorum usus in administratione cœnæ mandatus 467.30
πωλήτης uestis sacerdotalis 231. 27
pœnitere Dei 44.41
pœnitentia quibus partibus constet 126.30
pœnitentia de die in diem non differenda 126.20 & 129.43
pœnitentia uera citra fidem consistere nequit 126.30
pœnitentiæ adiuncta 130. 57 causa efficiens 126.37 contraria 128 53
pœnitentiæ finis 131.1
pœnitentiæ necessitas 125.60
pœnitentiæ ueræ exemplum in filio prodigo 127.7
pœnitentiæ doctrina uehementer hoc nono seculo obscurata 210. 35
pœnitentiæ post hanc uitam laus nullus 128.17 & 130.30
pœnitentiæ locum esse post baptismum 126.41
de pœnitentia homicidij sacerdotis canon synodi Moguntinæ 241. 54
pœnitentiam differre periculosum 126.28 & 130.5
de pœnitentia Canones ex Gratiano 241.52
de pœnitentia error Rabani. 210. 35 & Cabillonensis cõcilij ibid. 52 & 211.1
pœnitentes in ecclesiam recipiendi 296.8
pœnitentes ferrea uincula gestasse 241.17
poligamia 182.15
ob polygamiam diuidium 360. 40
πολυπραγμοσύνη sacerdotum à Gregorio taxata 448. 40
pomorum in Scripturis sanctifica-

tio 50.8
Pompilonenſes poſt defectionem ad Saracenos in fidē recipiuntur 18. 15
Pontifex Rom. b. llator 332.10
pontifex Rom.carnifex 329 34
Pontifex Rom.diuortiorum iniuſtorum approbator 328. 34 diſſidiorum ſeminator 331. 8 ipſiſſimus Antichriſtus 320.18 idololatria 321. 55 latro 322. 19 meretrix Babylonia 332 54 ſicarius & homicida 322 46 mulier & ſcortum 332. 58 Dei nomen ſibi uendicat 321.38
Pontifex Rom.omnium eccleſiarum caput & mundi Dominus uult perhiberi 326. 40 & 329 30
Pontifex Rom.in electione confirmanda ſupremam ſibi arrogat poteſtatem 251. 42 poteſtatem ſoluendi & ligandi ſibi ſoli uendicat 324. 10 regna totius mundi affectat 329. 24 feſta inſtituendi poteſtatem ſibi tribuit 322.27
Pontifex Rom.à nemine iudicandus 321.16
Pontifex Rom. in carcerem coniectus 342.40
Pontifex Rom.publicè in ſynodo refutatus 18.50
Pontifex Rom.peperit 337. 38
Pontifex Rom.propter tyrannidem ab epiſcopis Belgicis redarguitur 338 40
Pontificis Rom.aſtus 325.13 decreta impia 328.24 excommunicationes iniuſtæ 323. 12 & 326.27 & 330.54 exactiones & explicationes 326.55 iniuſta iudicia 329 36
Pontificis Rom. libido dominandi 329. 24 præiudicia 329. 50 tituli 334. 18 tyrannis & ambitio 322. 46
Pontificis Rom. iniuria in Nortmannum quendam 326. 25
Pontificis Rom. authoritas & primatus quomodo & à quibus confirmata 333. 4 & 334. inde
Pontificis Romani electio penes quos ſita 251.10
Pontificis Rom.electio imperatoribus adempta 494.20 & 511.25
Pontificis Rom.primatus à Cōſtantinopolitana eccleſia improbatus 340.22
Pontificis Rom.tyrannis ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis damnata 2.20
Pontificem Rom.errare non poſſe, error Hincmari 216.7
inter pontificem Rom.& Ioannem Rauennatem diſſidium 353. 54
à Pontifice Rom. lingua uernacula ſacra peragi prohibitum 18. 47
Pontificis Rom.cur nomina mutent in electione 255.12
Pontificum Rom.noni ſeculi crudelitas 2.30
Pontificum Rom. felicitas externa 3.14
Pontificum Rom.mācipia & quæſtores 318.33
Pontificum electio ab imperatorib. confirmata 340 35
Pontificis Rom.eligendi ius Imperatoribus abrogatum 330.30
pontificia authoritas à quibus confirmata 333.10
Pontificiæ authoritati qui ſe oppoſuerint 337.26
pontificiæ ſuperſtitionis noni ſeculi 2.3
pontificia prædia direpta & incenſa 342.46
Pontigonenſis ſynodus 444.8
Poppo Thuringorum dux ab Vngaris trucidatus 28.42
Popo rex Thuringorum 302. 44
in portis iudicium conſtituere quid 48.50
portuæ eccleſiæ 7.48
poſtulationes 246.50
prædeſtinari alios ad ſalutem, alios ad damnationem, quomodo intelligendum 91.27
prædeſtinatio 90.48
prædeſtinatio à præſcientia quid differat 90.50
de prædeſtinatione error Godeſcalci Belgæ 225.8
pro præiaturis miſſæ celebratæ 247.18
præteritum pro futuro ponere ſcripturæ uſitatum 48.12
preces pro mortuis approbatæ 303. 14
presbyter à laico excæcatus 468. 3
à presbyteri dignitate qui excidit 256. 42
in presbyterum minor 30 annis non eligendus 251.58
presbyteri ordinandi fidem chirographo dare coacti 252.12
presbyterorum munus 293.3 & 294.21 & inde
presbyteris ante ordinationem exāminandos decretum 255.7
primatus pontificis Rom. quomodo & à quibus confirmatus 332. 3 & inde
primatus pontificis Rom.à regibus & imperatoribus ſtabilitus 335. 20 & ab Imperatoribus Graecis refutatus 342.30
priuilegia eccleſiarum à quibus conſtodita 310.48
Procopia Michaelis Balbi uxor 272.4
Procopiæ erga ſacerdotes liberalitas 349.45
promiſſiones noui & ueteris teſtamenti quomodo diſcrepent 57. 10
per prophetarum uos & patres quid ueniat intelligendum 42. 52 42.8
prophetia quid
prophetia etiam impijs communis 41.55 41.
prophetiarum genera 16
propheticis teſtimonijs uti, Euangeliſtæ Matthæo uſitatum 444.4
prouidentia Dei in rebus aduerſis maximè conſideranda 90. 26
prouidentiæ Dei ignoratio, exitialis 89.50
prouidentiæ Dei conſideratio ad quid profit 89.20
prouinciales epiſcopi 307.50
prouincialium epiſcoporum munus 308.35 & 309 inde
Prumienſe monaſterium depopulatur à Danis 28.22 8.1
Prumenſium eccleſiæ
pſalmus 109 in funere Renelini Mercciorum regis retrogradus 31.55 actus
pſalmos 50 in ſingulis eccleſiis omni die Mercurij cani ab Alſtano Schireburnēſi epiſcopo inſtitutū 233.1
pſalmos 150 ante ſacrificium antephonatim

phonatim cani institutum 10 244
Psalterium ab Aluredo regi transferri ceptum
puellarum raptus 345.16
pueri uaria significata 410.20
pueris cœna administrata 51.20
15 249.
purgatio de criminibus per cœnæ usurpationem fieri mandata 247.30
purgatorij doctrina ab Haymone recepta
Pythonissæ 217.25
198.57

Q

Quadragesimale ieiunium 257.14
quadragesimale ieiunium non obseruantes damnati 258.5
Quatuor coronatorũ phanũ 498.36
de quæstione an hæretici interficiendi sint, diſsidium 352.7
in quæstionibus difficilioribus sentẽtias conferre archiepiscoporum munus 319.1
querela Moguntinorum patrum de miserijs sui temporis 26.58
quinquies mille monachi uni abbati subiecti 269.44
quis pronominis significata in Scripturis 51.25
quis pro rarò aut nullo positum 48.55

R

Rabanus cognomine Maxentius Moguntinus archiepiscopus 269.1 544.6
Rabanus abbas Fuldensis in archiepiscopum Moguntinensem electus 251.32 ad conscribendas humilitas solicitatus 271.40
Rabani amici & familiares 547.47 eius certamina contra Godeschal cum 546.60 item contentio cum Otgario 547.4 eius doctrina 544.54 seruor in redarguendis hæreticis 546.10 functiones 544.16 humilitas 281.35 548.17 liberalitas in pauperes 548.6 insenia 547.35 mors 548.26 opera 546. in functiõe 546.7 opiniões 546.1 scripta 544.30
Radoaldus Portuensis episcopus & Pontificius legatus 515.40
Ragemprandus Cassinensis abbas 579.5
Ragenarius Nortmannorum dux sacrilegij luit pœnas 31.3
Rani seu Rugiani monachorum quorundam opera ad Christum conuersi 15.62
Raphael angelus 95.13
Ratbodus Treuirensis episcopus 538.42 eius auaricia ibid. 50
Ratboldus Traiectensis episcopus 9.46
Ratfredus Fauianensis episcopus 11.55
Ratisbonæ muri ampliati 349.20
Rauennæ ecclesiæ 8.7
Rauennæ archiepiscopatus 312.26
Rauenna archiepiscopatus abrogatus & Rom. sedi subiectus 505.12
recordari Dei 43.12
redarguere errores officium ministrorum uerbi 169.8
redargutio publica in ecclesia utilis 170.43
in redargutionibus ministro quis modus seruandus 170.15
redemptionis opus maius quam creationis 70.50
redemptionis causa impulsiua & materialis quæ 82.4
regis Israel cur Christi nomine appellati 44.38
reges & principes in monachorum ordinem assumpti 328.8
regni Christi termini 4.30
regni cælorum diuersæ in Scriptura significationes 50.52
Regnerus Daniæ rex propter abrogatum christianismum punitus 30.47
Reginharius Italiæ episcopus 318.30
Regnbaldus incerti loci episcopus 550.46
Regnoburgensis ecclesia 11.33
reliquiæ sanctorum et martyrum in sacris ædibus collocatæ effossæ translatæ auro & argento ornatæ 264.20 & inde
reliquiæ sanctorum in templa repositæ 231.8
reliquiarum custodia quibus cõmissa 317.47
de reliquijs sanctorum error Rabani 207.17
Rembertus Hamburgensis episcopus 251.36
Remberti Hamburgensis episcopi pietas erga christianos à Vandalis captos 306.12
Rembertus Corbiẽs. episcopus 567.30 eius functiones 562.34 scripta 50 doctrina & næui 562.54 opera in functione 568. 6 dona ibid. 47 certamina & miseriæ 569. 2 amici 569.10 mors 569.17
Remigius Antisiodorensis monachus 9.36 533.2
Remigij doctrina 533.35 næui ibid. 40
Remigij opera in administratione episcopatus gesta 534.4 scripta 533.8
Remigij Antisidiorensis querela de persecutione suorum temporum 26.46
Remorum ecclesia 10.20
Remensis synodus 374.39 418.30
Remensis synodi canones 374.43
remissio peccatorum bonis operibus malè ab Idiota tribuitur 207.56
de remissione peccatorũ error Haymonis 208.20
responsoria 245.45
respondentis uoce Scripturam sæpe uti nullo interrogante 43.56
resipiscendi spes in inferno nulla superest 193.35
resurrectio mortuorum qualis futura 186.30
resurrectio mortuorũ pijs iucunda, impijs horribilis 187.30
resurrectio mortuorum uniuersales 186.36
resurrectio spiritualis 185.2
resurrectionis corporum modus & forma 186.14.
resurrectionis fructus ampliſsimus 187.46 utilitas 82.50
Rhodani ecclesia 9.7
Rhodus à Saracenis infestata 20.41
Rhodi ecclesiæ 6.39
Rhosi miraculo ad christianismum conuersi 14.25
Rhossorum episcopi miraculum 14.30
Richardis Caroli Crassi uxor repudiata 267.14.
Richarius Bathauiæ episcopus 11.41
Riculphus Colonienſis episcopus 334.55

Riculphus Moguntinus episcopus 542.56 eius mors 543.6
Ripensis ecclesia 13.23
ritus circa baptismum 234.13 circa cibos 257. 55 circa claues 238.14 circa cœnam 243. 8 circa ieiunia 257.10 circa iusiurandum 287.26 circa nuptias 259. 28 circa orationes 249. 20 circa sepulturã 262. 56 circa uisitationẽ ægrotantium 262. 26 circa uocationem & ordinationẽ ministrorum ecclesiæ 250.56
ritus inaugurandi imperatores 288. 34 demonstrandi innocentiam 287.50 ordinandi exorcistas 255. 46 ordinandi lectores ibi. 56 ordinandi diaconos & subdiaconos ibid.34
Rodoaldus Portuensis episcopus 425
Rodoaldus & Zacharias Pontificij legati 488.50
Rodulphus Herbipolensis episcopus nobilis sed stultus 290. 58
Rollo in baptismo Ruperti nomen accepit 236 26
Romana ecclesia aliarum omnium caput declarata 507.54
Romani Pontificis scelera & fornicatio memorabili facinore detecta 337.30
inter Romanos & Constantinopolitanos de Bulgarorum diœcesi 354.40
Romana synodus 413 33 & 423. 30 & 425.24
Romanam ecclesiam esse caput omnium aliarum totius orbis à Pontifice Rom. quibus rationibus cõ probatum 320. 50
Rothadus seu Rotaldus, Suessionicæ urbis episcopus 550. 16
Rotlandus Arelatensis archiepiscopus 521. 28 à Saracenis captus, abducitur & mortuus ad suos defertur ibid. 30.
Rotharicus Suessonum episcopus ab Hincmaro damnatus & à Nicolao Pontifice Rom. absolutus 524 20
Rotomagi ecclesia 9.26
Rudolphus nobilis & fatuus, episcopus Vuirziburgensis 12. 3 550. 40
Rudolphi Vuirziburgensis episcopi bellum funestum cum filijs Henrici ducis 302 56
Rumbertus Rhodani episcopus 9.8
Ruthardus et Richbaldus præceptores monasterij Hirsaugiensis 270.46
Rutbertus Rabani discipulus & Metensis episcopus 355. 54

S

Sabbatum spirituale 197.9 sabbatum uet. testamenti figura requiei spiritualis 56.34
sacerdos ne quis ante tricesimum annum ætatis ordinetur 379. 58
sacerdotis homicidium quomodo puniendum 460.44
sacerdoti cuidã nares abscissæ 450. 27
sacerdotum coniugium asseritur 541.2 & inde
sacerdotum fornicatio 451. 50
sacerdotum nuptiæ damnatæ 505. 43 & 495.23
sacerdotes Laudunensis episcopi iniustè excommunicati 314. 34
de sacerdotum luxu Ludouici lex 346.24
de sacerdotum uestitu dissensio inter Carolum Caluum & clerum Rauennatem 350. 30
sacerdotalium uestium ornatus qui eiusdem significatio 231.22
sacerdotium Christi æternum 77 30 sacerdotium largitione non ambiendum 3.
sacerdotium muneribus & largitionibus uenundatum 290.50
sacramentum quid 136. 18 & 148. 6
sacramenta cur sic dicta 148.10 136. 24
sacramẽta non pendẽt ex sacerdotis dignitate aut indignitate 156. 57
sacrificia christianorum quæ 157. 12
sacrilegium dysenteria punitum 31.3 de sacrilegij pœna edictum Caroli 345.24
sacrilegorũ pœna 461. 50 & 462. inde
Sadducæi. 226
sal benedictum catechumenis datum 235.27
Salfeldensis ecclesia 12 9
Salmgstadiense cœnobium 266. 27
Salisburgensis synodus 47
saliua in baptismo adhibita 38
Salomon abbas Sangallensis fit episcopus Constantiensis 35
Salomon baro de Ranschmag Rhetus, Constantiensis episcopus 552. eius scripta & mors 552. 6 & de
Salomon Constantiensis episcopus 12.10
Salomon Sangallensis abbas 26
saltationes in christianorum nuptijs permissæ
saluandorum numerus
Saluianus martyr ab Hilperico rex in Arianam hæresim consentire iussus
Saluius episcopus in Gallijs à Vuandalo procuratore fisci interfectus
Saluij episcopi cædes diuinitus ultacata
sanctimonialium munus 50
sanctimonialium leges & statuta 278 1
sanctimonialium fornicatio quomodo puniri mandata
sanctimonialium fornicationis pœna decreta
sanctorum infirmitates in Scriptura cur reuelentur
de sanctorum inuocatione errant Idiotæ Haymonis & Rabani 206.48 & inde
Sangallensis bibliotheca
Sangallensis cœnobij schola 268.46
sanguinem Christi Mantuæ reperta 322.4
sapientiæ diuinæ commendatio 40. 10
Sapientiæ liber à Salomone conscriptus, cur à Iudæis nõ recipiatur 203.23
Saraceni blasphemiæ in filium Dei pœnas luunt 30.31 25.34 & inde
Romanos
Saracenі monasterium Casinense occupant 27.46 à Pipino profligati 20.12 item ex Italia 20 in Rhodum grassantur 20.45 Tauromenium et Lentinum
cupant
Saracenorum bellum intestinũ Christianis exitiale
Saracenorum

Saracenorum in Cyprum irrupto 20.40 it eorum in insPerontiam et Eschiam 20.20 eorundem in Sardiniam expeditio 20.14 nisi aliam irruptio & grassatio 23. 18 26.14
Saracenorum crudelitas tempestate punita 30.58
Sardinia à Saracenis oppugnata 20.12
Sardiniæ & corsicæ ecclesiæ 6.48
satisfactio confitentibus imposita 241.3 & 300.21
satisfactionem imponere penes episcopos fuit 241.20
de satisfactione canones concilij Africani 241.20
Saul typum uatricum in Scripturis refert 44.30
Saxones tributo liberati 304.58 & 362. 17
Saxonum scholæ tributo liberatæ 510 50
Saxonia à Danis uastata 27.36
in Saxonia à Carolo M. ecclesiæ institutæ 17.16
Saxonicæ ecclesiæ à Godefrido Danorum rege infestatæ 19.40
scandalum infirmorum propter impiorum successus prosperos 180.1
scholæ
scholæ & artium studia à regibus & imperatoribus promota 345. 55
Sclaui & Poloni, religione christiana imbuti 15 4
Sclaui à Carolo M. subacti 20 8
ad fidem Christi cõuersi 540.10
Sclauorum in Christianos grassatio 20 30
Sclauorum & Boemorum contra Auares grassatio 20.5
Sclauis uernaculo sermone sacra peragere concessum 505.57
Sclauonæ ecclesiæ 7.33
scriptura sacra hum. ratione nõ metienda 43.40
scripturæ sacræ consensus 42.36
effectus 39. 40 elogium 40.10 finis 42. 40 usus 42. 44
scripturæ sacræ author spiritus sanctus 204.23
scripturæ meditatio frequens quam utilis 39 50
scripturæ lectioni & auditioni studiose incumbendum 39.50
scripturã sæpe Deo tribuere, quod in alijs operatur 45.47
de scriptura sacra regulæ aliquot utilissimæ 42.50 & seq.
scripturæ sacræ sensus septẽ ex Angelomo 42.26
Slaomir rex Abodritorum baptizatus 17.34
Slauorum idololatria 15.37
Slesuicensis ecclesia 13.23
Smuma flumen 266.33
Snaringus monachus Fuldensis excommunicatus & incarceratus 272.15
scholarum cura quibus demandata 297.32 & 307.46
scholis qui præfici soliti 307.26
à scholis tributa per Põtificem Ro. exacta 327.3
in scholis quæ tradi solita 307. 33
scire Dei 54 4
Scotiæ ecclesiæ 13.44
scutum ueræ fidei 38.29
Sebastiani corpus Hilduin abbati dono missum 325.54
Sebastiani reliquiæ in Medardi basilicam collocatæ 231.10 & 264.54
seculum nonũ unde auspicetur & finiat 1.10
seculum nonum quibus corruptelis & superstitionibus obnoxium 1.20
securitatem per afflictiones excuti 176.12
sedere Dei 49.42 & 53.52
sedere coram Domino quid 44. 50
sedes episcopales & archiepiscopales à Pontifice Rom. mutatæ & translatæ 323.43
Segolenus Bituricensis episcopus 530.20
semitæ uerbum Dei cur comparatũ 38.9
Senonensis ecclesia 93
septenarij numeri in Scripturis usus 44.17
de septuaginta interpretibus Rabani iudicium 202.12
sepulchri dominici et loci Caluariæ claues Romam missæ 317. 50
sepulchrorum uiolatio 411.22
ad sepulchra sanctorum preces habitæ 249.37
in sepulturis qui ritus fuerint in usu 262.56
sepultura precio non uendenda 466.14
sepulturæ certi loci destinati 263. 12
sepulturas uendi prohibitum 264. 12
sequentiæ in Gallicanis ecclesiis cantari permissæ 505.37
sequentias Noegerij in ecclesiis canere à Nicolao Papa institutum 327.48
seraphim 94 43
seraphim duo, figura ueteris & noui testamenti 55.32
Sergius II. Pontifex Rom. 301.40 & 497. 17 quibus gradibus ad Pontificatum ascẽderit 497. 20 absq; imperatoris assensu Pontifex creatus 340 50
à Drogone archiepiscopo & abbatibus quibusdam reprehensus 340
Sergij bellum contra Saracenos 500.4 idololatria ibid. 30 & 499.3 regnandi libido 498.14. mors 498.28 & 500. 34 opera 498 57
Sergio IIII. quæ miracula attributa 500.24
sermones ecclesiastici statui temporum & personarum accommodandi 42.52
serpens æneus typum Christi quomodo gesserit 79 54
pro seruo fugitiuo & in fuga mortuo an missa celebranda 249. 7
serui ad ecclesiasticam dignitatem non promouendi 472. 26
serui non nisi manumissi in clericorum numerum assumpti 256. 30
Seueri Rauennatis episcopi cadauer Mogũtiam translatum 264. 46
si aduerbium sæpe pro Non poni 44.48
Si conunctio multifariam accipitur 53.18
Sicilia à Saracenis direpta & uastata 20.14 & 26.14 23.18
Siciliæ ecclesiæ 7.9
Siculorum ad Caßinensem synodũ epistola 23.40
Sigefridus Danorũ rex Caroli III. persuasione Christi fidem amplectitur 17.40
Sigelectinus Schirburnensis episcopus 13 30

Sigismundus Halberstadensis episcopus 12.20 563.5
per similitudines loqui prophetisu-sitatum 45.55
solis uariæ significationes in scripturis 50.12
Soltuueliæ incolæ ad fidem Christi perducti 18.5
sophismata hæreticorum refugia 218.38
sortilegi 199.8
spectacula in nuptiarum celebratione haberi solita 260.59
spectaculis clerico interesse prohibitum 260.1
speculatoribus reges comparati 53.30
sperati Scillitanorum martyris cadauer in Franciam deportatum 264.41
Spirensis ecclesia 11.21
spiritus sanctus quid 84.40
spiritus sanctus cur digitus Dei dicatur 84.3 quomodo procedere & mitti dicatur 86.20
spiritus sanctus sibi per omnia constat & conformis est 84.58
spiritus sancti dona uaria 85.1 officium 86.40 operatio 86.48 uaria significata 52.31 & 83.7
spiritus sancti qui capaces 86.35
spiritum sanctum esse Deum 84.44
spiritum sanctum posse excuti 86.56
spiritum & uentum una uoce apud Hebræos exprimi 42.57
spiritualia non exhauriri posse 39.8
sponsalia 259.29
ad statuas præces factæ 249.37
Stauratius Nicephori filius 260.20
Stauratius in monachum attonsus 272.1
Stauratij libidines 285.50
Stephanus Baturiensis episcopus 530.30 eius liberalitas in pauperes ibid. 53
Stephanus Constantinopolitanus patriarcha 490 1
Stephanus IIII Pontifex Rom. 492.4
Stephanus V. Pontifex Rom. 511.43
Stephanus VI. Pontifex Rom. 513.14
Stephani 4 Pontificis Rom. arrogantia 492.30 auaritia ibid. 40 idololatria 493.10 mors 493.14 superbia 493.1
Stephani V. opera 511.50 amici & familiares 512.10 mors 512.15
Stephani VI. opera 513.20 mors 513.38
Stettoniense cœnobium 266.59
stola pontificia 231 42
Suatebogus magnus Morauorum dux 540 10
Suatebogi fuga ad Imperatorem 540.12
subdiaconorum munus 293.27
Sueciæ ecclesiæ 13.25
suffraganei archiepiscoporum 313.12
Suithunus Vintoniensis episcopus 13 38 572.49
superbiæ effectus 125.40
Sundecholdus seu Sunzo, Moguntinus archiepiscopus 549.40
Sunderoldus Moguntinus episcopus à Nortmannis trucidatus 28.11
Sunzo Fuldensis monachus 343.16
susceptores, an cum filijs quos è baptismo leuarunt, matrimonio copulari possint 261.30
Suuaritzichense cœnobium quando & à quo extructum 266.22
Symboli summa ex Rabano 35.5
symboli summa ex synodo Arelatensi 31. 42 item ex Vuormatiensi 32.27
synagogæ sanctificatio 46.1
synodus Aquisgranensis 362 24 403.56 alia 405.20 423.20 Arelatensis 401. 2 Cabilonensis 387.14 Colonensis 447.34 Compostellensis 361. 20 Constantinopolitana 413 20 425.10 & ibid. 43 & 426.46 Francita 423. 46 Hallensis 362.17 Lugdunensis 406. 10 Macrensis 447.56 Meldensis 406. 20 Metensis 423.1 Moguntina 362.41 412.57 404.35 450.52 Parisiensis 361.36 Pontigonensis 444.8 Remensis 374 36 418.30 Romana 413.34 423.58 item 424.57 & 425 24 426.16 423.30 Salisburgensis 361.48 Ticinensis 418. 46 Trecanensis 447.4 Triburiensis 459.20 403. 33 Turonensis 378.24 Vuormaciensis 443. 39 Vuormacien. 404.22 451.6 ad ullam Tyro donis 403.40
synodi sex ab ecclesia receptæ 30 34.
synodorum decreta pro suo lubito Pontifex Rom. mutat 32.38
synodos conuocare quibus mandatū 311.1
synodos conuocare metropolitanorum officium 315.30
synodos conuocandi potestate Pontifex Rom. sibi soli uendica. 327.7
synodos in templis celebrare simoniare 252.60
à synodis Pontifex Rom. quos excludat 32.18 518.54
synodicæ literæ 510
Syriæ ecclesiæ

T

Tabernæ presbyteris interdictæ 381 30
Tanto monachus Sueuorum 232.31
Tanto monachus, fusor tintinnabulorum 277.27
Tanto Verdensis episcopus 515.6
Tarasius Constantinopolitanus patriarcha 429.30
Tarasius patriarcha author Constantino repudiatæ uxoris 20.38
Tarasius à stauratio admonitus 295.8
Tarasij sepulchrū nongenta quinq; libris argenti obductum 349.14 8.36
Tarentesiæ ecclesia 8.37
Taurini ecclesiæ 260.30
Teberga Lotharij uxor 260.30
Telericus Bulgarorum rex ad fidē Christi conuersus 13.47
Telesphorus Pontifex Rom. 24. 12
telonea monachis Fuldensibus à Nortmannis erepta 27.8
temeritatis exemplum 23.1
tempestas Chumeld Saracenorū ibi cem affligens superstitiose uerti Nicolai attributa 29.40
templum Martini à Nortmannis Turonæ incensum 26.48
templa quibus rebus ornata fuerint 230.5
templa gratis à sacerdotibus consecrata 229.10
templorum dedicatio quando fuit consueta 229.43 templorum

templorum & monasteriorũ ædificationi nimium dediti pontifices 300.44
in templorum consecrationibus & dedicationibus qui ritus obseruati 229.40
tentare Deus quomodo dicatur 45.57 & 88.30
testamentum uetus cur sit dictum 200.3
testamenti noui finis 56.34
testamẽti autor ueteris et noui & spiritus Vnus 55.42 & 185.8
testamenti utriusq; cõcordantia 56.43 item differentia 57.23
testamenti ueteris & noui testatores qui 55.25
testamenti ueteris finis quis 17 56.
testamenti ueteris ritus figura sacerdotij Christi 56.20
testamentis & legatis ecclesiæ dictæ 305.3
testis infra 14 annum non admittendus 450.46
testimoniales literæ presbyteris alio migrantibus dari solitæ 309.50
testimoniales literæ Pontificis Rom. bulla confirmari solitæ 327.50
Thebaidis monachorum consuetudo dorsum transeuntibus calcandũ præbere 270.20
Thebit à Leone p ætore repressus 21.34
Thebit in christianos sæuitia 21.35
Theofisti cædes uindicata 30.12
Teanæ ecclesiæ 8 22
Thela pseudoprophetissa mulier Suenica, quo tempore uixerit, & quibus in locis hæresim suã sparserit 224.6 eius hypothesis ibid. 21
Theodomarus Iuuauiensis episcopus 326.59
Theodomirus abbas 297.15
Theodorus Palæstinæ monachus 575.7 eius doctrina ibid. 20 opera ibid. 27 scripta ibid. 14
Theodorus Egimenus cum alijs sociis Constantinopoli electus, & per Michaelem Imperatorem reuocatus 21 14
Theodorus Primicerius Pontificis Rom. insidijs circumuentus, exoculatur 494.30 decollatus 322.46
Theodorus Santabarenus præstigiator & necromanticus 277.38 & 284 4 303. 40
Theodorus II Pontifex Rom. 513.48
Theodorus Studiensis monasterij abbas 576.32
Theodora Constantinopolis imperatrix 290.47
Theodora Theopli Imp. uxore 24. 20
Theodora regina una cum filiabus monasterio includitur 272.13
Theodora nobile scortum, Romanæ urbis gubernatrix 333.3 & 502.4
Theodoricus Mindensis episcopus 558.26
Theodulphus abbas Floriacensis in episcopum Ambianensem electus 289.48
Theodulphus Aurelianensis episcopus 524.56
Theodolphus Curiensis episcopus 11.7 & 551.10
Theodulphus Aurelianensis episcopus à Ludouico Pio in carcerem coniectus 525.4
Theodulphi Aur. episcopus scripta 525.8
Theodotus Melissenus 486.48 eius curriculum 487. 10 doctrina 487.12 opera ibid 1.
Theogisus monachus 265.6
Theophanus Nicenus episcopus 484.57
Theophania Stauratio Nicephori filio desponsatur 260.20
Theophilus Antiochiæ episcopus 5.10
Theophili Imperatoris studium in auocandis liberis suis à superstitionibus 281.50
Theophili Imp. elogia 24 11
Theophili studiũ et industria in conseruandis ordinibus & dignitatibus 283.13
Theophili iustitia 283 4
Theoto abbas Fuldensis 270. 50 à Ludouico Imp. ad Nicolaum Pontificem ablegatus 270.52
Theotelaus Suessionicæ urbis episcopus 550.23
Thessalonicensis quidam episcopus propter imaginũ cultũ impugnatum ducentis plagis cæsus 25.16
Thetgaudus seu Theodogutho Treuirensis episcopus 536.54 à Nicolao Pontifice excommunicatus & dignitate priuatus 537.46
Thetgandus & Guntherus pontificiæ authoritatis impugnatores 333.35
Thetgandus, Zacharias & Anastasius ab Adriani Papæ antecessoribus excommunicati in ecclesiam & communionem recepti 255.27
Thetgaudus Galliæ episcopus 303.58
Thetgandi certamina cum episcopis Belgicis 537. 40 eius doctrina ibid. 6
Thetgandi exilium & mors 538.20 eius libertas in reprehendenda Pontificis Rom. tyrannide 537.10 opera in functiõe ibid. 30 scripta 538.1
Thietberga Lotharij uxor falsis testibus oppressa 287.11 incæstuæ falsò accusata & à marito repudiata 423.2
Thietgandus Treuirensis episcopus indoctus 290.54
Thietgandus et Guntherus archiepiscopi dignitate priuati 423.32
Thioto abbas Fuldensis 249.57
Thomas episcopus Hierosolymitanus 484.28
S. Thomæ munera in Indiam missa 349.24
Thomæ seditioso Imperatoria dignitas à Iobo patriarcha Antiocheno collata 5.16
Thuringiæ ecclesiæ 12.9
Thraciæ doctores 485.40
Thraciæ ecclesiæ 7.20
thymelici 260.2
Tigrius Halberstadensis episcopus 560 47
Ticini ecclesiæ 8.21
Ticinensis schola 8.21
Ticinensis synodus 418.46
timor filialis 125.18
tonsura monachorum 270.25
Toringarius concordiæ episcopus 7.59
Tornaci Ecclesia 9.44
traditionum humanarum assertor Haymo 216.24
traditionibus humanis conscientiæ illaqueatæ 300 5

Traiecti ecclesia 9.45
transitus Dei 48.22
transsubstantiatio à Bertramo asserta 212.35
transsubstantiationis dogma à Paschasio approbatum 215.20
Trecanensis synodus 447.4
Treuirensis ecclesia 10.46
Triburiana synodus 403 34 et 459. 20
Triburiensis synodi querela de persecutione sui temporis 28.46
Tridenti ecclesiæ 8 32
trinitatis cognitio unde haurienda 62.54
trinitatis imaginatio ad unitatem nos reducere debet 63.23
trinitatis mysterium in Esaia per Seraphim adumbratum 46.20
trinitas mysterium quomodo intelligendum 33.10 & seq.
trinitatis opera inseparabilia 88.33
Trinitatis personæ quomodo non confundendæ 33.10
in trinitatis honorem Ecclesia à Ludouico Imp. in causa aurea extructa 228.21
de trinitate regula utilis 43.46
Turpinus Romanorum episcopus 522.14
Turpini doctrina 522. 44 opera ibi. 53 scripta ibid. 40
Turonensis synodus 378. 26 quando celebrata ibid. 28 eius canones ibid. 32 & seq.
turris in Vaticano à Leone extucta 332.16
Tusciæ ecclesiæ 8.16
Tuto præses ecclesiæ Rheginoburgensis 11.34
Tuto Ratisponensis episcopus 539. 54

V

Valentij cuiusdam cadauer noctu è sepulchro in aliud protectum 466.60
Valentia Hispaniæ ciuitas 279.16
Valentinus I Pont fex Rom. 495.34 eius mors ibid. 40
Valentini & Genesij cadauera in Augiam translata 279.7
Valeriam in templum rectum 228. 42
Vascandus seu Vuachandus Leodiensis episcopus 531 30 eius idolo latria ibid. 34
uasorum ligneorum usus in administratione cœnæ probatus 467. 40
Vaticanum muro cinctum 332.20 & 499.56
uenationes & aucupia episcopis interdictæ 302.35
Venetiarum ecclesiæ 7.4
uenti significata 53.35
uerbum pro re 45.40
uerbum Dei fundamentum ecclesiæ 160.16
uerbum cur non apud omnes fructificet 41.3
uerbum Dei non posse euerti 39.27
uerbi Dei appellationes 38. 6 causa efficiēs 38.40 forma ibid. 56 effectus 39. 40
uerbi Dei necessitas & certitudo 39 34 & 40. 44 potentia 41.1 uaria significata 51. 5 subiectum 38.42
uerbi Dei contemptus pœna 41.8
à uerbo Dei non deflectendum 39. 10
Verdensis ecclesia 12.50
Verefridus Vuigornensis episcopus 571.54
ueritatem & uerbum Dei ecclesia interire non posse 39 27
uestis nuptialis 122 31
uiæ Domini 48.38
uidere Dei 48.20
uiduas uelare episcopus prohibitum 470 40
Vienna Galliæ urbs 250 35
Viennæ ecclesiæ 8.46
ad uillam Theodonis synodus cur & à quibus celebrata 403 40
uinum in cœna aqua miscere solitum 243.53
uini & olei significatio 46.30
Vincentij corpus in Benedicti cœnobium deportatum 279.16
Vincentiæ, Seueri Rauennatis episcopi uxoris corpus Moguntiani allatum 264.45
uirginum monasterium Vuormaciæ 266.42
uirginum raptoribus pœna constituta 409.50
uirilia Pontificum Rom. explorandi mos 501.53
uirorum triamillia à mille cæsi 282.8
Virtutes angelorum ordo 94.28
uisionum genera tria 41 34
uisitare Dei duplex 48.16
Visantij ecclesia 9.13
Visurgis fl. 266 34
uita æterna in quo consistat 194. 27
uita æterna quomodo remuneratio seu merces appelletur 197.60 197. 8
uita triplex 194.55
uitæ æternæ descriptio 194.55
uitæ æternæ gaudium exprimi uerbis nequit 195. 17 & 196.18
uitæ æternæ desiderium per afflictiones excitari 196. 50
uitæ humanæ fragilitas 195.26 & 196.45
de uita æterna error Haymonis 217.55
Viti templum apud Ranos 15.51
uitreorum poculorum usus in cœna ad ministratione mādatus 467. 30
unctio extrema à Rabano approbata 215.56
Vngari ab Arnulpho Imp. in auxilia contra Morauos uocati 22. 39
ungendi ægrotos consuetudo ex apostolorum tempore fuerit in usu 202.52
Volfoldus Cremonensis episcopus 303 2
uota monastica non frangenda, à Pontifice Rom. mandatum 328. 50
uota monastica à Remigio asserta 95.16
Vriel angelus 215.50
Vuolfius Lareacensis episcopus 12. 60 & 323. 37
Vrsinarius confessor Lobiensis exhumatus 264.71
Vtimnensis ecclesia Italicis præsulis locupletata 304.30
Vuachandus Andagij cœnobij exactor 266.35
Vualchandus Leonensis episcopus 9.52 & 264 48
Vualdo Frisingensis episcopus 540. 26
Vualdo Fruxinensis episcopus 12. 47
Vualdrada pellex Lotharij regis 247 1 & 259. 32 Romam citata 326.14. excommunicata 238.20
Vualdradæ excommunicationis formula in Germaniam missa 324. 34
Vualdradæ nuptiæ cum Lothario 423.26
Vualpurgis Heidenheimensis abbatissa de tumulo leuata & inter sanctos relata 322
Vualpurgis monasterium Aycistadij 266.50

Vualthe-

Vualibarius Aurelianenſis epiſcopus 9.1 & 522.30
Vualibertus Verdenſis epiſcopus 556.7
Vualſtadenſes & Crunenſes à Carolo III. deuicti & ad Chriſtianiſmum conuerſi 18.4
Vaechenſtephanum monaſterium 266.26
Vuerburgæ uirginis oſſa effoſſa & translata ab Hamburgenſibus 264.35
Vuerefridus Vuigornienſis eccleſiæ rector
Vuermeriæ ſynodus 13.41
Vuermeriæ eccleſia 443.59
Vueſtphaliæ eccleſiæ 10.5
Vuigbertus Hildeſienſis epiſcopus 12.27 560.30
Vuigbertus Verdenſis epiſcopus 556.10
Vuigberti confeſſoris baſilica dedicata & fundata 228.38
Vuigolerus Bathauiæ epiſcopus 11.40
Vuigormienſis eccleſia 13.41
Vuilbertus Catubonenſis epiſcopus 9.23
Vuillibertus Colonienſis archiepiſcopus 313.47 & 553.45
Vuilibertus epiſcopus à clero & populo Colonienſi electus 250.
Vuildelhuſenſe collegium 265.27 60
Vuinemarus ſatelles Balduini Flandrenſium comitis 524.50
Vuinigardus procurator fiſci Saluium epiſcopum in Gallijs interfecit 19.58
Vuinnigiſus dux Spoletanus fit monachus 349.1
Vuirziburgenſis eccleſia 12.3
Vuitgarius Auguſtanus epiſcopus 11.24 & 542.40
Vuittungus Morauorum primus epiſcopus 15.21
Vuormacienſis eccleſia 11.19
Vuormacienſis epiſcopatus à Carolo M. inſtitutus 17.23
Vuormacienſis ſynodus 451.6 eius decreta ibid. 10 & 404.22
Vuulfarius Remenſis archiepiſcopus 523.8
Vuulfelinus epiſcopus monaſterienſis 12.32
Vuyntonienſis eccleſia 13.38
uxor in adulterio deprehenſa, an à marito interfici poſsit 260.53

Z

ZAzynthi eccleſiæ 7.1
Zelus Dei 55.6
Zepherinus Pontifex Rom. 467.38
Zorobabel typus Meßiæ 76.21
Zoſymus papa 252.50
Zundibolchus Arnulphi Imp. filius 259.35
Zuendiboldus dux 349.3 eius bellum cum Durſis ibid.5
Zuentibaldus dux Morauos fide Chriſtiana imbui curat 15.21
Zycenſis epiſcopatus à Carolo M. inſtitutus 17.20

INDICIS FINIS.

BASILEAE, EX OFFICINA IOANNIS OPORINI, ANNO SALVTIS humanæ M. D. LXV. Menſe Septembri.